


V
B
J
C
3
V ATLASY



GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ


VOLVMEN SEPTIMVM,

QVO

LIBER XIV, XV,

EUROPÆ

CONTINENTVR.



AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus


IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.

H. L.
C. A. C.



DVO PRO- TEGIT VNVS.




GALLIA,


QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER XIV.



DESCRIPTIO GALLIÆ.




Nam gentem, Celtarum nomine, omnem quondam incoluisse Hispaniam, ac Galliam, Germaniamque, Illyricum, & Britannicas insulas, notissimum est. Cæterum Gallorum natio adeo populosa fuit, uti, quum domi haud sterile solum tenerent, ob multitudinem tamen hominum, necessum habuerint, in diversas ac longinquas mundi regiones colonias deducere. Nonnulli eorum Italiæ dimidiam fere partem occuparunt. Ex his quidam ultra profecti in Asiam usque pervenerunt; nomenque ibi Galatiæ, sive Gallogræciæ, seu Græcogalliæ fecerunt. Alii in Britanniam pervenisse putantur. In Germaniam autem alii invecti, ingentem tractum à Rheno ad Vistulæ usque fontes obsederunt. In ipsa Gallia vixit universa gens, quot nominibus, tot civitatibus, imperiis, ac magistratibus discreta. Primi Romanorum arma sensere Salyes; cum de incursionibus eorum Massilia, socia Romanorum civitas, quereretur. Deinde Allobroges & Arverni; quum adversus eos similes Heduorum querelæ opem & auxilium deposcerent. Prima igitur Gallia Narbonensis subjugata, in Provinciæ formam redacta est, Domitio Ænobarbo & Fabio Maximo trophæa in ea statuentibus. Reliquæ Galliæ per x annos domitæ laus Iulio Cæsari debetur. Paruit hinc tota sub præfectis Romano Imperio ad Honorii Imperatoris usque tempestatem; cum, circa annum Christi 400, Gothorum Hispaniam atque Italiam vastantium pars Narbonensem provinciam invasit, nomenque regioni de suo imposuit, quod postmodum corrupte *Languedoc*, quasi *Langue de Goth*, dictum est. Prolatis deinde ad Ligerim usque amnem Imperii finibus, regnum constituerunt, cujus caput ac regia Tolosa fuit. Eadem tempestâte Burgundiones ab ultima Germania (pars Cassubiorum, parsque Brandeburgensium nunc ea loca tenent) cum Vandalis Suevisque profecti, alias Galliæ partes occuparunt, regnoque constituto, Burgundiæ nomen de suo imposuerunt, cujus caput regiaque sedes Arelate. Complectebatur utramque Burgundiam, Lugdunensem agrum, Delfinatum, Sabaudiam, & Provinciam. Sub idem ferme tempus, Franci, Germanica gens, Rheno trajecto, proximam Galliæ partem, Tungriam (nunc est Brabantia ac Leodiensis Episcopatus) obsederunt. At pulsi mox à Gothis paulo post redierunt, ultraque in Parisios usque progressi, regioni ac regno inibi condito, Franciæ vocabulum de suo imposuerunt, cujus caput ac regia Lutetia. Circa eadem tempora Britanni ex Britannia insula, ab Anglis & Saxonibus, quos in opem & auxilium adversus Scotos Pictosque ex Germania vocaverant, pulsi, extrema Galliæ Celticæ obsederunt, & de suo nomine Britanniam minorem appellaverunt. At Clodovæus V Franciæ Rex, Burgundiæ Rege Gundebaldo armis devicto, Gothisque ex Gallia ejectis, utrumque regnum imperio suo adjecit. Hic vita excedens, regnum Franciæ 4 filiis, in quatuor partes seu regna distributum, reliquit. Primus erat Parisiorum rex, cui parebant Parisii, (nunc vulgo *Isle de France*, id est, Insula Franciæ) Campania, Cenomani, Turones, Andegavi, Aquitani, Arverni. Secundus Suessionum rex, cujus regno submissi Veromandui, Neustrii, (nunc Normanni,) Picardi, Flandri. Tertius Burgundiæ sive Aureliani rex: cui cessit totum Burgundiæ regnum, ante dictum, cum Aurelianensi Ducatu. Quartus rex Metensis, sive Austrasiæ, quæ complectebatur quicquid inter Mosam & Rhenum. Mortuis autem fratribus Clotarius solus rerum potitus est. Hujus itidem quatuor filiis regnum iterum in quatuor dictas partes divisum est, At defunctis, ut ante, fratribus, Clotarius II totum regnum Franciæ solus obtinuit. Id integrum intactumque successoribus ejus mansit, ad Caroli Magni usque tempestatem, quum Austrasia divelleretur. Mox Flandria etiam sui juris facta est. Imperator Henricus III Burgundiæ regnum Germanorum imperio adjunxit. Sed id postea in quatuor partes direptum est. Beroaldus Saxoniæ Dux Sabaudiam invasit. Otto Flandriæ Comes partem occupavit, quam *Franche Comté*, id est, liberum Comitatum Burgundiæ, nuncupavit. Guigius Comes eam, quam à filii soceri nomine Delfinatum appellavit. Boso postremus in Provincia regnum tenuit, quod Arelatense dictum fuit. At posteriores Franciæ Reges Provinciam ac Burgundiæ Ducatum recuperarunt. Delfinatum Hubertus ultimus ejus Princeps Regi Galliarum vendidit, ea lege pacta, uti in posterum primogenitus cujusque regis filius nomen Delphini inde gestaret. Sabaudia successoribus Beroaldi etiamnum manet. Burgundiæ comitatus eodem titulo ac jure ad Hispaniarum regem pervenit, quo Flandria. Avenionensem Comitatum Ioanna Provinciæ Comes Papæ Clementi 6 concessit manetque etiam nunc sub Romanæ Ecclesiæ ditione.

Quo pacto Gallia sit facta minor.

Atque hac ratione Gallia arctior, quam olim facta est, tota propemodum Belgica avulsa. Itaque à Meridie, Occasu, & Septentrione, servatis antiquis terminis; ab Ortu clauditur Sabaudia, Burgundiæ Comitatu, Lotharingia, ac Inferiore Germania; quam vulgo nunc Belgicam vocant.

Gallia hodierna. Termini.

Francia autem dicitur vulgo à Francis, Germanica gente, in eam trangressis. Fuit hæc olim in Ducatus, Comitatus, aliaque Dominia divisa,



GALLIA,
Vulgo
LA FRANCE.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
MARE GERMANICUM.
ANGLETERRE
CORNOVAILLE
London
Pas de Calais
LA MANCHE.
OCEANVS AQVITANICVS.
GOLFE DE LYON
MARE MEDITERRANEVM.
Mare Ligustico
ESPAIGNE
Milliaria Galliæ communia
Milliaria Germanica communia

& sub hisce titulis quibusdam tradita: nunc vero tota paret uni Regi; paulatim enim quæ à regno vel avulsa erant, aut alio nomine & titulo possidebantur, Coronæ rursum unita fuere. Iisdem tamen gaudent titulis. Præcipuæ autem regiones sunt, quarum vulgaria ista vocabula: *Bretagne, Normandie, Picardie, Champagne, la France, Beausse, Berry, Blaisois, Vendosme, Perche, Gastinois, Senonois, Valois, le Maine, Touraine, Anjou, Poictou, Xaintonge, Perigort, Limosin, Bourbonnois, Lyonnois, Forest, Beaujolois, Auvergne, Angoulesme, Auxerre, Nevers, Bourgogne* Duché, *Quercy, Gascogne, Languedoc, Provence, Dauphiné, Bearn.* Accessit haud ita pridem *la Bresse*, pars Sabaudiæ: *Mets* etiam atque *Toul*, Lotharingiæ oppida, regis Francorum nuper facta sunt. A Francorum ditione separatæ, atque aliorum Principum imperio subditæ sunt, Comitatus *Avenionensis*, qui Pontifici paret.

Provinciæ.

Ducatus *Sabaudiæ* & *Lotharingiæ*: Principatus *Arausio*: Comitatus *Burgundiæ* & *Carolesii.*

Ducatus.

Cæterun Ducatus in Gallia præcipui sunt, *Orleans, Bourgogne, Narbonne, Bretagne, Anjou, Berry, Normandie, Auvergne, Guienne, Tours, Barleduc, Valois, Nemours, Alenson, Reims, Laon, Langres, Bourbon, le Maine.*

Vrbes celebriores.

Vrbes Galliæ maximæ celeberrimæque sunt in Parisiis, sive insula Franciæ, Lutetia Parisiorum, vulgo *Paris*, caput ac regia regni; urbs totius Europæ, si Constantinopolim excipias, magnitudine atque incolentium frequentia, clarissima, dignitate sua maxime æstimanda. In Picardis Ambianum, vulgo *Amiens*: templi interno splendore, ac ornamentis insignis. In Normannis Rottomagus, *Rouen*: opulentissimum Galliæ ad Oceanum Britannicum emporium: Cadomum, *Caen*: Diepa, navium appulsu celebris. In Britannis *Renes* & *Nantes*. In Andegavis Andegavum, sive Iuliomagus, vulgo *Angiers*. In Turonibus Turonum, vulgo *Tours*, cujus ager ob multiplicem amœnitatem hortus Galliæ nuncupatur. In Blesensi provincia Blesense castrum, vulgo *Blois*: In Belsia *Chartres*, & item Aurelianum, vulgo *Orleans*. In Biturigibus *Bourges*, antiquitatum reliquiis ac xenodochio clara. In Campania Remi, *Reims*, templi artificiosa extrinsecus structura nobilis: Catalauni, *Chalons*: Tricassium, vulgo *Troyes*, urbs ampla ac populosa. In Burgundia, Divionum, vulgo *Dijon*, Ducum quondam sedes: Cabilonum, *Chalon*, emporium haud spernendum: Matiscona, *Mascon*, satis nitida: Belna, vulgo *Beaune*, xenodochii magnificentia famosa: Augustodunum, *Autun*, antiquitatibus Romanis adeo referta; uti Roma Gallica quibusdam vocitata fuerit. In Borbonensi provincia *Molins.* In Lemovicibus Lemovicum, *Limoges*, emporium dives. In Pictonibus Pictavium, vulgo *Poictiers*, magnitudine quidem secundas à Lutetia fert, at multo minus populosa. In Santonibus *Saintes*, antiquitatibus Romanis maxime ornata: Rupellæ, vulgo *la Rochelle*, celeberrimum ad Oceanum Aquitanicum emporium: urbs munitissima, propugnaculum proximis bellis civilibus Protestantium tutissimum. In vasconibus Burdegala, vulgo *Bordeaux*, urbs ampla, antiquitatum Romanarum reliquiis conspicua, opulentissimum emporium; Garumna flumine navium appulsum commodante. Linguadocia est Tolosa, *Tolouse*, inhabitantium multitudine insignis. Martius Narbo, vulgo *Narbonne*, magnifica quondam urbs, nunc munimine maxime clara. Mons Pessulanus, urbs magna ac clara, vulgo *Montpellier*. Lugdunum, *Lyon*, urbs opulentissima, & ob commercia per totam fere Europam celebratissima. In Provincia, Massilia, *Marseille* portus jucunditate juxta ac pulchritudine clara, opulentissimumque Galliæ ad internum mare emporium, triremium regiarum statio; cæterum libera est civitas, una cum Arelate, utraque in Galliæ Regis tutela. Aquæ etiam Sextiæ, *Aix*, nitida est urbs: item Avenio *Avignon*, quæ Romanæ Ecclesiæ subjecta est.

Aer.

Gallia aeris salubritate ac temperie optimis Europæ regionibus accensenda. Constitutione felicissimam facit Claudianus, saluberrimam Cæsar: fertilissimam hominum genitricem Strabo. Ager magnam partem est planus, amœnis hic illic assurgens collibus, quos valles excipiunt adspectu amœnissimæ. Hic incolarum labore ac industria excultus, triticum, segetesque alias magna luxurie producit. Multum fert frumenti, non suis solum, sed & exterorum usibus; etiam milium, glandes, & omnigenum pecus. Nihil in ea otiosum, nisi qua paludes aut silvæ. Abietem fert, & taxum magna copia habuit, ut Cæsar testatur. Eam Dioscorides Narbone tam præsentis esse veneni tradit, ut si qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra morentur, lædantur, & sæpenumero moriantur. Vini feracissima est. Quid velint Vopiscus & Eusebius, dum Probum Imperatorem tradunt Gallis permisisse, ut vites haberent, docti viri nondum capiunt. Hodie vina Galliæ non unius generis sunt. alia aliis locis colligunt generosiora, eaque partim suis Britannis, Normannis, Picardis, partim finitimis Germanis, Belgis, Anglis subvehunt. Nec armenta refugit, verum nutrit liberaliter: unde fit, ut carnis, lactis, butyri, casei, lanæ, rerumque aliarum abundet copia. Asinos non habere scribit in Admirandis Aristoteles, at hodie secus se res habet. Avium, pisciumque genus multiplex sufficit tellus, ac vicinum mare, fluviique in mare se exonerantes.

Ager.

Pro diversitate Climatum, cœli solique in Gallia qualitates diversæ sunt. Circa Lutetiam solum non modo frumenti, vini, cæterarumque frugum egregie ferax, sed & amœnum inprimisque riguum: Belsia frumenti feracissima; Secalaunia arenoso licet solo, secalis tamen uberrimo proventu dives. Blesensis ager præter frumenti, vini, aliarumque rerum ad vitam humanam necessariarum abundantiam, proceris arboribus luxuriat: multis amnibus, rivulis, stagnis rigua, eaque re Belsia potior. Aurelianensis ager aucupio, venationi piscationique peropportunus, sed generosi vini copia laudabilior. Vastina regio, sylvis lucisque amœna, cæterum arenoso solo & fere effœto. Senonensis omnibus rebus ad vitam humanam necessariis affluens, vino inprimis delicato; ob nucum item copiam etiam oleo. Antissiodorensis vino abundat, ita ut Lutetiæ omnibus anni mensibus magnam copiam submittat. Campania læta planicie, ideoque sementi aptior,

sed

ſed telluris in quibuſdam partibus levitate, agricolæ minus ex voto reſpondet. Brya ſereno admodum cœlo gaudet, & licet nemoribus abundet, nullius tamen annonæ indiga eſt. Picardia nullius rei indiga præterquam vini, cætera non modo ſuis, ſed & vicinis abunde ſubminiſtrat. Nivernium, fluminibus multis dividitur, & licet ſylvoſior ſit, tamen paſcuis egregie dives eſt. Metallis quoque abundat, præſertim ferri, quod hic præſtans & magna copia effoditur. Lapicidinæ quoque illius celebrantur. Biturigum provincia nullius quoque rei indiga, amnium opportunitate, qui conjuncti ſe in Ligerim præcipitant, varias quoque fruges cum aliis provinciis facili commercio commutat. Tota autem Gallia nulla eſt regio, ubi ver, ubi æſtas atque autumnus ſuaviores ſint, vel pira meliora cæterique fructus præſtantiores, quam in agro Turonum. Cœnomanorum ager inprimis riguus, ideoque paſcuis quam arvis melior; licet nonnullis partibus ne vini quidem optimi, aut frumenti ſit inops. Andegavenſis provinciæ colles quidem vinetis, campi proceriſſimis arboribus veſtiuntur; vina alba inprimis laudantur: opportunam autem commerciis faciunt flumina, quæ nuſquam toto regno frequentiora aut majora reperiuntur: Linum quoque & cannabis hic abundat. Normannia licet neque paſcuis neque arvis deſtituatur, tamen maris vicinia, incolarum ingenia magis mercatura quam agricultura delectantur: neque tamen propterea, aut vino aut frugibus, aut ullo alio annonæ genere deſtituitur; vini quoque inopiam ſupplet Pyraſium aut Sicera: vicina autem mari fere ſterilia ſunt, aut cultoribus ſuis ingrata. Britannia inſignis provincia, & paſcuis leta & frugum copia dives; vina minus laudata: Metallorum variæ venæ, ferri, plumbi atque etiam argenti: commerciis præterea dives; & maris fluminumque opportunitate nullius rei indiga. Pictonum provincia pingui admodum gleba; frumentis, vino, lana, lino, variiſque fructibus ſupra modum abundat; quemadmodum & proxima Sanctonum provincia, quæ non modo ſuis abunde ſufficit, ſed & vicinis Anglis, Hiſpanis, Belgiſque mittit. Petricoriorum ager montoſus, aſperque, & magnis nemoribus opacus, in quibus præter quercus, quas ipſi vocant *Iarrie*, innumeræ Caſtaneæ viſuntur, inſigni tam hominum quam porcorum paſtu; nec tamen aut frumentis, aut vino carent, quantum indigenarum uſus poſtulant. Cœlo gaudet inprimis ſalubri, ita ut raro peſtis hic ſæviat. Fontes habet ſulphureos & aluminoſos: nec medicis herbis, aut terris caret, cum non procul ab urbe primaria gleba quædam rubra effodiatur boli Armeniæ æmula. Limogum provincia, cælo frigidiuſculo & ſolo haud ſatis fœto, triticum admodum parce, ſecale & hordeum paulo fert largius: Nec vina ſatis laudata præterquam in inferiori provinciæ parte. Cæterarum rerum & ſumma hic copia & vilitas. Arvernia ſuperior, vini indiga, ſed paſcuis dives: inferior nullius rei indiga, etiam venis auri argentique & aſuli lapidis celebratur. Borbonia & Forenſis comitatus arenoſo ſunt ſolo & pleriſque locis effœto, unde frumenti hic inopia; vinum quoque niſi parce admodum incolis ſuis indulgent; Forenſis tamen Comitatus longe aſperior eſt Borbonia. Burgundia vario eſt ſolo: neque tamen fruges tanta copia ubique producit, ut incolis ſuis abunde ſufficiant: vina magis laudata: cœlo gaudet clementi, abundatque amnibus. Lugdunenſis ager tellure nonnihil macra & ſoluta levique; ſecundum ripas tamen Araris & vinetis & paſcuis amœnus eſt. Delphinatus montana frumento, præſertim ſecali abundant; nec minus paſcendis armentis & pecori ſunt opportuna: vinetis inidonea. Campeſtria qua Rhodanum attingunt ſupra modum fœcunda, & vini laudati feracia; paſcua præterea amœniſſima, & variis amniculis & torrentibus rigua. Provincia longe fertiliſſima regio, non modo iis fructibus, quos cæteræ provinciæ ferunt, excellit; ſed & Aurantiis malis, limonibus, granatis, olivis. Etiam croco, & oryza abundat. Sed ſuperior illius pars, vites maligne, fructiferas arbores benigne admodum nutrit; ob montium enim vicinitatem, qui jugi nive teguntur, paulo frigidior eſt: incolæ tamen non ſecus quam reliqui & opibus pollent & armentis, pecoreque abundant. Languedocia haud dubio inter Galliæ provincias glebæ pinguedine, & omnium frugum feracitate eminet: licet nonnullis locis occurrant terræ effœtæ & arenoſæ, prope Peſenas & Nemauſum atque alibi. Vivarenſium ager ſecundum Rhodani ripam omnibus rebus ad vitam neceſſariis abundat. Et licet magna illius pars editis montibus obſita ſit, incolarum induſtria & laborum patientia fit, ut ne hæc quidem pars ſqualleat. Velaunorum & Gabalorum agri ſecale tantum & legumina abunde ferunt: hæ incolarum unicæ opes, niſi quod lacte, caſeiſque abundent; quos cum vicinorum vinis commutant. Ruthenorum provincia montenſis, aſpera, & ſterilior: ſed quercetanorum non modo frumenta, ſed & præſtantiſſimum vinum producit. Hic & armentorum copia, & ligni cædui abundantia, atque carbonum foſſilium; amnes illius piſcoſi, præſertim Tarnus, qui optimos ſturiones nutrit, quos indigenæ appellant *Creacs*. Fuxenſis regio montana paſcuis dives, ditior tamen metallis, nuſquam enim præſtantiores ferri fodinæ reperiuntur; nuſquam meliora marmora & id genus lapidum. In montanis Lavedani optimi & robuſti equi nutriuntur, qui Hiſpanienſibus nequaquam cedunt, ſi non ſuperant: ſed minor ob anguſtias loci hic eſt copia. Convenarum provincia Fuxenſi par, ſi non potior; tanta frumenti, vini, olei & aliarum rerum copia affluit. Bigerronum varia eſt conditio. nam qua declinat ad amnem *Aulbe*, inter fertiliora Guyennæ loca cenſeri poteſt: qua vero attollitur, ſolo arenoſo eſt & pene ſterili. Burdegalenſis ager optimum fert vinum, non tantum ſuis ſed & exteris: aër tamen hic ob maris viciniam & alias cauſas inſalubrior, & præſertim Burdegalæ incolarum valetudine infamis. Benearnum vinum fert optimæ notæ; milio abundat inprimis, licet ne reliquarum quidem frugum ſit inops.

Montes. Montes Galliæ cumprimis celebrant veteres ſcriptores Cebennam, *Montagne de Cebennes*, & *Cevenes*:

venes: Vogeſum, hodie *Mont de faucilles*, quanquam & aliis nomenclaturis indigetatur. Separat Burgundiam Alſatiamque à Lotharingia. Provomit Moſam, Cæſare teſte, & infinitos alios fluvios, quorum plerique Rhenum petunt. Gignit Vogeſus in valle Leberia argentum purum; ſed, ut notat Munſterus, non ita multum. Iuram, hodie etiam magna ex parte ad Germaniam pertinentem, qui alibi aliis appellatur nominibus. De Alpibus taceo, quia hi communes Galliæ, Italiæ, utpote utramque dirimentes.

Silvæ. Silvæ Galliis ſunt frequentes, non tamen, ut aliis in regionibus, magnæ, non denſæ, non ita dumis horridæ. Apud Cenomanos variæ ſunt, *Les Foreſts de Verſay*, *Longoulnay*, *Perſi*, *Sille*, *Chernay*, *Audain*, *Maine*, *Conſice*: Apud Britannos Inferiores, *De Boſtblanck*, *de Toriant*, *de Guierche*: Apud Pictonas, *Les Foreſts de Mouliere*, *Dyne*, *Broſſe*, *Ligne*, & aliæ. apud Bituriges *Silva Roberti* viſitur: apud Andegavos *Lourſaie* & *Marſon*. Totus Bononienſium ager una quaſi obſeſſus eſt ſilva, cujus partes, *Les Bois de Surene*, *Celles*, *Hardelot*, *Dalles*, *Bourſin*. Apud Veromanduos, haud procul Perona, nemora ſunt *Recoigne & Bouhan*. Apud Picardos, *Bois de Baine*, *de Beaulieu*, *de la Fere*, *de Couſſy*. Nec ſuis caret ſilvis Lotharingia, *Warnetwald*, *le Banbois*, *bois de Mondon*, *de Heyde*, *de S. Benoiſt*, *de la Voyge*, *Mortagne*, *Doſeyne*.

Flumina. Flumina Galliæ præcipua ſunt, Sequana, Matrona, Ligeris, Garumna, Rhodanus. Sequana, *Seyne* vulgo, oritur in Burgundiæ Ducatu, & luſtratis tum aliis urbibus, tum Lutetia Pariſiorum, cui nobiliſſimam facit inſulam, & Rhotomago, mare Britannicum vel Normannicum oſtio ſatis lato irrumpit. Æſtuarium ibi navigantibus ſatis periculoſum, Normannis *La Bare* dicitur, cum mare ingreſſus Sequana, & æſtu ejus auctus repentino curſu & horrendo ſonitu refluit, aſcendens ad haſtæ longioris altitudinem, unde inexpectata hic incurioſis nautis ſolent accidere maris diſcrimina. Matrona, vulgo *Marne*, ingens flumen, neque ipſo minus Sequana, cum quo Celtas, hoc eſt, Gallos, à Belgis dividebat. Naſcitur in Vogeſo monte, paulo ſupra Lingonum urbem, *Langres*, viſiſque poſt Lingones multis urbibus oppidiſque, receptiſque amnibus aliquot minoribus, ad pontem Charentonium ſupra Pariſios Sequanæ miſcetur. Ligeris, hodie *Loire*, amplior eſt reliquis, ut merito *pater fluviorum Galliæ* audiat. Poſtquam varios populos terraſque pervagatus fuit, exonerat ſe in Oceanum occidentalem, inter Nannetes & Pictones. Garumna ſequitur, qui ex Pyrenæis, haud procul oppido, quod vulgo *Cadalup*, delapſus, niſi cum hiberno imbre aut ſolutis nivibus intumuit, diu vadoſus & vix navigabilis fertur: at ubi obvius Oceani exæſtuantis acceſſibus adauctus eſt, iiſdemque retro remeantibus ſuas illiuſque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit, eo latior fit, ad poſtremum magni freti ſimilis, nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more pelagi ſævientis exſurgens jactat navigantes, atrociter utique, ſi alio ventus, alio unda præcipitat. Hodie perluſtratis cum aliis, tum Toloſa & Burdigala, mari ſe miſcet Aquitanico, duarum fere leucarum oſtio. Garumnam intrantibus occurrunt ſcopuli arenacei, Aſelli cognominati, ſeptentrionalior nautis Belgis *Noorder Eſel*; auſtralior, *Zuyder Eſel*. Vltimum locum Rhodano damus, fluvio ſcriptoribus omnibus & Græcis & Latinis notiſſimo. Gallis nuncupatur *Le Rhoſne*. Oritur haud procul Canubii, Rheni, Arolæ, Ticini, aliorumque fontibus, prope montem, qui vulgo *Briga*. Lacum Lemanum apud pagum Novam-Villam (*Neufville*) ingreſſus, ſervato fere colore, qui ab aquis Lemanicis differt, eundem permeat, & ad Genevenſium oppidum egreſſus, rapido curſu pergens in mare mediterraneum erumpit, oſtiis, uti hodie numerantur, quinque. Excipit Rhodanus *Arvam*; *Ararim*, hodie Saone vel Sone; *Iſarim*, hodie *Iſere*; Drunam, qui hodie *Droma* eſt, vel *Droſne*; Druentiam, hodie *Durance*. Sed hæc de fluminibus in præſentia ſufficiant: addemus nonnihil de finibus maritimis. Oceanus itaque Britannicus à ſeptentrione, qua Angliæ opponitur, eam pulſat, ut & ab occaſu. A meridie in ſinus Galliæ influit mare mediterraneum: utrumque variis locis hic illic recipitur, quorum alii aliis ſunt inſigniores. Eminet autem inter omnes cumprimis ille ad Oceanum, qui Aquitanicus Æthico Geographo, & aliis, Tarbellicus Ancon elegantiſſime apud Lucanum vocatur. Sunt præterea & alii ſinus, ad idem mare, nequaquam ignobiles, in quorum intimis receſſibus conſtituta videmus oppida, Diepam, Conſtantiam, aliaque nonnulla. Ad mare vero mediterraneum duplex eſt ſinus à Gallia denominatus, *Major* & *Minor*. *Major* ea mediterranei maris pars appellatur, ubi ſe in illud Rhodanus exonerat. *Angulus Gallicus* hic ſinus M. Portio Catoni olim dictus; Gallicus Sinus per excellentiam Livio, Iuſtino, aliiſque Hiſtoricis. Sinus autem *Minor* à Strabone collocatur ad promontorium montis Pirenæi, quod Aphrodiſium dicitur. Hic Pomponio Melæ *Salſus* dicitur. Præter hoſce jam dictos Antoninus in ſuo Itinerario etiam mentionem facit Gramblacitani ſinus, eumque ponit ad Galliam Narbonenſem.

Portus, ut hodie, qui ex recentioribus Geographis nullo negotio petuntur, ſic & olim habuit Gallia celeberrimos: inter quos principem locum obtinuere Staliocanus, Vindana, Brivates, & alii quidam antiquis ſcriptoribus nominati. Mantiſſæ loco ſubjiciemus paucula de priſca Gallorum politia & œconomia: In illa hoc peculiare ab antiquis notatum, quod armati ad concilium publicum, in quo de rerum ſumma deliberabatur, venire ſoliti fuerint. Tradit quoque in Commentariis ſuis Cæſar, ſubita & repentina illorum fuiſſe decreta; & in conſiliis capiendis mobiles, novis plerumque rebus ſtudere. Quantum ad rem œconomicam attinet, teſtis eſt Cæſar, Gallos non pati liberos ſuos palam ad ſe redire, niſi poſtquam in eam ætatem adoleverint, ut munus militiæ ſuſtinere poſſint: adeo ut filium in puerili ætate, in publico, in conſpectu patris adſiſtere, turpe ducant. Memorabile eſt, quod idem de Gallorum inſtituto domeſtico refert his verbis: Viri, inquit, quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperint, tantas ex ſuis bonis, æſtimatione facta, cum dote com-

te communicant: hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusque servantur. Vter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit. Viri in uxores, sicut in liberos, vitæ necisque habent potestatem.

Regimen hodiernum.

Galliæ regimen omne ex triplici Reipublicæ forma compositum videtur: nimirum Monarchia, quæ est unius; & Aristocratia, quæ est regimen virorum gravium & prudentium, qui ad regni gubernacula electi sunt; & Democratia, sive regimine populari. Præter enim Regem, (quem sui non minus amant, quam metuunt) habet Principes & viros illustres, qui veluti frænum injiciunt Monarchicæ potestati, ne quicquam violenter in præjudicium suorum subditorum statuat. Duodecim siquidem Franciæ Pares, Concilium Secretum, Privatum, Magnum, Parlamenta, Camera Rationalium, Aristocratores sunt. Ordines vero, qui quotannis in singulis provinciis conveniunt, Majoratus oppidorum, Scabinatus, Consulatus, Iurati, Capitulati, Democratiæ sunt affines. Dicimus autem regnum hoc ita divisum videri, non autem ita divisum esse. Nam potestas Regis absoluta satis est, qualis vix alibi reperitur, licet Regum bonitas æquitasque sibi ipsi, Officialium ipsorum multitudine ac authoritate, limitem quasi honesti posuerit, ne licentius, quam par esset, vagaretur. Continentur itaque Reges in officio, religione, jurisdictione, & politia.

Rex.

Religionem quod attinet, admodum illi decti ab omni ævo fuerunt Galli, etiam tunc cum veri Dei cognitione destituerentur. Posterioribus temporibus egregium ejus studium in Regibus Galliæ emicuit, qua de causa *Christianissimi* titulum meruerunt.

Iurisdictionem exercent Senatus atque judicia, quæ Gallica lingua Parlamenta vocantur. Eorum enim Iudicum is est numerus, eaque potestas, ut ipsorum decretis Rex quoque pareat, & in controversiis aliquando causa cadat, neque suis adversariis, quibuscum litigat, præjudicare possit. Ab his siquidem expenduntur literæ Regis ac intercessiones, & si quid est in iis suspectum ac vitiosum, repudiatur.

Politiam voco leges atque decreta, quæ Galliæ Reges promulgarunt, quibus non temere derogant sequentes, imprimis quantum pertinet ad ipsorum, hoc est, regni Galliæ patrimonium, quod ipsis alienare non licet, nisi extrema necessitate & ex Senatus consilio.

Christianissimus.

Præstantiam Regum Galliæ arguit primum *Christianissimi* titulus: quo primus insignitus legitur Carolus Calvus Rex & Imperator, quando, Lotario secundo mortuo, Rex Lotharingiæ factus est Metis, die nono Septembris, an. 869. Cujus consecrationis formula habetur in pervetusto libro Bellovacensis Capituli, & in Aimoini historia. Innocentius & Honoratus tertius Philippum Augustum, & Ludovicum Octavum S. Ludovici patrem, reges appellant Christianissimos, & Legati quoque Romanæ sedis cum tribus Episcopis, quorum adjecta sunt nomina, suis literis Augustum Regem appellant Regem Galliæ Christianissimum. Illud quoque ad hujus regni excellentiam facit, quod Reges Imperatores, regnumque Galliæ Imperium appellatur, non minus ac Græcum olim & Romanum. Præterea reges pro summo suo imperio superiores sunt legibus & consuetudinibus regni, de quibus possunt statuere, mutando eas & abrogando. Quum olim cum exteris fœdera inibant, non jurabant ipsi, sed alii authoritate Regis instructi, jurantes per animam & personam Regum. Regni Corona est sphærica, ut ostendatur, eam divisionis esse expertem. Coronæ insunt flores, prærogativas & jura ad Regem solum pertinentia designantes, ut Baldus Iurisconsultus ait. Est autem penes Regem belli pacisque arbitrium: convocare ordines regni, quoties necesse videtur; conferre munia omnia, dignitatesque civiles ac militares: cognoscere de omnibus judiciis omnium Magistratuum: imponere & abrogare tributa: impartiri gratiam & pœnæ laxationes: pecuniæ valorem modo intendere, modo remittere: natalibus restituere, aut legitimos facere, ac Equestri ordini inserere. Solus per Officiales suos quædam crimina, quæ *Cas Royaux* vocant, & numero sunt XXV, punire potest: solus ærarii compos est, & expensas pro lubitu moderatur: solus fert leges, easque explicat.

Imperator.

Regalia.

Reginæ.

Reginæ, Regibus jus dicentibus, assidere fas est, ut fit in judiciis Parium. Prærogativæ omnes, quæ Paribus competunt, ad Reginas quoque Galliæ pertinent. Cum viduæ sunt, appellantur *Blancæ*, ex duarum nomine, quæ vixerunt diutissime, quarum altera fuit regina Blanca, Sancti Ludovici mater: altera regina Blanca, Regis Philippi Valesii vidua.

Filii.

Filii Regum olim ex æquo dividebant, nullo primogenitorum jure, quin & nothi accepti hæreditatem adibant cum legitimis, tenebantque singuli appellatione regni. Singuli se Reges Franciæ scribebant, solum discretionis ergo addebant, se prætorium summum habere Parisiis, aut in alio suæ partis oppido, ex quo tandem factum est, ut Reges Parisiorum, Aureliæ, &c. dicerentur. Tandem dejecti nothi non tantum regno, sed etiam cognomine Francico. Observandum tamen, quosdam fuisse acceptos, cum in regia ipsa educati, probati, eoque nomine honorati essent; alios vero acceptos scripto.

Delphinus.

Filius natu maximus, proximus ac necessarius hæres Regis, *Delphinus* appellatur. Cum enim Vmbertus Delphinatium Princeps (sic enim eum appellat Paulus Æmilius) ex filii morte, quem unicum habebat, dolorem tantum concepisset, ut sæpius in animo habuerit monasticam vitam profiteri, adhæc à Sabaudo continuo bello premeretur, viribus impar, dum suis consultum vult, omnem dominatum Philippo Valesio ea conditione cessit, ut Regis proximus hæres Delphinus vocaretur. Ita enim Principes suos Delphinates appellabant.

Filiæ.

Fœminæ omni tempore à regno Galliæ fuerunt exclusæ, non tamen ex lege, uti creditur, Salica. Hæc enim statuit, ut, si mares filii erunt, fœminæ tantum succedant in bona mobilia, non autem in vetus patrimonium, quod prisca appellatione terram Salicam dixerunt.

Atque

Atque hac appellatione veteres diu usos fuisse, constat ex instrumento Angolismensis cujusdam Archidiaconi, facto 1231, ubi hæc habentur: Cui dedit suum allaudium, vel hæreditatem Salicam ibi nominatam, in agro Sanctonum sitam. Idem legis caput aliis legibus continetur, quæ Ripuariæ dictæ sunt, ubi terra Salica exponitur. Ex lege Salica (quæ pro subditis tantum conscripta est) deficientibus filiis, hæredes erant filiæ veteris patrimonii. Si quis ergo regnum ex ea vellet instituere, filiæ, deficientibus filiis, ad regnum pervenirent, quæ tamen semper consuetudine fuerunt exclusæ, & singulari Galliarum lege, quæ magno Gallorum animo nititur, dominatum muliebrem minime ferentium, tum etiam ratione hac, quod regnum ad exteros perventurum fuisset matrimonio, etsi interdum mulieribus jus summi imperii habentibus ad tempus parent. Nupturæ Regum filiæ pecunia tantum, nunquam rebus fundi donantur, novo licet more Henricus III sorori suæ Margaretæ Cadurcorum & Aginnensium præfecturas dotis nomine attribuit, & jura etiam regia & Coronæ, ut vocant, ei unita, privato diplomate transscripsit.

Lex Salica filias à regno non arcet. Vide Ioan. Tilium.

Regii agnati.

Regii sanguinis Principes absque ullis titulis & patritiorum privilegio gaudent, & patritios omnes natalium prærogativa, non patriciatus ratione præcedunt. Inter se vero hunc ordinem servant, ut qui succedendi ordine prior est, posteriorem antecedat. De ipsorum capite ac existimatione apud alios judices, quam coram Rege in Patriciorum curia, quæri non potest.

Pares Franciæ.

Pares Franciæ, sive eorum originem ad Carolovingos, sive ad Capevingos referas, duodecim antiquitus fuere. Sacri ordinis, Archiepiscopus Rhemensis, Episcopi Lingonensis, & Laodunensis, Duces: Episcopi Bellovacensis, Catalaunensis, & Noviodunensis, Comites: sacris soluti, Burgundiæ, Aquitaniæ, Normanniæ Duces: Flandriæ, Campaniæ, ac Tolosæ Comites. Ecclesiastici tempore minime mutaverunt. Cæterorum ditiones tempore partim regiæ Coronæ accreverunt, partim perierunt, & instituti paulatim alii, qui juxta creationis tempus in publicis regni solemnitatibus ac consessibus ordinis prærogativam servant. Eorum numerus minime definitus est: titulis illis honorificis, pro regum arbitrio, præcipuis dignatione aut gratia viris semper attributis: sicut Lotharingis accidit, qui omnes ea dignitate honestari studiose affectarunt. Sed cum in inaugauratione Regum, præter Ecclesiasticos, 6 tantum adhibeantur, qui veteres illos repræsentent, id semper observatum fuit, ut inter eos creationis tempus in incedendi aut sedendi ordine inspiceretur.

Connestabilis.

Conneſtabilis, hoc est, Comes stabuli, præfectus olim erat hippocomiæ, sive equili principis. Mareschalli vero erant hippocomi, composita voce ex *Mar*, quæ equum Germanis significat, & *Scal*, quæ servum aut officialem. Ac obtinuerunt ista munera ante Hugonem Capetum tantisper, dum fuit Præfectus palatio. Sed postquam Præfectus palatio abrogatus est, instituti sunt Officiales in rem militarem, unus Connestabilis, & alii minores Mareschalli. Exstat in Rationario rescriptum pervetus, quo dicitur Connestabilis superior omnibus, qui sunt in exercitu, præterquam Rege, si interfuerit, Ducibus, Baronibus, Comitibus, equitibus, armigeris, stipendiariis, sive equo, sive pedes militent, quacunque tandem conditione sint, omnesque illi ex officio debent obsequi. Ei subsunt Mareschalli, distinctamque procurationem habent, ut milites, Duces, Comites, Barones, armigeros, eorumque copias excipiant. Hi neque lustrare possunt exercitum, neque aciem instruere, nisi ex auctoritate Connestabilis, neque quicquam in exercitu proclamare, sine consensu regis aut Connestabilis, penes quem summa militaris imperii potestas.

Mareschalli.

Admiralius.

Admiralius Galliæ, totius rei maritimæ disceptationem, omniumque criminum cognitionem sibi vendicat: nautas & mercatores litigantes audit: ad ipsius curam pertinet edere, quos suæ jurisdictioni præesse, aut vices suas gerere velit: ipsiusque est decima prædæ manubiarumque: denique in sua verba adigit navium triremiumque Præfectos: fidem publicam dat: & cum hostibus aliquot dierum inducias pacisci potest, ut tuto piscari liceat.

Magnus Magister.

Magnus Magiſter Galliæ olim Comes Palatii fuit, deinde Seneschallus Galliæ. Postea, edicto Philippi Pulchri Regis, pecunia, quam Rex habebat penes se, huic officio debita ex fide Regi data ab Antistitibus, tradita est tenuioribus nobilium filiabus, ut commodius elocari possent.

Archimagirus.

Archimagiro Franciæ summa fuit inspectio in omnes culinæ regalis administros, sed quia abrogatum est hoc munus, nihil pluribus opus. Gallice dicebatur, *Le Grand Queux de France*. Est etiam Regi Maximus à poculis, sive Pincerna Galliæ, vernacula lingua, *Grand Bouteiller ou Eſchanſon de France*: uti est, Maximus Franciæ Artocopus ,*Grand Panetier de France*: & summus *Hippocomus*, Gallice, *Le Grand Eſcuyer de France*: nec non summus *Venator & Accipitrarius Galliæ*: magnus *Præfectus cubiculi*, *le Grand Chambellan*: summus Magister, quæsitor, & reformator generalis aquarum silvarumque Galliæ.

Pincerna. Artocopus. Hippocomus. Venator. Cubicularius.

Gubernatores.

Gubernatores & Vicarii generales Regis, præfecti provinciis, priscorum Ducum & officiorum vices gerunt.

Concilium Privatum. Magnum.

Concilium Privatum ita dictum, ut discernatur à Concilio Magno, quod Rex Carolus VIII instituit, in quo omnes postulationes de venia exoranda per mensem factæ examinarentur, similiter de familia regis, reginæ, filiorumque, & de ærario ad concilium unoquoque mense referretur. Præclarum quoque illum morem, ut proceres torque aureo insignirentur, à Romanis ad Francos traduxit Ludovicus XI, cum Calendis Augusti, an. 1469, Ambasiæ ordinem Divi Michaelis institueret, cujus ipse Rex caput est, quibus mos est gestandi quotidie conchyliatum torquem ducentorum aureorum, quem donare, vendere, oppignorare fas non est. Postea anno 1579, Henricus III, vetera fastidiens, & novarum rerum cupidus, obsolescente conchyliato ordine, ob equitum indignitatem & frequentiam, novum equitum collegium à se institutum, ac nomine Sancti Spiritus nuncupatum, solenni lustratione celebravit. Centenario numero absolutum

lutum collegium, in eo comprehensis, Rege Ordinis principe, IV Cardinalibus, IV Antistitibus Ecclesiasticis, magno Eleemosynario, Cancellario, Præfecto Ceremoniarum, Magno Thesaurario, Graphiario, Feciali, Ostiario. Est & *Præfectus Prætorii* Regni, qui hodie dicitur *Prevost de l'Hostel du Roy*. *Cubiculariorum* non unum genus, honestius tamen quod Proceribus constat. Hodie Cameræ nobiles, olim Chambellani dicti: quibus, calceandi & amiciendi Principis, cura est. Reliquorum non postremus gradus dignitatis est. Famulos Cameræ vocant, quorum ingens numerus. Priores illi Gallis *Gentils-hommes de la Chambre du Roy:* posteriores *Valets de Chambre* dicuntur.

Cancellarius.

Cancellarii ea apud regem est authoritas, ut eum soleat in rebus omnibus ad Rempublicam pertinentibus consulere: hujus partes sunt, operam dare, ne quod rescriptum, edictum, decretum contra jus Reip. impetretur: quod si præsenserit, transversa linea circumducere vel conscindere; cancellare vocant, unde Cancellarii nomen. Lege regni non nisi ad mortem damnato, aut alioquin peracto & convicto reo magistratus ille adimi non potest. Post Cancellarium facile primum locum obtinent *libellorum Supplicum Magistri*.

Magistri libellorum supplicum.

Mos primum fuit porrigendi libellos Regibus, cum jura reddebant: deinde, cum variis negotiis districti essent, factum ut semel in mense postulationibus vacarent. Demum, divitiis luxum regium augentibus, Rex rem totam Cancellarii fidei commisit, qui exoriente causarum multitudine aliorum opera egere cœpit, duoque creati, qui non, ut nunc, magistri libellorum dicerentur: quibus à Principis aula abesse non liceret, & Cancellarii assessores essent. Postea sancitum à Philippo, ut in Curia quinque adessent, nempe tres sacerdotes, & laici (ut vocant) duo: quibus una Curiæ classis constabat. deinde auctus uno numerus. quo etiam tempore Magistri *Requestarum* dicti sunt. Postremo duo additi: quibus omnibus jus est censendi & sedendi in primo tribunali Curiæ, proximo loco post præsides, eisque officiorum cognitio attributa, & earum controversiarum, quæ ab iis intenduntur, qui in comitatu Principis, officio funguntur, à quibus ad Curiam provocatio est.

Parlamenta.

Parlamenta Galliæ Iudicum consessus sunt supremi, apud quos edicta omnia recitantur, quorum nulla ratio prius habetur, quam in illo consessu promulgata sint. Sunt autem hodie hæc: Parlamentum Parisiense, Tholosanum, Rothomagense, Burdigalense, Britannicum, Divionense sive Burgundicum, Gratianopolitanum, Aquense. Sunt præterea alia tria Parlamenta minoris dignationis: Benearnii, S. Pauli, & Metense.

Curiæ Præsidiales.

Præter hæc sunt quamplurimæ in variis provinciis curiæ præsidiales, in quibus Rex præsidem creat.

Procurator generalis & Advocati regii.

Est & Triumvirorum Collegium, Advocatis duobus regiis & Procuratore Generali constans, quo subscribente, in delicta animadvertitur, constitutiones, edicta, & diplomata promulgantur, & in Curiæ acta referuntur. Post Curias institutas Reges Franci Concilium coëgerunt, quod Magnum ab auctoritate vocarunt, cujus caput est Cancellarius; quod initio menstruum fuit, ad quod referre solebat Rex de rerum summa.

Quatuor Thesaurarii.

Suntque apud Gallos quatuor Thesaurarii, quibus Canonis administrandi & diligenter inspiciendi cura esse debet: quorum etiam censuræ, quicquid ad Canonem pertinet, subjicitur. Nam possessiones, prædia, ædes ad fiscum pertinentes circumire, quisque intra suæ præfecturæ terminos debet, easque sartas tectas conservare: siquid refectione indiget, curatores operum adhibere, augendis fisci proventibus, omni cura & studio incumbere: nec non olim de universi Canonis, præterquam regaliorum, litibus cognoscebant. Verum nunc in ipsa judicum Canonariorum (cameram Thesauri appellant) classe sedendi primo ac honestissimo loco & sententias dicendi illis jus est, præsuntque susceptoribus, (quod humile & turpissimum genus quæstus existimatum est à Romanis) qui magna diligentia undequaque conquisitas pecunias & loculis obsignatas, ad Tribunos ærarios deferendas curabant, qui inde eas numerabant illi, cui universi Canonis suscipiendi non solum cura, sed procuratio commissa est. Is vero referri in gazophylacium jubebat, id est, omnem pecuniam apud Thesaurarium *Epargnæ* deponebat. Denique Franciscus Rex universæ gazæ curam ab illo ad hunc transferri voluit, eamque Lutetiæ in arce Luparæ recondi edicto statuit: ad quam custodiendam ex stipatoribus Regiis duo excubarent.

Cameræ Computorum.

Anno 1553 constituti sunt Quæstores ærarii quatuor, seu Thesaurarii, qui patrimonii regii, quod vulgo *Domanium* vocant, curam gerebant, ac totidem indictionum ac oblationum præfecti, vulgo Generales dicti, qui numerus postmodum auctus. Et quemadmodum omnes exercituum Duces rationes Romæ referebant ad ærarium, ita apud nos, qui pecuniam Principis tractant, accepti & expensi, rationem omnem hisce rationum Præfectis dispungendam atque expungendam præbere solent: quod nostrates dicunt, tradere examinandum & claudendum computum.

Academiæ.

Academiæ Galliæ illustres sunt, Lutetiæ Parisiorum, Cadomi, Andegavis, Aureliani, Biturigibus, Pictavii, Burdegalæ, Tholosæ, Montis Pessulani.

Mores universales.

Iulius Scaliger. Gallos video ad omnia momenta vel eventuum vel disciplinarum promptos, paratos, versatiles, ut semel quicquam vel visum vel auditum, illico apud illorum ingenia & deponat & amittat novitatem: in eo ipso penitus exemplo videntur nati & educati; qui animorum vigor ingens, maturaque celeritas nulli alii nationi data est à natura. quóque incubuere, felicissime sese dant, ocissime proficiunt. gnaviter exercent mercaturam, artes, arma; literas, eruditionem, subtilitatem; atque nationum fide sunt maxime integra & constanti.

Thuan. lib. XVII. ex Italorum judicio. Id fere usu venire cernimus, & in Gallis verissimum esse confirmat antiquitas, quæ illorum impetus initio plusquam viriles, ad extremum minus quam fœmineos esse prodidit.

Apud eundem lib. XXIII. Momorancius Reginam viduam admonet: meminisset præesse se genti, quam

quam suorum Regum ac principum imperii numquam, alieni semper tædeat.

Idem lib. 51. Gallis hoc insitum est ut semel sumpta arma ægre deponant, & cum hostem extra fines non habeant, in commilitones suos & concives sæviant. Cumque Itali, Germani, Helvetii pace facta domum quisque repetant; Galli domum, otium & omnes alias artes perosi, aut in longinquo bellum sectantur, aut plerumque ne armorum tractandorum desit occasio, scelerata mente viatores hostiliter aggrediuntur.

Ioannes Barclaius in Icone Animorum cap. 3. Gallico populo ingens amor, & patientia dominantis. Apud illos vere regnatur, nefasque quantum Regi liceat dubitare. Gens armis strenua, sed equestri certamine melior; ignara perfidiæ, publico præsertim consilio: indomitæ intra se molis; at ubi in exteros exundat, statim impetus sui oblita: eo modo nec diu externum imperium tenuit, & sola est in exitium sui potens. Longobardiam, Neapolim, Siciliam, & plerasque alias per orbem terrarum provincias, frequentibus victoriis subegere. Sed mox hostes male domitos fidentius quam par erat contemnere, aut simulantibus obsequium, credere, inconsulta laxaque bonitate. Tum licenter uti victoria, & præter illarum gentium indolem lascivire: Ad extremum oblivisci armorum, aut ad patriam suam respicere, cujus diu absentiam ferre non possunt. Per hæc vitia cessere in prædam his ipsis de quibus triumphabant; læta semper bellorum initia atroci exitu corrumpentes.

Nullis mortalibus indoles ad speciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus, motusque, atque gestus, qui totum corpus decent. Et hic decor virtutem ingentium virorum adornat; exiguis autem animis pro fuco est, ac veluti naturali munimento, quo suam humilitatem abscondant, aut mitigent. Sic venuste compositi, qualemcunque vestitum de suæ mutationis infinita serie, tanquam de inexhausta penu deprompserint, quocunque salutationis artificio corpus inflectant, putes nihil magis illa institutione convenire. Vicinæ autem gentes ridiculo errore deceptæ, ad illorum quoque mores, per earundem vestium ac motuum variam imitationem putant accedere; ignaræ, leporis & gratiæ virtute in nonnullis hominibus uno genio cuncta placere; in aliis autem, in quibus Natura ad hos mutabiles habitus propitia non est, ejusdem venustatis imitationem & curam, ingratam ac ludicram esse. Nam virtutes, & vitia, & quicunque alii motus ipsis animi recessibus inhærent, possunt à nobis non multum operosa simulatione effingi; quia adeo ingentibus latebris reconduntur nostri sensus, ut vix ullus deprehendat, veris, an extemporaneis affectibus deducamur. Sic facile humilitatem simulabis, sic odium, amorem, pietatem. At vero quæ non magis imperio animi, quam usu, & externo corporis obsequio perficiuntur, eorum imaginem in te transferre, reluctante natura, non poteris; ut est aptitudo corporis prompto habilique decore idonea, ut hilaris jocandi facilitas, & omnino eloquentia non in præcordiis, sed summo ore nata. Hæc autem cum in Gallica consuetudine emineant, ægerrime te ad illius similitudinem transferes, nisi se tuus genius huic indoli sponte admoverit.

Cæterum, nunquam Orbis dignas gratias hospitali Galliæ habebit, quæ humanitatis templum videtur aperire, quo se omnium externorum fortuna conjiciat. Animum in hominibus, non patriam æstimat. Neque communi cæterarum regionum errore, in inquilinis, ac advenis, nascendi sortem punit. Ita candido simplicique amore virtutis, eximios viros undequaque prodierint sine invidia miratur, & sua opulentia gaudet augeri; & in tantæ humanitatis præmium habet publicam primum laudem; tum etiam tot hospitum fortunam, ac famam, qui Gallico corpori, non indigna aut inutili adoptione, inserti sunt. Neque illic hospitibus dediscendi sunt patriæ suæ mores, aut ad Gallicam similitudinem flectendi; dum superbia absit, aut inculta barbaries. Quippe ipsa veluti professione exteri moris, sollicitabit curiosæ gentis studia, simplicius peregrina quam sua æstimantis; etiam quædam vitæ aut corporis vitia, si modo aliunde advehantur, trahentis in laudem. Nam & peregrini hominis eloquentiam vidimus crebro linguæ errore favorem meruisse, & grandis opinionem scientiæ, quod non intelligeretur.

Plebis in amplioris fortunæ homines vera, nec ex metu, aut sola institutione, reverentia: Rursus primi Optimatum eodem genio culti ab illis, qui gratia aut genere perinde non excellunt. Sed superbiam, fastumque non ferunt: Si videris dominari, servire erubescunt. Comitas, quæ frontis artificio, luminumque clementer vibrantium, vel per sermonum familiaritatem blanditur, fidelius purpuratorum latus clientibus cinget, quam potentiæ magnitudo. Opes omnes, & ipse vilior honoribus sanguis. Præcipue Patriciorum spiritus in suum aut patriæ damnum sæpissime excrescunt, dum nemini eorum mercaturæ aut artificiorum utilissimam disciplinam capessere ipsa inopiæ experientia persuadet. Æmulari præpostero ambitu magnitudinem placet avorum, & fœdari gentilitium sanguinem putant, si ad populum vivendi consuetudine accesserint. Ita vanum nobilitatis nomen, & magnifici ocii improba species, ad patientiam tristium curarum sufficit, & in sola exeuntium morte. Et hæc animorum celsitudo, quamvis sibi placeat, adeoque ab omnis generis sordibus videatur abire, tamen interdum pene necessariis facinoribus corrumpitur, in miserorum penatum angustiis turbulentam industriam exercens, ut vel publica violentia, vel arcanis sceleribus inopiæ squalorem repellat.

Mercatura illic vilior quam tantæ utilitatis rem esse deceret, & quæ prima humanitatem per Orbem circumduxit. Solon quidem qui Athenis leges condidit, & plerique Græcorum, usque ad nos fama durantium, illo commercio suas res tulerunt ad exteros, vicissimque fecerunt ut exotica sui cives viderent. Nec abhorret ab hoc more Italia, in illustribus familiis opes eadem industria late componens. Britannia quo-

quoque ſanguinis claritatem illo vitæ genere fœdari non putat. At in Galliis hanc mutuæ utilitatis rationem non modo ſtirpes antiquæ aſpernantur; ſed & quaſi mercatores ſui puderet, ubi illis largius fortuna indulſit, ſtatim in aliam diſciplinam filios ſuos agunt, jubentque majorem paterno faſtigio ſcenam ſperare.

Et quidem magnitudinem Gallicorum animorum nullibi efficacius videas, quam in ambitu magiſtratuum, à quibus pervicax licitatio jamdiu egentium virtutes excluſit. Exhaurire familias, nomina facere, rem fidemque conſumere, decorum, dum inter æquales emineas vel ſterili dignitate, vel pretio furtivorum munerum patrimonii ruinam reparante. Nec dubium quin illa libido titulorum, niſi ipſa ſe frangat, curias, tribunalia, præfecturas, tandem ſit viliori ſanguine, anguſtiſque animis, maculatura. Quippe è ſordidiſſimis artibus multi compendioſius ad divitias properant, quam antiqua nobilitate ſpectabiles, paterniſque opibus utentes ex majorum dignitate. Hoc modo, dum ad emendæ Curiæ, aut Præfecturæ ambitum, nummorum pugna initur, ſæpiſſime ii vincunt, qui ut ſanguine ſic & indole & ingenio cedunt. Accidit, quod vetuſtarum ſtirpium viri non tam pervicaci ſtudio ſuas opes dignitatibus illis donant, quam homines adhuc novi, qui è latebris quas auro condiderunt eruere filios properant, & eam nobilitatis gloriam ſuæ genti emere, quam abſque ullo ſumptu in hæreditatis partem Patricii habent. Sic paulatim hi honores ſordidiorum eſſe poſſunt, (ſi pecuniæ tantum conceditur) & forſan aliquando in ignobilitatis ſuſpicionem, eorum nominibus cenſeri. Neque ideo fiſci induſtria maligna criminatione carpenda eſt, qui de ejuſmodi Candidatorum bonis excreſcit. Nam cui non ſatius videatur profeſſo precio dignitates à Principe molem publicam ſubeunte proponi, quam avaris Purpuratorum ſuffragiis in prædam concedere? qui ubi hæc publica licitatio non eſt, obtrudunt Regibus Candidatos, quos ſibi munera chariſſimos fecerint; & quod à domino impetrant, deinde clientibus vendunt. Vt nec meliori ſortitu delectos Reſpublica accipiat, nec interſit eorum qui ad tribunalia ſubvehi ambiunt, utrum cupiditatem dignitatis ſub Principe, an ſub Optimatibus luant; utrimque pari ſydere in patrimonii ruinam percurrente. Hæc igitur tolerabili inſtituta conſilio, jam ipſo furore licitantium in præceps abiere, qui & mediocris cenſus virtutem excludunt, & tota opum mole eos honores redimunt, quibus ipſi tam immodicum precium fecere.

Vt vero quo generoſius vina adolitura ſunt, eo adhuc recentia turbulentius deſpumant; ita iſtius gentis, ad humanitatem, & cum ſenuerit prudentiam factæ, adoleſcentia ac juventus, inſano incautoque impetu ut plurimum fervet. Vana in ejuſmodi ætate libertas, nunc jocandi, nunc ignotos pariter notoſque laceſſendi, & ubique titulos nimiæ ſecuritatis affectans: Leves animi, & rumoribus rapti, jam impatientes ocii, moxque tumultus. Oſtentatio libidinis ſupra naturæ deſiderium inepta; tum inconſulti riſus, neminique parcentes; vis etiam intra ſe irrequieta, per varium ac multiplicem tumultum erumpens. Quidam tamen in omnium exordiis rerum induunt non veram, & ideo majori ſpecie ſubornatam prudentiam: Veluti matura ſapientia compoſiti, verba tarde euntia deducunt, lento vultu, & aſtum cum humanitate fingenti. Ex re quoque factum nomen, ut adpellent frigiditatem. Sed & virtutis ſimulatio tunc eſt ingrata; nec diu tam ſcenica perſona impatientem omnis veli levitatem abſcondit. Media autem indoles, quæ nec Galliis certe deeſt, lætitia capacis animi exuberans, eique non efficta prudentia frenum imponens; ea demum omni precio major, & ad ſapientiæ ſimulque hilaritatis imaginem exacta eſt.

Illud autem in Gallicis moribus, ac veluti fatis triſte, quod benevolentiam quam in ſua regione hoſpitibus indulgent, extra patriam vix in ſuos cives expromunt. Quis credat in exteris terris tam humano populo non ſatis convenire? Aves quoque in caveam deductæ roſtra & iracundiam vix ſtringunt; & ſocietas fati peregrinationem ferarum conciliat extra ſylvas quærentium prædam. Soli Galli quacunque in peregrino ſolo conſederint, præſertim ſi miſeri, & ad opem alienam converſi, ſæviſſima æmulatione decertant. Tum occulta ludibria, livorque deformis, tum profeſſa odia, & rixarum etiam ad peregrina tribunalia concives vocantium deriſa improbitas. Sic inter ſe certantes neſcio qua infamia apud imperitos inundant ſuam gentem, quaſi in invidiam nata ſit, exorſque quietis, ac amoris, quo unius patriæ cives arcana vi Natura conjunxit.

Et hæc Gallorum extra patriam ſuam labes. Adhuc autem fœdius in Galliarum viſceribus peccant, qui paſſim tanquam gladiatores ad arenam damnati, ſubditis odiis, armiſque privatis, ad ultima diſcrimina committuntur. Rem immanem, & ad iſtius ſeculi probrum! leve jurgium, ſolaque altercantium ambitione increſcens, aut revera innocens jocus, plerumque autem turbulenti ingenii præcipitatio ad famam, ſæpe ad triſtiſſimas cædes, & familiarum orbitatem, lymphatam juventutem propellit. Hinc toties miſerorum parentum intercepta conſilia, ſpeſque occiſæ; & propemodum fruſtra pax in Galliis, que vix minus patricii ſanguinis, quam ſi bello certatum publice eſſet in hac arena, hauſit. Quæ hæc autem dementia? ritu ferarum, non ratione, ſed impetu injurias ulciſci, rerumque ſuarum judicium permittere pene ſcenicæ arti, fortunæque ſæpe fallenti ipſam artem; ut quicunque felicius, ille & juſtius arma ſuſtulerit? Feræ gentes & ab ipſa venientes barbaria, Orbem ſupra aliquot ſecula ſuis moribus polluerunt. His authoribus quondam factum, ut in dubiis judiciis, cum utrimque argumenta eſſent obſcura, armis litigantium crederetur. In circum arenamve dimiſſi pugnabant; victus pro nocente habebatur. & inde veſaniæ origo hanc ætatem infeſtans. quæ jam auctis finibus, cum olim in Magiſtratuum arbitrio eſſet, hodie ad privatorum libidinem deſævit. Iſti tamen gladiatoriæ arti prætextus eſt, neſcias magnificentia an

an utilitate acceptior, peritia pugnandi. Nam cum arte gladio ferire, vel deflectere destinatos sibi ictus, quis neget ad rem militarem pertinere? Hoc Græci, Romanique, & omnis gens armis strenua cum ambitu quæsivit. Nuuc vero non tanquam in angustia sese prementium cuneorum (ut in justis prœliis solet) sed veluti in apertæ arenæ libertate, per cursus recursusque, per omnem corporis habitum, per longam & disparem oculorum manuumque fallaciam, quis non potius privatorum odiorum crudelitatem erudire, quam publicæ pietati suam fortitudinem parare videatur? Et vero nihil jam ad amentiam aut impietatem residuum in propinquos amicosque sævientibus. Sive sanguinis, sive familiaritatis jure conjuncti, non atrocibus injuriis, sed inani superstitione verborum, & propemodum gratis, dissociati, alterno cruore imbuuntur: quodque ultimum furoris gradum putes, ne inter se quidem læsi, sæpe aliorum inimicitiis tantum nefas tribuere amant, & in gratiam nihil ad se pertinentium odiorum se ipsos & amicorum charissimos immolant. quippe a pugnaturis qui perire soli nolunt, veluti ad theatrum aut scenam, ita ad hunc feralem ludum invitati, ultro subeunt; & quidquid hominibus aut dulce, aut charum est, violare non dubitant; ineptissimo desiderio famæ; ut jactentur magno vitæ contemptu in arenam processisse, id est, truculentissimum facinus ausi esse barbara ignoratione virtutis.

Sed hæc mala, & si quæ præterea maculæ se Gallicæ indoli interserunt, omninò donari eorum virtutibus debent, quos vel ætatis, vel sapientiæ pondus ita composuit, ne æstu patriorum vitiorum diripi possint. In iis egregia comitas; non fucata, aut insidiose in hos ipsos quibus blanditur collocata. Non fraudibus, non secretis odiis vacant: Dignari singulos qui accessum aut notitiam petunt, & pro sua sorte unumquemque mulcere. Externo homini ad illorum consortium admisso satis erit, aperto scelere, aut nimia ineptia, non peccare: ut quidem alibi in alienos mores, ne tibi noceant, intentus sis; cum maturis autem & castigatis Gallorum animis te ipsum respicias. Nec aliquid in humana societate felicius, quam consuetudinis tam politæ erecta virilisque suavitas.

Atque hæc de moribus Gallorum in commune dicta sunt; nunc & particularia quædam ex D. T. V. Y. prosequamur.

Mores singulares. Parisienses ingenio sunt humano, sed admodum mobili; lucri avidissimi, cujus causa nihil non aggrediuntur. Olim quidem stupidi audiebant, verum nunc ita astuti sunt ut aliis illudant, quod an ingenii mutatione, an vero crebris parentum monitis, ob impostorum qui in illa urbe nidulantur frequentiam, accidat, difficile dictu fuerit. Fœminæ splendoris in vestibus, ad maritorum usque perditionem, avidæ; & virorum ut plurimum potentes. Vtrique tam mares quam fœminæ novitatum supra modum avidi. Atque hæc de oppidanis. ruricolæ autem supra modum feroces, & injuriarum impatientissimi, ob viciniam Parlamenti, cujus opem sibi paratam putant: iidem & peregrinos & iter agentes argento emungere, operæ pretium existimant; quare nusquam annona carior est quam in agro Parisiensi.

Carnutes humani sunt, inter se amantes & peregrinis propitii; religionis antiquæ tenaces; munifici in pauperes; & mercaturæ studiosi. Belsii à Carnutum moribus non multum abludunt, laboris tolerantes, & agriculturæ dediti.

Blœsenses à cœli clementia, ingeniorum uti videtur amœnitatem, humanitatem, & elegantiam trahunt, domi coucordes, & peregrinis hospitales; denique morum elegantia nullis Galliæ indigenis cedunt. Vindocini proxime ingenio & moribus ad illos accedunt. Aurelianenses comtis sunt moribus, & idiomate utuntur eleganti, verum sunt ingenio petulanti & mordaci, quod ipsis nomen *de Guespins* meruit. Senonenses facili sunt ingenio, nec ita astuto ut reliqui Galli, superstitionum retinentes. Antissiodorenses ingenio quidem minime sunt malo, sed facile irritabili & ad seditiones proclivi; & rei faciendæ avido.

Campani & Bryenses ingenio dicuntur esse pertinaci; quare vulgo Capitones appellantur: sed qui hoc vitium disciplina exuerunt, humani sunt, & facile omnes patiuntur, omnibusque gratum faciunt.

Picardi non deteriori ingenio & moribus sunt quam reliqui Galli, sed supra modum prompti sunt; qua causa factum ut iracundiores habeantur; genio amant indulgere, & ebrietate delectantur: ingenio sunt minime fucato, ita ut ipsis fidere liceat.

Turones non magis morum elegantia, quam fide in Principes suos laudantur; cujus, tempore Caroli VII. & nuper Henrici IV. luculentum vidimus experimentum. Cenomani laborum sunt tolerantes, industrii, nec facile capiuntur dolis, attenti ad rem; cæterum inter eos nobiles nascuntur tam præstanti virtute quam usquam in Gallia.

Andegavenses & Pictones, eleganti sunt ingenio; sed maxime Pictones; nam jocos serunt cum quadam dexteritate: ruricolæ autem sunt astuti, &, si verum dicendum est, scelesti.

Normanni cauti & dolosi; nullas externas leges ferunt, suarum ad pertinaciam usque retinentes: litium avidi, & omnium ambagum scioli; quare à peregrinis vitantur: cæterum ingenio urbano, & ad omnes artes & scientias idoneo.

Britones (licet Ausonius dixerit, Nemo bonus Brito est) pro varietate locorum plus minusve sunt urbani; Nam qui maritima loca incolunt, paulo sunt rigidiores: cæterum omnes astuto sunt ingenio, etiam cum non videntur esse. Attenti sunt ad rem, & vini avidi, quem in finem popinas & cauponas frequentare solent: Natura autem videntur comparati ad odium Normannorum, uti illi ipsorum.

Petricorii corpore sunt agili, ingenio sobrio; paucis contenti; neque inurbani, ut à quibusdam judicantur, sed ad omnes artes juxta atque literas promti. Nobilitas in primis omnium virtutum & humanitatis exemplar, oppidanos ad sui æmulationem provocat: fœminarum genus castum, & familiaribus negotiis attentum,

nequa-

nequaquam vagum aut otiosum, idque magis sua sponte quam maritorum disciplina.

Limoges ut plurimum sobrii, & vini abstinentes, præterquam in oppidis. Attenti sunt ad rem. Cæterum valde unanimes inter se, ita ut sæpe videas supra centum unius cognationis in unis ædibus degere, tanquam in Cœnobio: laboris ut plurimum sunt tolerantes: sed unum & magnum illis est vitium, quod litium sint appetentes, & quod falsos testes mercari non vereantur: sed hoc Tullensibus potissimum imputatur. Nobiles ut plurimum inimicitiis inter se certant, cæterà magnifici & generosi; quod postremum etiam oppidani imitantur.

Arverni supra modum callidi sunt, laboriosi, lucri cupidissimi, ideoque mercaturæ dediti; ut plurimum dolosi, rixosi & violenti, & cum quibus nolis tibi negotium esse. Nobilitas tamen humana, atque magnanima. Borbonii qua Arvernos attingunt, iisdem pene moribus cluunt; qui longius absunt, sunt humaniores.

Burgundiones, ingenio sunt aperto & facili, minimeque maligno; sese invicem inter amant, nec peregrinos dedignantur; affabiles atque honoris appetentes: Fœminæ munditiarum & ornatus cupidæ, castæ tamen & maritorum amantes. Vulgus vino nonnihil largius indulget, & pene ad Germanorum modum.

Lugdunenses moribus sunt gratiosis, & licet simpliciores videantur, satis cati. Nullibi plures peregrini, præsertim Itali, Gallis permixti degunt quam in urbe Lugdunensi; unde indigenæ plurimum mores quoque peregrinos imitantur, præsertim splendorem Italorum.

Forenses supra modum cati sunt, & subdoli.

Delphinates, qui in oppidis degunt, ingeniosi sunt, affabiles, curiosi rerum indagatores; simulare & dissimulare sueti; gloriosi & ostentatores. Qui extra oppida degunt, fere duplicis sunt generis: Nam qui montana incolunt, rudes sunt, armis & laboribus non inidonei, ad literas neutiquam habiles. consuetudo illis est sub exitum autumni plerosque qui laboribus apti sunt dimittere in varias partes, (*Bics* aut *Bisoüards* vocant) ut labore rem faciant, & sub Pascha revertantur; atque ita sedulitate sua nonnumquam divitias acquirunt. Qui inter eos degunt è Nobilitate, postquam Gratianopolitanorum consuetudine uti cœperunt, reliquæ nobilitati jam nihil concedunt, quæ patentibus & planis campis degens inter Nobilitatem Galliæ urbanitate morum præcellit. Ruricolæ porro qui planicies incolunt, urbanioribus quidem sunt moribus, sed pigri & fugientes laborum. Nobilitati plurimum deferunt: apti militiæ magis quam agriculturæ. Virginum denique & fœminarum Delphinatium summum decus est, quod quum ingeniosissimæ & maxime affabiles sint, paucæ, aut nullæ inter illas reperiantur impudicæ.

Provinciales supra modum sobrii sunt domi, fortes, verum inconstanti ingenio, avari, versipelles, & infidi. Loquaces sunt & meri ostentatores; arrogantes quoque & feroces, superiorumque minus observantes. Fœminæ pomposæ ad Italicum pene modum. Ruricolæ quoque satis cati, ut ad res gerendas nati videantur. Maritimi commerciis sunt deditissimi. In communi autem rythmis & cantilenis deditissimi sunt; & religionis suæ retinentes.

Linguæ-Occitanorum præcipui Tholosani, ad litteras nati videntur, ingenioque eleganti, sed moveri faciles & seditiosi; peregrinis parum humani: Catholicæ Romanæ religioni addictissimi, cæterum moribus minus castigatis. Carcassonenses, Montis-Pessulani, & Nemausenses ut plurimum sunt vani, ostentatores, & in se ipsis extollendis nimii; secreti prodigi, & nimium aperti. Viri juxta ac fœminæ comti, & in vestitu atque ornatu ad vanitatem nimis sumtuosi.

Vivarenses qui planiciem incolunt, quæ angustis satis limitibus continetur, seduli sunt agricolæ & vinitores, ita ut ne fœminæ quidem à laboribus vacent: nec deest vulgo industria, qua tam dextre utuntur, ut vix ullis Galliæ indigenis concedant. Nobiles inprimis ita comes sunt, & peregrinis quoque, præsertim iis qui virtute sua merentur, ita addicti, ut nusquam major honor virtutibus habeatur. Sed unum & maximum vitium in iis qui montana incolunt inolevit, ut nusquam majora latrocinia, nusquam frequentiora duella audiantur.

Velauni & Gabali à moribus monticolarum Vivaresii neutiquam discrepant. Velauni quoque violentia & legum despectu Vivarenses superant. Cæterum satis industrii, & gnavi ad rem faciendam.

Fuxenses laborum sunt tolerantes juxta atque inediæ; ad quæ agrorum infœcunditate indurantur. Verum multi laborum pertæsi, turmatim sese latrociniis dedunt, iis tamen qui sponte sese spoliari patiuntur, minus metuendi; nam non raro tales ultro per avia in tutum deducunt.

Convenæ magis armis quam litteris dediti sunt, licet ingenio non minus valeant quam cæteri Galli; nec vestium apparatum aut pompam amant, mediocritate contenti, vulgoque omnia fugiunt quæ viros effœminant: fœminæ hic castæ, sobriæ, & domesticis negotiis sedulo vacant, desidiam vitant, & conjuges suos unice amant; iisque obsequuntur.

Bigerrones ad arma nati videntur, ferox hominum genus & inurbanum, præterquam in convallibus: vulgus injuriarum impatientissimum ob levissimas causas in cædes & mutua exitia ruit. Nobilitas tamen comis, & manu promta.

Vascones summo sunt ingenio, & qui quocunque se applicant, facile eminent; sed arrogantia intolerabili: quam licet interdum tegere cogantur, ubi se superatos vident, ægre tamen dissimulant. Decora sua & ipsi prædicant, & lubenter ab aliis prædicari audiunt. Magnifice se extollunt, ubi se ignorari sentiunt. Avari sunt, & bonis juxta ac malis artibus rem student augere. Invidi quoque sunt, contemtores aliorum, atque adeo ingrati, cum obnoxii esse desierunt: & contrà, erga eos quibus opus habent, supra modum dejecti. Nobilitas satis humana, & inprimis hospitalis inter se & erga peregrinos; sed feroci illorum irritabilique ingenio fit, ut convivia illorum plerumque in rixas & mutuas cædes desinant.

Bearnenses eleganti sunt ingenio, humani & suo idiomate satis diserti, fortes & libertatis amantissimi; cæterum arrogantiores & aliorum contemtores. Nobilitas comis, bellicosa: quæque non tam vestium splendorem, quam veram Virtutis laudem aucupetur; & non raro assequatur.

SERIES REGVM GALLIÆ.

Dividitur Ordo regum Galliæ secundum tres Familias. Quarum prima est *Merovingorum* incipiens à Pharamundo, vel (ut alii volunt) Waramundo, anno Christi 419. Secunda est *Carolinorum*, Pipino Rege, patre Caroli Magni, anno Christi 751. Tertia est *Capetorum*, ab Hugone Capeto, filio Hugonis Magni, Comitis Parisiensis, Ducis & Conestabilis Franciæ, anno Christi 988.

Prima Classis Regum Galliæ.

I. Anno Christi 419 Pharamundus, Honorio & Theodosio II imperantibus, regnat annos 11; fuit filius Marcomiri Ducis. Ioannes Tilius scribit, illum regnasse annos 20.

II. Anno Christi 430 Clodius sive Clodio, cognomine Crinitus, & Comatus, regnat annos 18. Hic est Germanorum *Luitbeg* sive *Luitbig*, (quasi dicas *populi via*) qui Francos ex antiqua Francia, quæ & Franconia trans Rhenum, in Gallias duxit.

III. Anno Christi 448 Meroveus, alias Merovingus, (à quo dicta est Familia *Merovingorum*) Ioannes Tilius scribit, proprie dictum fuisse *Merwich*, regnavit ann. 10. Hic vicit Attilam Regem Hunnorum in Campis Catalaunicis, in Campania, ut vult Ioannes Tilius, & non in Languedocia, ut alii memoriæ tradiderunt.

IV. Anno Christi 458 Childericus I, filius Merovei. Hic duxit in uxorem Basinam conjugem Regis Turingiæ; è qua sustulit unum filium & duas filias. Regnavit annos 24, aut 26.

V. Anno Christi 484 Clodovæus Magnus, fil. Childerici; primus Rex Christianus. Hic duxit in uxorem Clotildem filiam Chilperici, sororem Gundebaldi Regis Burgundionum; è qua sustulit quatuor filios: quorum primogenitus infans obiit; Childebertus fuit Rex Parisiorum; Clodomirus Rex Aurelianensium; Clotharius Suessionensium. Clodovæus regnavit annos 30. Sustulerat quoque è concubina filium Theodoricum, qui fuit Rex Austrasiæ; cujus Metropolis fuit Metz: & regnavit annos 23. Huic successit fil. Theodebertus, annis 14. Huic fil. Theobaldus, an. 7: & obiit sine hærede.

VI. Anno Christi 514 Childebertus Clodovæi fil. regnavit annos 46, secundum Tilium; & nullos masculos hæredes reliquit.

VII. Anno Christi 560 Clotharius I, Clodovæi fil. primo Rex Suessionensium: dein totius Franciæ. Hic secundum Tilium regnavit annos 50; & è pluribus uxoribus & concubinis plures liberos suscepit: quorum quatuor mares ipsi superstites fuerunt, & regnum inter se diviserunt. Charibertus fuit Rex Parisiorum: Guntrannus Aurelianensium: Sigisbertus Austrasiæ: Chilpericus Suessionensium.

VIII. Anno Christi 565 Charibertus, aliis Aribertus, Rex Parisiorum; regnavit annis IX, & nullos liberos mares reliquit.

Guntrannus Rex Aurelianensium, itidem sine hæredibus obiit, postquam regnasset annos 33, anno Christi 593.

Sigisbertus Rex Austrasiæ, itidem obiit, postquam regnasset annos 14. relicto filio Childeberto.

IX. Anno Christi 574 Chilpericus I, fil. itidem Clotharii I, Rex Suessionensium; qui plures quidem filios sustulit, sed unus tantum illi fuit superstes Clotharius.

Secunda Classis regum Franciæ.

Childebertus II, Rex Austrasiæ ex hæreditate paterna, quippe filius Sigisberti, &, testamento Avunculi Guntranni, Aurelianensium: obiit postquam regnasset annos 17. Et successit filius Theodebertus II; qui regnavit annos 17. Huic successit frater Theodebertus, primo Rex Aurelianensium; & regnavit ann. 18.

X. Anno Christi 588 Clotharius II, Grandis dictus, rursus totius Franciæ Rex: regnavit annos 44, & obiit anno 630, secundum Tilium.

XI. Anno Christi 630, aut, ut alii, 632, Dagobertus I: cui quidam cognomen Magni tribuunt, regnavit annos 14.

XII. Anno Christi 646, ut Tilius, 644, Clodovæus II. Sed Tilius vocat primum, secundum vulgarem errorem. Qui toti Franciæ præfuit, præter Austrasiam, cui Pater nothum suum Sigisbertum præposuerat. Regnavit Clodovæus annos 18, & reliquit tres filios, Clotharium, Childericum, & Theodoricum.

XIII. Anno Christi 663 Clotharius III, Rex Neustriæ & Burgundiæ, regnavit annos quinque, aut, ut alii, tantum tres. Ab hoc regni Gallici administratio & suprema authoritas penes Majores Domus sive Præfectos Palatii esse cœpit, solo fere nomine Regibus relicto; de qua re vide Eghinartum in vita Caroli Magni.

XIV. Anno Christi 668 Childericus II, primum Rex Austrasiæ, dein totius Franciæ post obitum fratris; & regnavit XII annos, secundum Tilium; alii volunt, XIV.

XV. Anno Christi 680 Theodoricus III, fil. Clodovæi, post fratris mortem totius Franciæ Rex: qui regnavit annos XVIII, secundum Tilium. Sub eo Pipinus Præfectus Palatii fuit per totam Franciam.

XVI. Anno Christi 694 Clodovæus II, Tilio; aliis III, f. Theodorici; regnavit annos 3. Pipino Præfecto Palatii.

XVII. Anno Christi 698 Childebertus III, Tilio, aliis II, cognomento Iustus, fil. Theodorici: regnavit annos XVII, secundum Tilium; alios, XVIII.

XVIII. Anno Christi 716 Dagobertus II, fil. Childeberti III; regnavit annos quatuor. Ipso adhuc superstite per seditionem electus fuit in Regem frater illius Daniel, Clericus, & à suis dictus

dictus Chilpericus II. cujus Præfectus Palatii fuit Carolus Martellus.

XIX. Anno 720 Clotharius IV. (quem Carolus Martellus videri volebat filium Theodorici III.) & regnavit annos duos.

XX. Anno 726 Theodoricus IV, filius Dagoberti II, regnavit annos XV, eodem Martello Præfecto Palatii.

XXI. Anno 741 Childericus III, Theodorici fil. Sub tutela Pipini & Carlomanni Præfectorum Palatii, regnavit annos VII. dein sub Pipino solo annos duos: & postquam novem annos veluti per ludibrium regnasset, anno 751 destitutus & tonsus fuit.

Alii Chilpericum II inter Reges numerant, atque ita numerum explent XXII.

Secunda Classis regum Franciæ.

XXIII. Anno 751 Pipinus cognomento Exiguus sive Brevis, consensu Nobilium & plebis, cum approbatione Zachariæ P. R. (ut volunt) regnum occupavit, & illud obtinuit annos 16, menses 4. Carlomannus minor natu illius filius, coronatus in oppido Suessionum, eam partem regni obtin uitquam patruus illius Carlomannus nomine Præfecti Palatii obtinuerat. Sed cum anno 771 obiisset; frater illius major natu Carolus totum Regnum crevit.

XXIV. Anno Christi 768 Carolus cognomento Magnus, Pipini fil. regnavit annos 47, secundum Tilium; fuitque Imperator annos 14.

XXV. Anno Christi 814 Ludovicus I, cognomento Pius, Caroli fil. Rex & Imperator; regnavit annos XXV: è duabus uxoribus plures filios sustulit. Primogenitus illius fuit Lotharius, post patrem Imperator Germanorum; qui & possedit partem Franciæ & Burgundiæ, adeoque Provinciam. Hic monasticam vitam amplectens, reliquit Ludovico majori natu filio suo Imperium & Italiam, Lothario II Lotharingiæ regnum, Carolo regnum Burgundiæ & Provinciæ; quo defuncto sine hæredibus, Ludovicus Provinciam, Lotharius Burgundiam crevit. Lotharius quoque sine hæredibus masculis decessit, & regnum illius patrui illius diviserunt. Secundogenitus Ludovici Pii fuit Pipinus Italiæ Rex; qui patre adhuc superstite obiit, & reliquit duos filios, Pipinum Regem Aquitaniæ, & Carolum; qui ambo ab Patruo Carolo regno & Dominiis privati sunt.

XXVI. Carolus II, Calvus dictus, tertiogenitus Ludovicii Pii filius, post patris obitum per partitionem inter fratres accepit regnum Franciæ. Regnavit post patris obitum 38 annos. obiit anno 878.

XXVII. Anno 878 Ludovicus II, cognomento Balbus, Caroli Calvi filius, regnavit annos duos.

XXVIII. Anno 880 Ludovicus III, & Carolomannus, fili nothi Ludovici Balbi regnum inter se diviserunt. Carolomannus accepit Burgundiam & Aquitaniam; Ludovicus reliquas provincias. Hic obiit anno 884, & solus regnavit Carolomannus, qui non diu superfuit.

XXIX. Anno 885 Carolus cognomine Crassus, Germanorum Imperator. In regnum accersitus fuit ut Normannorum invasioni occurreret, qui postea tam regno quam imperio inutilis factus, Imperium Arnulpho cognato suo cessit, anno 890; postquam in Gallia regnasset annos quinque.

XXX. 890 Odo, Comes Andegavensis, licet non esset è genere Caroli Magni, per seditionem fuit coronatus: & postquam biennium toti Franciæ præfuisset, in Aquitaniam fuit conclusus: obiit anno 899.

XXXI. Anno 892 Carolus III, cognomine Simplex, coronatus fuit Rhemis, ætatis anno XII. qui cum multis miseriis conflictatus fuit; & obiit anno 929, postquam tantum XI annos sui juris regnasset: ipso enim superstite contra illum fuit coronatus Robertus frater Odonis Regis Franciæ: quo cæso in prælio Suessionensi, anno 923, fuit Rex Franciæ coronatus Radulphus Gener Roberti illius Regis (ut scribit Tilius) & cognatus Regis Caroli. alii scribunt fuisse filium Richardi Ducis Burgundionum, & fratrem Odonis; & regnasse an. 2.

XXXII. 929 Ludovicus IV, dictus Vltramarinus, fil. Caroli Simplicis: ab Hugone Magno Comite Parisiensi ex Anglia in Regnum revocatus; & Laoduni coronatus: Hugo autem Palatii Præfectus Regem obnoxium tenuit, & nonnumquam bello petivit, atque etiam captivum habuit. Obiit hic Rex anno 954, postquam 25 annos regnasset, ut scribit Tilius.

XXXIII. 954 Lotharius Ludovici fil. Hugone annitente coronatus Rex. Hugo autem obiit anno 955: neque propterea Regis authoritas aucta fuit, filiis illius Regni negotium facessentibus. Anno 960 Hugoni Capeto munus Præfecti Palatii concessit, & Pictaviensem provinciam; fratrem autem illius Othonem creavit Ducem Burgundiæ. Decessit Rex anno 986, postquam 32 annos regnasset.

XXXIV. Ludovicus V, Lotharii fil. Patre adhuc superstite Rex coronatus. Patre defuncto vix annum superfuit, veneno, ut creditur, extinctus ab iis qui regno inhiabant.

Tertia Classis Regum Franciæ.

XXXV. Anno 988 Hugo, cognomento Capetus coronatus fuit Rex Franciæ Novioduni, erat autem primogenitus Hugonis Magni, Comitis Parisiorum: regnavit annos novem.

XXXVI. 997 Robertus filius Hugonis: regnavit annos 34, secundum Tilium; obiitque anno 1030.

XXXVII. Anno 1030 Henricus I, Roberti filius, regnavit annos 30.

XXXVIII. Anno 1061 Philippus I, Henrici filius, vivo patre coronatus anno 1059, regnavit annos 49; obiitque anno 1109.

XXXIX. Anno 1109 Ludovicus VI, cognomento Crassus, Philippi filius, Aureliani coronatus: regnavit annos 28: obiit Parisiis anno 1137.

XL. 1137 Ludovicus VII, dictus Iunior, vivo parente coronatus, unde illi agnomen: regnavit annos 43: obiit anno 1180.

XLI. Anno 1180 Philippus II, cognomine Augustus, Ludovici filius, patre superstite coronatus; regnavit annos 43: obiitque anno 1223.

XLII. Anno Christi 1224 Ludovicus VIII, Philippi II fil. Hic vivente patre in regnum Angliæ à Baronibus fuerat vocatus contra Ioannem Angliæ Regem; sed Ioanne defuncto & turbis sedatis, in Galliam fuit remissus: regnavit annos

annos 3, & menses 4: obiitque anno 1226.

XLIII. Anno Christi 1226 Ludovicus IX, cognomine Sanctus, regnavit annos 44: obiitque in Africa anno 1270.

XLIV. Anno Christi 1270 Philippus III, cognomine Audax, fil. S. Ludovici; coronatus per Episcopum Suessionensem, Rhemensi sede vacante, regnavit annos xv; obiitque anno 1285. Ab hujus filio tertiogenito Carolo stemma Valesiorum deducitur.

XLV. Anno Christi 1285 Philippus IV, cognomento Bellus, coronatus Rhemis. Hic duxit in uxorem Ioannam hæredem Regni Navarræ: regnavit annos 28: obiitque anno 1314.

XLVI. Anno Christi 1315 Ludovicus X, cognomento Hutinus, Philippi Belli F. coronatus fuerat Rex Navarræ anno 1307, & Franciæ anno 1315 Rhemis. Illius filia Ioanna nupsit Philippo Comiti Ebroicensi; qui uxoris nomine factus est Rex Navarræ. Regnavit annum unum, menses 4; obiitque anno 1316.

XLVII. Anno Christi 1316 Philippus V, cognomine Longus, filius Philippi Pulchri secundogenitus, regnavit annos 5, obiitque anno 1321. Hujus filia major natu Ioanna nupsit Eudoni III Duci Burgundiæ, & in familiam illam intulit Comitatum Burgundiæ & Artesiæ: sed Comitatus illi per obitum nepotis illius Philippi redierunt ad Margaritam secundogenitam filiam ejusdem Regis Philippi Longi; quæ nupta fuit Ludovico Comiti Flandriæ; è quo connubio nata est Margarita Flandrica, conjux Philippi Francici, Ducis Burgundiæ; atque uterque Comitatus descendit ad Domum Burgundicam secundi Stemmatis, non sine controversia.

XLVIII. Anno Christi 1321 Carolus IV, cognomine Pulcher, frater Philippi Longi, coronatus Rhemis, regnavit annos 6, & aliquot menses; obiitque anno 1327.

XLIX. Anno Christi 1328 Philippus VI, connomine Valesius, Philippi Audacis è Carolo filio nepos, coronatus Rhemis, regnavit annos 22 & quinque menses; obiitque anno 1350.

L. Anno Christi 1350 Ioannes Philippi Valesii F. coronatus Rhemis. Hic in prœlio captus à Principe Walliæ, captivus in Angliam fuit ductus. Regnavit annos 14: obiitque Londini anno 1364. Hujus filius secundogenitus factus fuit Rex Siciliæ & Neapolis. Philippus autem ejusdem filius Dux Burgundiæ duxit Margaritam Flandricam, de qua supra diximus.

LI. Anno Christi 1364 Carolus V, cognomine Sapiens, Ioannis filius, coronatus Rhemis; regnavit annos 16; obiitque anno 1380. Hic sacras literas in linguam vernaculam Francicam verti curavit à Nicolao Oresmio; & regnum, quod Angli pene totum occupaverant, recepit.

LII. Anno Christi 1380 Carolus VI, Caroli V fil. coronatus Rhemis. Ejus filia ultima Catharina nupsit Henrico VI Regi Angliæ; quem Rex hæredem Regni instituit, filio Carolo exhæredato. ab eo tempore Reges Angliæ, Franciæ se quoque reges scripserunt, & lilia scuto suo admiscuerunt. Regnavit Carolus annos 42; obiitque anno 1422.

LIII. Anno 1422 successit Carolus VII, cognomine Victor; sed primum fuit coronatus Rhemis anno 1428: regnavit annos 39; obiitque anno 1461.

LIV. Anno Christi 1461 Ludovicus XI, Caroli VII filius, coronatus Rhemis, regnavit annos 22, obiitque anno 1483.

LV. Anno Christi 1483 Carolus VIII, cognomine Exiguus, Ludovici XI filius, coronatus Rhemis. Hic duxit in uxorem Annam hæredem Britanniæ, promissam Maximiliano Imperatori. Regnavit annos 14; obiitque anno 1498.

LVI. Anno Christi 1498 Ludovicus XII, antè Dux Aurelianensis, Pater populi cognominatus. Sanguine proximus Carolo VIII. Quippe Carolus V Franc. R. filium habuit Ludovicum Ducem Aurelianensem, qui duxit in uxorem Valentinam, filiam Ioannis Galeatii Ducis Mediolanensis; cui natus fuit Carolus Dux Aurelianensis, pater hujus Ludovici XII. Porro Ludovicus hic divortio facto cum Ioanna fil. Ludovici XI, duxit Annam Britannicam viduam Caroli VIII; è qua nulli mares supervixere. Postremo duxit Mariam filiam Henrici VII Angliæ Regis. Regnavit annos 17; obiitque anno 1515.

LVII. Anno Christi 1515, Franciscus I, cognomento Valesius, coronatus Rhemis; antea Dux Angolesmensis: proximus agnatus Regis defuncti; nam Carolus Pater Ludovici XII fratrem habuit Ioannem Aurelianensem, Comitem Angolesmensem; qui 23 annos in Anglia obses fuit; & filium habuit item Carolum, qui duxit in uxorem Ludovicam Sabaudam filiam Comitis Segusianorum & postea Ducis Sabaudiæ; è qua ipsi natus Franciscus hic. Qui varia fortuna regnavit annos 32, obiitque anno 1547. Princeps vel hoc nomine ab omnibus literatis laudandus, quod linguarum artiumque liberalium studia expulsa barbarie restituit, & literatos singulari amore complexus fuit. Vxor illi fuit Claudia, Ludovici XII filia, Ducissa Britanniæ.

LVIII. Anno Christi 1547 Henricus II, Francisci filius, coronatus Rhemis eodem anno. Hic duxerat in uxorem Catharinam de Medices, è qua ipsi nati quinque filii & totidem filiæ: regnavit annos 12; obiitque anno 1559.

LIX. Anno Christi 1559 Franciscus II, Henrici II fil. primogenitus, coronatus Rhemis. Hic duxit in uxorem Mariam Reginam Scotiæ; è qua nullos liberos sustulit. Obiit ætatis suæ anno 23, postquam regnasset sedecim menses.

LX. Anno Christi 1560 Carolus IX, Henrici II filius, coronatus Rhemis. Hic duxit in uxorem Elisabetham Austriacam, Maximiliani Imperat. filiam: è qua tantum unam filiam sustulit, regnavit annos 14; obiitque anno 1574.

LXI. Anno Christi 1574 Henricus III, Caroli IX frater, relicto regno Poloniæ quod paulo ante adierat, in Galliam reversus, coronatus fuit Rhemis anno 1575. Duxit in uxorem Aloisiam Lotharingam Comitis Vaudemontii filiam: è qua nullos liberos suscepit. Regnavit annos quindecim, menses duos, cum variis miseriis, & continuis pene bellis civilibus, & domesticis seditionibus colluctatus; & tandem à Pontifice Romano censuris Ecclesiasticis percussus ob Guisii cædem, & sacris prohibitus, à Monacho Domi-

Dominicano Iacobo Clemente fuit occisus anno 1589. Princeps raris ingenii & corporis dotibus ornatus, quas ignavo otio & per desides voluptates fere corrupit. In hoc Valesiorum familia defecit.

LXII. Anno Christi 1589 Henricus IV, cognomento Magnus, Anthonio patre, matreque Iohannâ Albrettâ vitâ defunctis, Navarræ rex factus, Gallicam quoque indeptus coronam, ut qui Henrici III regis hæres proximior, licet ipsum vigesimo demum & primo consanguinitatis gradu attingeret, Christianissimus Galliarum, ejus nominis IV, rex salutatus & inauguratus fuit. Tum quidem Navarra, Franciaque sub uno eodemque capite coaluerunt rursum; ut pridem, trecentos ante annos, sub Philippo Pulchro, ejusque tribus filiis unitæ leguntur fuisse; à cujus primogenito Ludovico Hutino, ejusque filia unica, Iohanna (quæ regiæ Eburovicensi stirpi, per matrimonium juncta fuerat,) Henricus Magnus, variis tamen gradibus, maternum trahebat ortum: quo etiam nomine ad regium Navarræ fastigium, hereditario jure conscenderat. Magni quidem Monarchæ huic momenti tantus videri potuit ortus, at majoris tamen, si illustri sibi congenitarum virtutum splendore coruscaret: quo ipsi sacraretur Æternitati. Et ejus quidem vita, singulari semper subnixa Dei favore, prodigiorum plena, solidæ gloriæ, trophæorumque curriculum perpetuum fuit: sibi quippe confirmavit, auxitque & acquisivit potentissimum hoc regnum, factionibus scissum, & jam jamque penè ruiturum. Generositate sua, Iustitia, prudentiaque & Clementia armis semper victricibus feliciter junctis, regium sibi Diadema victor gloriosus asseruit, populorumque in partes abeuntes voluntates uniit, regnumque ipsum pristinæ Majestati splendorique restituit: quantumlibet Hispaniæ, Italiæ, Sabaudiæque, Lotharingiæ etiam & Flandriæ obstarent conspirationes. quo, illustribus ejus moliminibus dissipatis, ipsa etiam regni basi succussa, & Salica lege abolita, exteræ prosapiæ rex eligeretur. Merito ergo suo, celebratissimis, summisque, quos veneranda nobis Antiquitas commendat, Imperatoribus, regibusque adcensetur; æquiparandus Cyro, Persici fundatori Imperii; & Alexandro Magno; Iulio item Cæsari, Augusto, Constantino, Clodovæo, Carolo Magno, Othoni I, & Henrico IV, Imperatoribus: quos Principes, Magnorum cognomen heroicis suis facinoribus, assecutos, testantur Historiæ. Quod idem, eadem de causa, sibi promeruit Henricus noster. Eorum, quos diximus Principum ultimus, 62 interfuit ipse conflictibus: at vero Henricus IV, Heros, qui mundo imperaret universo, dignissimus, septem præliis quàm acerrimis, 125 pugnis, & 200 urbium diversarum obsidiis; quas etiam maximam partem feliciter expugnari coràm vidit. Clauso etiam Iano, pacisque desiderato affulgente sidere, civitatum politias ritè administrandas constituit, tumultus pacavit, ametrias ordinavit, magnificis urbes exornavit ædificiis; scientias, artesque liberales docendas curavit, earundem fautores, ac præstites promovit, dotavitque stipendiis liberaliter: mechanicas artes, commerciaque, vigori suo restituit: portus marinos navibus instruxit: urbes omnigenis apparatibus bellicis munitissimas reddidit, & armamentariis suis providus prospexit. Palatium regium, *le Louvre* dictum, & *les Tuilleries* Parisiis restauravit, exornavitque: laudatissima itemque loca, dicta *Fontaine-Bleau, S. Germain en Laye, Blois, Vernueil,* & *Monceaux*, regia vere magnificentia perpolivit: annexuit coronæ Francicæ Dominatus Bearnensem, Domesanum, Ducatus Vindonicensem, Bellimontensem, & Albretensem; Comitatus Roverguensem, Foxiensem, Bigorrensem, Armagnacensem; Marlensem, Perigordiensem, Vicecomitatus; *Tartas*, & Limaicensem, pluresque alios, præter Comitatum illustrem Bressæum, vicinasque ei terras. Vxorem duxit, primam, Augusto mense, 1572, Margaretam, Henrici II Galliarum regis, filiam natu minimam: sed nulla ex hoc conjugio subsecuta prole, ex authoritate Ecclesiæ, & utriusque assensu libero, dissolutum matrimonium hoc fuit. Vnde rex Henricus alteram sibi duxit conjugem, Mariam de Medicis, Francisci, Magni Toscanæ Ducis, & Ioannæ, Archiducis Austriæ, natæ Hungariæ Bohemiæque reginæ filiam: quæ quidem Imperatorum filia, soror, amita, neptisque fuit. Ex hoc suscepit Henricus Ludovicum Iustum ejus nominis XIII, Galliæ regem; N. Franciæ, quadriennem denatum; Gastonem-Ioannem-Baptistam, Aurelianensem, Carnotensem, & Valesium Ducem, Comitem Blesensem, Franciæ Parem, &c. Elisabetham Franciæ, Hispaniæ reginam; Christinam Franciæ, Sabaudiæ Ducem, & Cypri reginam; Henricam-Mariam, Magnæ Britanniæ reginam, &c. Dum vero Magnus ille Henricus, omnia quæ ad regios reginæ suæ Parisiis excipiendæ apparatus facerent, quam magnificentissime instrui curaret, monstrum hominis, sicarius scelestissimus, nefandas manus regio sanguine polluere non dubitavit, a. d. Maji 14 anni 1610, quo è vulnere regum maximus occubuit; inter suos quidem, at vero subditis omnibus maxime deploratus, totiusque Mundi Monarchis omnibus flebilis: vitam, quam toties Franciæ suæ bono prodegerat, morte insperata, & tanto capite indigna, relinquens. Obiit vero ætatis suæ anno 57, mense quinto, die uno: regni Galliæ anno 20, mens. 10, dies 18; Navarræ 38 anno.


LXIII. Anno Christi 1610, die 18 Octobris Ludovicus, ejus nominis XIII, cognomento Iustus, Henrici Magni filius, post funestissimum Patris obitum, Rhemis in regem coronatus. Majorennis declaratur die Octobris secundo, anni 1614. Pòst Annam Austriacam, Hispaniæ Infantem, Philippi III, regis Catholici majorem natu filiam, duxit uxorem; eopse etiam tempore, Elisabetha, Ludovici soror, regi Philippo IV desponsa fuit; etiamque Hispaniæ Legatis commissa. Anna Augusta, Christianissima jam regina, Burdegalam ubi appulit, nuptiarum solemnitates ibi consummatæ sunt, eas exequente in æde divo Andreæ sacra Episcopo Gallo-Mediolanensi. Plurimi Principum, anno 1616, aulâ regiâ infensis animis secesserant; in quos tres exercitus rex conscripsit, in Picardia, Campania, Niver-

Nivernensique Provinciis: tertiùm tandem funesto hoc incendio feliciter extincto, pace etiam, morte Concino Concini, Mareschalli Ancræi, hominis fastuosissimi, & inquieti plane animi, (qui nimium quantum sibi arrogans authoritatis peregrinus, Gallici regni res turbare annisus fuerat,) populis suis reddita; anno tamen 1619 novis obortis tumultibus Gallia concussa est, idque reginæ Mariæ, regis matris, occasione: multo autem feralior inquietiorque Franciæ illuxit annus insequens 1620; ut vero tempori ignem hunc rex restingueret, Normanniam petit quam citissimus, Principe Condæo comitatus, Rothomagum sui juris fecit, Cadomumque & Alençonium sub obedientiæ jugum reduxit: hinc Andegavum tendit, domatque rebellantes gloriosa victoria, conserto prælio proxime Pontem Censem ad Ligerim; unde factum, ut regina, regis mater, suique asseclæ, ipseque rex, lætis animis, reconciliarentur. Rex tum Bearnenses repressit: adeoque, subditorum suorum bono, utramque Parlamenti Curiam uniit; quarum una à S. Palatio cognomen sortita, Navarræ Inferioris: altera Pauensis dicta, Bearniam spectans: & ex utraque, unam solùm conflavit Parlamenti Curiam, suprema donatam potestate, in civitates Pauensi sede ejusdem stabilita. Navarræ etiam Bearniæque Status Franciæ deinceps Coronæ annexuit. Exin civitates Salmurium, Pictavium, *Iargeau*, Vitræum, *Pontorson*, *S. Iane d'Angely*, (quam quidem, in rebellionis suæ pœnam, ac monumentum perpetuum, solo æquari jussit) *Pons*, *Chastillon*, *S. Foy*, Bergeracum, *Cleracum*, *Monheurium*, *Riœum*, Pictaviæ inferioris peninsulam, Royanum, Montispessulum, plurimasque alias, in Languedocio, Pictavia, Aquitania, aliisque provinciis magni passim nominis urbes sibi rex asseruit. Hoc ipso etiam tempore, navali rex potitus victoria, de Rupellensibus triumphavit; sub ductu Ducis Guisii, Ducis item Rochefoucautii, Comitis Ioigniaci, supremi classis Præfecti: Generosi item Ioannis Bonnetti, Domini in Toiras, auspiciis, qui, Castri S. Ludovici regius constitutus Præfectus, hostilibus copiis strenuus restitit, easque, animosus heros, repressit. Tandem, tot trophæis coronatus, Ludovicus Rex, & tot splendidissimis potentiæ suæ exhibitis monumentis, pacem, quam uno ore omnes enixe efflagitarant, ad regios projecti pedem, concessit rebellibus rex munificentissimus. His ita domi constitutis, bellisque civilibus feliciter sopitis, extra Galliæ limites, regno suo prospiciendo, animum adjecit Ludovicus Iustus: Bello illo, toti Germaniæ funesto, flagrante, aliquot Germaniæ Principibus copiis suis auxiliatricibus succurrit. Vnde anno 1632 Elector Trevirensis, Philippus Christophorus, munitissimum castrum Hermensteinium in Ludovicum Regem transtulit: quod Philippiburgum paulo post subsecutum. Occupavit item plures Alsatiæ civitates, Colmariam, Hagenoam, Tabernam, Manhemium, Schletstadium; Lotharingiæ item urbes, ac Ducatûs Bar dicti non paucas, Motham, Mussipontum, Vic, Mojenvicum, Marsal, & Clermontium in Argonna; Nancyum item, magni momenti urbs; *Liverdun*, aliæque se ei dediderunt. Anno 1633 Parlamenti Curiam Metis erexit, quæ postea Tullium translata est. Anno 1635 Regi Catholico bellum indixit, conscriptis quinis exercitibus; Palatinatus urbem Bingium expugnavit; Corbiam, Royam, locumque dictum *le Chastelet*, Picardiæ urbes, Hispanis occupatas, recuperavit; Insulas etiam S. Margarethæ, & S. Honorati: prope Rhenofeldiam Imperialem cecîdit exercitum; captis summis eorum Præfectis, Savellio, & Ioanne Wertio; Friburgo etiam Brisgoviæ, Rhenofeldioque civitatibus expugnatis. Brisaco itidem ad Rhenum non infimæ notæ civitate dedita: Neostadium, Crucenacum, Confluentiam cepit: Leganezium Marchionem compulit, Casalii obsidium solvere; civitatemque Taurinum sui juris fecit. Hesdinum Artesiæ anno 1639 occupatum, & ipsa Artesia anno subsequenti Gallici juris facta, regionis metropolis, una cum Ayra, Bapaumia, & Bassea civitatibus. Comes Guebriantius, Franciæ Mareschallus, Cæsareanos proxime Kempenam cecîdit; ubi Præfectus Lamboyus captivum se sistere coactus est. His & compluribus aliis, variis in Orbis partibus, gloriose reportatis tropheis, victoriisque insignibus, fatalem suum vidit diem idem Ludovicus Iustus, a. d. 14 Maji, anni 1643, regni sui 32, ætat. 41 mens. 7 & diebus 18, cum se Delphini, Ludovici XIV, Deodati, (anno 1638, Septembri 5 nati) & Philippi, Andegavensis tum, hodie vero Aurelianensis Ducis, Parentem vidisset.

LXIV. Anno Christi 1643, Ludovicus XIV, Deodatus, in regnum successit, sub tutamine regimineque Matris Augustissimæ, Eminentissimo Cardinale Mazarino res regni feliciter moderante; ex prælio ad Rocroyum, 10 Augusti, 1643, ductu Ducis tum Anguyensis, Principis hodie Condæi, gloriosus evasit victor; quod subsecutæ Theonisvillæ, Virronii, Circi, & castri Aimerii deditiones. Anno 1644 Patruus regis, Aurelianensis Dux, Gravelina potitus est. Sed quid omnia enarrem? anno 1652, majorennis declaratus, celsissimi animi specimina indubitata edidit jam compluria. Mariam Teresam, regis Catholici Philippi IV filiam natu majorem, matrimonio sibi junxit anno 1660 Iulio mense, rex Augustissimus; quæ quidem, Numine propitio, Galliæ potentissimæ, Serenissimum spondere videtur Delphinum.

Præfectura Vrbis, & Agri
PARISIENSIS,
vulgo
L'ISLE DE FRANCE.

Nomen.



Mplissimum illud & celeberrimum Franciæ nomen, universo quidem, quod Franci incolunt, regno convenit; attamen singulari nonnumquam Provinciæ attributum reperitur, quæ per excellentiam, & peculiari velut merito Francia nominatur, tum quia centrum sit & umbilicus ceterarum Franciæ Provinciarum; tum vel maxime, quòd ab antiquis temporibus Regum ipsorum ordinarius fuerit secessus. Ipsa vero, qua de nunc agimus, Provincia in Præfecturam evecta, atque *Insula Franciæ*, honoratissimo titulo appellata, nequaquam olim usque adeo, ut impræsentiarum suos fines dilatavit; etenim ipsam solùm Lutetiam Parisiorum amplectebatur, tractumque illum, qui Sequanam, Matronam, Isaram atque Iuinnam fluvios interjacet; qui etiam communiter Parisiensis ager, vulgò *le Paris*, seu *Isle de France* nuncupatur; hanc autem postea Reges extenderunt, ex hac quidem parte usque ad terminos Veromanduorum, ex altera verò usque ad Senonense & Carnotense territoria, ac denique ad flumen Eptense, quod Normanniam circumscribit. Hos itaque nunc limites sortitur, ab Ortu quidem Brioniam; à Meridie Belsiam, seu Carnotense territorium; Cauxense ab Occasu; ac demum à Septentrione Picardiam.

Præfectura.

Fines.

Tanta est hujus Præfecturæ amplitudo, ut quindecim comprehendat Baillivatus, quorum hæc series:

1 *Comitatus, Vicecomitatus, & Præfectura Parisiensis.*
2 *Baillivatus Veromanduensis.*
3 *Baillivatus Silvanectensis.*
4 *Baillivatus Claromontensis in territorio Bellovacensi.*
5 *Baillivatus Calvimontii*, Chaumont en Vexin.
6 *Baillivatus Valesius.*
7 *Baillivatus Melodunensis.*
8 *Baillivatus Namurensis.*
9 *Baillivatus Monfortensis*, Monfort-l'Amaury.
10 *Baillivatus Mantensis & Meulanensis*:
11 *Baillivatus Dourdanensis.*
12 *Baillivatus Bellovacensis.*
13 *Baillivatus Suessionensis.*
14 *Baillivatus Drecensis*, de Dreux.
15 *Baillivatus Mainiensis*, de Magny.

Eandem vero Præfecturam alii alio modo dispertiunt, in regiones scilicet varias, & tractus diversos; hoc autem ordine decem computantur:


1 Regio *Parisiensis*, le Parisis, *seu Insula Franciæ.*
2 *Hurepensis.*
3 *Gastinensis.*
4 *Yvelinensis*, Forest d'Yveline.
5 Tractus *Drecensis*, Dreux.
6 *Vexinensis*, le Vexin-François.
7 *Bellovacensis.*
8 *Valesius.*
9 *Suessionensis.*
10 *Laudunensis.*

Quod autem nostri est instituti, ex una regione in aliam, juxta cujusque vicinitatem, gradum faciemus; utque indefessi sensim illas perspiciamus, modico in unaquaque earum spatio quiescemus, lustraturi nempe obviam quidquid singulare, eximium, & memoria dignum occurrerit.


LE GOVVERNEMENT DE L'ISLE DE FRANCE
Par Damien de Templeux
Escuyer Sr. du Frestoy
Milliaria Gallica communia
PARTIE DE LA PICARDIE
BEAUVAISIS
VALOIS
SOISSONNOIS
LAVNNOIS
CHAMPAGNE
LA FRANCE
PARIS
NORMANDIE
PAYS DE VEXIN
VEXIN LE FRANCOIS
HVREPOIS
GASTINOIS
LA BEAVCE
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

2.

REGIO PARISIENSIS.



Parisii. Παρίσιοι.

Arisiensis regio, quæ Franciæ Insula vulgo nominatur; totum hunc complectitur tractum, quem populi olim à Latinis *Parisii*, à Græcis verò Παρίσιοι dicti, insederunt. Illos Iulius Cæsar memorat libro Commentariorum sexto, asserens fuisse Senonum finitimos, cum iisque fœdus iniisse: septimo autem libro, quæ junctis fœderatorum viribus, Camulogeno Duce, bella gesserint, exaravit. Strabo, Ptolemæus, aliique Geographi ad Sequanam fluvium eorumdem sedes assignant.

Nomen.

Exustæ olim Trojæ cineres fodicant nonnulli, quo altius rationem Parisiorum nominis exquirant, à Paride scilicet Priami regis filio; alii à Paride altero, Romi cujusdam nato, quem prisco sæculo Gallis imperasse supponunt. At Ioannes Baptista Mantuanus à Parrhasiorum Gente Asiatica deducit, quam Hercules in Gallias invexit, prout ipsemet libro de vita Dionysii, primi Parisiensium Antistitis, comminiscitur. Quin & Guillielmus Brito suæ Philippidis lib. 1. à Græcâ voce *Parrhisia* depromit, quasi horum fœcundâ nominis populorum; quæ quidem & libertatem locutionis non fucatæ, sed apertæ & sinceræ indigetat. Hos illius ad propositum versus accipe:

Finibus egressi patriis, per Gallica rura
Sedem quærebant ponendis mœnibus aptam,
Et se Parisios dixerunt nomine Græco,
Quod sonat expositum nostris, Audacia, *verbis;*
Erroris causâ vitandi, nomine solo
A quibus exierant Francis distare volentes.

Παρ' Ισιν.

Tandem alii Parisiorum nomenclaturam, ab adjacentibus illorum ad Templum Isidis sedibus emanasse, scriptis etiam suis testati sunt; fanum autem illius deæ eo fuisse loco situm, quo nunc S. Germani Pratensis monasterium, existimatio est; nam & inibi aliàs idolum hujusmodi visebatur.

Porrò Parisiensis hic tractus in Notitia Provinciarum Romanarum, *Civitas Parisiorum* appellatur; veteres autem Historiographi subsequentibus titulis indigetant, *Ager Parisiensis*, *Pagus Parisiacus*, *Territorium Parisiense*; Idque fere totum est quod Diœcesis seu Archiepiscopatus Parisiensis comprehendit. Postquam vero in civitatibus Comites constituti sunt, cœpit eadem regio *Comitatus Parisiorum* nominari; unde & titulus Vicecomitatus emanavit, quem etiam impræsentiarum servat; nam Comites Parisiis locisque adjacentibus in regimen assumpti, substitutos habebant Vicecomites, qui hoc ipso munere in illorum absentia fungerentur, jusque populo dicerent; quod ex veteribus Instrumentis colligere est; ex authentico nempe scripto, quo quidem Rex Carolus cognomento Simplex firmavit donationem Cathedrali Basilicæ factam à Vicecomite Grimaldo. Hugo etiam Capetus, hujusce regionis ultimus Comes, cum regni diadema fuisset adeptus, in locum Vicecomitis Præpositum collocavit, qui, ut vetera præferunt documenta, *Præpositus Parisiensis* appellatur; qua potissimum ex causa totus ipse ager Parisiensis, cum jurisdictioni subjaceret istius Præpositi, *Præfecturæ* seu Præposituræ nomine insignitus est; quem titulum, ut & *Vicecomitatus* hucusque servat; attamen vocatur & *Franciæ Insula*, quod fluminibus fere undique concludatur; nam una ex parte *Matrona* fluvius illam à Brionia dirimit; ex alia vero *Isarâ* cingitur, quæ & *Aësia* abs Vibio Sequestro nominatur, quo quidem amne à Bellovacensi & Vexinensi territoriis divellitur, alicunde etiam *Iuinnæ*, vulgo *d'Estampes*, & *d'Essone*, alveo cingitur; ac tandem Sequana flumine omnium nobilissimo per medium irrigatur. Hæc quidem sunt celebriora quæ Franciæ Insulam alluunt flumina; sunt & quædam alia minora, *Orge*, nimirum, *Iuette*, *Bievre*, & *le Crou*.

Francia stricte sumpta.

Ceterum *Francia* si propriissimis coërceatur limitibus, hæc complectitur oppida, Fanum S. Dionysii, vulgo *S. Denys*, *Bonneville*, *Roissy*, *Gonnesse*, *Chenevieres*, *Belloy*, *Cercelles*, *Cevran*, *Iagny*, *Thieux*, *Mitry*, *Fontenay*, *Baillet*, aliaque Franciæ cognomen præ se ferentia. Mulsense territorium, *le Mulsien*, cis Matronam situm, à Meldensi civitate, usque Goëlam porrigitur, ubi villa & Comitatus *de Dammartin* positus est. Tractus Alnensis, *Aulnoy*, loca continet *Livry*, *Clichy*, & alia, quorum nominibus hæ particulæ adjiciuntur, *en Aulnoy*, *Cresgueres*, *Viroflay*, *Trianon*, & *Renemoulin* in Valle-Galliæ, *Val de Gallie* insident, cujus & retinent appellationem. Nonnulla quoque *Iosas* territorii vestigia adhuc videre est; ut in cognomine illius Archiepiscopatu, & quibusdam aliis in locis *Montlehery*, *Chasteaufort*, *Iouy*, ubi se dabit occasio, referemus.

Le Mulsien. La Goële. Aulnoy. Val de Gallie.

Lutetia Parisiorum.

Quæ hactenus territoria exhibuimus, Lutetiam Parisiorum primariam sibi civitatem agnoverunt, quæ hodie totius regni caput & metropolis est. Insignis plane civitas, si quæ sub sole fulgeat, potens, opulenta, nobilis adeo, ut quidquid præclarum, sublime, magnificum dixeris, nusquam ad illius amplitudinem accesseris, nil usquam videris, ni Lutetiam perlustraris. Hîc ipsissima totius urbanitatis & honestatis sedes; huc tota concurrit omni ex parte Nobilitas; hîc, si quid toto orbe augustum, conspicitur; hîc clarissima eruditissimorum virorum ingenia micant; imo virtus ipsa, proprio inibi triumphans solio, ab omnibus honoratur. Hæc ornatissima infinitorum pene hominum nutrix civitas, à Iulio Cæsare *Lutetia* nominatur, à Strabone vero *Leucotocia*, à Ptolemæo *Leucotecia*, & abs Iuliano Imperatore

ratore *Leucetia*; sumpta forsan horum nominum etymologia à voce *Lutum*, ob adjacentes urbi paludes; aut potius à Græcis *Leucothecia* fuit appellata, quasi dixissent *Opus Candidum*, ob candida nempe ædificia gypso incrustata, quod in omni foditur circumregione. Equidem quodcunque afferatur, incertum est; at Lutetiæ nomen in Parisiorum fuisse commutatum, nemini non exploratissimum.

Situs. Illa quidem fuit olim modica prorsus civitas, exiguæ, quam Sequana efformat, Insulæ finibus circumscripta; in tantam vero, qua nunc conspicitur, evasit amplitudinem ob situm, quo gaudet, amœnissimum æque ac commodissimum, adeo, ut à Numine destinatus præparatusque videatur Regum secessus. Mons ad Meridiem obversus aquis scatet saluberrimis: omnis autem quæ circumjacet regio, lapicidinis abundat; à Septentrione gypsi fodinis; atque in superiori Sequanæ & Matronæ fluminum margine pulcherrimis undique silvis consita est. Quæ ad Septentrionem vergit planities, frumento luxuriat; colles Montlherienses, & qui Possiacum usque excurrunt, vinetis excultissimi sunt, vinumque proferunt præstantissimum; ut & territoria *de Longjumeau, Verrieres, Ceaux, Baigneux, Chastillon, Vanves, Icy, Meudon, Seure, S. Cloud, Suresne, Ruel, Port au pec, Andresy*, quæ etiam exquisitissimum maximâ abundantiâ vinum suppeditant. Temperatissima quoque regio, nec caloribus uritur, nec frigoribus alget supra modum; innumeris pene tum amnibus, tum rivulis fœcundatur, quibus & ad illam merces omnigeneris evehuntur. Quid enumerem quot in Sequanam, Matronam & alios amnes celeberrimos sese effundant rivi, qui in illos quoque merces cujusque hujus regni Provinciæ devehunt & exonerant, Parisios asportandas.


Aquæ. Lapicidinæ. Silvæ. Frumentum. Vinum. Aër. Amnes.

Missus in Gallias Iulianus, Cæsaris jam titulo insignitus, hac in urbe domicilium elegit; in illa etiam commoratus est Gratianus Valentiniani Imperatoris filius; sed & Clodovæus ille, qui Regum Francorum primus Christi fidem amplexus est, loci amœnitate, pulchritudine, commoditate ductus, Turonensi relicto secessu, Parisios præoptavit, simulque throno regio exornavit. Hujus quoque vestigia prosecuti Reges successores, suo fere omnes secessu urbem illam illustrarunt; quin & divulsâ atque discissâ in partes Monarchiâ, stetit semper immota Parisiis primaria regni sedes. Ex Regum igitur præsentiâ, tantus hujus civitatis splendor enituit, indiesque accrevit usque ad immensam illam, quâ nunc præcellit, magnificentiam; eam enim privilegiis ac immunitatibus Reges exornarunt; Concilia, Synodos & Comitia inibi celebrarunt; quin & augustissimam totoque orbe celeberrimam Parlamenti Curiam, variis distinctam Cameris in ea collocarunt, Cameras quoque Computorum, Ærarii regii, Subsidiorum, Monetarum; fundarunt & florentissimam scientiarum omnium Academiam, quæ toti prælucet Europæ; utque hæc civitas numeris omnibus esset absolutissima, & nihil ad amplissimam posset expeti gloriam, Episcopatum ab initio fere nascentis Ecclesiæ ibi constitutum, ad Archiepiscopatus honorem evexerunt.

Monetariæ Officinæ. Monetas quod attinet, non est illud silentio prætereundum, ab omni ævo fuisse fabricatas Parisiis monetas; hoc enim aureæ & argenteæ ab Antiquariis curiosius inter sua cimelia asservatæ testantur. Quasdam olim aureas, hisce characteribus obsignatas, sub harum typo figurarum exhibemus, quæ sub prima Regum stirpe cusæ sunt:



Sunt autem argenteæ, quas subsequenti ordine collocamus, subque Regibus secundæ stirpis fabricatæ, imo & tertia stirpe jam exoriente:



Quæ vero postmodum efformatæ, non hîc expressis typis sunt appositæ, cum sint omnino communes; illud duntaxat observandum, monetas Parisienses quarta parte pretium aliarum excessisse monetarum; fereque omnium taxas expensarum, mulctarum, venditionum, &c. Moneta Parisiensi velut præcellenti fuisse æstimatas. Eapropter in assignando civitatum ordine, quibus jus competit signandæ monetæ, A, prima Alphabeti Littera huic urbi, velut totius regni primariæ, tributa est.

Divisio. Tres in partes hæc civitas dispertitur, Vrbem scilicet, Vniversitatem seu Academiam, & Civitatem. *Portæ.* Septem portis exornatur, quarum hæc nomina: *S. Antonii, Templi, S. Martini, S. Dionysii, Montis-Martyrum, S. Honorati*, & quæ *Nova* nuncupatur. *Pontes.* Nonnullis etiam pontibus sternitur, tum saxeis, tum ligneis: Insignis est inprimis & maximus, qui nomen Virginis præfert, vulgo *le Pont de N. Dame*; principiò quidem lapide extructus, cum autem corruisset anno 1296, postmodum ligno exædificatus est, decem & sexaginta passus colligens longitudinis, latitudinis octodecim: In eo domus sexaginta conspiciebantur; at cum ad tempora Ludovici XII perdurasset, iterum lapide restauratus, pristinum auxit splendorem, ut & ædificiorum numerum; Pons deinde minimus, quo via sternitur ad Vniversitatem; est & alius S. Michaëlis nomine insignitus; Pons Aurifabrorum, vulgo *Le Pont au Change*, qui anno 1622, fatali incendio deflagravit; Pons molitorum, qui postea Pons mercatorius dictus est; sed iisdem, quibus Pons modò memoratus, flammis exarsit. Accessit hoc seculo Pons elegantissimus, qui Novus appellatur, *Pont Neuf*, cujus fundamenta posuit Henricus III Rex, anno 1578; Henricus vero IV, illius successor, ad finem perduxit. Taceo pontes alios,


AGER PARISIENSIS
Vulgo
L'ISLE DE FRANCE
Fr. Guilloterius Bitur. Viu. describ.
et
CL. V. Petro Pithœo I.C.
dedicabat.

Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
VALOIS.
LA GOELE.
LE MULTIEN.
L'AULNAY.
LA FRANCE.
LE PARISIS.
LA BRIE.
PARIS
S. Denis
Senlis
Meaux
Milliaria Gallica communia.
Apud Guihelmum Blaeu.

alios, brevitati consulens; nam & plerique alii in maximum urbis commodum deinceps extructi fuerunt.

Vniversitas. Academia, seu, ut vulgo nominant, Vniversitas, octo Portis adventantes admittit, *Neelensi*, hodie *Nivernensi*, *de Bucy*, S. Germani, S. Michaëlis, S. Iacobi, S. Marcelli, S. Victoris, & *de la Tournelle* vocitata; quinque etiam suburbiis amplificatur, S. Germani, S. Michaëlis, S. Iacobi, S. Marcelli, S. Victoris; muris & fossis, prout urbs ipsa, circumsepitur.

Regimen. Ius dicit in spiritualibus Antistes per totam Diœcesim; Episcopus quidem à temporibus Dionysii Areopagitæ, at impræsentiarum Archiepiscopus; quem ad honorem Ioannes-Franciscus de Gondy, primus omnium, anno 1622, à Gregorio XV, Summo Pontifice, provectus est. In temporalibus, Rex supremus omnium Iustitiarius urbi universæ suburbiisque imperat; verum unicuique urbis regioni suus Iudex seu Præfectus assignatus est, viginti quinque scilicet, juxta eundem regionum numerum, in quas tanta Iurisdictio dispertitur. Est amplissimus alius in urbe Magistratus & Scabini, in Politiam, & œconomiam Reipublicæ constituti; illorum muneris est ædificiis publicis, Armamentario, mœnibus, cæterisque omnibus quæ tum ad urbis vires & munimenta, tum ad illius splendorem & elegantiam faciunt, prospicere, pretium annonæ, & rerum venalium moderari, Portarum servare claves, regionum Capitaneis mandare, quid quisque peragat, præsertim si quæ seditio, clades, aut diffidia fuerint exorta; symbolum suggerere custodibus; egregiisque aliis in bonum Reipublicæ muneribus perfungi.

Hæc pauca perstrinximus de tantæ urbis regimine; sed aliud superest, quod ipsam concernit Vniversitatem; nam & ipsa suum plane Magnificum sortitur Rectorem, suosque insignes Officiarios rerum peritissimos, & in omni scientiarum genere exercitatissimos. Hæc celeberrima totius orbis terrarum Academia quatuor primariis Facultatibus exornatur, quibus veluti radiantibus quibusdam columnis fulcitur, *Theologiâ* scilicet, *Iure Canonico*, *Medicina*, & *Artibus Liberalibus*. Is, qui præsidet, Rector, tertio quôque mense ab ipsis Facultatibus eligitur. Ipsa etiam quatuor Cancellariis illustratur; sex præterea Advocatos duosque Procuratores in augusta Parlamentorum Curia suo Iuri dicundo præficit. Quatuor in nationes dividitur, *Franciam*, *Picardiam*, *Normanniam*, atque *Germaniam*, quæ, ut verbo dicam, cunctas Europæ nationes complectuntur; ut agnoscas, illuc nullo non tempore omnes Europæ populos tanquam ad Emporium bonarum quaruncunque artium confluxisse. De Templorum splendore, opibus, magnificentia, apparatu, Decanis, Personatibus, Canonicis; ac de Religiosis Domibus, Monasteriis, Cœnobiis, Cleroque pene infinito, nunquam dixisse satis; quædam è celebrioribus indigetasse sufficiat. Profundo isti totius magnificentiæ oceano immergatur qui plura volet, & ipse inibi stupenda totius orbis miracula conspiciet.

Ecclesiæ. Omnium augustissima est Cathedralis Basilica, sub auspiciis Beatissimæ Virginis; sunt insignes aliæ maximo numero Ecclesiæ, nimirum, S. Germani Altisiodorensis, S. Nicolai, S. Thomæ, S. Honorati, S. Mederici, S. Symphoriani, S. Stephani, S. Benedicti, S. Eustachii, S. Pauli, S. Gervasii, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Innocentii, S. Salvatoris, S. Petri, S. Bartholomæi, &c.

Monasteria, & Cœnobia. Celebriora monasteria sunt: S. Genovefæ, S. Victoris, ubi instructissima Bibliotheca, antiquissimis voluminibus, præsertim manuscriptis celebrata; Templariorum, *le Temple*; Commendataria S. Ioannis Lateranensis, S. Eligii, Prioratus S. Dionysii *de la Chartre*, S. Iuliani veteris, aliâs Pauperis, S. Catharinæ Vallis Scholarium, S. Genovefæ *des Ardents*, S. Crucis *de la Bretonnerie*, *des Blancs-Manteaux*, SS. Trinitatis, & Redemptionis captivorum; Dominicanorum, Franciscanorum, ubi asservatur Bibliotheca regia librorum veterum, & novorum, Latinorum, Græcorum, Hebræorum, Arabum, aliarumque id genus Linguarum, quin & voluminum manuscriptorum, quæ nec alibi reperire est, totius Europæ refertissima. Passim tota urbe reperiuntur innumera pene cœnobia Virorum & Mulierum, Augustinianorum, Carmelitarum, Cartusianorum, Celestinorum, Minimorum, Capucinorum, Fueillentinorum, pleræque Domus & gymnasia Societatis Iesu, Oratorii, &c.

Taceo tot Virginum Deo sacrarum asceteria, tot Xenodochia, pauperum, miserorum, ægrotantium receptacula; tot gymnasia, quibus præclara maximam partem orbis ingenia multijugâ eruditione imbuuntur; at nefas insalutatâ pertransire æde Sorbonicâ, quæ præ cæteris omnibus Academiis numerosissima Doctorum sobole, quos & omni ævo peperit, & indies parit, jure gloriari potest; illam instituit S. Ludovicus Rex, consilio fretus Roberti de Sorbona, qui & in hoc laudatissimo opere nullis sumptibus pepercit; Porro Eminentissimus Ioannes Armandus Cardinalis *de Richelieu* illius hoc ævo splendorem amplificavit. *Sorbona.* Alia Collegia indigetasse sufficiet, scilicet, *de Calvy*, *Premonstré*, *Harcourt*, *des Cholets*, Cardinalis cognomento *le Moyne*, Navarrense, *de Mont-aigu*, *du Plessis*, & *de Marmoustier*, *des Lombards*, *de Grandmont*, Trium Episcoporum, *de Beauvais*, *de Clairmont*, Societatis Iesu, &c. Præleguntur etiam publicis in Academiis Ius Canonicum, & Medicorum instituta. *Alia Collegia.*

Palatia, & loca publica. Regum etiam, Principum, Dynastarum, aliorumque procerum palatia, & publica loca, simili brevitate perstringo: Parlamenti Curia, Regum Domus antiquissima; ipsa Domus Regia, vulgò *le Louvre*, Tuillerienfis, Domus item Regia S. Pauli, Tournellensis, Platea regia, Bourbonense Palatium, Cluniacense, Nivernense, Lotharingense, Guisiacense, Navarrense, Suessionnense, Luxemburgense, Arx, vulgò *la Bastille*; Sunt quamplurima præter jam assignata, quæ perlustrari digna sunt loca; sed nunquam satis. Ad subjectas Parisiis Præfecturas nobis properandum est.

Poissy. Principiò se offert *Poissiacum*, qui *pagus Pinciasensis*, & *Pincecisium*, à Carolo Magno, & Carolo Calvo Regibus in suis Capitularibus appellatur, urbs ad Sequanam fluvium, septem milliaribus à Parisiis dissita, Regum olim sede nobilis; quam

quam itidem Carolus Calvus supra memoratus *Castrum suum Pictæ sedis* indigetat, unde forsan postea contractum nomen *Pixedum*, quod illi à nonnullis tribuitur, & quandoque *Pixedum*, *Pissiacum*, imo & censetur is vicus, qui à Flodoardo & Aimoino *Pistis* & *Pistæ*, nominatur. Oppidum hoc saxeo ponte sternitur, fuitque olim validissimo castello exornatum; ubi primam hujus lucis usuram accepit sanctissimus Rex Ludovicus, ibique sacris Baptismi undis regeneratus; unde & dictitare solebat, nusquam alibi se tanto donatum honore, tanta dignitate insignitum, ut Possiaci; ne Rhemis quidem, ubi Rex inauguratus; nam Possiaci Christo consecratus est; cumque ad familiares daret epistolas, se Ludovicum Poissiacensem ad calcem Epistolæ subscribebat, suppressa etiam regia, quâ fulgebat, dignitate; illud vero castrum jubente Carolo V Rege, ignotis de causis postea dirutum est. Porro hæc sola supersunt antiquitatis vestigia, Ecclesia scilicet Collegiata, ubi mausolæa nonnullorum Principum; & Monasterium virginum. Celebre etiam est ob Colloquium Poissiacense, seu Comitia totius Franciæ Antistitum inibi congregatorum anno 1561. Sedet autem Possiacum in valle amœnissimâ, & frumento feracissima.

Montlehery. Sequitur Mons-Leherius, Præfectura & Castellania Vice-Comitatui Parisiensi subjecta; cui nomen inditum partim à monte cui insidet, partim à quodam *Leherio*, seu *Letherio* illius olim Domino, unde & à Sugerio San-Dionysiacensi Abbate *Mons-Leherius* appellatur; arx quondam inibi rebellium nutricula, sed à Ludovico Crasso funditus eversa præter turrim editissimam, quæ Parisios usque prospicit, unde illi utcunque nomen, ni magis conspicua ex pugna celebri Ludovici XI temporibus commissa anno 1465. Gaudet etiam insigni Collegio Canonicorum.

Corbeil. *Corboilum*, & *Curboilum*, vulgo *Corbolium*, tertia inter Præfecturas Parisiis subjectas, urbs, Comitatus & Castellania pervetusta, Parisios inter & Melodunum sita, in angulo à confluentibus Sequana & Iunna amnibus efformato; ibi pons saxeus septem fornicibus subnixus. Petrus Abelardus vir eruditissimus, suis olim prælectionibus illam exornavit; longe lateque diffunditur jurisdictio hæc, tractum enim Gastinensem, Hurepensem, & Brionensem complectitur. Nonnullis decoratur Ecclesiis, iisque pervetustis, sed non inelegantibus.

Torcy. Torceium, quarta districtus Parisiensis Castellania, ultra Matronam amnem posita, olim quoque *Torciacum* vocitata in antiquissimis cartis seu instrumentis publicis. Amplissima est jurisdictio.

Chasteaufort. Castellum forte, & *Castrum forte*, à priscis etiam vocatur hæc ditio, quæ inter Parisiis subjectas quinta computatur. *Gonnesse.* Gonnessea quoque Castellania, *Gonnesse*, ordine sexta, quæ *Croldi*, seu *Crotano* fluvio alluitur: hæc omni ævo ab ipsis etiam Regibus, Regum penus vocitata, & jure merito, nam illa tellus, si uspiam gentium, frumento optimo usque ad Regum delicias fœcundissima est; imo & amplissimæ Parisiensium urbi panes delicatissimos abunde subministrat, olim regio exornata Palatio, Philippi Augusti claro natalibus.

Turnonium. Turnonium septima ordine sub Parisiensi Præfectura, quæ sua etiam antiquitate gloriatur, quam & è veteribus comprobat monumentis, ac Titulis, in quibus *Turnum*, *Turnonium*, *Tornomium*, & *Tornantum* nominatur.

S. Denys. Perlustratis igitur septem hisce Præfecturis, subsequitur San-dionysiacum urbs & Abbatia celebris, in qua tot Regum Mausolæa conspiciuntur; olim *Catholacensis* locus appellatus, & exiguus omnino viculus, ubi S. Dionysii primi Parisiensium Antistitis, S. Rustici & Eleutherii corpora post adeptam martyrii palmam à Catullâ, piissimâ feminâ, sepulta fuerunt; cumque ibi postmodum Christi asseclæ in memoriam Martyrum Ecclesiam extruxissent, excitatus est paulatim viculus, qui desumpto ab eadem Catullâ vocabulo, *Catulliacus* vocatus est. At Dagobertus Rex, singulari in *Dionysium & socios Martres pietate affectus*, *se ipsum, & Diadema regnique statum* Dionysio & Sociorum protectioni committens, egregiam & regiâ magnificentiâ dignam extruxit Basilicam, mille circiter passus à præcedenti dissitam, ad quam pretiosas prædictorum Martyrum exuvias transtulit, ibique monasterium Ordinis Benedictini constituit, quod amplissimis latifundiis & possessionibus dotavit, atque inibi palatium seu Regiam extrui fecit, in quo solemnioribus anni diebus cum tota Curia commoraretur; multisque deinceps locum illum privilegiis ac immunitatibus exornans, jus etiam nundinarum concessit, quæ quotannis die 9. Octobris celebrarentur, & ad quatuor continuas hebdomades protelarentur; exinde cœpit vicus ille Sancti-Dionysii nomine insigniri, ac postmodum in tantam excrescere amplitudinem, ut & hodie inter splendidas Galliæ civitates censeatur, atque undecim præter superiorem Basilicam, habeat Ecclesias parochiales, aliasque insuper Regularium. Ceterum nihil toto orbe locupletius, *Thesaurus.* nihil pretiosius, nihil mirabilius Reliquiarum, veterum antiquitatis monumentorum, rerumque exquisitissimarum, & plane inæstimabilium Thesauro, qui in S. Dionysii Basilica, summa omnino veneratione asservatur; quem describere, nostri superat metas instituti. Ad circumjacentia loca transeamus.

Loca. Proxima est, quæ vulgo dicitur S. Dionysii Insula, ubi olim conditum Hugonis *Basset* castellum, quod multorum extitit causa dissidiorum, quæ ut compescerentur, mandante Roberto Rege funditus eversum est. Non procul inde visitur *Spineul* pagus ad Sequanam, aliàs *Espinay*, Latinè autem *Spinogilus* villa, & *Espinolium*, Dagoberti olim frequentatione, imo ægritudine ac obitu ab Historiographis memoratum. Subsequitur in ora fluminis *Argentolium*, *Argenteolum* *Argentueil.* quoque à Petro Abelardo nominatum, oppidum antiquissimum, nec ignobile. Cis S. Dionysii insulam vicus est *S. Audoëni*, prisco ævo *Clichy* dictus; verum S. Audoëno Rhotomagensi Archiepiscopo ibidem fatis fungente nomen commutavit, illiusque Divi nomen accepit; equidem locus pridem celebris ob extructum in eo à primis Regibus palatium, quod & Dagober-

tus Clotarii II filius excoluit, & Clodovæus II; qui etiam inibi Concilium convocavit, in quo S. Dionysii abbatia, à jurisdictione Episcoporum vindicata est. Illic institutus Ordo Equitum Stellæ, in memoriam scilicet Stellæ illius, quæ Persarum reges ad Christi incunabula perduxit. Parma hujusce Ordinis fuit Stella torque aureo appensa, hoc adjecto Lemmate, *Monstrant Regibus astra viam.* Huic assidet pagus *Aubervillers*, in cartis vetustis *Aubertivillare* dictus, de cujus antiquitate dubitare non licet, cum Henricus I, dum monasterium S. Martini fundaret, quæ Aubertivillari possidebat latifundia, illi in dotem assignavit; at cedit ipsius antiquitas prodigiis & miraculis, quæ quotidie in celeberrima illius patrantur Ecclesia sub auspiciis Dominæ Virtutum, Gallicè *Nostre Dame des Vertus.* Præter oppidulum S. Audoëni, est aliud, quod usque impræsentiarum nomen *Glichy* retinet; deinde locus insignis de *Montmartre*, seu *Mons Martyrum*, ex Martyrio S. Dionysii desumpto vocabulo; quamvis à Martis templo inibi extructo, *montem Martis* dictum alii comminiscantur: constat quippe statim à martyrio Dionysii Christianos in montis apice, quà Parisios aspicit, sacellum ædificasse, quod *Capella de sancto martyrio* in veteribus instrumentis vocitatur; ubi eximia est hodie Virginum velatarum abbatia, cujus Ecclesiam dedicavit Eugenius Tertius, summus Pontifex, ministrante D. Bernardo Clarævallensi Abbate.

Equites Stellæ.

Montmartre.

Est etiam in agro Parisiensi magnificentissima Domus regia S. Germani in Leya nuncupati, Castellania antiquissima, & à quingentis annis ordinarius regum secessus; illuc Parisiensi ex urbe proficiscenti, littusque Sequanæ legenti, principiò quidem occurrit Challiotum; cui assidet egregius, & nunquam satis laudatus Nigeonensis Minimorum Conventus, hîc porticus & claustra perspicias, præclaris adeo picturis fulgentia, ut ipsissimam pietatis imaginem expressam dixeris; locus ipse sanctitatem spirat, & quædam priscorum anachoretarum vestigia exhibet. Fuit olim amœnissima Annæ Britannæ Caroli VIII, & Ludovici XII, regum uxoris possessio, quam ipsa S. Francisco de Paula, ex partibus Italiæ in Gallias adventanti, concessit anno 1496. Paulò superius est *Autolium*, vetus oppidulum; silva deinde Boloniensis, aliàs S. Clodoaldi, nam bina hæc loca illi adjacent; *Novigentum* olim dicebatur, qui hodie S. Clodoaldi nomine vicus insignitur, à Clodoaldo scilicet Clodomiri filio, qui inibi monasterium excitavit, atque in eo vitam pie peractam morte sanctissimâ claudens, tumulo marmoreo insepultus est. Hîc Sequana ponte lapideo sternitur. Sed gradum repete, nam inter silvæ amœna, regium Madritense castellum videas, ad normam Madritensis Hispaniarum arcis extructum; illud autem Franciscus I. Rex jussit ædificari in memoriam suæ inter Hispanos captivitatis. Nec procul inde amplissima Longi-Campi abbatia dissita est, quam Elisabetha Franciæ, S. Ludovici Regis soror erexit anno 1260, sub titulo *Humilitatis B. Mariæ*, atque inibi moniales ordinis Franciscani collocavit; ipsaque seorsim à claustris, in æde separata, vitam duxit sanctitate conspicuam, ejusdemque Religionis habitu, juxta quod ipsa constituerat, ab obitu induta, sepulturæ mandata est; ac postmodum miraculis illius sanctitatem contestantibus, à Leone X, summo Pontifice, Beatorum catalogo adscripta. Vocatur verò à Francisco Gonzaga monasterium istud, *Archicœnobium sororum S. Claræ Vrbanistarum*; in quo etiam regularem vitam professæ sunt, & postea contumulatæ, multæ aliæ Principum ac Dynastarum filiæ, Blanca scilicet Franciæ, Philippi Longi Regis filia, Ioanna Navarræ, Magdalena Britanniæ, Ioanna & Margarita Brabantiæ, Margarita de Craon, Maria de Beaujeu, &c.

S. Germain en Laye.

Nigeon.

In adversa amnis ripa Surisnense oppidum visitur; quod vino optimo, ut & Ruellense, fœcundissimum est; succedunt deinde oppidula sequentia *la Celle, Villars, Puteaux, Neüilly*, ubi Henricus IV. Rex, cum Maria *de Medicis* Regina Vxore Sequanam pontone trajiciens, unà cum curru in flumen, frementium equorum impetu, præcipitatus est. Porro idem ipse Rex potentissimus pontem inibi consterni mandavit. Hoc itaque ab urbe Parisiensi emenso spatio, jam apparet Mons Valerianus, quorundam Eremitarum secessu celebris, qui quidem à priscis temporibus in illius apice reclusi, ab omni hominum frequentia vitam, cælestibus addicti, solitariam peregerunt. Pergenti ad dextram occurrit Nemptodorus antiquitate insignis, & S. Genovefæ Parisiensium Patronæ natalibus, quæ diu ante regnum Clodovæi, primi Regis Christiani, hujus lucis usuram accepit; hoc etiam in oppido Clotarius II, salutiferum Baptismi lavacrum subiit. Assidet ad lævam Nemptodori *Ruella*, seu *Ruolium*, *Rigoailus*, & *Riogilus*, ut ex vetustis colligitur instrumentis; impræsentiarum Castellaniæ titulo gloriatur, sed præsertim Eminentissimi illius, & incomparabilis Franciæ Genii, imo Consiliorum Angeli, Cardinalis Richelæi secessu. In vicinia se offert *Chatou*, qui à nonnullis *Catuliacus vicus* existimatur. Sequanam deinde pontone transmittens, silvam mox ingrederis proditione infamem, vulgò *Bois de la Trahison*, emenso nempe uno à S. Germano milliari: viâ publicâ nemus duas dispescitur in partes, quarum unâ si arbores fregeris, inque flumen projeceris, aquis innatant, quemadmodum alia lignorum genera; ex altera vero parte, veluti lapides ad ima fluminis deferuntur; cujus miraculi neque peritissimi quidem Philosophi rationem probabilem investigare potuerunt. Neque hinc distat Carolivanæ portus, Gallicè *Charlevenne*; Portus deinde *du Pec.* Ac tandem in monte proximo emicat splendidissima amplissimaque S. Germani regia, hanc circunstant silvæ in venationis oblectamenta consitæ, nam viæ faciles & spatiosæ cervis aprisque cursu percitis latibula denegant, & undequaque profugi in venatorum incidunt manus. Ædificii structura absolutam architecturæ peritiam exhibet; In ipso aditu ascensus visitur Herculis trophæo nobilis, aurata deinde conclavia, specus & fontes innumeri, non vulgaria artis miracula; hic aquæ in cyathos, calices aliaque vasa quasi vitrea per aërem efformantur; nympha subridens, digitos in organo motitans, gratissimam aquarum beneficio edit

Suresnes.

Nanterre.

Ruelle.

edit harmoniam : est & Mercurius tubâ perso-nans; Draco alas adinvicem quatiens aquarum vortices affatim evomit; innumeræ præterea aviculæ certatim occinunt, pennisque velut rorem excutiunt, simulque tripudiant: Tritones, Neptunus, Cyclopes, Orpheus, stupendaque alia spectantium oculos in admirationem rapiunt. Nec longe dissitum est castrum aliud regium *des Loges* appellatum; cui adjacet insignis abbatia de *Ioye-en-val*, Gaudium-in-Valle à Latinis dicta, ubi Lilia è cœlo in manus cujusdam Anachoretæ deposita fuisse, multorum existimatio est; huic incumbit mons de *Mont-joye*. Eadem in regione sitæ sunt Castellaniæ San-Germensis & Marliacensis, *Chartreville*, Confluentium, *Andresy*.

Montmorency. Confluentio vicinus est locus Montmorenciacus, unde nomen accepit illustrissima Montmorenciorum familia. Est autem urbecula in monte condita quatuor à Parisiensi civitate milliaribus, ubi varia & antiquitatis & splendoris vestigia reperiuntur. Sexcenta plus minus feuda inde relevant. Iure Castellaniæ, Præfecturæ, Tabellionatus, multisque aliis decoratur. Est ibi elegans S. Martini templum, & venerandi Congregationis, quam vocant Oratorii, Sacerdotes. In Rescriptis Imperatorum Valentis, Gratiani, & Valentiniani die 27 Iulii, sub 4 Consulatu Gratiani emanatis, vocatur *Moranciacus*, & alibi, *Mons-Maurinzus*, & *Mons-Maurinzi*, *Mons-Maurentius*, *Mons-Morantii*, & *Mons-Moranciacus*; fuit quoque olim castro validissimo munitum hoc oppidum, at illud, sub Lothario rege, Saxonum, & Danorum procellis ex parte dirutum, ex parte vero incensum, ne ullum quidem sui vestigium reliquit. Porro eximia & antiquissima suorum Dynastarum virtus, plus rebus ceteris Montmorenciacum illustravit; ipsi quippe stemma deducunt ex primis Franciæ Baronibus, prout ex vetustissimis illorum titulis constat, queis Montmorencius primus Franciæ Baro appellatur. Subjacet autem prædictæ urbeculæ vallis amœna & fertilis; aliorsum verò nemoribus & oppidulis redimitur, quorum hæc nomina, *Soisy*, *Grolay*, *Andilly*, *Migasin*, *Monlignon*, *Metiger*, *Tour*, *Eaubonne*, *Ermont*, *Sarnoy*, *Franconville*, *le Plaissis-Bouchard*, *Taverny*, *S. Leu*, *S. Pris*, *Suecourt* sive *Psaucourt*, *Bethemont*, *Maffliers*, *Montsoult*, & alia, quæ quidem omnia ad nobilissimam *de Montmorency* Domum pertinuerunt. Eidem regioni assidet *Menel* Prioratus Ordinis Grandimontensis; *Baillet*, lauta possessio insignis familiæ *d'O*; *Domont*, vicus, qui *Dolus-Mons*, vel *Dolosus-Mons* in vetustis instrumentis dicitur; *S. Bricius*, vulgò, *S. Brice*, cujus Parochialis Ecclesia S. Victoris Parisiensis Abbatiæ subjacet.

Ad dextram mons editissimus apparet, ubi vetusta *Escouen* Castellania, olim *Escannum*, & *Esconium*, pridem Ducum Mont-morenciorum ditio, nunc autem juris Abbatiæ S. Dionysii. Sequitur deinde Cercella, & Sarcella, *Cercelles*; postea *Villare-Belli*, Gallicè *Villiers le Bel*. Ad lævam autem Esconii occurrit Mainilium, *Mesnil-Aubry*, à *manendo* dictum; quasi nempe diceres, manerium & domus Alberici; succedit Villare siccum, *Villiers le sec*, à soli siccitate ita appellatum; dein *Campus-plastrosus*, & *Laciacus*, vulgò *Champlastreux*, & *Lacy*; cui proximè adjacet Iagniacum, vetus territorium, quod clarissimæ familiæ nomen imposuit. Postmodum prosecutus viam regiam Luzarchiam usque pertinges.

Lusarches. Est autem Luzarchia urbs modica, quæ à veteribus tum Latinis Historiographis, tum manuscriptis instrumentis, *Luzarcha*, *Luzarchium*, & *Luzarchias* appellatur, & antiquis accensetur Castellaniis, duabus ab Esconio leucis dissita, per quam proficiscenti via patet in Picardiam.

Chaumontel. Tandem accedens Calvum montilium, *Chaumontel*, Vicecomitatus Parisiensis terminum attigisti, qui alios etiam à dextris limites habet, *Luparam* scilicet, *Louvres en Parisi*, quæ & *Lupera*, *Luperiæ*, & *Luvera in pago Parisiaco* à priscis dicitur, *Louvres.* cujus & meminit Dagobertus Rex in publico instrumento; hic passus est Iustinus Martyr sub Diocletiano Imperatore, unde & Ecclesia parochialis in illius honorem dedicata est. Qui Parisiis illuc voluerit proficisci, *Villette* & *Bourget* oppidula pertranseat; huic postremo adjacet Dugniacus, vulgò *Dugny*. Occurrit pons exiguus, uni duntaxat fornici innixus, qui & à veteribus *Pons Ebali* nominatur, linguâ vernaculâ *Pont Eblon*; ulterius verò procedenti *Gous-sainville* visitur, nota satis ditio, quæ à quodam Gossone nomen traxit, quasi nimirum *Gossonis villam*, aut corruptè *Goussainvillam* enunciaris; nam & istud *Gossonis* & *Gassonis* vocabulum, in familia illud primitus possidente frequens reperitur. Goussainvillam inter & Luveram Parisiorum, Aurivilla cernitur, à quibus paululum distat locus *de Villeron* in-*Orville.*digetatus, è quo prodiit Heros magnanimus Carolus *d'Aunoy*. Aurivillæ adjacent tres aliæ dynastiæ, le *Plessis-Gassot*, *Fontenay*, & *Fontenay de Marevil*.

Reflexo autem ad pontem Ebali itinere, alia quoque via in dextro latere reperitur, quæ dirigit versus Dammartinum, atque in Mulciense Valesiumque territorium; at priusquam illuc accesseris, in dextera *Villam-pictam*, *Villepeinte*, offendes, ac postea nemus vicumque *Timilidum*, seu *Trembliacum*; aliâ vero ex parte se ostentat *Tremblay.* Roissiacum Franciæ, insignis plane ditio, quæ & *Roissy en France.* opulento Prioratu exornatur, & nomen clarissimæ familiæ præstitit. Iter ultra promovens, *Maisnilium Dominæ Renciæ* invenis, & locum, qui *Maisnil.* in cartis veteribus *Malus resportus* dicitur, vulgò *Mauregard*. Nec procul inde dissitus est Moncia-*Mauregard.*cus, qui ad differentiam *Veteris*, *Novus* appellatur; Monciacus autem ille vetustus huic etiam *Moncy le Neuf.* tractui assidet, Castello ac Prioratu insignis. Vnico deinde à Maisnilio milliari conspicitur *Villanova*; *Villeneufve.* quæ quidem in valle posita Dammartino subjacet, ideoque vulgò *Villeneufve sous Dammartin* cognominatur; *Dammartinum.* nam & Dammartinum in monte positum huic imminet; quod Comitatus honore insignitum, regionis *Cœle* vocitatæ caput est & metropolis. A priscis authoribus *Domnum-Martinum*, & *Dommartinum* nuncupatur; olim castro munitissimo defendebatur; quod impræsentiarum vetustate fatiscit, & totum pene dirutum est.

Iuliacum. Dependent ex hoc Comitatu plura Dominia, quæ inter præcellit Iuliacum, ubi opulenta quondam

dam abbatia. Ultra verò Dammartinum, expanditur Regio Mulciensis, vulgò le *Mulcien*, vel *Melcien*, pagis frequens, ac opimis Nobilium latifundiis & dominiis provincia locuples; verùm recepto ad Dammartinum itinere, Alnetensis regiuncula perlustranda est, quæ à veteribus latinis *Alnetum*; statimque *Monzelosus* apparet, aliaque non ignobilia loca, nimirum *Bois le Vicomte*, *Seuran*, *Blanc-Maisnis*; è regione autem objacent *Pentin*, uno dumtaxat à Parisiensi civitate milliari, viâ quæ Meldas ducit, *Noisy le sec*, *Baubigny*, Latine *Balbiniacus*, & *Balbini-villa*, *Bondis*, seu *Bungeiæ*, & *Bunzeiæ*, unde & silva cognominis illi adjacens nomen sortitur, quæ latrociniis & plerisque aliis piaculis est infamis; at priusquam pertranseas, ad lævam conspicitur *Livry* celebris abbatia Ordinis Augustiniani, cui circumjacet pervetustum ejusdem nominis territorium, arxque non inelegans. Altera ex parte est Vallis-Gaji, à Dynasta forsitan Gaji nomine insignito; aut potius *Vallis-gaudii*, aut *Vallis jocosa*, quod hisce Gallicis vocibus exprimeretur, *Vau de joye*, aut *Vau-joyeux*, ob miram istius gratissimæ regionis amœnitatem; & circa viam publicam *Villa-Parisiensis*, & *Cloya* insident. At *Montis-Gaji* Castellania, quæ Baronatus gaudet titulo, olim suis à munimentis celebris, monticulo insidet, à quo & nomen accepit, si & Gaji vocabulum adjeceris; nam & Instrumenta antiqua & Latini Historiographi, utplurimum *Montem-Gaji*, & *Montem-Gajacum* nominant; ex primoribus munimentis illi superest turris vetustissima. In vicinia sunt alia quædam dominia, minoris quidem momenti, illi tamen annexa, nimirum *Pin sous Montj y*, *Courtry*, *Thorigny*, qui *Thorigniacus* à nonnullis, & *Thorigneium ad matronam* nominatur.

Aunoy. Monceleux. Alia loca. Livry. Vaujoux. Montjoy.

In ripa ejusdem fluminis, supra Thorigniacum sedet *Anet* vicus, quem in veteri instrumento Henricus I Rex, *Anetum villam in territorio Meldensi* indigetat, eò quòd ad diœcesim Meldensem pertineat. Reducto ad *Pomponium* itinere, pratum visitur vastum & amœnum, ubi Ludovicus Crassus Rex Theodebaldi Campaniæ & Brioniæ Comitis copias fregit, ut testatur Abbas Sugerus in vita S. Dionysii. Deinceps autem Matronæ fluminis ductum secutus in Verense & Brovense territoria incidis, & *Calæ* Burgum, seu *Villam Calensem*; hîc tantisper siste, nam & secessus priscorum Regum amœnissimus, ubi & anxias regiminis curas venationis oblectamentis relaxabant, hunc etiam contemplare locum antiquitate spectabilem, ab initio quippe exorientis hisce in regionibus Fidei, ibi rurales Parisiensis Episcopi Decani constituti sunt. Quæ proxime adjacet silva, illa videtur, quam Fredegarius Lauchoniam silvam appellat, ubi Childericus II Rex cum conjuge Regina trucidatus est. Robertus etiam Rex, Hugonis Capeti filius inibi Synodum omnium Franciæ Præsulum convocavit; Clotildis vero, Clodovæi primi Regis Christiani uxor, hoc eodem burgo fundavit Ecclesiam, quæ postmodum à S. Batilde Clodovæi II vidua, in Abbatiam erecta est, ubi nobilissimæ Virgines ab illo ævo sub regula D. Benedicti militarunt; imo Batildis ipsa, Clotario III illius filio, majoritatem adepto, vitam regularem professa, tot sanctitatis radiis effulsit, & Virgines è Iouärrensi Monasterio secum assumptæ tanta pietatis exempla præstitere, ut brevi hoc monasterium *de Cheles* toto orbe irradiarit, ipsique magnæ Britanniæ Reges, filias suas eò demandarint, ut omni virtutum genere imbuerentur. Quà autem Villa-Calensi Parisios itur, Gornacum à læva mittitur ultra Matronam situm, cui adjacet pulcherrima insula, ad quam pons ligneus sternitur, ubi quondam castellum firmissimum, unde etiamnum Castellaniæ nomen retinet. Est alia hoc in tractu Castellania, *Caudæ* appellata, Gallicè *la queuë en Brie*. Quisquis supra Gornacum perspiciet, oppidulum videbit *Noisiel* nominatum, Latine *Nusiellum*; & superius progredienti Torsiacum apparet, quæ una est ex septem Parisiensibus Præfecturis. Non procul inde visitur insigne Virginum de *Malenoe*, aliàs *Footel* monasterium, in manuscriptis pervetustis *Malanoda* vocitatum, hodie autem Monasterium *de nemore*, aut *de Bosco Beatæ Mariæ nominatur*. Roissiacum modico inde intervallo dissitum est, quod & cognomine silva exornatur. *Braia* deinde *Comitis Roberti*, vulgò *Braye-Comte Robert*; huic quoque regioni assignatur, cujus rationem nominis supra dedimus. Illud memoratu dignum de hoc oppido circumfertur, quod cum Iudæi non pauci illud incolerent, & per scelus quemdam ex ruri degentibus cruci confixissent, nempe quod certæ pecuniarum summæ illis obstrictus, solvendo par non esset; tantâ adversus illos iracundiâ exarsit Philippus Augustus Rex, ut Braiam profectus, quoscumque ibi reperit Iudæos, (erant autem nonaginta novem) in vindictam sceleris vicomburio perdiderit. Occurrit postea vallis *de Grosbois*, ob crassissimas arbores, quibus olim referta erat hoc nomen sortita; verum hodie nihil aliud superest præter amplum vivarium, & ædes Ducis Engolismensis. *Edera* ad rivulum ejusdem nominis sita, Castellaniæ etiam honore gloriatur; ipse autem fluvius Edera suos fontes repetit è territorio de Rosoy in Brionia; postquam autem ignobilia quædam loca perluit, *Cumbisvillam* properat locum vetustum, atque monachorum S. Germani Pratensis quondam perfugium, qui eò loci, dum Normanicæ furerent procellæ, sæpius velut ad asylum accurrerunt; est ibidem monasterium Virginum Cistercìensis instituti sub titulo *d'Yerre*, cui Eustachia Ludovici Crassi soror, Decimas de *Lieu-sainct*, *Raray*, *Chanteloup*, aliarumque suarum possessionum in dotem assignavit; quamvis Stephanus Parisiensis Episcopus illius se fundatorem deprædicet, quod ita accipiendum, quasi ipse sedulam operam ministrarit, quò ex destinatis ab Eustachia reditibus & monasterium extrueretur, & necessariis proventibus instrueretur; non enim ipse Episcopus de suo peculio sumptus profudit.

Anet. Pompone. Veres. Brou. Chelles.

Gornay. Malenoë abbatia. Roissy. Braye-Comte-Robert. Yerre. Comlaville.

Inde procurrens Edera fluvius, Villam novam proficiscitur, sub qua in Sequanam se exonerat. Vrbs hæc, quantumvis exigua, laude tamen antiquitatis nequaquam destituta est; nam Ymbertus Parisiorum Episcopus, Henrico I regnante, illius Ecclesiam Monachis S. Germani de Pratis subjecit; taceo plurima alia vetustatis monumenta, propero ad loca adjacentia, *Valenton* scili-

ſcilicet, *Crone*, *Gercy*, Latinè *Gerciacum*, & *Garſiacum*, celebris monialium abbatia, ſub regula S. Auguſtini.

Boiſſy. Viâ Pariſienſi regiâ Boiſſiacum viſitur, juxta quod oppidum cum pretioſiſſima S. Ludovici Regis pignora, ex Africæ finibus allata, transveherentur, accidit miraculum, paſſim à loci incolis hodieque deprædicatum; extat etiam locus *de Marolles*, à priſcis *Marollæ*, & *Marolliæ*, ubi Prioratus: *Noiſiacum* ad Matronam, aliàs *Nuſiacum*; *Campenium*, vulgo *Champigny*; eundemque proſecutus fluvium S. Mauri fanum appetis, ubi Matrona ponte pertranſitur: burgus eſt antiquiſſimus, monaſterio conſpicuus, cujus incunabula nonnulli abs Iulio Cæſare repetunt; is enim, cum Melodunum expugnaſſet, ut frænum Pariſienſibus injiceret, caſtellum inibi excitavit latiſſimis ac profundiſſimis foſſis obſeptum, in quo & præſidiarium militem collocavit.

Marolles. *Noiſy.* *Champigny.* *S. Maur.*

Creſteil. Apparet è regione *Criſtoilus*, ſeu *Criſtolium*, vulgo *Creſteil*, locus ſanctorum Agoarti & Agilberti martyrio nobilis, & vicus ampliſſimus, cujus Eccleſia ſub auſpiciis D. Chriſtophori dicata, magnum præbet vetuſtatis documentum. Illius choro ſubjacet ſpecus, ubi SS. Martyrum corpora fuere tumulata. Hunc etiam memorat in veteri Inſtrumento Rex Carolus cognomento Simplex. Hujus parochiæ cultores, ut & *Domorum ad Sequanam* accolæ, olim paleas Regum equitatui ſubminiſtrabant, dum in loco *de Carrieres* dicto pabularetur; ea propter Ioannes Rex anno 1351, hanc illis immunitatem conceſſit, ne deinceps ex iis triticum, avena, fruges & legumina, fœnum, vinum, cæteræque hujuſmodi annonæ corrogarentur, unâ duntaxat paleâ exceptâ. Habuerunt olim reges in vicinia S. Mauri, ædes pulcherrimas amœniſſimaſque, quas *Decoris* titulo honeſtabant, ut apparet ex Diplomate Caroli V. ubi verba ſequentia, *Actum in Domo noſtra Decoris ſupra Matronam.*

Maiſons ſur Seine. *Carrieres.* *Beauté ſur Marne.*

Charenton. Arreptum hac regione curſum Matrona proſequitur donec pertingat Charentonium duabus abs Lutetia milliaribus; modicum, ſed vetuſtum oppidum, ubi Matrona ſaxeo ponte ſternitur: ſubtus eſt *Confluentia*; illic Matrona Sequanæ mergitur, unoque poſtmodum decurrunt alveo. Fuit olim regium in Confluentia Palatium, in quo Ioanna Franciæ, Navarræ regina, diem clauſit ſupremnm anno 1349. In hac circumregione percipiebatur Echo, emiſſum ſemel verbum, tredecies indeſinenter repetens, at ſilentium impoſuerunt Carmelitæ Diſcalceati, Conventu ſui Ordinis adædificato.

Conflans. *Echo.*

Vincennenſe nemus. Iam arridet Vincennenſe nemus, amœniſſimus multorum Regum ſeceſſus, ubi & caſtrum magnificentiſſimum, & Prioratus olim Ordinis Grandimontenſis, qui & *Eremitæ*, & *Boni-homines* appellabantur; quibus pro tempore deficientibus, ne locus quidquam antiquæ Bonitatis remitteret, Henricus III Rex alios quoque *Bonos-homines*, ſed alterius inſtituti, *Minimos* nempe, ſubſtituit, quorum Ordo imprimis celeberrimus, ne plus ultrà immoremur.

Intra autem ipſum ſilvæ Vincennenſis ambitum, adhuc impræſentiarum quercus viſitur, ſub qua ſanctiſſimus Rex Ludovicus oblatas à ſubditis controverſias ſummo æquitatis jure dirimebat. Eſt & aliud maximum hujuſce loci ornamentum, Sancta Capella in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, & Beatiſſimæ Virginis extructa, cui Dignitates quindecim ſeu Perſonatus, in ſacris, ſummâ reverentiâ, inſerviunt.

Porrò tam jucunda eſt hæc Vincennenſis quaſi ſolitudo, ut Reges non pauci huic impenſe fuerint addicti; cumque frequentius ibi verſarentur, ibi etiam mortem oppetierint; quos inter Philippus Pulcher, Ludovicus Hutinus, illius ſucceſſor, & Carolus Pulcher, numerantur.

Monſtreuil. Superius ſe oſtentat vicus *de Monſtreuil*, Larinè *Monſteriolum*, & in veteri Diplomate Philippi Auguſti *Muſterolium juxta Pariſios*. Ioannes & Carolus V, Reges, à ſubſidiis & aliis oneribus hujus loci accolas exemerunt, ſubminiſtrarent modò ſumptus in fontium Vincennenſium conſervationem neceſſarios; quod etiam pagi de *S. Mandé* habitatoribus ab eodem Carolo V conceſſum eſt. Huic aſſidet *Baignolet*, alius etiam vicus, ubi ædes amœniſſimæ incomparabilis viri, Eminentiſſimi olim Cardinalis *du Perron*. Sunt & pleraque alia non ignobilia loca, *Charrona*, *Piquepuce*, locus ob cœnobium tertii Ordinis S. Franciſci, qui olim obſcurus, hodie notiſſimus; Fanum *S. Antonii de Campis*, ubi Abbatia, & Eccleſia perelegans, in qua Ioanna Franciæ, Caroli V Regis primogenita, cum Blanca ſorore, ante princeps altare ſepulta eſt, ad illarumque tumulum tumba nigri marmoris, duabus alabaſtrinis effigiebus diſtincta, appoſita eſt.

S. Mandé. *Baignolet.* *Alia loca.*

Hucuſque illam Vicecomitatûs Pariſienſis portionem deſcripſimus, quæ Septentrionem & Ortum reſpicit; nunc ad Occidentalem & Auſtralem perluſtrandam accingamur. Tranſmiſſo itaque in urbe Pariſienſi Sequana fluvio, plura in illius margine occurrunt exigua priſcæ memoriæ loca; & quidem proxime adjacet, *Yvriacum*, quod à Carolo Calvo, Rege, *Hiberiacum* indigetatur, ab aliis autem *Yvreium*, & *Ybreium*. Sequuntur exinde, *Vitriacum*, ſeu *Victoriacum*, & *Vitreium*; *Villa-Iudæa*, aut *Villa-Iudæorum*, à Iudæis ibi commorantibus hoc nomen ſortita, quam ipſi etiam uſuris ſolitis ſibi compararant; verum Philippus Auguſtus Rex, Gentem iſtam peſſimam regno expulit; Territorium, quod aſſidet, vitibus eſt refertiſſimum. Non procul hinc *Salceia*, prioratu virginum Benedictinarum nobilis. Subintratur deinde planities oblonga, tribus circiter extenſa leucis, vulgo *Longboyau*, quæ *Iuviſy* burgo terminatur. Inferius autem verſus Sequanam, *Thiais* pagus occurrit, cujus vetuſtati atteſtatur Diploma Caroli Calvi Regis, datum anno 972, ubi & *Teodaxium* nominatur. Sequitur *Orly*, qui *Aureliacus*, in veteri ejuſdem Caroli Calvi inſtrumento dicitur; aliàs *Orliacum* etiam appellatur. Succedit *Villanova Regis*, cui cognomen adſcitum à poſſeſſione regia; *Ablunum*, Gallicè, *Ablon*, locus Eccleſiæ Parochiali *d'Athies* annexus, quæ *Ategias*, & *Athias* in Cartis veteribus, à modernis autem authoribus *Athiſiacum* indigetatur, oppidulum quatuor à Pariſienſi urbe leucis diſſitum; hìc eſt Prioratus ſub nomine S. Dionyſii; adjacet pago Domus ſtructuræ perelegantis, variis

Yvry. *Vitry.* *Ville-Iuive.* *La Saulſaye.* *Thiais.* *Villeneuve le Roy.*

variis & hortis longe lateque diffusis obsepta. *Iuvisiacum*, vulgo *Iuvisy* & *Givisy*: Vlterius juxta ripam fluminis ascendenti se offert *Castellonium*, cui à Sequana cognomen; *Rizensis* postea ditio, quæ & *Rios*, & *Risum*, non longè à Corbolio visitur. *Chasti'on sur Seine.* *Riz.*

Porro apud Corbolium modicus in Sequanam amnis evolvitur, qui variè à variis auctoribus nominatur; dum enim è Stampis profluit, *Iunæ* & *Ioinæ* nomen sortitur; verùm ubi Villamregiam pertigit, excepto minori flumine nomen commutat; deinceps enim *Issona*, & *Exona* dicitur; cui oppidulum imminet, quod à paludibus *Paludellum* nuncupatur. *Villa* autem *Regia*, quæ olim Regum fuit domicilium, arx est elegans & venusta, porticibus, cameris, conclavibus, topiariis, hortisque cultissimis instructa, hodie tandem ad Marchionatus dignitatem provecta est; allabitur inde Exona cognomine sibi burgum, uno duntaxat à Corbolio milliari; duobus postea emensis milliaribus, *Ris* oppidulum invenitur. *Essone fl.* *Palisan.* *Villeroy.* *Exona oppidum.*

Est autem alius præterea rivulus, *Vrgia*, & *Orgia* dictus, qui quidem in Sequanam defluit uno supra Corbolium milliari; is juxta locum *de Dourdans* oritur, & *Castras*, vulgo *Chastres* pertransit; quæ à Guillelmo de *Nangis*, *Castra*, & à Paulo Æmilio *Chatras* appellatur. Apparet deinde Mons *de S. Yon*, qui à Sancto viro D. Dionysii, primi Parisiensium Episcopi, discipulo, hoc nomen accepit, ipse enim hac tota circumregione populum, Castrensem præsertim, ad Christi fidem perduxit. Progreditur postmodum Orgia fluvius ad ædes regias *de Chantelou*, quæ & ob suam vetustatem, & singularia quædam ornamenta commendantur; hinc pergit Orgia *Espinaium*, unde modico absunt intervallo, *Ver Magnum*, *Bonduflum*, & *Orengiacum*, Gallicè, *Ver*, aut, *Verd le Grand*, *Bondoufle*, & *Orengy*; quibus junge Fleuriacum, & Castellaniam *de Marcoussy*, & *Ramboüillet*, unde Franciscus Primus Rex depositis vitæ mortalis sentibus ad palmas & lauros cœlestes evolavit. Hìc Orgia Remardæ rivuli aquas excipit, indeque *Noërium* proficiscitur; ac sub Quinciaco amnem Montlheriensem admittit. Hic est ille fluvius, qui instructas in bellum Boni Publici acies sustinuit, Ludovico XI Rege, & Comite Carolensi inter se dissidentibus: Postquam ergo Montlherium obviam salutavit præfatus amnis, *Linaisium* tunc burgum alluit; mox *Longipontum* procurrit, ubi Prioratus Cluniacensis instituti, ac tandem in Orgiam se exonerat, qui paulò inferiùs alium sibi rivulum adjungit, ab istius monasterii monumentis *Iueta*, seu *Iuete* nominatum; suos autem fontes repetit Iueta, è *Vallibus Sarnaii*, quas Galli *Vaux de Sernay* vocitant, ubi Abbatia Cisterciensis, cujus alumnus fuit Petrus ille, qui Albigensium belli historiam exaravit; inde vero ad *Domnam-petram* perlabitur. *Chevrosa* quoque, seu *Chevrussa*, *Carosa*, *Cabrosa*, *Cabrosia*, *Caprosia*, & *Capreosa*, Gallice, *Chevreuse*, ad Iuetam sita, nomen cepit à Cervorum & Cervarum multitudine, quibus olim in silvis proximis abundabat; ipsa Baronatus & Castellaniæ titulum diu extulit, ut in veteribus monumentis legitur. Iacet autem in valle Chevrosensi Manilium S. Dionysii; ipsumque territorium & ditio de *Maurepast*, quæ Latinè *Malus repastus* dicitur; ultra Manilium S. Dionysii assidet, atque eodem tractu insignis illa Abbatia, quæ *Portus Regis*, & *Portus Regalis* seu Regius appellatur; verùm nuper, quæ illic incolebant Moniales, in suburbium Parisiense S. Iacobi translatæ sunt. Cis Portum Regium, exiguus vicus, *Vicini* nomine, reperitur, qui nomen imposuit nobilissimæ *Vicinorum* familiæ in tractu Langdocienſi. Reflexo postea per Chevrussam itinere invenitur Prioratus *S. Pauli Alnetensis*, qui in vetustis monumentis *S. Paulus de Alnetis prope Caprosam* nominatur. Binos inter colles positus est iste Prioratus, ubi duæ olim capellæ, frequentiâ & ornamentis pene omnibus destitutæ. *Chastres.* *Mont S. Yon.* *Chantelou.* *Alia loca.* *Nauzay.* *Montlhery.* *Linays.* *Iuete.* *Vaux de Sernay.* *Dampierre.* *Mesnil S. Denys.* *Voisins.*

Iueta rivulus Castellum-forte linquens ad dexteram, versus *Gif* monialium abbatiam defluit, à qua non procul villa *Vnumvillare* dicta, vernaculè *Vnvilliers*; quæ quidem earundem Monialium est possessio *Bures* deinde irrigat, & oppidulum S. Clari, peregrinantium frequentia clarum; *Bonnes* etiam, & *Limours* territoria amplissima: *Forges*, Latine *Forgiæ*, ubi Prioratus Cluniacensis: *Gomets*, vetus Castellania, quæ *Gomedus*, *Gomecium*, & *Gometum* apud priscos nomina sortitur: *Villa-Iusti*, Gallice *Ville-Iust*, *Orsay*, seu *Orceacus*: *Palaiseau*, Latina Instrumenta *Palatiolum* dicunt, ista inquam loca hunc eundem tractum occupant; quibus accensenda sunt *Villabona*, & *Campus planus*, Gallorum linguâ, *Villebonne*, & *Champlan*; nec non & *Longemellus*, & *Longus jumellus*, vernaculè *Longjumeau*; locus hic ante omnem Patrum memoriam Castro Cailliaco fuit annexus titulo Castellaniæ, quæ postmodum ad Marchionatus dignitatem promota est, vulgo *Marquisat de Chailly*: ultra Iuetam occurrunt *Boullainvilliers*; *Chevilly*, Latine *Civiliacus*; *Saviniacum* super Orgiam, prout in veteribus manuscriptis exaratum. Porrò Iueta usque Grandemvallem, vulgo *Grand-vaux* decurrens, tandem paulo inferiùs miscetur Orgiæ, qui cum Saviniacum perlapsus est, prope Iuvisiacum in Sequanam effunditur. *Longjumeau.* *Chailly.*

Binis à Longemello leucis, alius pertransit rivulus, *Bievre* dictus, qui in Sequanam quoque procurrit in ipsis Parisiorum suburbiis: memorant veteres sub nomine *Biberis*, *Biberæ*, & *Beveræ*: exoritur loco *de Guicourt*, Latinè *Guidonis Curia*; unde non longe distat fanum S. Antonii *du Buisson* dicti, populorum concursu & devotione celeberrimum. Eidem regioni assident quæ sequuntur oppidula, *Val de Gallie*, ubi monasterium virginum *S. Cyro* dicatum; *Trappes*, *Villepreux*, Latinè *Villaperor*, *Villaperosa*, & *Villapetrosa*. Vt autem Beveræ fluminis ductum persequamur, illud, ut diximus, ex Guidonis Curia profluit, deinde *Bucium*, seu *Bucum* allabitur, à quo sesqui solùm milliari transiens, *Versailles* locum venatione celebrem, alio relinquit ex latere; *Ioyacum*, quod & *Iosas* dicitur, advenit; cui adjacet *Vaucreson*, olim spelunca, latronum infame latibulum; nam ob nemorum vicinitatem inibi latitabant; cis occurrunt *Separa* & *Lupicenæ*, vulgo *Sevre*, & *Oursines*; postea *Villacobley* castrum, & *Vallis Gratiæ* abbatia, cujus moniales Lutetiam translatæ sunt. Modico inde intervallo, amnis alveus reperitur, cui à dextris *Vallis-Hellendi*, Gallicè *Vauhalan* apposita est; *S. Cyr, abbatia.* *Buc.* *Iovy.* *Alia loca.*

eſt; nec longe Bevera vicus, quem fluvius ipſe cognominis alluit; huic aſſidet validiſſima arx *la Motte de Bievre* dicta, alias *Maumolin*; exinde Bevera pergit Igniacum, vernaculè *Igny*, *Amblainvillers*, & *Verrieres* ſatis amœna loca. Paulo ſuperius ſaltus & nemora S. Germani conſpiciuntur, quæ hinc ad Beveræ oppidum, illinc ad *Caſtanetum*, *Pleſſis Picquet*, & loca alia protenduntur. *Caſtanetum* autem, ſeu *Caſtanedum* à nucibus caſtaneis, quibus abundat, nomen ſortitum eſt; at *Pleſſiacum Picquet*, cœnobio gaudet Ordinis Fueillentini. *Clamardum* oppidulum eſt in vicinia ſitum; & locus de Meudon apprime notus ob caſtrum egregium, & Capucinorum aſceterium: eadem ſe offert regione Iſſiacus ſatis elegans pagus, cujus olim ditio ad Pariſienſia uſque mœnia extendebatur; proximum deinde *Vanves* oppidulum, à priſcis *Vanvæ* nominatum; *Vaugirad* quoque ſatis famoſum, Latinè *Vallis-Girardi*. Quod autem fluvii eſt Beveræ, ſuas ille aquas *Virginiacum* deducit, poſtmodum *Villaines*, *Mignaux*, *Macy*, ſeu *Maciacum* alluit; apparet poſtea *Vicſors*, corrupto vocabulo *Huictſolz*, antiquitus autem *Vicus-Cereris*, *Antoniacus* Beveræ etiam irriguus, vulgò *Antony*, in veteribus titulis *Antonii-vicus*, aut, *Villa* nuncupatur, cujus appendices ſunt, *Roricurtis*, *Villa-Oſii*, *Villa-Haymonis*, *Villa Gres*, *Villa Mulnes*, *villa Vedrarias*, *Villa Culet*, *Villa Boldins*. Reperitur hîc quoque Pons Antoniacus, quem tranſgreditur *Bevera*, ac *Berniacum* perlabitur, ubi ampla & magnifica domus Illuſtriſſimi quondam Nicolai *Brulart* Franciæ Cancellarii: provehitur deinde fluvius *Reginæburgum* inter & *Layacum*, vulgo *Bourg la Reyne & Lay*, ut ad locum de *Cachant* perveniat. Eſt autem Reginæburgum oppidulum pervetuſtum, viâ regiâ, quæ Pariſiis Aurelianum ducit, inſidens, duabus ab ipſa urbe Pariſienſi leucis; appellatur vero in veteribns inſtrumentis *Burgum Reginæ*. Hoc etiam tractu conſpiciuntur *Cellæ*, *Fontanitum* & *Fontanetum*, *Balneolum*, vulgò, *Ceaux*, *Fontenay*, *Baigneux*, loca ſatis nota; necnon *Caſtillonium*, & *Mons-rubeus*, quem Eremitæ, Ordinis Guillelmitani, quos vulgus *Albos* vocat *Mantellos*, ab ævo S. Ludovici, uſque ad Philippi Pulchri tempora inſederunt, qui eos Lutetiam Pariſiorum tranſtulit.

Virginy. *Berry.* *Bourg la Reyne.* *Ceaux.* *Chaſtillon. Mont-rouge.*

Ceterum *Cachant* vicus, qui & Bevere alluitur, locus eſt perantiquus, quamquam exiguus; nam illius in antiquo diplomate meminit Ludovicus Imperator, cognomento Pius; quin & Carolus Calvus idem oppidulum *Caticantum* nominat. Viſebatur olim inibi peramœnus regum ſeceſſus; quod quidem ex vetuſtiſſimis inſtrumentis comprobatur. Inde verò fluit Bevera ad *Arcueil* oppidulum, ſeceſſu priſcorum Regum, & limpidiſſimis, qui illic ſtagnant, fontibus nobile, quod veteres *Arcoleum*, *Arculeum*, *Arcoilum*, & *Arcolium* nominarunt; ob fornices nimirum & Aquæductus, quos ibi condidit Iulianus Imperator, dum Pariſiis ageret, ut tubis plumbeis ad ſuum palatium aquas deduceret. Iſtius autem Palatii loco ædes Cluniacenſis hodie ſubſtituta eſt, ut compertum anno 1544, dum excavarentur civitatis mœnia verſus Academiam, ſive Univerſitatem; eademque regione etiamnum viſitur ingens aquæductus, quem Maria *de Medices* Regina extrui præcepit in commodum præclaræ Domus Luxemburgenſis; ſunt & alii aquæductus in communem uſum Pariſienſium, quorum ſcaturigo in fonte *Rongis* duodecim velut faucibus erumpit. Arcolio contiguum eſt *Gentilliacum*, vulgò *Gentilly*, quod & ſuis undis perfundit Bevera, qui & fluvius Gentiliacus, & Gobelinorum vocitatur. Porro Gentiliacum fuit & olim ſedes Regum amœnitatis, ſed impius Normannorum furor, omnem illius pulchritudinem & elegantiam deformavit. Hîc aquæ præſtantiſſimæ ad pannorum cujuſcunque generis ex minio infectionem, qui etiam uſque ad Palatium ſummi Turcarum Imperatoris diſtrahuntur. Periſſimus, qui unquam Pariſiis tinctor, Gobelinus vocabatur, qui cum in ſuburbio San-Marcellenſi ſedem in amnis margine poſuiſſet, inde poſtea flumini nomen inditum Gobelinorum.

Fons Rongis. *Gentilly.*

Præminet Gentiliaco caſtellum *Vinceſtrenſe*, à Ioanne Berrienſi Duce, temporibus Caroli V Regis excitatum, ſed poſtea direptum à lanionibus, atque dirutum, in Hoſpitale militum vulneratorum, aut membris mutilatorum deputatum eſt. Quæ pridem ſupererant hujus caſtelli ruinæ, à vulgo Caſtrum de *Biſſeſtre* dicebantur; eratque locus ille infamis ob Diſcipulorum Diaboli conſervationem, tetrum enim illum pædagogum magiam, aliaſque artes ſortilegas inibi prælegere paſſim circumferebatur.

Vinceſtre, ſeu Biſſeſtre.

Hæc de Præfectura urbis & agri Pariſienſis dicta ſufficiant, neque enim elogia texere, niſi obiter, ad noſtrum pertinet inſtitutum, ſed loca ſolummodo delineare, & quo cœli climate, qua terræ regione conſtituta ſint, demonſtrare. Quod cum de præſtantiſſima Franciæ regione præſtiterimus; abunde etiam noſtro muneri ſatisfeciſſe opinamur.

REGIO GASTINENSIS, ET HVREPENSIS, vulgò LE GASTINOIS, ET HVREPOIS.

Fines.



Ost amœnissimam Parisiensium regionem, vasta veluti solitudo se offert, unde & *Wastinium* nominatur, quod *Vernisono* flumine versus Occasum ab Hurepensi agro disterminatur; à Senonensi versus Ortum, amne *Yonne* dicto; à Meridie autem Altisiodorensi; denique à Septentrione Soloniensi & Blesensi clauditur.

Qualitas. Etsi rupibus obsita regio, sufficientia tamen suis habitatoribus præbet alimenta; pascuis gaudet feracissimis, quibus innumeros pascit animalium greges: gratissimas habet silvas, & amnibus commodissimis irrigatur. Hæ sunt autem merces præcipuæ, quas exteris regionibus divendit: Oleum è nucibus expressum, crocus præstantissimus, piscium sapidissimorum multitudo. Cœlo salubri fruitur, quam ob rem habitatoribus frequentissima est; imo & ab ipsis Regibus exculta, qui palatia, ædesque amœnissimas inibi ædificarunt; & quidem jucundissimus elegantissimusque totius Europæ Regum secessus, Fons Bellaquensis scilicet, hac in regione positus est.

Aër. Hic Reginæ olim regios fœtus ediderunt, in Montargiensi scilicet castello, antequam superbum istud & magnificum palatium extrueretur; tantæ molis erat, ut aëre selectissimo nascerentur, quorum mentes omni solertiâ vigere deberent in bonum Status regimen.

Extensio. Regio Gastinensis sub se comprehendit Ducatus Stampensem, & Nemurensem, Comitatum Rochefortensem, plurimasque alias dynastias, ac familias nobiles, quas suo loco describemus.

Civitates. Celebriora illius oppida sunt, *Montargis*, *Milly*, *Nemours*, *Fontainebleau*, *Ferrieres*, *S. Maturin*, *Chasteau-Landon*, *Moret*, *Chastillon*, *Lorris*, *Chasteaurenard*, *Choisi*, *Malezerbe*, *Pluviers*, *la Ferté-Alais*, *Beaune*, *Ville-neufve la Guiard*, *S. Arnoud*, *Puiseaux*, *Pont-Agasson*, *Blesneau*, *Beaumont-les-bois* Comitatus; *Egreville*, *Boisse*, *Chelieres*, &c.


Gastinenses tum Senonensibus parebant, cum Iulius Cæsar Galliam appulit, unde & sub Diœcesi & Archiepiscopatu Senonensi permanserunt postquam in hac regione fides Christi suscepta est, atque unus ex Senonensibus Archidiaconis, titulum Archidiaconi Gastinensis assumpsit, quem etiamnum servat.

Divisio. Dividitur autem hæc regio à modernis quibusdam in Hurepensem, & Gastinensem; sed quia certos cujusque tractus terminos non assignat hæc divisio, nulloque sit fundamento subnixa; ideo duas alias probabiliores afferemus; quarum una Spiritualis & Ecclesiastica, alia Sæcularis. Statum igitur Ecclesiasticum quod attinet, in quatuor dispescitur Decanatus, quorum quisque certum parochiarum numerum complectitur, præter Abbatias, Prioratus, Ecclesias Collegiales, Capellas, Xenodochia, & Lazareta: hi autem sunt Decanatus, *Cortenay*, *Milly*, *Gastinois*, *Ferrieres*. Status autem secularis tres habet Baillivatus, *Melodunensem*, *Nemurensem*, & *Montargiensem*; quæ inter, duo tantum, primus nimirum & secundus, ad regimen Insulæ Franciæ pertinent; tertius verò Aurelianensis est ditionis, cujus inibi descriptionem apponemus.

MELODVNVM, vulgo MELVN.

Nomina. Melodunum civitas antiquitate nobilis, varia nomina sortitur, nam *Metiosedum* à Iulio Cæsare; *Methetum* in Itinerario Antonini; à quibusdam vero *Milidunum* appellatur. Existimant nonnulli ita nominatam, eò quod mille & uno annis ante Parisios fuerit condita; quodque hoc eodem nomine Parisiorum civitas olim fuerit vocitata; etenim juxta prototypum urbis Melodunensis fuit delineata. Sed exactis inanibus hisce conjecturis, indubitatum istud afferam antiquitatis documentum, quo vetustius nullum de Meloduno reperitur, quod scilicet Clodovæus primus inter Francos Rex Christianus, misso Aureliano in opus matrimonii cum Clotilde contrahendi, Castrum Melodunense in navatæ operæ remunerationem assignavit. Sunt & alia, quæ lubens prætereo; hoc tantum adjiciam, Melodunensem scilicet civitatem Episcopatûs sede olim insignitam à nonnullis asseri, primumque illius Antistitem Leonium, Sanctorum catalogo ascriptum. Fuit autem Melodunum Normannica tempestate vastatum

tum & incensum; sed pristino splendori restituit Carolus Rex cognomento Simplex, ibique Monetam argenteam signari concessit, cujus figuram exhibemus:



Divisio. Hanc autem civitatem quod impræsentiarum attinet, tres in regiones dispertitur; quarum prima & antiquissima insulam occupat, vocaturque propriè *civitas*, seu *S. Stephani* regio, à Parochia nimirum ejusdem nominis; illam memorat Cæsar libro 7 Commentariorum; nostri verò Historiographi passim *Castellum Melodunense* nominant, cujus nominis ratio & urbem & suburbia nonnumquam involvit; Secunda regio Brioniam respicit; tertia, Gastinense territorium; porro utraque ponte sibi proprio in insulam transmittit.

Habet Melodunum Leges & Consuetudines sibi peculiares, quibus adhærens, locis suo Baillivatui subjectis etiam jus dicit; Sunt autem hæc præcipua & notatu digniora, *Vallis Penuli*, vulgo *Vaux le Penil*, quæ olim fuit possessio illustris familiæ *de Penil*, è qua Vallis hæc nomen sortita est: *Livry*, *Chartrettes*, Latinis *Carnotulæ*, seu *Castretæ*; duobus inde milliaribus reperitur Abbatia *Barbellus* dicta, Gallicè *de Barbeau*, Ordinis Cisterciensis; quæ quidem à Ludovico Iuniore illius fundatore Melodunum inter & Corbolium olim extructa, ad Sequanæ littus, loco, qui *Sacer portus*, *Sanctus portus*, *Sanus portus*, & *Sequanæ portus* indigetatur; sed in Religiosorum commodum, ad *Barbelli* locum translata est, cui tale nomen inditum, ab eventu prout dicunt, mirabili, pisce nimirum Barbelio, in ore palam præferente annulum, quem D. Lupus Senonensis Episcopus, sedandæ tempestatis ergo, in Pontem Melodunensem projecerat, dum solenni processione progrederetur. Haud procul à *Barbelli* Abbatia sedet *Hericy* vicus ponte saxeo ad Sequanam exornatus; ultra verò apparet Samesium, vulgò *Samois*, ubi Prioratus; deinde *Macholium*, & *Machelum*, unde nobilissimi dynastæ quondam nomen assumpserunt; huic adjacet *Gravelleum* territorium, ubi castrum non inelegans; & *Vernoillus*, seu *Vernotum*, Gallicè *Vernou*; hac perfluit rivulus, qui *Vaujoüen*, *Guierchy*, *Montigny*, & *Escuelle* alluit, ac demum Sequanæ immergitur.

Vaux le Penil.

Machau.

Nangis. *Nangiacum* burgus à vetustate commendatur, muris cinctus est, castello insignis, sex à Meloduno milliaribus dissitus. Huic autem contiguus est locus *Chastel* appellatus; reducto deinde Parisios itinere occurrit *Grandpuy* oppidulum, ubi Prioratus. In tractu Quarresio, *Quarrois*, vicus, nomine *Quierres*, reperitur; viæ quoque Melodunensi assidet Capella Gualterii, præclara ditio, castello munita. Est & alia ditio in Vicecomitatu Melodunensi, quæ Borda Vicecomitatus nominatur: Dominatus quoque alius *Verte in fugam* dictus, Gallicè *Tournenfuite*, hac etiam regione invenitur; illud forsan hocce lemmate, veluti nomine insignitur, ob commissum aliàs inibi prælium. Alluit *Capellam-Gualterii* flumen *Ancolium*, quod inde pergit Campelum, vulgò *Champeaux*, burgum pervetustum, ubi Abbatia S. Martini. In Melodunensi Archidiaconatu quinque sunt Parochiæ diœcesis Parisiensis, nimirum *Campeli*, *S. Mederici*, *Foujucq*, *Soucy*, & *Andresel*. Porro S. Mederici oppidulo nomen ipsius Sancti inditum, ob miracula quæ ibi patravit, unde & Ecclesia illi dedicata est. *Foujucq* alia est parochia, Campelo etiam vicina, quæ suo complectitur districtu Territorium *Montis-pincionis*, seu *Montis-pincii*, olim clari natalibus Martini IV, summi Pontificis. Pagus verò Suciacus, qui Archidiacono Melodunensi subjacet, etiam castello exornatur. Tandem *Andresel*, seu *Andesel*, veteri quoque Castello gaudet, fuitque olim diuturna possessio celebris familiæ *d'Andresel*, quæ impræsentiarum desiit.


Chapelle-Gautier. *Borde le Vicomte.* *Ancueil.* *Champeaux.*

Gallia.

Blandy. Blandiacum, vulgo *Blandy*, castrum habet munitissimum; dynastia est, & perantiqua possessio Vicecomitum Melodunensium. Haud procul sunt *Moisenay*, & *Mincy*, Latine *Minciacus*; deinde *Curteriacus*, vulgò *Courtery*; *Crosiniacus*, Gallicè *Crisenoy*; huic succedunt *Mormant*, *Gastins*, *Courpalay*. Occurrit deinde urbecula *Rosay*, ad Yerram posita, quæ à rosis, quas maximâ profert abundantiâ, nomen accepit; unde ab Historiographis, & veteribus instrumentis *Rosetum* appellatur. Inter antiquiores Diœcesis Parisiensis ditiones computatur; quin & Benedictus VII, Liziardo Parisiensi Episcopo, concedens confirmationem Terrarum & districtuum suæ Diœcesis, inter alia loca recenset *Rosetum*; hic nempe verborum Confirmationis tenor: *Eleriacum*, *Steovillam*, *Rosetum*, *Cellas*, *Vernoilum*, *Machelum*, *Samesium*, *Mintriacum*, *Mauriacum*, *cum Ecclesiis & universis ad se pertinentibus*. Rigordus etiam insigne refert miraculum anno 1198 eadem in urbe contigisse, in sacrificio nimirum Altaris panem visibiliter in carnem, & vinum in sanguinem commutata fuisse. Non longius inde remota villa *Neelensis*, à *Gisleberto* nomen sortita; & *Calmarum* urbecula mœnibus cincta, quæ & abbatiam habet Ordinis Benedictini; illam Lucius III, in Diplomate *Sanctum Petrum de Calamis* indigetat: deinde locus *le Vivier* dictus, ubi Sacellum regiâ munificentiâ fundatum, quod sanctitatis nomine insignitur: *Ozouer le Vougis* sequitur, corrupto vocabulo ita vocitatus etsi vernaculo, nam Latine *Oratorium Vougis* appellatur; succedunt *Vitry*, Marchionatus; *Coubert*, seu *Coubard*, aliàs *Curia Bardi*, & *Curia Berti*; *Guignes*, *Songnolles*, & *Yeble*, quæ *Ebla* & *Ebula* nominatur; *Cramoyau*, in veteribus monumentis *Crameel*, & *Cramonel*, cui assidet Limogensis vicus, binis à Meloduno leucis remotus, qui in antiquo diplomate Roberti regis *Lemovecæ*, & *Limogiæ* nuncupatur: *Pouilly*, sive *Polliacus*, *fortis* titulo exornatus: *Ver* S. Dionysii; *Perruchey*, aliàs *Perrucheium*; *Reau*, Latine *Rigolium*; *Montreau*, sive *Montreolum*. Apparet postmodum sesqui à Meloduno milliari famosissimus *du Iard* locus, ob insignem abbatiam tantopere celebratus: subsequitur *Rubelle*; & versus Corbolium littus Sequanæ legenti occurrit *Boscus Domini Bertrandi*, Gallice *Boissise la Bertrand*, seu *Bois-Sire le Bertrand*, qui quidem & à nonnullis *Boissisia Bertrandi* vocatur. Paulò inferiùs *Sacer Portus* visitur, de quo suprà.

Rosay. *Neelle de Gisleberté.* *Chaulmes.* *Limoges.* *Iard abbatia.*

K Iacet



GASTINOIS ET HVREPOIS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARTIE DE LA BEAVSSE.
PARTIE DE LA BRIE.
LA SOVLOIGNE.
SENONOIS.
PVI SAIE.
L'AVXERROIS.
Forest d'Orleans
Amsterdami Excud. Guiljelmus Blaeu.
Milliaria Gallica
Orleans
Ertampes
Corbeil
Melun
Nemours
Montargis
Sens
Auxerre
Milly
Rochefort
Montherau
Iainville
Gergeau

4

Iacet in adversa fluminis ripa Gastinense territorium, cujus aliqua portio ad Melodunensem Baillivatum pertinet. Proxime autem ad urbem hanc conspicua est Liliensis Abbatia virginum Cisterciensis instituti, quam sanctissimus Rex Ludovicus singulari pietate excitavit, & regiâ munificentiâ dotavit; huic adjacentes vici sunt *Domna-Maria*, vulgo *Dame-Marie*; *Busisia*, sive *Boissise le Roy*, & *Orgenoy*, ubi Prioratus. Subtus autem Busisiam profluit *Scola amnis*, vulgò *Escole*, qui ortum ducit è vico *de Courance*, ob decurrentes variis illius locis aquarum scaturigines ita nominato. Inde vero Scola fluvius *Sosiacum* allabitur, ac postmodum pergit ad oppidulum *S. Salvatoris*. Courantiæ assidet *Milliacum*, Castellania pervetusta, & exiguum oppidum, in profundo loco projectum, ubi nonnullæ perelegantes Ecclesiæ, quarum primaria Canonicorum Collegio exornatur. Expugnata fuit ab Anglis hæc civitas anno 1430; postea Carolo VII rerum potiente, incensa; & quod mirere, quinquaginta annorum intervallo tota fere ter exarsit.

Abbatia du Lis. *Courance.* *Sossy.* *Milly.*

Haud procul à Milliaco visebatur olim præclara Regum Domus, quæ *Foresta* dicebatur, Gallicè *Forest*, cui proximum erat amœnissimum vivarium; necnon & oppidula *de Celly*, sive *Celliacum*; *Buno*, *Capella Reginæ*, *Chappelle la Royne*. Mediâ deinde à Celliaco leucâ se offert *Floriacum in Bieria*, vulgò *Fleury en Biere*; *Tosiacum*, sive *Toisy*; *fanum S. Martini in Bieria*, aliàs *Perthes*; *Chailly*, *Bruisoles*, *Bois le Roy*, *Samois*, *Farumville*, seu *Farumvilla*, & *Farulvilla*, quasi diceres *Faronis* aut *Farulphi-villa*.

Fontaine-Bleau.

Ecce jam eminet augusta Regum Domus *Fonsbellæ-aquæ* nuncupata, quæ à priscis *Fonsbliaudi*, *Fonsbleaudi*, *Fonsblaaudi*, & *Fonsbellaqueus* appellatur, ob aquas nimirum limpidissimas, quæ infinitis pene locis ibi scaturiunt. Vere illa Domus est (absit verbo invidia) in cujus gloriam Reges plurimi suam & munificentiam, & magnificentiam contulerunt. Si quæ toto orbe Regum digna solitudo, illa est, quam sanctissimus Regum Ludovicus *sua deserta*, *suasque solitudines* dictitabat. Multi quidem Reges eam mirificè exornarunt, at nemo ut Franciscus I, & Henricus IV reges inclyti. Totius castelli ambitus mille quadringentas & quinquaginta continet orgyias. *Area*, quam *Equi Candidi* indigetant, 80 longitudine, 58 latitudine protenditur; *Maxima porticus* 60, longitud. 3 latitud. In illa autem porticu expressæ sunt vivotenus Henrici Magni pugnæ atque victoriæ. *Fontis area*, ubi Apollinis & Commodi Imperatoris aliæque effigies antiquæ, 30, longitud. 28 latitud. Amplissima *camini perelegantis* aula 28 Longitud. 5 Latitud. Hìc insignis visitur Henrici Magni effigies ex Pario marmore exsculpta. *Porticus minor*, Domos omnes amœnissimas, quotquot Francia miratur, suoque complectitur sinu, vividissimâ perspectivâ delineatas exhibet. Iuxta est conclave, quod vocant *Picturarum*, ubi non vulgaria artis miracula videas, quæ Michael Angelus, Raphael Vrbinus, Andræas Alsertus, Leonardus Aluinus, & alii celeberrimi pictores effinxerunt. Ambæ Porticus, *Reginæ* scilicet atque *Cervorum* 28 orgyias habent longitudinis; tres autem latitudinis. *Aviarium*, cujuscunque generis scatet avibus, qui variis in arboribus sibi nidos extruunt. *Chorearum aula* patet in longitudinem orgyias quindecim; quatuor vero in latitudinem. *Maximum Regis Viridarium* 180 orgyiarum longitudinis, 150 latitudinis, limpidissimum in sui medio fontem exhibet, qui fons Tiberis nominatur. Est autem fons ille statua ænea stupendæ magnitudinis, cui lupa adjacet Remo atque Romulo ubera præbens. Iacet eodem viridario ænea Cleopatræ figura, aspidibus etiam quibus brachium pungitur adjectis. In *viridario* autem *Reginæ*, cujus longitudo est 50 orgyiarum, latitudo 38, fons alius conspicitur, in cujus basi posita est figura antiqua Dianæ, senorum pedum cum dimidio altitudinis, quam circumstant quatuor canes ænei, & quatuor capita cervorum, aquas, quemadmodum & canes, evomentium. Haud procul visitur elegans alia figura, hominis scilicet, spinam è planta pedis sibimet evellentis. *Stagni viridarium* 34 orgyias occupat longitudinis, & totidem latitudinis; præfert autem in medio ingentem pario ex marmore Herculis figuram. *Castelli stagnum* 150 orgyias implet longitudinis, & 114 latitudinis. *Hortus puteorum* 160 numerat longitudinis, 90 latitudinis. Porro *Fons* ipse, à quo *Fons-Bellaqueus* nomen sortitur, in *veteris Prætorii*, Gallicè, *Vieille Conciergerie*, *viridario* suam habet scaturiginem, extantque inibi truttarum canales. *Canalium nemus*, 80 long. 72 lat. *Pomarium* 84 long. 80. lat. *Xystus*, vulgo *le Pallemail*, 300 long. lat. 3. *Maximum Regis Vivarium* 166. terræ jugera, & 79 perticas suo ambitu comprehendit. Via denique Ipreolis utrâque ex parte consita, sexcentas viginti septem orgyas longitudinis, & decem latitudinis obtinet. Sunt viæ aliæ non minoris extensionis, quas omitto, ne tot, tantorumque itinerum dimensione discurrentem animum plus nimio defatigem; sufficiat suspicere tantæ Domus amplitudinem & magnificentiam, quæ ipso etiam nomine apud exteras nationes plurimum commendatur.

Moret.

Emensis igitur duabus à Fontebellaqueo leucis, *Moretum* urbecula districtus Melodunensis invenitur, Comitatus titulo nunc insignita, Loinio, seu Lovanio flumini incumbens, ad ostia quibus in Sequanam sese exonerat. Duas prætendit vetustissimas, sed validissimas turres, velut suæ monumenta antiquitatis; quarum unâ Burgundiam respicit, alterâ Parisios; huic autem adjacent loca sequentia, *Chastellier*, *Boisses*, *Yevre*, *Bosse de Loin*. Hic commissa est cruenta Fredegondam inter & Brunechildem pugna anno 605. Dimidio inde milliari sedet *Torcularium domus*, quam Franciscus I Rex excitavit in commodum suorum colonorum, sive vinitorum, quæ etiamnum ad Reges pertinet. Tandem *Villanova la Guiart*, urbecula mœnibus circumvallata Gastinense territorium hac in regione circumscribit.

Torcularium domus. *Ville-neuve la Guiart.*

D V-

DVCATVS NEMVRENSIS.


SEcundus territorii Gastinensis Baillivatus *Nemosium* agnoscit Caput & Metropolim, quæ Ducatus & Pariatus titulo gloriatur; sedet ad *Loin* fluvium, nomenque à nemoribus sortitum est, quibus obsepitur. Oppidum plane vetustum, figuræ etiamnum quadrangularis, jacet in loco depresso, cui colles circum-imperant. Alluitur quadam ex parte *Loin* flumine. Portis quatuor venientes excipit; castellum quidem habet, sed non adeo firmum aut munitum. Lapideo etiam ponte instruitur. Anno 1170 Ludovicus Rex, Iunior cognominatus, S. Ioannis Prioratum ædificare cœpit, ut Religiosos Ordinis S. Augustini è Palæstina advectos, in eo collocaret; Gualterius autem I, Nemosii Dominus, ad finem perduxit; unde & illius fundator existimatur. Idem quoque Gualterius Nemosense Xenodochium excitavit, amplissimisque reditibus auxit in egenorum ægrotantium subsidium. Extruxit & Lazaretum in Leprosorum secessum; necnon & Abbatiam sub titulo Virginis Deiparæ, *à Gaudio* cognominatæ, Ordinis Cistercienfis. Celebratur autem potissimum hæc civitas ob inita pacis fœdera, quorum duo præcipuè recensentur; primum anni 1585 sub initium Martii, quo Factiones adversus Henricum III, Regem conjuratæ desierunt: secundum anni 1588 circa decimum-quintum mensis Iulii, quo Catharina de Medicis Regina, Henrici III parens, Hispanorum, Italorumque exercitus reformidans, qui in Galliam irrumpere minabantur, stareque à partibus Factionis, res cum Duce Guisiacensi composuit; quod & obsignavit idem ipse Rex.

Sunt in eadem regione multa alia non exigui momenti loca, *la Fay*, oppidulum loco edito positum, ubi arx pervetusta: *Souppes* priscæ etiam memoriæ, nam suæ vetustatis argumentum pontem ostentat à Sulpitio Romano Duce extructum jussu Iulii Cæsaris, unde in Carta veteri Pons Sulpicii appellatur; *Sercanceau*, abbatia Cistercienfis instituti, Latine, *Sacra-Cella*. Superiori ab hac abbatia regione *Bes* rivulus pertransit, in Loinumque amnem properat, salutans obviam castellum de *Mès le Mareschal*, locus territorii Gastinensis munitissimus; ab Instrumentis Latinitate donatis vocatur *Mansum*, & *Mesum*, quod domicilium & mansionem denotat; quia verò plures illius Dynastæ Marescallatus dignitate fulserunt, ideo Marescalli nomen insuper additum est. Modico distat intervallo *Aigreville*, Latinè *Acrisvilla*, urbs exigua, sed ditio spectatissima, quæ & nomen imposuit nobilissimæ familiæ. Adjacent *Pacy*, Abbatia celebris regularium Canonicorum, cujus S. Fulbertus primus Abbas extitit: *Chesiacum*, modicum oppidum, pecuariis nundinis famosum. *Loreyum nemus*, vulgò *Lorey le Bocage*, à nemoribus scilicet, in quibus abditum est, nominatum. Hinc ortum ducit *Lunin* rivulus, aliàs *Lunain*, indeque ad *Pallayum* profluit. Est autem *Pallay* vicus antiquus, ubi plurima quotidie antiquitatis indicia effodiuntur; vetustissimi nempe aquæductus, subterraneæ specus, templorum veterum fundamenta, innumeraque Claudii Cæsaris numismata, ubi quondam Vestæ templum extitit, cujus etiam templi testudines tessellato lapide nitent; pollubra, priscarum tumbarum scutis gentilitiis insignitarum fragmenta, Cruces Equitum Ierosolymitanorum; nam & locus, juris fuit antiquitus Militum Templariorum. *Montigny, Challiau, Villecerf, Train, Licy, Dolot, Pons*, hujus quoque sunt districtus.

Cherroy.

Castrum autem *Landonis* laudem vetustatis præripit cæteris Gastinensium civitatibus. Existimarunt nonnulli esse Vellaudunum Cæsaris, sed perperam; namque in Cartis vetustioribus, *Castrum-Nantonis*, sive *Namptonis*, & *Castrum-Landonis* vocitatur. Vnde apparet duxisse exordium à Dynasta ejusdem nominis. Quidquid sit, pro comperto est, à Clodovæi Secundi temporibus *Castrum-Nantonis*, & *Nantonense* fuisse nuncupatum. Rex Carolus cognomento Calvus, illam privilegiis & immunitatibus exornavit, monetariaque officina excoluit, ut absque dubio colligere est ex typo numismatis, illius nomen præferentis, aversa vero facie, Castri-Landonis appellationem:

Chasteau-landon.



Landonis Castrum in monte eminet, cui etiam incumbit antiqua celebrisque Abbatia S. Severini titulo insignita, quam Sigebertus Rex in gratiam Monachorum sub regula S. Patris Benedicti agentium, ædificari præcepit anno 545; cumque posterioribus sæculis tum à Saxonibus, tum ab Anglis direpta fuisset, postmodum restaurata, in Canonicorum Regularium D. Augustini jus cessit. Sunt & aliæ insignes Ecclesiæ, quas brevitati consulens prætermitto.

Castri-Landonis pars inferior *Fusin* rivulo irrigua est; oritur autem ipse rivulus è fontibus sub Bellomonte stagnantibus; indeque Neronvillam proficiscitur, continuato postea cursu bifurcatim dispescitur à *Pont-Agassone*, usque ad *Pontem-fractum*, vulgo *Pontfraut*. Hic olim floruit præclara Virginum Abbatia sub auspiciis S. Magdalenæ, ubi quondam Adelais Gastinensium Comitissa regulare institutum fuit amplexa, postquam per Comitem Ingelgerium ab adulterii calumnia vindicata est; hodie vero nihil aliud restat nisi sacellum; & nundinæ quotannis haberi solitæ, ad civitatem Castrolandonensem translatæ fuerunt. *Bellusmons* antiquæ memoriæ dynastia est, ad Comitatus dignitatem evecta; à *silva* cognomen acceperat, vulgo *Beaumont le bois*, eò quòd superioribus seculis, in nemoribus veluti lateret; nunc autem ab iis duabus quasi leucis dissitus est. Eadem Castro-Laudonensi regione visitur urbecula *Puteolorum*, quæ illius etiam Castellaniæ subjacet. Qui Latine scripserunt auctores, *Puteolos in Wastineto* nominant; nonnulli vero Galli Historiographi non sine causa *Puteaux* nomine infamarunt, quod nimirum aquæ, quibus scatet undique, non sint salutares. Huic ad-

Beaumont.

Puiseaux.


adjacent Gualterii nemus, *le Bois Gautier,* Castillonium juxta Puteolos situm, Berciacum, *Brecy,* Guichervilla, *Guiercheville,* quasi dicas Gualterii villam, quæ Patrum memoriâ Marchionatus titulo fuit insignita; *Briare* oppidum, *Euf* fluentis riguum, quemadmodum & *Neuville*, *Orville, Angerville*, & *Males-herbes.* Est autem Novavilla, sive *Neuville,* Baronatus; sicut & *Remarda,* uno ab *Yevre-Chastel* milliari, ubi olim castellum, cujus superstites reliquiæ crassa turris aliaque turricula commonstrantur. Cernuntur etiam nonnulla alia vetustatis rudera. Apparet haud procul à Puteolis urbs exigua *Boisses* dicta, quæ cum sit regia præfectura, ad ipsam Parlamenti curiam appellat; occurrit deinde *Evra*, aliàs *Yevre le Chastel*; deinde *Beaume*, seu *Belna in Wastinesio*, ut veteres loquebantur, oppidum perantiquum, cujus ditionis sunt *Arconville*, *Bois-Girard*, *Batilly*, *Maconville*, *Gabeval*, *Champ-Bertrand*, *Soisy*, *Nibele*, *Maisieres* & fanum S. Lupi *de Vineis* nuncupati.

Cæterum Nemosii Baillivatus nullis regitur Consuetudinibus sibi specialibus, sed jus dicit ex Consuetudine Montargiensi.



SIL-

SILVA, ET REGIO EQUALINA,
vulgò
PAYS ET FOREST D'YVELINE.



Assidet agro Parisiensi *Silva Equalina*, ad partem Australem; ipsaque ab Ortu Gastinense territorium attingit. Hæc olim regio suos longius latiusque terminos diffundebat; attamen duos etiamnum Baillivatus comprehendit, *Dourdanum* scilicet & *Montfortium Amaurense*, quæ Insulæ Franciæ ditioni subjecta sunt; quamvis in spiritualibus Episcopum Carnotensem agnoscant. Varia in veteribus Instrumentis nomina sortitur; nam *Æqualina silva*, *Equalina*, & *Aquilina* vocatur; imo & Robertus Rex in suo Diplomate *Eulinam* indigetat, Ludovicus Iunior *Egilinam*, Sugerus autem S. Dionysii Abbas *Yvelinam*, ac tandem Franci Historiographi *Yveline*; quæ omnes & singulæ denominationes, ab undis, & rivulis, quibus scatet undique, provenerunt; nam unus eorum *Yva*, seu *Yveta* nomen retinet; & quæ Latino vocabulo *aqua* dicitur, vetusto ac ferè jam exoleto Gallorum idiomate *Egue*, *Eve*, & *Yve* appellabatur: imo & in quibusdam Galliæ provinciis etiamnum viget; atque canalis, quo foris è domibus aqua ducitur, *Evier* vocitatur. Attamen nonnulli putant à jumentis & *equabus* nomen emanasse; veteri autem Gallico idiomate *Yves* silvam fuisse dictam ob numerosissima Equorum armenta, quæ ibi pascebantur; unde & forsan aliqui, *Silvam Caballinam* vocandi ansam acceperunt.

Huc omni tempore gratissima venationis oblectamenta Reges frequentius allexerunt: Hìc Carolomannus Ludovici Balbi Regis filius aprum insequens, ab illo vulneratus occubuit anno 884. Sed ad hæc diverticula digitum intendisse sufficiat.

DOVRDAN.

Dourdan villa, suum quidem in Silva Equalina situm non est sortita; cum tamen in vicinia sedeat, quædamque illius appendices ibi positæ sint; eapropter hìc illam delineare operæ pretium duximus. Illam Aimoinus Monachus *Dordingam villam* appellat; Gerbertus verò Rhemensis Archiepiscopus, qui postea ad summum evectus Pontificatum Silvestri II nomen assumpsit, *Dordingum* indigetat in quadam suarum Epistolarum; tandem in veteri Prioratûs Longi-Pontis instrumento, *Dordingtum* ei nomen impositum est. Quibus ex vocabulis suspicor, & exordium & rationem nominis duxisse à Comite Dordingo, qui Childeberti I regis temporibus hujus lucis usura fruebatur.

Iacet Dordingum in valle longe latéque satis diffusa, decem circiter à Lutetia Parisiorum milliaribus. Hoc oppidum *Vrgia* flumen perluit, qui & *Orgia* nominatur. Oritur autem præfatus amnis loco *Bertrandi Curia* dicto, aliàs *Bertaucourt*, ditione insigni Domus Montlheriensis. Porrò Dordingum duas prætendit parochias, atque prioratum; castro, turribus & fossis armatur. Hic variis nominibus effulget authoritas regia, nam & Baillivatus & præfectura aliæque dignitates. In spiritualibus autem præsidet Carnotensis Archidiaconus.

Supra urbem extat saltus modicus, ubi quondam ferri fodinæ, prout relicta etiamnum vestigia testantur. Haud procul est Sanctæ Maximæ dominium, vulgo *S. Mesme*, quod à Maximâ muliere sanctissima nomen accepit; hæc cum inscio patre pagano fidem Christi profiteretur, proprii fratris manu obtruncata est; qui postmodum sceleris pœnitens Baptismum suscepit, atque inter nemorosa avia abditus vitam austerissimam peregit. In eadem regione est Loya, *Louye*, ordinis Grandimontensis Prioratu insignis. Est autem amœnissimo loco posita, silvis quaquaversum obsita, & collibus in modum amphitheatri dispositis. In extrema juxta nemus planitie, apparet structura Ecclesiæ, opus plane regium. Dictitat vulgus, & quasi à patribus acceptum enarrat, nomen istud à Rege loco inditum, qui cum venationi totus intenderet, cum per avia saltuum aberrasset, nec à quoquam exaudiretur, quò viam repeteret; hinc tandem vocem illius cœptam audiri; in cujus memoriam eventûs, sacellum inibi posuisse, illudque opimis reditibus dotasse, imposito etiam nomine N. Dominæ de auditu, vulgò *N. Dame de Louye* Verum ne incerta pro certis offeramus; illud saltem indubitatum est, Regem Ludovicum cognomento Iuniorem eò loci religiosos Grandimontensis instituti viros collocasse, illis locum cum suis appendicibus assignans; imo & Granchei vici incolas, jus quod in silvas prætenderent, illis cessisse.

Arrepto deinde Yvelinam versus itinere occurrit alius antiquæ memoriæ locus, qui S. Arnoldi nomen præfert, alluiturque amne Rabascio, qui *Remarde*, corrupto Gallice vocabulo vocitatur; è *Rambouillet* ad *Sonchamp* profluit, deinde S. Arnoldi fanum, atque *Nonvilier* prætervehitur, ac deinceps in Orgyam mergitur.


CARTE
DV PAYS et FOREST
D'YVELINE,
que quelques uns mettent pour la partie Septentrionale
DE L'HUREPOIS.
MILLIARIA
Gallica. Germanica.
PARIS
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.

5

MONTFORTIVM.

HIc Comitatus maximos olim diſtrictus & dominia complectebatur, quæ temporum viciſſitudine ab illo divulſa, poſſeſſorem & Dominum commutarunt, at ſub juriſdictione ejuſdem Baillivatus permanſerunt. In ipſo regionis aditu ſedet *Madriacenſis pagus*, ſive *Madrecijus*, vulgò *Montfort*, primarius hujuſce Comitatûs locus. Protendebatur autem hæc regio inter flumina Madriæ, Sequanæ, & Evræ, ad Crucem uſque S. Leufredi, quæ olim S. Odoëni locus dicebatur. Videtur amnis Madria regioni nomen impoſuiſſe; hic autem incipit à ſilva Yvelina, *Muroſque* allambit territorium quod juris eſt Xenodochii Pariſienſis; inde Madriacum devolvitur, *Merey*, quod & à veteribus *Medriaca*, & *Matriaca* poteſtas appellatur, nomine ſcilicet ejuſdem fluminis. Nam pro certo compertum eſt, plurima, quæ fluviis aſſident loca, ab illis nomen accepiſſe. Vltra conſpicitur Montfortium, cognomento *l'Amaury*, diuturna ſcilicet poſſeſſio claræ olim familiæ, quæ illi nomen impoſuit.

Beine. *Beina* inter antiquiſſimas hujus Comitatus Caſtellanias computatur, ad ripam Mandriæ fluminis aſſidet, qui è *Merey* illuc affluit; curſumque per Neelſam arripit, vulgò *Naufle la Ville*, unde & à quibuſdam Nealfa villa nominatur: quò facilius à Nealfa caſtello diſcernatur, *Neufle le Chaſtel*; quæ alia quoque Caſtellania eſt, præcedenti contigua: proficiſcitur deinde fluvius Marvellium, *Marveille*, quod & Mareolium, Marolium, Maroilus, & Marogilus vocitatur; tandemque Sequanæ commiſcetur. *Maulia* ditio eſt pervetuſta; quemadmodum & *Speonna*, ſeu *Spedona*. *Maule. Eſpone.*

Fuit quoque *Hoſdanum*, aliàs *Hoſdencum* aliqua portio dominii Comitum Montfortiorum; hîc fulget Eccleſia ſub auſpiciis S. Ioannis Baptiſtæ. Eſt quoque ibi caſtellum non ignobile. Inſidet urbs illa rivulo, qui in Cartis veteribus *Abeton* nuncupatur, communiter autem Vegria, qui inde in Evram ſeſe projicit; ſua autem accipit exordia circa fanum *S. Leodegarii*, in Yvelina; cui contiguum eſt Gaudiacum, *Iouy*; adjacet etiam Adævilla, *Adainville*, & Condacum, ſeu Condatum, *Condé*, quæ quidem omnia oppida perluit *Abeton* rivulus: deinde relictis inferius Groſrouvræ nemoribus, *S. Aniani*, & *Moletæ* loca irrigans, properat Hodanum, ad cujus lævam eſt Boutigniacum. Eſt alius quoque vicus in diſtrictu hujus parochiæ, nempe Burdoniacum; ad dextram autem cernitur *Garancieres*, locus olim ob ſtrenuos, quos produxit, Equites celebris. Haud procul ab Hoſdano vetus viſitur territorium *Dives-burgus* nominatum. *Boutigny.*

Eſpernon. Sparnonium urbecula eſt, titulo Baroniæ & Caſtellaniæ olim inſignita, nunc autem ad altiorem evecta dignitatem, nempe Ducatum; habet in vicinia Prioratum S. Thomæ, ad rivulum *Thau* ſitum; ipſe autem rivulus è loco *Gué de Loré* Galardonem pertranſit, indeque Eſpernonium allabitur, poſtmodumque in Evram evolvitur. Ex hoc Prioratu dependent Eccleſiæ parochiales *de Gazeran*, *Rambouillet*, & aliæ circumvicinæ.

Haud procul ab Sparnonio reperitur priſcæ etiam memoriæ ditio *Maintenon* nominata, quæ pridem Montfortenſi dominio ſubjacebat. Rumbellitum autem, quod vernacule *Rambouillet* dicitur, antiquum eſt & celebre territorium. Ejus meminit Rex Pipinus; Franciſcus verò I Rex, ſeceſſum hunc adeo cæteris prætulit, ut & ad captanda venationis oblectamenta delegerit, & ad mortem placidam ſibi præoptarit.

Huic contigua ſunt oppida ſequentia, *Gazeran*, Buxeria, aliàs *Boiſiere*, à buxis nimirum quibus undique eſt conſita, *Neron*, *Levis*, Roſchenſis abbatia Ordinis S. Auguſtini, Nemus-Guidonis, atque *Haute-Bruyere* abbatia, & *Bruieres*, quæ in inferiori jacet regione.


Remarda fluvius è Rumbellito ad fanum S. Arnoldi properat, cui proxima eſt *Rocha-fortis* in Yvelina, quam & Rupem fortem nonnulli dixere, pridem juris Comitum Montfortiorum.

DROCENSIS COMITATVS.

DRocenſis Comitatus Montfortio contiguus, ſitum in Carnotenſi Diœceſi ſortitur; Baillivatu exornatur, ſubjecto Inſulæ Franciæ; & de illius decretis ad Pariſienſem Parlamenti Curiam directè appellatur. Varia illius nomina in veteribus inſtrumentis, & Hiſtoriographis inveniuntur, quandoque enim *Durcaſſinum, Dorcaſſinum, Drocaſſinum*, nonnunquam verò *Drocenſis* & *Drocacenſis pagus*, ſeu *Comitatus* nominatur. Tribus irrigatur fluminibus, iiſdemque circumſcribitur, *Eura* nimirum, *Bleſia*, & *Aura*, aut potius *Hadra*, qui Franciam à Normannia dividit, prout communiter hoc verſu exprimitur.

Hadra licet parva, Francorum dividit arva.

Drocenſis civitas, vulgo *Dreux*, hujus eſt Comitatus caput & metropolis; Bleſiæ fluentis aſſidet, qui urbem ſubluens, paulo poſt in Euram influit. Guillelmus Gemeticenſis *Dorcaſſinum Caſtrum*; Glaber autem *Drogas*; ac tandem vetus numiſma *Drucas* nuncupant. Vnde conjectari licet, monetariam ibi officinam extitiſſe, ſignataque numiſmata ſub nomine Hugonis Comitis, forſan Capeti, qui poſtmodum regni diadema adeptus eſt. Hujus tibi monetæ typum exhibemus:




Nobilior poſtmodum ſequitur hujus ditionis Caſtellania, Firmacuria nempe, *Fermaincourt* vulgo dicta, ubi Canonicorum Regularium Prioratus; ſequitur deinde Monaſteriolum, *Monſtreüil*, ad Euram amnem ſitum; *Villa S. Georgii*, ubi moneta Drocenſis cudebatur; Nemus Crotoſum, *Foreſt de Crotois*, vel *de Dreux* Firmæcuriæ contiguum. Porro celeberrimum illud Drocenſe prælium Bleſiam inter & Euram commiſſum eſt anno 1562, adverſus exortas pro Religione factiones.

V E-

VELOCASSINUS COMITATUS.
vulgò
VEXIN LE FRANÇOIS.

Situs.



Ccensetur & Montfortio Velocassinus Comitatus, nam populi, quos Velocassium nomine Cæsar memorat, Caletes inter & Veromanduos insedêre. Vocantur autem à Ptolemæo *Veneliocasii*, seu *Veliocasii*; ab Historiographis verò *Vilcaßini*, & *Wlcaßinenses*; ipsa quoque regio *Vilcaßinum*, *Wlcasinum*, *Vilcasinus pagus*, *Vilcasinense*, aut *Vulcaßinense territorium*, & *Vilcaßina provincia*. *Extensio.* Diffundebatur ista olim regio absque ullo discrimine ab Isara fluvio usque ad Andelam, quo quidem amne à Caletensi tractu, vulgo *pays de Caux*, divellebatur: at postquam Normanni illam provinciam occuparunt, quæ ab illis Normanniæ appellationem sortita, ager Velocassinus duas in partes divisus est, quarum una Vilcassinum Normannorum, alia Gallorum vocitata est. Vilcassinum Normannorum, Eptam inter & Andelam fluvios porrigitur, & Normanniæ Ducatui permansit annexum, quod etiam exhibebimus in ipsius Normanniæ descriptione. Gallicum autem Vilcassinum, hoc nomine insignitum, eo quod ad Gallos pertineat. Limites habet Sequanam & Montfortium à Meridie; ab Ortu Isaram fluvium, cum agro Parisiensi; ab Occasu vero Eptam amnem, & Vilcassinum Normannum; à Septentrione denique, *Terin* flumine & Bellovacensi territorio clauditur.

Vilcassinus Galliæ ager, priscæ est memoriæ Comitatus, multa complectens non ignobilia oppida, scilicet *Pontoise*, *Chaumont*, *Mante* & alia.

MANDANTENSIS, ET MELLENTENSIS COMITATUS.

Mante, Comté.

QVi Mandantensem urbem memorant Historici, illam variis nominibus indigetant, nam in rebus gestis Ludovici Crassi regis, quam scripsit Sugerus S. Dionysii Abbas, vocatur *Meduntense castrum*. Ordericus Vitalis alicubi *Medantense castrum* nominat, immutatâ simplici litterâ; & paucis quibusdam interjectis, *Madantum*, & *Mandantum*; & in antiquis Diplomatibus, *Medanta* dicitur, sæpius autem *Medunta*. Sedet ad Sequanam quà Meridiem spectat, & quamvis limites Vilcassini exeat, ad Comites tamen hujus tractus possessores pertinebat, atque inter præcipua Comitatus oppida censebatur. Illam civitatem Philippus I Rex suæ adjecit Coronæ; cum autem ab eo repeteret Guillielmus I Magnæ Britanniæ Rex, velut quandam suæ provinciæ portionem, Philippus ipse denegavit; quamobrem furore percitus, totam quaquaversum incendit, & in omni circumregione immaniter grassatus est.

Mantis-villa, parum à Meduntensi castro dissita, olim ad Simonem Rodulphi Meduntensis Comitis filium pertinebat; at cum monachalem habitum suscepisset, illam insigni munificentiâ ad Cluniacensem Abbatiam transtulit; cui quidem & Grassicuriæ Decanatus competit; huic autem supereminet Rogniacum. *Gassicourt. Rosny.*

Meullent. Mellentum autem quod attinet, aliud est Vilcassini Gallici oppidum Sequanæ incumbens, cui adjacet tenuis Insula, in qua fortalitium non ignobile assurgit. Inter Epistolas Yvonis Episcopi Carnotensis extat ab eo scripta *Clericis Mellentinis & omnibus in Pixiacensi Archidiaconatu*. Ab antiquis temporibus exordia repetit, & Prioratu exornatur.

In hac Mellentensi Castellania complures reperiuntur ditiones & territoria, *Vaux*, *Vigni*, *Longuesse*, &c.

COMITATUS CALVIMONTENSIS, ET MAIGNIENSIS.

Chaumon Comté.

VIlcassini Galliæ agri reliqua portio Calvum montem, Maigniacum & Pontisaram includens, Silvanectensi Baillivatu regitur. *Calvus-mons* primaria civitas & metropolis hujus districtus. Vocatur & à quibusdam *Calus-Mons*, & *Calidus-Mons*, quibus etiam nominibus additur *in Vilcassino*, sive *en Vexin*, ad cognominum scilicet locorum differentiam; nam & in aliis regionibus ejusdem nominis oppida reperiuntur. Videtur civitas satis antiqua, parte præsertim superiore, tota fere diruta, quà *turrim Balbi* respicit. Sunt hujus districtûs quædam alia loca, *Maudestour*, *Serranz*, *Bournis*, *Natainville*, *Trie*, *Parnes* seu *Pernes*, ubi præclarus S. Martini Prioratus; postea legendo ripam Eptæ fluminis, fanum *S. Clari* invenitur, & *Novum-Castrum*, *Rupes* quoque *Guidonis*, vulgo *La Roche-Guyon*, locus natura & arte munitissimus, Comitatus quoque titulo insignis; qui quidem editissimæ rupi insidet ad Sequanæ ripam, unde & nomen sortitur, quemadmodum & à suis olim Dynastis, qui no- *Roche-Guyon.*



CARTE DU PAYS VEXIN FRANÇOIS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARTIE DE LA NORMANDIE.
BEAUVAISIS.
LE PAIS et FOREST D'YVELINE PARTIE DE L'HUREPOIS.
L'ISLE DE FRANCE.
Milliaria Gallica.
Amstelodami, Apud Ioannem Blaeu.
Beauvais
Chaumont
Gisors
Pontoise
Mante
Meulan
Beaumont

men Guidonis utplurimum prætulerunt. Testatur Sugerus S. Dionysii Abbas, Guidonem illius Dominum Ludovici Crassi temporibus inibi à socero obtruncatum; quod cum in Regis notitiam pervenisset, misit exercitum in loci impugnationem, quem etiam paucis diebus expugnavit, atque in sceleris vindictam quoscunque ibi reperit, neci addixit. Eandem regionem occupant *Benecourt*, *Beauregard*, *Chantemerle*, & fanum *S. Martini*, *Vaux*, *Francourt*, *Maudestour*, & alia Vilcassini Franciæ loca.

Maigny. Maigniacum tenue oppidum, in Calvi-Montis Castellania situm, Collegiatâ Canonicorum Ecclesiâ decoratur; huic contiguum est Villarcellum, alias *Villarceau*, *Roulleboise*, *Ambleville*, *Omerville*; cui adjacet *Allincourt*, Baronatus. Haud procul apparet *Monsjovis*, Gallicè, *Montjaveux*, à Iove olim Paganorum denominatus; *Chars*, in membrana veteri *Charcium in Vilcassino* nominatum, cujus silvas memorat vetus instrumentum factæ donationis monasterio S. Dionysii *in nemoribus de Charcio, videlicet de Lusleiz, de Espineto, de Valleostru, de Divisionibus, de Essartelis, de Genestaio, & du Chesnay.* Inde Pontisaram accedenti occurrit *Cormelia in Vilcassino* dicta, ut à *Cormelia* in agro Parisiensi sita discriminetur. *Cormeilles.* Nunc ad Pontisaræ Castellaniam gradum faciamus.

PONTISARA.

Pontoise. Pontisara Silvanectensi jurisdictioni subjecta, iisdem Legibus & Consuetudinibus gubernatur. Sedet ad flumen Isaram, ubi pons antiquissimus, è quo Pontisaræ nomen assumpsit. *Brivisaram* vocat Itinerarium Imperii Antonino tributum; Carta verò Peutingeri *Brivisuram*, quod quidem vocabulum cum Pontisara coincidit, nam *Briva* priscum Gallorum vocabulum pontem indigetat; unde & *Samarobriva*, *Somonobriva*, *Briva super Vram*, & *Briva-Curretia* ad transitus & Pontes istorum fluminum demonstrandos. Vnde etiam verisimile est Pontem Isaræ impositum, omnium vetustissimum fuisse, ideoque urbi nomen imposuisse; imo & pontem illum unicum tunc temporis extitisse, quo ex urbe Bellovacensi Parisios quis proficisceretur. Curiosiùs aspicienti, paulo inferiùs pontem olim positum apparet, nempe juxta S. Martini monasterium, ubi superstites tignorum jam petrefactorum reliquiæ cernuntur; illi etenim ponti respondet via publica, quæ in veteribus istius regionis titulis *via Iulii Cæsaris* nuncupatur. Sunt & in ipso monasterii ambitu consitæ quædam vineæ, quibus subjacent specus subterraneæ, ex quibus conjicias, pridem hoc oppidum ibi constitisse. Demum ipsa Deiparæ Basilica, quæ impræsentiarum extra urbem posita est, præcipua civium Parochia censebatur; novo enim ponte jam extructo cæteræ conditæ fuerunt. Ceterum *Isara* fluvius aliis etiam nominibus fuit appellatus, *Esia* namque à Vibio Sequestro dicitur, *Ezera* autem à Ludovico Balbo in quodam diplomate; in Chronico de gestis Normanorum *Hisa*, à Flodoardo denique & Sugero S. Dionysii Præsule, *Sara*; unde etiam ipsa urbs varias sortitur appellationes, scilicet *Pontesia*, & *Pontesium*, *Pontezera*, *Pons-seræ*, seu *Saræ*, &c. Invenitur & Moneta *Pontisarensis* dicta, & *solidi Pontesiensium*. *Moneta.* Castro defenditur, olim ad coërcendas Normannorum excursiones extructo, ne scilicet Isaram impune transmitterent; sed perperam; nam repulsis aliquoties Normannorum assultibus, tandem illorum furori permissum est, qui illo jam incenso, Parisios illico advolarunt. Porro multis tùm Ecclesiis, tum cœnobiis exornatur.

Maubuisson. Non multum distat à Pontesia insignis Abbatia de *Maubuisson*, munificentiâ sanctissimi Regis Ludovici extructa, quod exorante Blanca matre peregit, ipsa quippe hunc sibi sepulturæ locum delegerat; quin etiam illa cum adhuc in vivis ageret, Philippam Campaniæ, sibi consanguineam, ibidem sepeliri mandavit.

Districtus autem Pontisarensis Castellaniæ, plurima alia continet non minimi momenti loca, nempe *Villeneuve le Roy*, *Henonville*, *Marines*, *Grisy*, *Espies*, *Valengoujart*, Latine *Vallis Enjardi*, & *Vallis Engueivardi*; *Hedouville*, *Berville*, *Sandricourt*, *Amblainville*, *Herouville*, *Auvers*, *Mery sur Oyse*, sive *Meriacum ad Isaram*, &c.

Isle Adam. Accensetur eidem tractui antiqua *Insulæ-Adami* Castellania, vulgo *l'Isle Adam*. Hanc appellationis rationem sortita est à quadam tenui Insulâ circumvolutione fluminis efformatâ, & ex nomine *Adami*, à primis illius Dominis adscito. Subjacent à priscis temporibus huic Castellaniæ ea quæ sequuntur loca, *Nogentum super Isaram*, alias *Nogent sur Oise*, *Valmondois*, *Marquemont*, & *Champ-dolent*. Insidet huic regioni nobilissimum D. Mariæ monasterium, seu Vallensis Abbatia, vulgo *l'Abbaye du Val*, & pagus *Villaria*, seu *Villiers-Adam* dictus, prædictæ adjacens Abbatiæ. *Abbaye du Val.* Sed transmisso jam ponte Isaræ, Bellovacense territorium propiùs accedamus.

RE-

REGIO BELLOVACENSIS, vulgò LE BEAVVOISIS.



Bellovacensis ager Vilcassino contiguus, strenuos adeo Iulii Cæsaris ætate possedit habitatores, ut ipse lib. 2. Commentariorum de bello Gallico, illorum virtutem effuse prædicarit, atque Bellovaci, indigenæ scilicet, in Gallia Belgica primas occuparint. Audet etiam Hircius asserere, Bellovacenses olim, Gallos & Belgas universos militari gloriâ superasse. Strabo autem Belgarum potentissimos dicit. Qui ergo Romanorum tempore *Bellovaci* sunt appellati, postmodum *Belvacenses*, & *Belvacensis populus* dicti fuerunt; imo & ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo, *Belgivagi*. Vnde & illorum regio varias appellationes sortita; illam Eumenius Rhetor in Panegyrico Constantii, Constantini Magni parentis, *Bellovacum solum* indigetat; & Historiographi *Pagum Bellovacensem*, & *Belvacensem* appellant. Rex autem Dagobertus *pagum Belloacinsem*; ac demum Carolus Calvus, *Comitatum Belloacensem*.

Nomina.

Fines.

Bellovacensis regio Veromanduorum finibus ab Ortu clauditur; agro Parisiensi à Meridie; ab Occasu, Vilcassino & Caletensi; à Septentrione, Pontivio seu Ponthiaco, & Ambianensi. Senis equidem fluminibus perfunditur, sed solus Isara fluvius navigiis ferendis est idoneus, cæteri ab indigenis hisce nominibus appellantur, *le Therain*, *Avelon*, *Bresche*, *Arée*, & *Aronde*; quibus hoc singulare, ut ab Occasu in Ortum profluant, contra cæterorum morem fluviorum, qui ab Ortu in Occasum suas aquas devehunt. Valles habet amœnissimas, unde & Bellovacensis regio à Bellis Vallibus nomen traxisse creditur; fructibus, & frumento abundat, vinetis, pascuis, & nemoribus refertissima; suorum benigna nutrix populorum cuncta illis ad vitam necessaria subministrat. Ab initio nascentis Ecclesiæ sedem habuit Episcopalem, trecentis & octuaginta quinque Parochiis exornatam, quæ in novem Decanatus dispertiuntur. Porro cum hanc regionem Galliæ reges suæ subjecissent ditioni, longo tempore à Comitibus gubernata est; postmodum velut quædam portio Picardiæ annexa, sub iisdem Gubernatoribus egit; impræsentiarum vero ad Franciæ insulam pertinet, duosque sortitur Baillivatus, Bellovacensem nimirum & Claromontensem.

BELLOVACENSIS COMIATVS.

Beauvais. Nomina.

Bellovacum, primaria hujusce territorii civitas, à priscis cultoribus nomen sortitur; nam ævo Iulii Cæsaris idem oppidum *Bratuspantium* vocabatur, illo verò diruto novum illius loco oppidum Romani ædificarunt, quod *Cæsaromagum*, de Cæsaris nomine nuncuparunt; verum ista nominis ratio non diu perduravit, etenim Constantini Magni temporibus, *Bellovacorum civitas* cœpit appellari; quæ quidem appellatio fuerat antea toti regioni, illiusque quaquaversum habitatoribus communis; quod ex singulari ipsius Constantini lege in Codice Theodosiano insertâ comprobatur, quâ scilicet à bellicis expeditionibus veterani milites eximuntur, *Data Kal. Mart. civitate Bellovacorum, Constantino A. VI. & Constantio Cæsare Coss.* Demum sub ipsis quoque regibus diversis nominibus fuit insignita, *Belvacus*, nempe, *Belgevacus*, *Belvagus*, *Belvacia*, *Belloacus*, *Bellovagum*, *Belvacum*, & *urbs*, seu *civitas Belloaca*, *Belvagica*, *Belvacensis*, & *Belvacensium*.

Episcopatus Belvacensis.

Bellovacensis civitas sedes ordinaria fuit Episcoporum hujus Diœcesis. Primus sedit S. Lucianus, quem à S. Dionysio Gallorum Apostolo fuisse transmissum, ut Bellovacensibus Christi fidem nunciaret, communis existimatio est; ipse vero in opus ministerii Messianum & Iulianum socios adhibuit; qui medio ab eadem urbe milliari cum ipso etiam martyrium pertulerunt, in monte scilicet *Milio*, seu S. Messiani dicto, ob Ecclesiam inibi ejusdem Divi memoriæ dicatam. Decursu vero temporis hic Episcopatus in maximam evasit amplitudinem, adjecto nimirum Comitatus titulo, & dignitate Pariatus; quapropter, Principes, Dynastæ, aliique viri nobilissimi hanc sedem omni tempore tenuerunt.

Monetariam hæc civitas olim habuit officinam, cujus antiqua numismata adhuc reperiuntur sub nomine & effigie Regis Caroli, Simplicis an Calvi? dubitatur; ipsa autem aversâ facie talem præferunt inscriptionem, *Belgevacus Civi.* cujus specimen tibi exhibemus:





Idem quoque jus signandæ monetæ postmodum ad Episcopos devolutum est, ut colligitur ex diploma-


COMITATVS
BELLOVACVM,
Vernaculè
BEAVVAIS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARTIE DE PICARDIE.
PARTIE DE NORMANDIE.
PARTIE DE VALOIS.
LA FRANCE
VEXIN.
Amsterdami
Apud Guiljelmum et Joannē Blaeu.
Beauvais
Gournay
Gisors
Mante
Meulan
Pontoise
Poissy
Beaumont
Creil
Senlis
Clermont
Compiegne
Crepy
Verberie
Mondidier
Breteiul
Moreul
Roje
Milly
Bulles
Mouy
Meru
Chaumont
Magny
Dangu
S.Cler
S.Leu
Bury
Merlou
Chantilly

plomate anni 1208, variisque ex veteribus titulis, quibus fit mentio *denariorum & solidorum Bellovacensium*, ab anno scilicet 1050, usque ad annum 1400; quorum etiam valor, denariorum & solidorum Parisiensium excedebat valorem. Ceterum jus illud Episcoporum Bellovacensium paulatim exolevit.

Egit olim Castellanus Bellovaci, qui & Capitaneus & Custos erat urbis atque civitatis; hodie verò & regiminis, & urbis facies immutata est; nam impræsentiarum illius amplitudo tribus minimum partibus accrevit. Figura constat fere orbiculari, præclaro mœnium ambitu, latis profundisque fossis vallata, & aquis pene undique circumfusa; defenduntur etiam muri propugnaculis & aggeribus; quinque portis venientes excipit, præter quas sunt tres portulæ, quas ipsi linguâ vernaculâ *Poternes* vocitant. Præclaris admodum & insignibus Ecclesiis exornatur. Ipsa Cathedralis Basilica suas habet Dignitates, Munera, Personatus, à quibus sacra ministeria peraguntur, Decanum nempe, Archidiaconum, Præcentorem, Cancellarium, Pœnitentiarium, Canonicos 42, Cappellanos, aliosque Divini cultus & ceremoniarum ministros. Eminet in editissimo urbis loco ipsa perampla & magnificentissima Basilica, eximiæ adeo structuræ, tantæque altitudinis, ut nec orbe universo quæpiam altius aut pulchrius assurgat. Palatium quoque Episcopale amplissimum est, quod plane Comitis ac summi Dynastæ magnificentiam exhibet. Numerantur intra muros parochiæ tredecim, variis Sanctorum nominibus attributæ; sunt etiam sex Ecclesiæ Collegiatæ. Quatuor insignibus Abbatiis suburbia exornantur, S. Luciani scilicet, S. Quintini, S. Symphoriani, & S. Pauli. Hæc sufficiant de ipsa civitate, nunc ad circumjacentia loca transeamus; ne autem locorum flexibus irretiamur, ductum fluminum prosequemur.

Ecclesia Cathedralis.

Palatium Episcopi.

Parochiæ.

Territorium Bellovacense, primò quidem Thara fluvio est irriguum, vulgo *le Therain*, qui duobus è rivulis progignitur, Occidentali uno; à quo etiam nomen sortitur; qui quidem suos fontes repetit juxta *Grumesnil*, postremum hujusce Diœcesis pagum, quà sese versus Dieppam porrigit, inde *Cauny*, *S. Samson*, *Fontenay*, *Sully*, & *Escames* pertransiens, *Gerboretum*, vulgò *Gerberoy*, allabitur, qui locus est in hac Diœcesi satis famosus; nam & Collegiatâ gloriatur Ecclesiâ, & Dominos olim habuit Vicedominatus honore exornatos. Porro Thara flumen ad locum de *Greneviller* defluit, & postea *Vrocourt*, *Caigny*, *Bonnieres* oppidula perluens, ad Burgum tandem *Milliacum* devolvitur.

Flumina.

Septentrionalis est alter fluvius, è quo Thara nascitur; Incipit autem apparere ad loca *de Denicourt*, & *Omecourt*, indeque *Therino* pago affluit, cui nomen impertit; mox *Rium* alluit, vulgo *Roy*, vel *Rey*. Huic autem tractui adjacent alia quædam loca, *Orsimont*, aliàs *l'Aunoy*, ubi celebris Abbatia Ordinis Cisterciensis; *Marseille*, *Beaupré*, altera quoque ejusdem Ordinis Abbatia *Ochy*, *S. Omer*; paululum inde duo, quibus Thara gignitur, rivuli, adinvicem conjunguntur in vico Milliacensi, ut jam diximus; unicusque deinceps Thara fluvius, *Harchies*, *Cantevilles*, & *Troissereus* vicos irrigans, Bellovacum properat, Brayensemque tractum parte Occidentali relinquit; ubi unus est hujusce Diœcesis Decanatus.

Brayense territorium sequentia complectitur oppida satis nota, *Ons en Bray*, *Ville en Bray*, *Houdenc*, *Puiseux*, *la Ferté*, *S. Germer de Flay*, *Wardes*, &c. Irrigatur quoque hic ager alio rivulo *Avelon* dicto, qui Turrem Brayensem inter & Monstrolium suas habet scaturigines, indeque procurrit ad pagum sibi cognominem, sive *Avelon*; & postea *Brayum* alluit, unde hoc territorium nomen accepit, paululumque decurrens *Poteriam* accedit, vulgo *la Poterie*, vicus ob fictilia, quæ inibi absque numero finguntur, notissimus; ubi terra veluti sigillata reperitur, sistendo sanguini idonea: deinde *Saviniacum*; pergit postmodum versus *S. Pauli* monasterium, & pagum *de Goincourt*, ac tandem Tharæ ad Bellovacum immergitur, unde Thara factus tumidior, esset quidem navigabilis usque ad Isaram, ni volvendis molis farinaceis, papyraceis aliisque generis adhiberi satius putaretur; prout in locis *de Marissel*, *Bracheul*, *Tardonne*, *Condé*, *Bailleux*, *Villiers S. Sepulchre*, *Hermes*, *Houdainville*, *Mouy*, *Balagny*, *Bury*, *Mello*, & aliis.

Bray.

Villare autem, *S. Sepulchri* cognomen obtinuit, eo quod Dynasta quidam, cui *Lancelinus Senior* nomen, cum peregrinationem in terram sanctam adornasset, Sanctumque Christi Salvatoris sepulchrum invisisset, ad suos reversus Ecclesiam in honorem ejusdem S. Sepulcri ædificavit, in cujus ministerio monachos S. Germani addixit; eosque munificentissime dotavit, ut constat ex veteri instrumento anni 1060.

Villiers de S. Sepulchre.

Haud procul à *Baillioco* visitur *Frigidus-Mons*, insignis Abbatia Ordinis Cisterciensis; deinde *Hermes*, *Braelle*, cujus arx & Dynastia in possessione est Episcopi Bellovacensis. Cis *Hermes* Thara Monciacum *le Chastel* cognominatum à dextra relinquit; Burgus is est spectatissimus, & antiquissimus territorii Bellovacensis Baronatus; Aimoinus *Monceium* appellat, adjectum est autem *Castelli* cognomentum, ob castrum firmissimum, quo quidem olim muniebatur. Occurrunt eodem tractu *Boncourt*, *Longviller*, *Cauvigny*.

Fremont, abbatia.

Monchy le Chastel.

Verum ut Tharæ fluminis ductum prosequamur, *Moyacum* accedamus, Gallice *Mouy*, Burgus est pannorum texturâ celebris, quorum opificia quemadmodum & apud Bellovacenses frequentissima sunt. Inde autem præfatus amnis transmissis *Bury* & *Balagny* viculis *Mellotum* allabitur, vulgo quidem *Mello*, sed corrupto plebeculæ vocabulo *Merlou*. Est autem Mellotum priscæ memoriæ Baronatus, ubi urbecula castello munita, cum Prioratu, & Collegio Canonicorum; inde Thara *Cramoisiacum* procurrit; ac tandem *Montem-Tharæ* burgum advenit, aliàs *Montathaire*, quem nonnulli perperam *Montem-atrum* indigetant, quasi per antithesin *Clari-montis*, vulgo *Clermont*, namque à Thara fluvio rationem nominis deducit, qui modico inde intervallo in Isaram sese effundit, in confinio scilicet oppidi *de Creil*.

Mouy.

Merlou.

Cramoisy.

Montathaire.

CLA-

CLAROMONTENSIS COMITATVS.

SEcundus Bellovacensis territorii Baillivatus, ab urbe Claromontensi denominationem sortitur, ubi præcipua Baillivi sedes. Vocatur autem communiter *Clermont en Beauvoisis*, ad differentiam aliorum ejusdem nominis oppidorum; nam & in Arvernis, & in Basligniacensi territorio, & alibi urbes ejusdem nominis reperiuntur. Præclaro monti insidet, à quo nomen illi inditum; à vetustioribus quippe Geographis *Clarus-Mons* appellatur. Iam à longo tempore Comitatus honore insignitur; unde & nomen imposuit nobilissimæ familiæ, ex qua Comites, & Franciæ Comestabiles, & Marescalli, aliique Dynastæ, genus deduxerunt.

Ædes sacræ. Illustratur hæc civitas insigni Canonicorum Capitulo; ipsa autem Basilica sub auspiciis Deiparæ, & S. Martyris Arnoldi dedicata est. Habet & antiquum Xenodochium, quod Religiosis Ordinis SS. Trinitatis anno 1144 attributum est.

Silvæ. Varii sunt saltus & nemora antiquæ ditionis hujus Comitatus; non multum à Claromontana civitate dissitæ, quarum præcipua est silva *de Hez*; ubi quondam Comitum Claromontanorum Arx & secessus; de quo testantur vetusta antiquitatis monumenta.

Bresche fl. Decurrit juxta Claromontium alius quidam rivulus, *Bresche* vocitatus, qui exordium ducit è Nova-villa S. Petri, vulgo *Neuville S. Pierre*; inde Monstrolium progreditur, moxque *Bullam* properat non contemnendam urbeculam; namque illius ager linum copiosissime profert, unde subtilissima Hollandorum & Cameracensium textilia conficiuntur. Lingua quidem vernacula *Bulles* dicitur; Latine autem varia ex instrumentis veteribus nomina sortitur, in iis enim *Buglæ*, & *Bubulæ*, in quibusdam etiam titulis *Bullæ* nominatur; Castellania est pervetusta; pridem verò Comitatus honore gloriabatur.

Vareville. Varevillam postmodum Breschius amnis properat, ubi celebre Fontis Ebraldi monasterium, duobus Conventibus dispertitum, uno quinquaginta Virginum, altero sex sacerdotum religiosorum, omnium verò cultui divino vacantium.

Escouy. Alluit idem amnis postea *Escouy* oppidulum, & *Ronquerolles*; pauloque inferius, *Aram* rivulum excipit, vulgo *Aire*, vel *Arée*, qui currere incipit inter *S. Iusti fanum* & *Plessiacum*, non ignobilia

Traict fl. loca. Porro rivulus, qui olim *Tractus* vocabatur, *Aram* deinde nominatum fuisse, probabile est. Cæterum qui S. Iusti fanum fluvius perlabitur, prata irrigat cis Claromontium jacentia, ac subsequentes deinde viculos, *Warty*, *Brueil-le-sec*, *Brueil-le-Verd*, *Monchy*, *Eloy*, *Villers S. Paul*, &c. tandemque in Isaram juxta *Creilense* oppidum mergitur.

Loca. Accensentur autem Comitatui Claromontensi plurima præter hæc quæ supra memoravimus, notissima loca, scilicet *Sacy le Grand*, *Nointel*, *Hargenlieu*, *Cressonesart*, contracto vocabulo *Cressonsart*, &c.

Gournay. *Aronda* fluvius tractum Bellovacensem à Picardia dirimit, & juxta *Monstiers* scaturit, indeque *Gournayum* proficiscitur, deinde *Monchy le Perreux*, cui adjacet *Venette*, quæ utplurimum *Avenette* vocitatur. Paulò superius autem Territorium & Castellania Remensis, *Remy*, Claromontano Comitatui subjacens reperitur.

SILVANECTVM.

SIlvanectensis tractus Bellovacensi, qua Isaræ adjacet, collimitaneus, angustis finibus clauditur, totusque Episcopatus sexaginta septem parochias, & non amplius numerat. Verum Silvanectensis Baillivatus seu Iurisdictio longe lateque diffunditur, ipsa quippe Vilcassinum Franciæ, maximamque Bellovacensis territorii partem amplectitur. Territorii caput, ipsa est

Senlis. Silvanectensis civitas, sua antiquitate celebris. Illam Gregorius Turonensis, Hincmarus, Flodoardus aliique prisci auctores cum laude memorant, & aliud quandoque illius nomen assignant, *Augustomagum* scilicet, *Rethomagum*, &c. Ipsa etenim à circumfusa undique Rethensi *silva* nomen accepit, qua quidem veluti circum *nectitur*. Hæc porro silva est, in qua Carolus VI, Rex, veteranum cervum invenit, cujus collo torques ænea auro superinducta appendebat, hocce lemmate fugientibus fere caracteribus inscripta, *Hoc Cæsar me donavit*.

Sedet autem in collis acclivitate ipsa civitas Episcopatu Nobilis. In ea primus sedit Antistes S. Regulus S. Dionysii discipulus, qui Silvanectenses olim populos ad Christianæ fidei jubar perduxit; huic successerunt alii maximo numero, & sanctissimi, & nobilissimi etiam Episcopi, quorum catalogum texere alterius est instituti. Multis decoratur Ecclesiis, Cathedrali nempe, parochialibus, atque alterâ Collegiatâ, imo & insigni Franciscanorum cœnobio, ubi Dynastarum mausolæa.

Angy. Brenoulle. Huic Præfecturæ annexa est ipsa *Angiensis* Præfectura, & Majoratus *Brenoullensis*.

Nonnette fl. Totum ferè territorium Silvanectense perfundit *Nonnetta* rivulus; oritur autem circa pagum, *Fontem S. Petri* appellatum, & *Ruilly* subtus *Chamecy*; indeque *Brajum* provehitur; ad cujus lævam *Braisilva*, vulgo *Brasseuse* assidet. E regione vero objacet *Mons-speculatoris*, Gallicè *Montespiloer*, ubi Prioratus Canonicorum regularium. Dein Nonetta versus Silvanectum properans, à dextris linquit *Barbariacum*, quod vernaculè *Barbery* nuncupatur.

Charlis. Porro Nonetta subter Silvanectum, alio flumine accrescit, qui è *Versigny* territorio labitur; quo quidem auctus *Carolilocum* pertransit, ubi celebris Abbatia Ordinis Cistercienses, cui ad-

Armenonville. jacet *Hermenonis-Villa*, seu ditio. Fluviolus autem ille, quem è Versiniensi territorio erumpere diximus, secum rapiens rivulum Hermenovil-

Mont l'Evesque. lensem sub viculo *Fonte-Cornuto*, aliàs *Fontaine-les Cornus*, *Borretum* suas aquas provehit; deinde *Montem-Episcopi* perluens, *Victoriæ* Abbatiam ad-

Abbaye de la Victoire. venit. Hanc pridem Abbatiam erexit Philippus Augustus Rex in monumentum duplicis victoriæ, quas uno eodemque die tum ex Anglis, tum

ex Othone Imperatore & Ferrando Comite singulari prudentiâ reportavit. Idem vero fluvius urbis Silvanectensis latus allambens in Nonettam sese projicit, qui perpetuo cursu ad *S. Nicolaum d'Acy* accedit, ubi Prioratus Ordinis Cluniacensis; cui contiguum est *Courtevil* oppidulum, quod memorat Diploma Caroli Calvi Regis datum anno 962, in quo *Villam Cortilionis in Comitatu Silvanectensi sitam* nominat; in membranis autem veteribus *Cortellolium*, & *Curtolium* vocitatur. Castellum quoque *de Chantilly* eadem regione positum Nonetta irrigatur; quod ob præclara conclavia, & magnificum apparatum ab omnibus celebratur. Amplissimum illi adjacet vivarium; prædictus amnis huc affluens, stagnum efformat, castello undique circumfusum; nec longe dissitum nemus captandis quibuslibet aucupii & venationis oblectamentis accommodum. Sed ad alia transeamus.

S. Nicolas d'Acy. Courtevil. Chantilly.

BELLOMONTENSIS COMITATVS, AD ISARAM.

Sequitur convenienti ordine *Bellomontensis* Comitatus, olim *Cameliacensis* à Carolo Calvo rege indigetatus, ob insidentem Cameliacensem civitatem, vulgo *Chambly*, quæ illius tractus erat Metropolis. At condita jam urbe Bellomontensi, quasi commodiore pertranseuntibus viâ, & loco tutiore, eundem Comitatus titulum ipsa civitas ad se pellexit. Ipsa montis, cui assidet, amœnitas, *Bellimontis* nomen imposuit; ad differentiam autem nominis, *super Isaram*, cognomen adjectum est. Exornatur Prioratu Ordinis Cluniacensis. Hìc etiam amnis Isara ponte jungitur.

Beaumont. Nomina.

Ius dicit Baillivus à Rege constitutus, ad illumque provocant binæ Castellaniæ, Persensis, nimirum & *Meruviensis*. Situm est autem *Meruvium*, seu *Merudium* juxta *Escham*, sive *Lescham* fluviolum; cui & *Bailleul*, aliàs *Baillet* insidet; unde & *Bordonellum* proficiscitur; à quo non longe dissitus est pagus *Canliacus*, seu *Camliacus*, olim, ut supra diximus, hujus territorii caput, ubi etiam extitit castrum firmissimum, quod & potentissimo exercitui restitit. Idem vero amnis, qui Camliacum perlabitur, locum etiam *de Persenc* alluit, titulo Baronatus insignem. Vocatur in Cartis veteribus *Parcencum*, & *Persencum*, Gallicè *Parcenc*, & *Persent*. Huic autem Castellaniæ annectitur *Croiacum*; unde modico distant intervallo *Blaincourt*, *Berne*, *Mesnil*, *Montigni*, *Roncherolles*, *Renonval*, præcipuæ hujusce regionis dynastiæ.

Regimen. Meru. Bornel. Chambly. Persenc. Croy.

Infra *Bellummontem* visuntur & alia non contemnenda loca, *Campaniæ*, nimirum & *Valles*, vulgo *Champaignes* & *Vaux*; superius autem, *Bruieres*, *Borrenc*, quam vulgus *Borain*, vel *Boram* nominat; in quodam vero Theodorici Primi Diplomate *Villa Baudrinum* appellatur; postea verò *Borrencum*, & *Borrengum*, vocitatum est; cui adjacent *Fresneium*, *Moranglia*, & *Puteoli*, *Prateriæ*, *Asnieres*, *Quernelle*, silva celebris; *Reaumont*, insignis Abbatia, *Morancy*, *Gouvieux*, & *Montmelianensis* Castellania, *Precy*, *Villers*, *Scerentum*, seu *S. Lupi* *fanum*, vulgo *S. Leu de Scerent*; aliàs etiam *Asserentum* vocabatur; verùm aliis nominibus *S. Lupi* vocabulum præposuit, ob Prioratum Cluniacensem hoc loci, in illius Sancti memoriam erectum.

Fresnoy. Worangle. Puiseux. Presles.

CRETHELENSIS CASTELLANIA, PONS S. MAXENTIÆ, ET COMPENDIVM.

Crethelensis urbs, & Castellania, Baillivatui etiam Silvanectensi subjectæ sunt; illam memorat Lupus Ferrariensis Abbas in quadam Epistola, vocatque *Credilium*; Dudo autem Quintopolitanus, Crethelense castrum, posteriora denique Instrumenta, *Credulium* nuncupant. Pulcherrimo castro exornatur. Insignis est illius Basilica, S. Euremundo dicata, cujus sacræ exuviæ ante annum millesimum è monasterio Diœcesis *de Sees* in hoc oppidum translatæ fuerunt. In hoc tractu consita est Silva *de Pomeroye*.

Creil. Pomeroye.

In ipso Crethelensi castro reclusus fuit Carolus VI, cum mentis impos evasisset; illum enim Isabella Bavariæ, illius uxor, conclavi cancellis ferreis obserato mancipavit, cum ex sinistro quopiam eventu sui impotem esse comperisset.

Pons S. Maxentiæ urbecula est non ignobilis. Sedet ad Isaram, Credilium inter & Compendium; hanc autem sortitur nominis rationem à piissima quondam Domina eodem nomine insignita, quæ inibi sancto fine quievit, ipsique loco claritatem attulit. Illius antiquitas satis discitur ex Itinerario Antonini, qui cum viam describeret, quæ Ambiano per Bellovacum Suessiones ducit, eam vocat *Lithanobrigam*, quod saxeum pontem denotat, nam *Briga*, seu *Briva*, ut aliàs diximus, veteribus Gallis *pontem*, *viam*, aut *transitum* significat; *Lithanos* autem Græca dictio *Saxeum*, seu lapidibus structum indigetat.

Pont Sainte Maixence.

Præcipua & antiquissima hujus Castellaniæ appendix est *Pomponium*, vulgo *Pompoin*, fiscus olim regius; hodie vero de jure est *Moncellensis* Abbatiæ. Ipsa autem Abbatia Ponti S. Maxentiæ contigua est, quæ primitivam sui fundationem Philippo Pulchro Regi acceptam refert, qui quidem anno 1309 illam extrui mandavit loco *de Moncel* dicto juxta ædes Regias, quinquaginta Franciscani Ordinis Moniales illi assignans, quas & amplissimis reditibus pro regiâ munificentiâ dotavit.

Pompoin. Abbaye du Moncel.

Vernensis ditio juxta Isaram, inter Credilium & Pontem S. Maxentiæ diffusa, Marchionatus titulo decoratur, regii olim dominii portio, ubi & ipsorum insigne palatium; nam illic Synodos & Comitia congregarunt; anno quippe 755, ut in veteribus Actis legitur, *Illustris Vir Pipinus Rex Francorum universos pene Galliarum Episcopos aggregari fecit ad Concilium Verno Palatio publico, recuperare aliquantisper cupiens instituta Canonica.* Et in Capitularibus Caroli Calvi Regis referuntur *Canones Concilii in Verno Palatio habiti*, anno 845. Idem etiam his verbis testatur Rex Carlomannus: *cum ad Palatium Vernis anno Dominicæ Incarnationis 884 convenissemus, & pars fidelium nostrorum nobiscum.* Vernolio etiam nemus adjacet.

Verneuil.

Porro

Compendium.

Porro quod urbem & Castellaniam Compendiensem attinet, quamvis in spiritualibus Suessionensis Episcopi jurisdictioni subdita sit, in temporalibus tamen regiæ subjacet ditioni, & plurimi Reges amœnissimum Compendii secessum in deliciis habuerunt; unde & Historiographi *Compendium Palatium*, & *Compendium regium*, & *Compendium Regalis sedis oppidum*, certatim vocitarunt. Refert Gregorius Turonensis, quod, cum Clotharius I, Rex, Clodovæi Magni filius impugnante Saxonum exercitu profligatus fuisset, ipse à molestiis animum relevaturus Compendium accessit, in proximis etiam nemoribus venationis oblectamenta capturus; at cum venationis laboribus exæstuasset, in causum incidit, ex quo & mortuus est; cum autem esset jam morti proximus, exclamavit, *O verè metuenda Domini manus, cui potentissimi etiam Reges ludibrium!* Dagobertus etiam Primus Parlamenta quædam & Comitia ibi celebravit, ut suspicari licet ex tenore cujusdam Diplomatis hæc verba præferentis: *Iuxta hoc quod ante hos dies in Compendio in generali nostro placito tractavimus.* Et in vita Caroli Magni hæc etiam perleguntur: *Deinde iter agens ad Partes Neustriæ pervenit in villam, quæ dicitur Compendium.* Narrat etiam Aimoinus hîc quoque Ludovicum Pium frequentasse, regnique negotia pertractasse; imo & Carolum Calvum illius filium & successorem idem peregisse; qui quidem Rex in suis Capitularibus asserit, se hanc urbem duabus eximiis suæ benevolentiæ notis exornasse, nimirum insigni Abbatia, quam in palatii ambitu ædificari jussit, quæ S. Cornelii nomine impræsentiarum insignitur, ob sacra nempe pignora SS. Cornelii & Cypriani in ipsius æde asservata; & Castrum amplissimum & magnificum, quod, destructo veteri, ibi excitavit; ejusque filius ob propensum in vota patris animum, ad finem usque perduxit; quapropter & in memoriam Caroli, Compendium Carlopolis vocata est. Innumera fere alia vetustatis monumenta commendant Compendium; sed hoc unum sufficiat adjecisse, monetariam scilicet habuisse officinam, quarum nonnullæ species inter antiquariorum cimelia asservantur; illarum typum, si lubet, hic aspice:



Verum efflagitantibus Compendii civibus desiit hæc officina, monetæque ibi signatæ exoleverunt.

Forest de Cuise.

Porro illa, quæ Compendio silva adjacet, *Cotia* nominatur & *Coacia*, quandoque etiam *Causia*, vulgò *Cuise*. De illa hoc mirum Rigordus memorat, quod nempe Philippus Augustus Ludovici Iunioris filius, venatione animum relaxans in aprum immanem incidit, quem prosecutus, illico disparuit; verum cum ipse juvenis à via aberrasset, nec ullus viæ dux appareret, biduo per implicitos silvarum anfractus discurrens, tandem Deiparam invocans, Divumque Dionysium, perspexit à latere quemdam proceræ staturæ virum, gestu & habitu rusticum, qui ignem flabellaret, unde & atra illi facies in morem fere dæmonis, quem cum primò exhorresceret, attamen propiùs accessit, sefeque filium esse Regis illi aperiens, mox Compendium ab illo reductus est.

Choisy.

Assidet huic silvæ pagus *Cuciacus*, sive *Causiacus*, & *Cossiagus*, vulgo *Choisy*, juxta fauces Axonæ in Isaram sese immittentis positus. Fredegarius in Chronico, ubi de Rege Childeberto loquitur, Etiam Cauciaci meminit, *Mortuus est*, inquit, *his diebus Childebertus Rex*, *& sepultus Cauciaci in Basilica S. Stephani Martyris.* Emenso inde milliari Prioratus reperitur Ordinis olim Grandimontensis; impræsentiarum autem, Minimorum Conventus; qui in veteribus Monachorum Grandimontensium monumentis vocatur *Bona domus in nemore Erley*, sive *Erloy*, juxta *Choisiacum*. Torotense dein *Castrum* juxta silvam quoque Cotiam, quod etiam memorat Dudo Quintopolitanus. Aliâ verò ex parte nemoris conspicitur *Offemont*, ubi præclarus Celestinorum Conventus, quo quidem in amœnissima solitudine relicto, in tractum Valesium exspatiamur.

Bona-domus.

Thorote.

TRA-

TRACTVS VALESIVS,

vulgò

LE VALOIS.



Extensio. Alesia regio à Principibus & Dynastis, qui illam possederunt notissima, Ducatus titulum præfert; non usque adeo protenditur; Longitudine enim leucas sedecim, latitudine duodecim ad summum complectitur. *Fines.* Ab Ortu Axona clauditur, & Suessionensi, Tartanesioque territorio; à Meridie, Castrotericensi, & Matrona flumine; Meldensi & Silvanectensi ab Occasu; à Septentrione Isara, & Compendiensi ac Bellovacensi territoriis. *Valesius* autem dicitur ab amœnissimis, quibus undique excurrit, vallibus, quæ & feracissimæ sunt, unde etiam jucundissima illius loca à *Vallis* vocabulo aut incipiunt, aut in illo terminantur, *Vausery*, *Vauchrestien*, *Douneval*, *Bellival*, &c.

Reges. Quam verò sit illustris Valesiorum prosapia, vel ex hoc suspice, quod tredecim Franciæ Reges ex ista stirpe nobilissima progerminarint.

Crespy. Primaria hujus territorii civitas *Crispiacus* appellatur, ut autem ab aliis ejusdem nominis oppidis seorsim innotescat, additur *in Valesio*; neque unum solummodo nomen sortitur; sed varii varia nomina imposuere, *Crispeium* scilicet, *Crispiniacum*, & *Castrum Crispiacum.* *Ecclesiæ.* Multas habet Ecclesias; præ ceteris vero eminet S. Arnoldi Prioratus, & duæ Collegiales Ecclesiæ, una S. Albani, altera D. Thomæ. Vrbi assidet monasterium S. Agathæ; cis visitur insignis monialium Ordinis Cistercienfis Abbatia, quæ vulgo *le Parc aux Dames* appellatur. *Abbatia du parc aux Dames.*

Nanteüil. Inter præcipua territorii Crispiensis loca, censentur Castellania *Nantoliensis*, quæ hodie Comitatus titulo insignitur; *Alia loca.* vallis *Agassel*, *Ballency*, *Fresnoy*; silvæ *de Gombrie*, *de Levignem* & *de Piers*; *Silly*, *Mercourt*, *Baiz*, *Oger*, *Viliers*, *S. Georges.* Porro Nantolium castro decoratur, & Prioratu Ordinis Cluniacensis.

Ipsa autem Crespiensis præfectura usque ad Aciacum, quod in Meldensi territorio situm est, porrigitur, amplectiturque velut ipsum gremium totius regionis Valesiæ, ubi *Retia silva*, *Villiers-coste-Retz*, *Liortoré* Abbatia, quæ Latinè locus restauratus dicitur; *Bonnevil*, *Morgnieuval*, celebris Abbatia; *Burfontenejum*, vulgo *Bourfontaine*, amplissimum Cartusiensis instituti monasterium. *Forest de Rest.*

Vrvier. Haud procul à Retia silva extat *Vivarium* Burgus, ubi quondam Valesii Comites Domos amœnitatis habuerunt. Aliâ etiam orâ nemoris *Longus-pons* visitur, præclara Cistercienfis Ordinis Abbatia. *Abbatia de Long-pont.*

Secunda Baillivatus Valesii Præfectura, Firmitas Milonis assignatur, vulgo *la Ferté-Milon*; quæ antiquo nomine *Firmitas Vrc*, *Vrcha*, & *super Vrcham fluvium* dicebatur, desumpto ab amne vocabulo. *La Ferté-Milon.* Communiter autem *Firmitas Milonis* appellatur, sui nomine fundatoris, qui intestino flagrante bello castellum inibi excitavit. Istius Milonis meminerunt acta translationis S. Wulgisi, quem *potentissimi Domini* elogio exornant, piissimumque & sacerrimum translationis opus illi tribuunt. Porro Ludovicus Franciæ, Dux Aurelianensis, loco istius castri vetustate fatiscentis, novum ædificari præcepit, sed morte interceptus nequaquam ad exitum perduxit; imo civilibus dissidiis simul cum Ecclesia S. Wulgisi ex parte dirutum est.

Haud procul à castro, *Vrca* fluvius labitur, qui nomen impertiit territorio, quod *Vrcissum* Carolus Calvus Rex indigetat. *Ourc fl.* Attamen ab aliis *Vlcum* dicitur, Gallicè *Oulc.* Exoritur amnis ille ultra *Crucis* oppidulum, profluitque ad *Vlchiacum Castrum*, *Oulchy le Chasteau*, quod quidem cum *Vlcheia villa* unam Valesii Præfecturam constituit. *La Croix. Oulchy.* Est in ipso castro insignis Prioratus; olim Canonicorum secularium collegium, ab ipsius loci Comitibus institutum; sed exactis sæcularibus, Regulares Canonici à Theodebaldo Magno, Campaniæ Comite introducti sunt.

Sunt & aliæ ultra Vlchiacum Dynastiæ, Baillivatus Valesiæ appendices, nimirum *Armentieres*, *Mont-Nostre-Dame*, *Saponnay*, *Cramailles*, *Coincy*, Latine *Coinciacus*, ubi Cluniacensis Ordinis Prioratus; à quo non multum abest præclarum etiam Fontis Ebraldi monasterium, *le Charme* dictum, quod vico de *Raucourt* assidet; *la Croix*, *Glizolles*, &c. *Armentieres. Mont-nostre Dame. Saponnay.*

Vt autem ad alveum Vlci fluminis revertamur; Ex Vlchiaco castro, ad oppidulum *Rosoy de S. Aubin* amnis ille defluit: unde modico distant intervallo loca *de Billy*, *S. Remy*, *Marisy*, seu Marisiaca villa, ubi furente Normannica tempestate, sacra D. Genovefæ pignora fuere translata, & summo cum honore asservata.

Sequitur *Novilliacum S. Frontonis*, sive *Nuilly S. Front*, locus celebris, quem Flodoardus *Villam Novilliacum in pago Vrcinse* appellat, eo quòd in territorio, quod Vrca perluit, positum sit; *Nuilly S. Front.* deinde *Pacx*, *Auteuil*, *Marolles*, *Bornonville*, & *Mareville*, in altera parte fluminis. Haud procul inde pulcherrima *Collinances* Abbatia, ubi Virgines Ordinis Fontebraldi, aliaque non ignobilia loca, *Crouy*, *Tresmes*, *Mail*, *Rieux*, *Trocy*, *Eschancu*, *Ocquerre*, &c.

Quod autem reliquarum est hujusce Baillivatus Castellaniarum, *Bisisiacum* burgus non inelegans, Iudicis sedes est, qua tractus hic Bellovacensem attinet; situs est in vasto quodam, & spatio-

spatioso hiatu vallis Autonnæ, rivoque cognomine irrigatur.

In inferiore burgi regione pertransit Autonna rivulus, qui fontes repetit ex agro Villaircoteriensi, *Pisseu* inter & *Coulioles* pagos, inde *Vulcenias*, seu *Wolcenias* pergit, vulgò *Vouciennes*, stagnumque postmodum de Walu efformat, quo peracto Haramoni fluviolo miscetur, ac postea per fossas Longipratensis Abbatiæ diffluit, modicoque emenso spatio, alium obviam fluviolum rapit, qui è *Watmesia* provenit; aliosque qui è *Russy*, *Liortore*, *Bonnoil*, *Guiencourt*, & *Buy* prodeunt; deinceps adimplet idem fluvius stagna Auberevalliæ, & Poudroniæ; è quibus emergens *Autonnæ* nomen sortitur, variisque aliis accrescit fluminibus è *Morgnienval*, *Morcourt*, *Gillocourt*, *Betaucourt*, effluentibus; sibique sociat eum, qui è *Glagua* proficiscitur rivulum, qui è fontibus *Oger S. Mard*, & *Oger S. Vincent* nascitur, ac Betisiaci prata perluens tandem in Isaram sese exonerat sub Vermeria. Non multum hinc dissita est *Saintines*, antiqua Dynastia, cui *Nery* ditio proxime adjacet.

Vaumoise. *Autonne fl.* *Glague.* *Saintines.* *Nery.* *Verbry.*

Vermeria etiam inter antiquas Valesii Præfecturas computatur; impræsentiarum Betisiacæ est annexa. Incumbit Isaræ; regio olim Palatio ornabatur; refertque Fredegarius in Chronico, hûc loci Carolum Martellum à bello Saracenorum è Provincia reducem, in morbum incidisse; quod itidem ac iisdem plane verbis testatur Aimoinus: *Ægrotare cœpit in villa Vermeria super fluvium Isaram.*

Nec silentio prætereunda est spectatissima *Petrafontis* Præfectura, quæ præsertim versus Suessionem protenditur; castrum olim habuit fortissimum, sed civilibus dissidiis deformatum, jubente Ludovico XIII, Rege; illius etiamnum parietinæ conspiciuntur. Est etiam inibi S. Sulpitii Prioratus. Hoc autem in tractu reperitur *Kala* viculus, aliaque non contemnenda loca, *Outreval*, *Cuise*, *Dongeon de Martimont*; fanum S. Petri, vulgo *S. Pierre en Chastres*, ubi Petrus *de Mourono*, seu Celestinus Papa Celestinorum Conventum ad modum Eremi ædificare cœpit, quod & Philippus Pulcher amplissimis reditibus dotavit. Uno etiam à Petrafonte milliari invenitur locus *Campi-dolentis*, ob Anglorum cladem hoc nomen sortitus. Præclarum vero antiquitatis monumentum extat in vico & Prioratu *Crucis S. Audoëni*, qui portio quædam est Petrafontensis Castellaniæ; circumfertur enim ansam fundationi hujusce Prioratus præbuisse Crucem è nive compactam, mensibus æstivis, Audoëno, Dagoberti Regis Cancellario, apparentem; cui locum ipsum Rex munificentissimus in Ecclesiæ ædificationem assignavit, nemoribusque & terris adjacentibus impense dotavit.

Pierrefont. *Chelles.* *Champdolent.* *Croix S. Oyen.*

SUESSIONENSE TERRITORIUM.

Soissonnois.

HÆc amœnissima regio à priscis Suessionibus, Galliæ Belgicæ populis, nomen assumpsit. Illorum variis in locis Commentariorum Cæsar meminit, & *Suessonum* nomenclaturâ indigetat, fuisse ex una parte, Bellovacorum; ex alia vero Rhemorum finitimos asserit. Adnotat etiam Strabo, eosdem, quos additâ litterâ Suessiones vocat, primos à Bellovacensibus apud Belgas authoritate polluisse; cujus quoque sententiæ adhæsit Plinius, qui & illos inter municipes liberosque populos & propriis utentes legibus ac Magistratibus annumerat. Vocantur autem à Ptolemæo Vessones detractâ aliâ litterâ; sed illapso in scriptis errore; censent enim viri eruditi legendum *Suessones*. Inde postea dictum est *Suessonicum solum*, quo quidem vocabulo usus fuit S. Remigius Rhemensis Archiepiscopus; Flodoardus autem *Suessionensem pagum* appellat.

Hic ager veterum Gallorum temporibus in maximam expandebatur amplitudinem; illi namque Cæsar civitates duodecim assignat, quas inter *Noviomagus*, seu *Noviodunum*, vulgo *Noyon*, computabatur; magnam quoque Valesii, atque Tartenesii partem, quandamque Superioris Campaniæ, & Brioniæ portionem amplectebatur; accisâ autem Noviomagensi civitate, perstitit intra fines Diœcesis reliqua ejus amplitudo; sedes vero Episcopalis statim à prædicatione fidei, in Suessionensi civitate constituta est. Porrò complectitur ipsa Diœcesis quadringentas fere parochias, urbes egregias, insignes Abbatias, Prioratus, aliasque Ecclesias.

Si autem juxta seculare regimen territorium Suessionnense perspicias; plurimum sane decrevit illius amplitudo; nam ab anno octingentesimo neque Valesium, neque Tartenium tractum amplius amplectebatur; ab iis quippe & appellatione & limitibus fuisse seclusum constat ex datis Caroli Magni litteris, quibus Vadense, seu Valesium, Tardonense, & Suessionense territoria ab invicem distinguuntur. Attamen Suessionensis regio etiam hac ratione accisa, postmodum insigni refulsit Baillivatu, qui quidem Legibus atque Consuetudinibus Veromanduorum usus est, ad Parisiensemque Parlamenti Curiam provocat.

Tribus hic ager fluminibus irrigatur; quæ vulgo *Aisne*, *Velle*, & *Crise*, appellantur. Prior quidem *Axona* apud Cæsarem nominatur; qui, junctis sibi duobus aliis, in Isaram properat, cui juxta Compendium commiscetur; cumque sit aliis nobilior, eapropter Lucanus Poëta, ab illo nomen *Axonum* derivavit, volens hoc versu notare Suessiones:

Flumina.

—— *Longisque leves Axones in armis;*


Quasi diceret, *Axonæ fluminis accolas*; namque Axonæ alveus vallem efformat viginti & amplius leucis projectam, quam strenuos bello viros omni ævo peperisse, notat Guillielmus Bretonius:

Valle Suëssonicâ, quàm fortia corpora surgunt.

SUESSIO.

Soissons.

PRimaria hujusce tractus civitas *Suessio* nominatur, ubi præter Sedem Episcopi, & Baillivi, est quoque Sedes Præsidialis. Binis montibus interjacet, in quorum fundo perlabitur Axona. Quod illi nomen ævo Cæsaris fuerit, ipse non expressit; sed sequentibus proximè temporibus *Augusta Suessonum* fuit appellata, scilicet in memoriam Augusti, ut testantur Ptolemæus



VALESIVM Ducatus.
VALOIS.
Scala milliarium Gallicorum
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PICARDIE.
BEAVVAISIS.
PARTIE DE L'ISLE DE FRANCE
PARTIE DE LA BRIE.
PARTIE DE CHAMPAGNE
PAIS DE VALOIS.
LA GOVELLE.
Compiegne
Pons S Maixance
Creil
Senlis
Crepi
Villers Coteret
Soissons
Ferte millon
Dampmartin
Meaux
La Ferte Soubs Iouerre
Chateautiery
La Fere en Tartenois
Guiljelmus Blaeu excudit.


mæus, atque Antonini Itinerarium; at postea huic civitati contigit, quod plurimis & celeberrimis Galliæ civitatibus commune, ut suorum duntaxat populorum nomen retineret; unde & *Suessones*, *Civitas Suessonum*, *Suessona civitas*, *Civitas Suessorum*, *Vrbs Suessionum*, *Suessionica civitas*, *Suessiones*, *Suessonis*, *Suesso*, & *Suessio* nominata est. Rationem autem nominis quidam autumant à *suavi sessione* deduci, quod scilicet locus sit amœnissimus.

Nomina.


Dominatus.

Principiò quidem Gallorum regibus paruit hæc civitas, quos inter, *Divitiacus* à Cæsare memoratur; imo & *Galba*, qui quidem illam Romanorum imperio subjecit; à quibus Clodovæus Primus, Rex, eam extulit; cujus etiam liberi regium illi titulum restituerunt, quem Gallorum ævo possederat; nam divisâ Franciæ monarchiâ Clotarius I, thronum Suessioni stabilivit, cui Chilpericus filius successit. Cœpit autem illa civitas sub Carolo Magno à Comitibus regi; at nihilominus Reges, etiam Comitum temporibus monetas inibi signari jusserunt, nam & apud antiquarios extant numismata argentea Caroli Calvi, aut forte Simplicis monogramma præ se ferentia, prout typus hic subjectus prætendit:

Moneta Suessionensis.



Cum autem iste Comitatus postmodum hæreditarius evasisset, idem quoque monetas signandi jus ipsi Comites usurparunt, quod aliud numisma aperte demonstrat, circa tempora Philippi Audacis Francorum Regis excusum, quod Ioannis cujusdam Suessionum Comitis nomine insignitur.



Status Ecclesiasticus.

Quod autem Status est Ecclesiastici, primi, qui zelo Christianæ fidei Suessiones appulerunt, fuere *Crispinus* & *Crispinianus* è Romana civitate transmissi, qui quidem inibi martyrium pertulerunt; cum itaque modico tempore in vivis ibi perstitissent, post mortem Romano Pontifici apparuerunt, qui iisdem compellentibus Sixtum Episcopum, & Siricium Presbyterum ad consummandum opus fidei, & conversionis Suessionum à prædictis martyribus jam inchoatæ, delegavit. Porro Sixtus, primus Rhemensis Archiepiscopus, Episcopalis etiam Suessionensis Ecclesiæ fundator extitit, ubi & Sanctum Siricium Episcopum ordinavit, qui & post illius obitum in Rhemensem Archiepiscopatum suffectus est. Cæterum Suessionensis civitas Cathedrali Basilica, multisque aliis Ecclesiis, ac religiosis Domibus exornata est; præ cæteris autem eminent nobilissimæ, opulentissimæque Abbatiæ S. Medardi, D. Mariæ, S. Ioannis cognomento *à Vineis*, S. Leodegarii, &c.

Præter tot celeberrimas, quæ huic urbi maximo sunt ornamento, Ecclesias, multis etiam pagis, iisque pervetustis redimitur; quos inter non infimæ notæ sunt *Bucy*, *Treny*, *Margival*, *Crouy*, *Clamecy*, *Cuffiers*, *Pommiers*, *Villeneuve*, & *Oyle*, qui antiqui hujusce Comitatus dominii membra fuerunt; nam Ioannes II, Suessionensis Comes, illorum incolas variis ab oneribus exemit; quod & ratum fecit Ioannes III, Comes, prædicti Comitis filius & successor, anno 1271. Celebris est apud *Cuffiers* abbatia, cujus Ecclesia Protomartyri Stephano dicata fuit quondam parochia; verum S. Ansericus Suessionensis Episcopus, tempore Dagoberti I, regis, Collegio Canonicorum sæcularium exornavit; Nevelo autem, Suessionensis etiam Episcopus, postmodum Religiosos Ordinis Augustiniani substituit, qui ad annum usque 1228, illam occuparunt; tunc vero temporis Iacobus *de Basoches*, in Conventum Monialium commutavit; ipsæ autem Moniales anno 1627 ad civitatem Remensem translatæ sunt.

Villeneuve.

Extat quoque in oppidulo Villanovano monasterium non inelegans Ordinis Celestinorum sub nomine SS. Trinitatis, ab Enguerrano VII *de Coucy* Domino, Suessionensique Comite quondam erectum, qui in Hungariam profecturus omnem pretiosissimam, quam habebat, supellectilem, omnia bona mobilia, imo & Suessionensem Comitatum, & ipsam Ditionem *de Coucy*, quò cœptum opus absolveret, oppigneravit; mandans ne ullus hæredum, post ipsius obitum, illorum possessione frueretur, donec opus ad exitum perductum fuisset. Eodem quoque Monasterio contumulari elegerat; verum cum paulò pòst obiisset, cor illius duntaxat illuc allatum est, atque sepultum.

Pont-Arsy. *Velly.*

Axona fluvius Suessionem defluens, hoc salutat monasterium. Oritur in Rhemorum finibus, ac postquam varia perluit territoria, Pontem-Arsiacum, vulgo *Pont-Arsy*, alluit; inde *Velly* urbeculam prolabitur, Præfecturæ titulo insignem, cui subjacent sequentes pagi, *Chavonnes*, *Paigny*, *Ioy*, *Aisy*, & *Freullains*. Hanc urbem Velliam nonnulli indigetant, formato nimirum à Gallica dictione vocabulo; Ipsum autem nomen à flumine deductum est.

Basoches.

Hunc amnem nonnulli vocant *Vidulam*, & *Vidolam*; ipse Rhemensi è territorio scaturit, indeque decurrens, *Basilicas* vulgò *Basoches*, veterem Castellaniam, & Baronatum irrigat. Hic olim frumentorum promptuaria à Romanis Imperatoribus extructa fuere, unde & locus adeò famigeratus evasit. Postmodum etiam illius nomen adauxit Basilica in memoriam Sanctorum Rufini & Valeriani Martyrum erecta; nam & Basilicarum nomen illi indidit, quod ei quoque per antonomasiam Flodoardus in Historia Rhemensi tribuit; prisci etenim nascentis Ecclesiæ Christiani, sua templa Basilicas vocabant, quod regia ædificia indigetat. Isti viri Sanctitate insignes ibi commorabantur, frumentariis hordeis ab ipso Imperatore præfecti; cumque ad Christi fidem nuper essent conversi, maximas egenis eleemosynas elargiebantur; quod cum rescisset Rictiovarus à Maximiano Imperatore Prætor, illos comprehendi jussit, & capite multari. Basilicis autem eos martyrium subiisse Flodoardus asserit; Carta etiam pervetusta testatur, S. Remigium Rhemen-

mensem Archiepiscopum sumptuosissimam eò loci Ecclesiam excitasse in horum SS. Martyrum memoriam. Scripta verò est anno 1122, in ipso *Basilicarum* oppido, qua ex appellatione, pleraque alia vocabula prodierunt, scilicet *Basiliæ*, *Basoliæ*, & *Basulæ*, *Baisochæ*, *Basochæ*, *Basochiæ*, & *Basilicæ*, hunc locum velut in plurali denotantia. Ceterum huic oppido adjacent S. *Theodebaldi Prioratus*, *Tesnieres*, *Colonges*, *Ville-Scavoir*, *Vauserée*, *Loupines*, *Barbonval*, &c.

Braine. *Braina* exiguum hujus tractus oppidum, ab antiquis temporibus Comitatus dignitatem præfert. De illa, velut de spectatissimo munimento mentionem injicit Flodoardus; ipse enim Chronici anno 931 *Brainam castrum super Vidulam* vocat, quandoque etiam *Brana* & *Brena* dicitur. Proximum Brainæ assidet castrum, quod vulgò *de la folie* nominatur; illud excitavit Agnes Drocensis & Brainensis Comitissa. Aliud autem est eximium quod huic urbeculæ adjecit ornamentum, Sancti nempe Evodii Abbatiam, ubi Brainensium Comitum quamplura visuntur Mausolæa.

Vidula fluvius Brainam deserens, subter Velliacum in Axonam influit, quo quidem flumine illius etiam nomen sepelitur; sua autem ostia in Condato, super Axonam, *Conde sur Aisne*, reperit. Porrò Condatum viculus est in confluenti duorum fluminum positus; Vrbes verò, & oppida quæcunque in Gallia Condati nomen præferentia, ut plurimum confluentibus assident. Huic contiguum est *Celles* oppidulum.

Celles. Priusquam longius à Braina secedamus, operæ pretium est, antiquas illius dependentias perlustremus, quæ & illi proximæ sunt. Agmen ducit *Fera* Tardenensis castellania, quæ tenui sedet in territorio, *Tardenium* nominato. Hoc territorium Flodoardus frequenter memorat, pagumque Tardonensem vocitat, & alicubi Suessionensibus jungit; at Carolus Calvus Rex *Tardanisum*, & vetera quædam Latino idiomate instrumenta *Tardanum*, & *Tardanesium* indigetat. *La Fere.*

Sunt autem in illa regione loca varia *in Tardenio* cognominata, ut discrimen aliquod adhibeatur inter alia ejusdem nominis loca. Fera equidem, ceu Fara, Tardenii caput; à quibusdam indiscriminatim, sed perperam pro Fera super Isaram accepta, suam probat vetustatem ex ipso D. Remigii testamento; cum etenim hanc civitatem Clodovæus, Galliarum primus Rex Christianus, D. Genovefæ cum *Cruny* viculo donasset, illud Virgo Sanctissima, Genovefa, inquam, Rhemensi Ecclesiæ munus assignavit; mandavit autem Remigius, ut Archiepiscopus post ipsius obitum successor, ex Feræ proventibus, necessarios profunderet sumptus in illius Templi restaurationem, in quo ipse sepulturæ mandaretur. Feræ appendices sunt *Villers*, *Villemoyenne*, *Forest de Rie*, *Augi*, & *S. Gilles*.

Neelle. Neella ejusdem agri oppidum ad antiquum Brainensis Comitatus dominium pertinuit, cum territoriis *de Quincy*, *de Longueville*, *Draveny*, *Villauvrier*, *Versilly*, & *Charry*; quibus adjiciam vicum *Cartobram* appellatum, vulgo *Chartreuve*, juxta Feram in Tartenio situm. Hic monasterium Ludovici Iunioris temporibus fuit extructum, cujus præcipua dotatio Agneti Comitissæ Brainensi tribuitur.

Gallia.

Muret. Feram inter & Suessiones Muretum reperitur antiquæ memoriæ Baronatus, à quo non multum abest Nantolium *sub Mureto* cognominatum, ubi nascitur *Crise* rivulus, qui *Chacrise* viculum allabitur, cui & nomen impertit; postea Busancium allambit, Vicecomitatus titulo conspicuum, cujus dependentiæ sunt *Thau* & *Tigny* non contemnenda loca. Haud procul *Hartenesium*, & ditio *Villemauthuyensis*, atque Dynastia *Acconinensis*. *Nantueil.* *Crise fl.*

Inde Crisa amniculus Suessiones proficiscitur, ibique Axonæ miscetur. Axona autem junctis sibi Vidula & Crisa rivulis, Suessiones deserens, *Pommiers*, *Oyle*, *Fontenay*, & *Kevres* perluit, alterumque ibi fluviolum sibi sociat. Hoc in tractu jacet *Lavercines*. Porro Kevrense territorium ad Marchionatus dignitatem à Ludovico XIII, Rege, provectum est.

Ostel. *Ostel*, sive *Hostel*, est etiam aliqua portio Suessionensis Comitatus, qui Comitis titulum suis quoque possessoribus attulit; huic annexa est ditio *de Mareville* in territorio Tardenensi. Axona verò fluvius Fontenayo egrediens Ripariam pergit, Gallicè *la Riviere*; deinde *Viacum* progreditur. Haud procul inde splendidissimum, pulcherrimumque Blerencourtii Palatium visitur, cui adjacet Burgus cognominis; deinde *Espagny* vicus D. Anserici, Suessionensis quondam Episcopi, ortu nobilis. Exinceps Axona *Vitriacum* inter & *Iausiacum* profluens, *Atichiacum* invisit. Tandem fluminis ductum prosequens *Rotundas* pervenit. Is locus fuit olim celebris, & Abbatia exornatus; inde tandem Axona Choisiacum procurrit, & in Isaram sese exonerat, loco *Isaræ ostium* indigetato; quod Guillielmus Bretonius eleganter his versibus expressit: *Mareville.* *Vic.* *Blerencourt.* *Atichy.* *Rotondes.*

> Axona *cui faciunt nomen vulgale moderni*,
> *Hic tibi cum tollat nativum* Vidola *nomen*,
> *Ipse suum perdit Isara majore receptus.*

VRBS NOVIOMENSIS.

Noyon. Noviomensis civitas, ad Isaram posita, antiquissimis Galliæ oppidis, quorum Romani veteres fundamenta jecere, non immeritò potest accenseri. Tribus irrigatur fluminibus, *Galliola* scilicet, *Margareta* & *Versa*, è quibus duo priores junguntur posteriori, ut simul in Isaram evolvantur. Præcelsis tum ab Ortu, tum ab Occasu rupibus munitur. Qui è priscis authoribus illius meminerunt, variis eam nominibus appellarunt; nam Iulius Cæsar libro 2. Commentariorum de Bello Gallico *Noviodunum* nominat; quemadmodum & Valentinianus, & Gratianus Imperatores in quadam ex suis legibus; at verò in notitia Occidentalis Imperii, & in Antonini Itinerario, *Noviomagus* appellatur; posteriores *Novionum*, *Novionium*, & *Novionem* vocitarunt, prout legimus in Chronicis, Historiis, Sanctorum gestis, & Martyrologiis, unde tandem novissimi Scriptores *Noviomagensem civitatem*, & *urbem Noviomensem* derivarunt. *Nomina.*

Regimen. Paruit olim Suessionibus hæc civitas, scilicet ante Romanorum in Gallias dominatum; id quippe Iulius Cæsar asserit; scribit enim, quod cum exercitum in Suessionnense territorium adduxisset, ut inde in Bellovacense transmitteret,

R vo-

voluisse obviàm Noviodunum obsidere, non potuisse tamen illam expugnare, tum ob nimiam fossarum latitudinem, & murorum altitudinem, qui poterant à paucis militibus custodiri, tum vel maxime quod Suessionnenses, qui jam prælio fusi & fugati fuerant, nocte sequenti, in eadem convenerant; verùm modicâ ab illis resistentiâ factâ, petentibus Rhemis, Legatos ad Cæsarem de deditione miserant, eaque de causa Suessiones in deditionem accepisse, datis obsidibus primis civitatis, atque ipsius Galbæ regis duobus filiis.

Vnde, quemadmodum à principio Christianæ fidei, Episcopatus ad quemdam numerum civitatum, seu districtum, fuere constituti; ita limites Suessionensis Episcopatus Noviodunum usque pertigerunt, adeò, ùt hæc etiam civitas Suessionensi civitati fuerit ad tempus subjecta; verum Clodovæo Primo sceptra moderante, Episcopalis Veromanduorum sedes, Noviodunum à S. Medardo translata est, ut testatur vetus Chronicon: *S. Medardus*, inquit, *Sedem Episcopalem ab urbe Virimandorum, ad Castrum Noviomum transtulit.*

Complectitur hodie Noviomensis Episcopatus 334 circiter parochias, in novem Decanatus distributas. Celebriora illius monasteria sunt, S. Eligii juxta Noviodunum, sub regula S. Benedicti; S. Quintini in insula, ejusdem Ordinis, eximium S. Mariæ monasterium, in Hamensi civitate, vulgò *Ham*, Ordinis S. Augustini; Mons S. Quintini, Ordinis etiam S. Benedicti; Genliacensis Abbatia Ordinis Præmonstratensis; S. Eligii *de Fontaine* Prioratus; S. Bartholomæi, prope Noviodunum; *Orcamp, Fervac*, &c.

Illustrant etiam Noviodunum plurima antiquitatis monumenta. Narrat Ado, Viennensis Archiepiscopus, Chilpericum Franciæ regem, hac in urbe diem clausisse supremum, in eaque contumulatum fuisse. Refert quoque idem auctor Carolum Magnum, Pipini regis primogenitum, regni diadema ibi suscepisse eodem omnino die, quo Carolomanus illius Germanus Suessioni inaugurar etur. Ab illo ævo ista civitas, & territorium adjacens, Comitatus titulo fulgere cœperunt, ut convincitur ex diplomate Caroli Calvi in gratiam Abbatiæ S. Dionysii concesso, *villam*, inquit, *cognomento Bonam mansionem in Comitatu Noviomensi*, &c. Insigni Basilica decoratur, quæ quidem Virginis Deiparæ honori dedicata est, amplissimoque Canonicorum collegio illustratur. Sæpius fatali incendio deflagravit; nihilominus intacta permanserunt quorumdam Episcoporum Mausolæa. Visuntur etiam in templo SS. Petri & Pauli vetusta S. Acharii, & S. Mommoleni sepulcra, quorum ille sanctum Eligium in Episcopatu præcessit; hic vero successit. Hic etiam contumulatus fuerat Sanctissimus ipse Præsul Eligius, sed postmodum ad cathedralem Basilicam pretiosissimæ illius exuviæ translatæ sunt. Extat extra muros, loco *de Mont-Regnaut*, non inelegans Cartusiense monasterium.

Hinc appellationem cepit *Noviomensis regio*, quam Flodoardus *Noviomensem pagum* indigetat. Hinc inde juxta Isaram diffunditur, & quædam illius portio Axonæ adjacet; multa habet oppida, & non contemnenda loca, quæ inter accensetur *Salenciacum*, S. Medardi ortu nobile; *Varennes, Orcamp, Trapy*, *S. Legier au Bois*. *Salency. Varennes.*

Porro fluvius Isara, decem circiter aut duodecim supra Vrsi-Campum, sive *Orcamp*, milliaribus, ad locum scilicet *de Vandueil*, incipit esse navigabilis, indeque Feram properat, & Calniacum; & ubi *Pontem-Episcopi*, vulgo *Pont-l'Evesque* attigit, ternis inde flexibus digreditur, sicque cursum peragit, donec ad Pontonem Bairiensem venerit; ubi paulò inferius, Axonam sibi sociat, ejusdem nomine consepulto; deinde Compendium quas excepit aquas deducit. *Pont-l'Evesque.*

Ceterum Noviomensis civitas cum suo territorio, Consuetudine Veromanduorum regitur, cujus quidem præcipuus Baillivatus, in Laudunensi sedet civitate. Accensetur etiam Insulæ Franciæ regimini, quemadmodum & Calniacum, quamvis tota fere Diœcesis ad Picardiam pertineat. *Regimen.*

CALNIACVM.

Calniacum urbs est, & munimentum antiquissimum; assidet Isaræ, Feram inter & Noviodunum civitates; Varia apud auctores, atque in Cartis veteribus nomina sortitur; à Flodoardo namque *Calnacus* & *Calniacus* vocitatur; In Chronico autem Laudunensi, *Cauniacus*, à recentioribus denique, *Chauniacus* appellatur. Proprios olim Dominos habuit; impræsentiarum autem Coronæ annexa est cum quibusdam pagis adjacentibus, *Foillovel* scilicet, *Coudren*, &c. *Chauny.*

Eximius juxta Calniacum viculus prætenditur, cui nomen Viriacus, Gallice *Viry*; hujus ditio ad Cathedralem Lutetiæ Parisiorum Ecclesiam spectat. In eadem quoque præfectura est *Curisiacus*, vulgò *Cherisy*, Locus olim celebris, nam ibi quondam ædes regiæ; asserit quippe Fredegarius, Palatium Carisiacum, ad Isaram fuisse situm, sicut etiamnum Carisiacus pagus conspicitur, cum vetusti, sed magnifici castri ruderibus; non etenim juxta hujus amnis alveum alius reperitur locus, cujus nomen accedat; profero illius verba, queis obitum Caroli Martelli hoc loci morientis describit: *Carolus nempe Princeps veniens Carisiacum, villam Palatii super Isaram fluvium, valida febre correptus obiit in pace.* Indubitato igitur errore vulgares Historiographi *Creciacum ad Isaram* appellitarunt; neque enim ullus est viculus huic flumini adjacens, qui hujusmodi vocabulo nuncupetur. *Viry. Cherisy. Crecy sur L'Oyse.*

Quod autem Palatium Reges hîc habuerint, amœnissimumque hunc venationis ergo locum frequentarint, variæ attestantur Regum Litteræ, Caroli Magni, Ludovici Pii, Caroli Calvi, & aliorum, quibus subscriptum est, *Actum Carisiaco Palatio Regio*; cumque iidem Reges iisdem in Palatiis monetas signari curarent, quarum generalis inscriptio, *Moneta Palatina*, cudebatur; nonnulla tamen reperiuntur numismata, quibus singulari prærogativâ, *Carisiaco* inscribitur, ut patet ex typo



impræsentiarum exarato. Non est operæ pretium, quæ hîc digna memoratu gesta sunt, sigillatim excute-

cutere; quàm magnifico nempe apparatu, Pipinus Rex Stephanum Papam ibi exceperit; Leonem III, Carolus Magnus; aliaque innumera, quæ quidem antiquam loci amplitudinem evincerent; ſed brevitati litans, nil tamen deſerens quod ad intentum faciat, cetera prætermitto.

TRACTVS LAVDVNENSIS.

Laonnois.

PRæter enumerata hucuſque territoria, Tractus Laudunenſis Francicæ Inſulæ etiam accenſetur, quiquidem agro Remenſi, Sueſſionenſi, Veromanduorum, & Thieraſchenſi circumſcribitur. Vſque ad Iulii Cæſaris tempora nullum habuit particulare nomen, ſed Remorum nomine continebatur; quod & perſeveravit Romano florente imperio, uſque dum Marcobrius Prætor Laudunenſe caſtrum ædificari mandavit; ab illis enim tempribus adjacens regio unum ſeorſim territorium conſtituit, quod in vetuſtis auctoribus *Laudunenſis pagus*, atque *Lugdunenſis* nominatur.

Nomina.

Hincmarus & Flodoardus, celeberrimi Scriptores, hunc tractum Comitatus etiam titulo exornant; ubi enim de eo ſermo incidit, *Laudunenſem Comitatum* exſcribunt; at vero in Capitularibus Caroli Calvi regis, *Laudunenſe*, ſimplici vocabulo, & *Laudunîſus* appellatur. Guibertus Abbas Nogetenſis, & Guillielmus Nangius *Laudunenſem provinciam* indigetant; in Cartis autem & Membranis recentioribus *Laudunenſium* nuncupatur.

Porro idem ipſe Hincmarus nonnumquam luculentius de hoc Comitatu teſtimonium profert, ubi de S. Remigio, Antiſtitem huic territorio præficiente, loquitur: *Et Parochiam*, inquit, *ipſius Comitatus Laudunenſis præfato caſtro ſubjecit*; & iiſdem fere verbis Flodoardus lib. 1. ſuæ Hiſtoriæ, *Comitatus*, ait, *Laudunenſis eidem caſtro ſubjecit Parochiam.* Quibus ex verbis evincitur, tractum Laudunenſem, jam ſuperioribus ſæculis antequam in Epiſcopatum erigeretur, Comitatus titulo fuiſſe inſignitum.

Quantum autem ad Diœceſim, principiò quidem extitit aliqua portio Rhemenſis Archiepiſcopatus; Verum illam ſegregavit D. Remigius, ſeorſimque in Epiſcopatum erexit, ſuos illi limites & terminos præſcribens. Ipſe vero Epiſcopatus in duodecim rurales Decanatus fuit diviſus, queis ſubjectæ ſunt trecentæ circiter Eccleſiæ parochiales, plures Abbatiæ, Prioratus, & Conventuales Eccleſiæ. Poteſt etiam generalius dividi in duas regiones, Thieraſchenſem ſcilicet, & Laudunenſem.

Flumina.

Iſara fluvius Laudunenſem agrum à Veromanduis dirimit; *Axona* verò abs Diœceſi Rhemenſi; Ailleta à Sueſſionenſi ſeparat. Præter hæc autem flumina, *Seram* habet & *Ardonam*, quibus etiam irrigatur; imo & alia quædam; nam *Resbacis*, cujus meminit Ludovicus Pius Imperator in inſtrumento veteri, vicum ſibi cognominem allambebat, quem Chronicon S. Dionyſii *Roboys* indigetat.

Tandem hæc regio amœniſſima eſt, & gratis nemoribus undique conſita; ubi & Reges venandi ſtudio velut illecti priſcis temporibus ſeceſſerunt; ideoque Palatiis, ædibuſque regiis illam exornarunt.

LAVDVNVM.

Laon.

LAudunum civitas, Laudunenſis territorii caput, ipſi regioni nomen indidit. Præcipua illius decora ſunt ſedes Epiſcopalis, præclaraque Ducatus atque Pariatus dignitas; imo & Baillivatus Veromanduorum ſedes primitiva, nec non & Tribunal Præſidis.

Nomina.

Olim quidem Lugdunum vocabatur, à Reginone ſcilicet, aliiſque Auctoribus; unde & Epiſcopi *Lugdunenſes*, & Lugdunenſium Epiſcopi fuere vocitati tum in Synodis, tum alibi. In vita etiam S. Furſei, Bercharius, Comes Laudunenſis, *Lugdunenſis Dux* appellatur; verum ad differentiam nominis cum pleræque aliæ Galliarum civitates *Lugduni* vocabulo ſignificarentur, hocce *Lugdunum Clavatum* appellatum eſt, aut etiam *Cloatum*, quo quidem illam nomine inſignivit Gregorius Turonenſis lib. 6. Hiſtoriæ cap. 4; Ado quoque Archiepiſcopus Viennenſis in Chronico, apud quem *Lugduno Cloaca*, pro *Lugduno Cloato* turpiſſimus error irrepſit; quod ex numiſmatibus ibi fabricatis uberrime comprobatur. At temporis cuncta immutantis viciſſitudo, hoc quoque *Lugduni* vocabulum in Lauduni nomen commutavit, retento etiam *Clavati* cognomento, ut in Fredegarii Chronico videre eſt, & in vita S. Remigii ab Hincmaro conſcripta, Flodoardi Eccleſiaſtica Hiſtoria, Dudone Quintopolitano, Guillielmo Gemetenſi, & aliis; qui quidem unanimiter omnes *Laudunum Clavatum* appellarunt. Sublata demum *Clavati* additione, ſola *Lauduni* dictio perſeveravit; unde poſtmodum *Laudunenſis*, & *Laudunicæ civitatis* appellationes derivatæ fuerunt.

Bibrax.

Vetuſtæ cujuſdam civitatis meminit Iulius Cæſar, quam *Bibrax* nominat, illam etſi velint aliqui Brainam, *Braine*, interpretari; cenſeo nihilominus eodem olim loco poſitam, quo Marcobrius caſtrum Laudunenſe poſtea ædificavit; quod & optimis rationibus fulcitur; nam primo Laudunenſe territorium tunc temporis Rhemenſi includebatur; Braina autem Sueſſionenſi; deinde *Braina* ad Vellam fluvium ſita, *Bibracem* vero ultra flumen Axonam conſtituit Cæſar, qui ſe Axonam pertranſiſſe ſcripſit ponte octenis paſſuum millibus à *Bibrace* diſſito, quod apprime convenit illi, quem *Pont-Avair* indigetant, quatuor à Lauduno milliaribus. Sed præſtantius ceteris argumentum, ſunt veterum quorumdam monumenta ſcriptorum, qui ipſam Laudunenſem civitatem quandoque Bibracem nominarunt; nam Dudo Quintopolitanus, ubi Guillielmi Normanniæ Ducis in hanc civitatem adventum memorat, ut Lotharium è Sacri Baptiſmi fonte ſuſciperet, *Willelmus*, inquit, *Rege exercituque ſuo Laudunenſi pago relicto, Laudunum Clavatum, qui & Bibrax dicitur, petivit cito, antecedente Epiſcoporum Franciæ choro.* Et ſupra vetuſtiſſimam Balduini Abbatis tumbam in monaſterio S. Vincentii Laudunenſis hic verſus legitur:

More pius, ſpeculum pacis, lumenque Bibracis.

Non-

Nonnulli etiam montem illum, in quo Laudunenſe caſtrum aſſurgit, *montem Bibracem* appellarunt; Guibertus autem Nogetenſis Abbas *Bibracinam convallem* vocat, ſubjectam Lauduno vallem, quæ ad S. Vincentii Abbatiam ducit: *Per vallem*, inquit, *Bibracinam*, *ad Sanctum contendit Vincentium*; atque paulo inferius duorum brachiorum hujuſce montis meminit, ubi fuerant olim vineæ conſitæ; unde quidam ſuſpicati ſunt Bibracis nomen aut pro monte acceptum, aut pro ipſa urbe, rationem nominis accepiſſe, à *binis brachiis*, quorum unum eſt ad Moncellam, alterum vero ad S. Vincentium ſpectat.


Si ergo vetuſta illa *Bibrax*, fuit ætate Iulii Cæſaris hoc in monte poſita, perſuaſiſſimum eſt, aut poſtmodum deſtructam fuiſſe, aut quum caſtro eſſet deſtituta, Marcobrium, cujus ſupra mentionem injecimus, inibi caſtrum excitaſſe, cui *Lugduni* nomen impoſuit, quod poſtea in *Laudunı* appellationem converſum eſt; namque Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus illum hujus loci primum fundatorem agnoſcit; cui adhærens Ioannes S. Vincentii Abbas eundem etiam his terminis deſignat. *Marcobrius Prætor Romanus ædificavit civitatem Laudunenſem ſupra montem excelſum nomine Bibrax, & vocavit eum Laudunum.* Vbi anticipato titulo civitatem vocitat, cum tamen necdum ab initio, civitatis elogium mereretur; verum ipſa nil fere præter formam caſtri prætulit ad annum uſque quingenteſimum, quo quidem tempore cunctis Hunnorum, Vandalorum, Alanorum, aliorumque Germaniæ, & Scythiæ populorum conatibus reſtitit, qui inclinante Romano imperio tota quaquaverſum Gallia graſſati ſunt; Sic enim teſtatur qui geſta S. Salabergæ auctor perſcripſit; is quippe annotat, quod etſi Laudunum nullo negotio poſſet obſideri; attamen loci natura, & ſitus in montis vertice, inexpugnabilem effecerunt: unde etiam poteſt conjici urbem hanc *Clavati* cognomen accepiſſe, quod nimirum quaſi undique in ipſo, cui impoſita erat ſcopulo, *clavata* videretur; aut forſan, quod illius mœnia omni ex parte clavis & vectibus ferreis fuerint obſerata.

Epiſcopatus. Tandem D. Remigius, Rhemenſis Archiepiſcopus, hujus etiam caſtri ſuæ Diœceſi ſubjecti dignitatem amplificavit, ſede Epiſcopali exornans, & ampliſſimis reditibus, quos ſuæ primitus Eccleſiæ Clodovæus Rex aſſignarat. Quamvis autem inſignis ille titulus urbem hanc ad tantam, qua nunc fulget, amplitudinem provexerit, non tamen hac de cauſa patriæ munimentum eſſe deſtitit, aut dedignata eſt; imo ingruente belli tempeſtate ſeſe propugnaculum obtulit.

Fuit etiam hæc civitas Regum, Reginarumque ſeceſſus; illam Brunechildis, cum filio Childeberto adhuc in minoritate conſtituto diu incoluit; id teſtantur vetera quædam numiſmata junioris Principis effigiem præferentia, quorum hic typum ſubjecimus:



Secundæ etiam proſapiæ reges hic frequentarunt; quare & Flodoardus ipſe in Chronico ad annum 948 *Lundunum unam ex ſedibus regiis* vocat. Hic ſæpius ſeceſſit Carolus Rex, cognomento Simplex, & monetas argenteas cudi mandavit, queis ex una parte illius monogramma conſpicitur, ex altera vero nomen civitatis, prout ex ſubjecto typo videre licet:



Tanto urbem hanc in pretio Reges habuerunt, ut & illius Epiſcopos non Comitatus tantum titulo, quem nullo non tempore ipſi Antiſtites præ ſe tulerunt, illam exornarint; ſed à quingentis & amplius annis, in Epiſcoporum gratiam, Ducatus & Pariatus dignitatem illi tribuerint; quin & jus ſignandæ monetæ conceſſerint; cujus numiſma aliquod tibi præbemus, ubi Gualterii Epiſcopi anno 1151 ſedem occupantis, nomen, averſà autem facie, nomen Ludovici Iunioris, cum utriuſque effigie, exprimitur.



Vicedomini. Habuit quoque Vicedominos hæc civitas, qui Epiſcoporum temporalia bona tuerentur, & ſecularia illorum negotia, auctoritate regia pertractarent. *Caſtellani.* Iidem etiam Laudunenſium Antiſtites ſubjectos ſibi Caſtellanos habuerunt, ſed omnium & Vicedeminorum, & Caſtellanorum jura tandem ad ipſum Epiſcopum devoluta ſunt, ipſique Epiſcopatui à Regibus annexa fuerunt.

Capitulum. Capitulum Cathedralis Eccleſiæ octuaginta & quatuor Canonicis conſpicuum eſt, ſunt præterea Vicarii, Symphoniarchæ, Muſici, Capellani quinquaginta quatuor, & alii quamplures Eccleſiæ miniſtri, in maximum hujus Eccleſiæ decus inſtituti. Floruerunt hic olim bonarum ſtudia litterarum, eratque Laudunum velut ſcientiarum Emporium, ad quod non ex omnibus ſolum Galliæ provinciis, ſed ex diſſitis etiam regionibus certatim omnes concurrebant, præſertim vero ex Anglia. Nomen huic Academiæ fecerat Anſelmus Canonicus, & Decanus Eccleſiæ Laudunenſis; illum quidam ejuſdem ævi Hiſtoriographus, *Virum ſapientiſſimum* appellat, ac *per totum pene orbem Latinum*, *ſcientiæ & eloquentiæ fama notiſſimum.* Docebat publice in Eccleſia Laudunenſi, felicique adeo proceſſu, ut ex laudatiſſimo hocce Lyceo viri eruditiſſimi prodierint, quos inter, Guillemus *de Champeaux* Eccleſiæ Pariſienſis Archidiaconus, & poſtea, Cabilonenſis Epiſcopus; Petrus Abelardus, Albericus Rhemenſis, imo & Guillielmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui ante adeptam dignitatem Laudunum profectus eſt, ut Anſelmi prælectiones exciperet; quin & Rollonis Angliæ Cancellarii liberos illuc ſecum adduxit. Maximum etiam decus accepit Eccleſia Laudunenſis abs Canonicis, aut nobili è proſapia oriundis, aut ad eminentiſſimas dignitates evectis; nam quidam illorum, Cardinales, Epiſcopi, & Franciæ Cancellarii extiterunt; imo & Iacobus Pantaleon,

leon, cum esset Canonicus, & Archiepiscopus Laudunensis, summum Pontificatum adeptus est sub nomine Vrbani IV, neque Cardinalis Auscerus dicti Vrbani IV nepos, in eadem Ecclesia Canonicatum gerere dedignatus est. Tandem plurimæ aliæ celebres Ecclesiæ ex eodem Collegio suos Antistites elegerunt.

Cathedralis Ecclesia Laudunensis Virginis Deiparæ titulo inaugurata est; ipsa ex die fundationis, ad annum usque 1112 ab omni sinistro eventu immunis perstitit; eo vero tempore fatali periodo deflagravit, sed postmodum majori splendori restituta est, soloque duorum annorum spatio omni ex parte absoluta, eodem plane die dedicata est, quo prius ejus dedicatio celebrabatur. At vero præter istam insignem Basilicam, sunt Lauduni tum intra muros, tum extra, tres celeberrimæ Abbatiæ, quarum nobilissima opulentissimaque S. Ioannis nomine est insignita, primitus autem D. Mariæ titulo. Illius fundamenta jecit D. Salaberga, quæ congregatâ ingenti sacrarum Virginum multitudine, prima in hoc monasterio Abbatissæ munere defuncta est; utque illi decus & splendorem adderet, septem Ecclesiis exornavit, sub nominibus scilicet *D. Mariæ*, *S. Michaelis*, *S. Ioannis Baptistæ*, *S. Petri*, *S. Crucis*, *S. Apii Martyris*, & *S. Mariæ Magdalenæ*. Sed temporum vicissitudine à Monialibus ad monachos Ordinis Benedictini istud monasterium devolutum est.

Secundas tenet Abbatia *S. Vincentii*, Ordinis etiam Benedictini; in ea floruit Anselmus Abbas, cujus vita tot virtutum exemplis fuit respersa, ut suis etiam monachis eundem sanctitatis odorem aspirans, brevi novem ex illis ad insignes Abbatias provecti sint; ipseque ad Tornacensem Episcopatum fuerit assumptus. Tertia, est *S. Martini* Abbatia Ordinis Præmonstratensis, ubi primus à S. Norberto præfectus Abbas Gualterius tantis virtutibus effulsit, ut brevi quingentos ibi monachos congregarit.

Samoussy. Relicto ergo Lauduno, si Lætitiam perrexeris, offendas obviam locum *de Samoussy* dictum, ubi Silva venationi aptissima, & insignis Prioratus; hic forte situs olim *Salmonciacus*, aut *Salmonciagus*, Regum secessus, de quo Historiographi & vetera monumenta, quæ etiam memorant, Carlomannum Regem ibi diem extremum obiisse. Ceterum hoc in more positum habuerunt Reges, ut ad nemora ædes amœnas ponerent, inibique Ecclesias exædificarent, quæ quidem fuere postmodum in monasteria conversæ. *Lietissæ.* *Lætitia*, vulgo *Liesse* urbecula est tribus à Lauduno milliaribus, cui pietas & populorum frequentia nomen attulit. Celeberrima illius Ecclesia in honorem Beatissimæ Virginis anno circiter 1234 fuit consecrata. Ex quo tempore peregrinationes non è Gallia solum, sed è provinciis etiam exteris institutæ fuerunt.

Pierrepont. Inde amnis defluit, qui Petræpontem prætervehitur, qui burgus est & castrum, versus tractum Thierascensem assidens, nobilissima omnino castellania.

Montaigu en Laonnois. *Lætitiæ* iter ad Axonam fluvium prosecutus, Remos contendens, alium reperias burgum, *Montisacuti* nomine indigetatum; is præcelsi montis & acuti radicibus adjacet. Visuntur etiamnum in montis apice vetusta diruti castri rudera.

Sissonne. Vno inde milliari *Sissonia* reperitur, insignis quoque Castellania, ubi castrum elegans, & vivarium amœnissimum: duobus deinde milliaribus, versus Thieraschiam, *Nisiacum* vetus castrum visitur, Baronatus titulo insignitum, addito etiam *Comitis* cognomento. *Nisy.*

S. Herme. E Monte-acuto profectus ad Axonam, in dextra, *S. Hermetis* locum deseres, ubi Prioratus; deinde vicum à *S. Thoma* denominatum, Prioratu itidem exornatum; cis apparet *Corbiniacum*, vulgo *Corbeny*, celebre quondam Regum palatium, prout Historiographi, relictaque veterum monumenta, testantur.

Bairy. Porro Axona fluvius Laudunensem Diœcesim à Rhemensi dirimit, pontoneque in pago *de Bairy* pertransitur, qui quidem vicus *Bariacus* in Latinis instrumentis nominatur. Paulo superius Novum-castrum, *Neuf-Chastel* conspicitur, quod Ludovici Crassi gesta memorant; his enim verbis utitur Sugerus Abbas: *Hoc etiam, quod de Castro-novo repetebat, in diem distulit.* Inde non multum abest Prioratus *Euregnicourt* appellatus.

Roucy. Rauciacus, *Roucy*, urbecula est ad Axonam subtus Bariacum seu *Bairy*, sita, ubi arx prætenditur pervetusta, quæ quidem à septingentis fere annis Comitatus titulum prætulit. Varia Latine nomina sortitur; nam præter *Rauciacum*, vocatur etiam *Ruciacus*, & *Rocejum*, *Ruzejum*, *Rucium* & *Rocejacum Castrum*. Illustratur etiam hæc urbecula antiquissimo Prioratu. Adjacet quoque territorium *Boscus* dictum, quod Rauciaci Comites liberis suis ultimogenitis in possessionem assignarunt. *Toiny.* *Toiniensis* ditio *Ponti-avaro*, Gallice *Pont-Avair*, proxima, eodem, quo Rauciacus, flumine alluitur, haud procul ab ipso Rauciassensi oppido dissita; cui etiam binæ assident Abbatiæ, sumptibus eorundem Comitum fundatæ & dotatæ, quarum una *Vallis-clara* nuncupatur, estque Ordinis Cistercensis; altera Cuissiacensis, vulgo *Cuissy*, ordinis Præmonstratensis. Sunt in hoc tractu aliæ quædam dynastiæ, *la Bove*, *Montchablon*, sive Mons Cabilonis, & *Maureny*. *Vauclair.*

E Ponte-avaro decurrit Axona ad Curtim-Superiorem, aliàs, *Courceureux* vicus non ignobilis, & possessio celebris Abbatiæ S. Dionysii.

Ardon. Verum relicto Axonæ alveo, Laudunum versus, reducto itinere, *Bruyeres* occurrit, oppidulum, non longe ab *Ardon* rivulo remotum, qui & vico cognomini, cujus in vicinia oritur, nomen impertit, atque deinceps procurrens, præclaram Virginum Cisterciensium in dextra linquit Abbatiam, *Salvatorium*, aliàs *Sauvoir* vocitatam; posteaque altero flumine, *Ailete* dicto, sepelitur. *Ailete.* Hujus fluminis Flodoardus meminit, *Aleam* nominans, describensque exercitus Regis Caroli cognomento Simplicis, atque Roberti Comitis velut in acie invicem obversos, *Carolus*, inquit, *abnegato sibi introitu Lauduni resedit super fluvium Saram, & Robertus castra metatus est super Aleam.* Guibertus autem Nogetensis Abbas *Aquilam* vocat. Ceterum hic fluviolus quamquam sit exiguus, tamen piscosissimus est, plurima enim stagna variis in locis constituit. Fontes suos repetit è vico *Bucy les Ramons* appellato, unde *Claciacum* affluit, *Bucy.* *Clacy.*

affluit, qui quidem validiſſimo caſtro munitur, unde & Caſtellaniæ nomen aſſumpſit. Illi aſſidet vetus territorium *Novæ-villæ Laudunenſis*, vulgo *Neuville en Laonnois*.

Neuville.

Progreſſus è Claciaco Alea fluvius *Aniſiacum* properat, ubi vetuſtiſſimum aliud caſtellum, præclara Laudunenſium Epiſcoporum poſſeſſio. Inde *Novigentum* pergit, ubi celebris Abbatia Ordinis Benedictini, in qua olim Guibertus Abbas præfuit, qui expeditionem Terræ Sanctæ geſtaque alia hiſtoriæ mandavit. Ipſe autem hujuſce loci ſitum deſcribens, locupletiſſimum his verbis teſtimonium profert: *Eſt autem locus ille ſub caſtello, qui Codiciacus appellatur. Montium hinc inde prominentium vineis devexa cinguntur. Humus utrobique Libero, Cererique conveniens, omnium bonarum frugum gleba genitrice laudatur. Fluvioli fœcunditas pratorum longe lateque tendentium amœnitatibus commendatur.* Subjicit idem auctor, quod & memoratu digniſſimum eſt; traditum ſcilicet à majoribus, quod eò loci templum olim fuerit extructum, non cuidam Paganorum numini, ſive Idolo dicatum, ſed Feminæ, quæ Deum & Hominem erat paritura.

Amiſy. Nogent.

Codiciacus, civitas in præcelſo monte poſita, caſtro defenditur. Accenſetur præcipuis Galliæ Baronatibus; *Cociacus* contracto vocabulo nominatur, quin & *Couciacus*, *Coccium* & *Cuceium*, imo & *Cocium*. Priſcæ memoriæ eſt oppidum, nam & Clodovæus I, Rex, poſt acceptum D. Remigii miniſterio Baptiſma, hunc illi locum dono obtulit, quem ipſe Remigius ſuæ Rhemenſi Eccleſiæ teſtamento tranſmiſit. Ejuſdem verò ditionis eſt *Luliacum*, vulgò *Luilly*.

Coucy. Luilly.

Vrbem hanc & caſtrum occupavit olim Enguerranus de *Boves*, Comes Ambianenſis; nam in veteri carta, diu pertinaciter cenſuum perſolutionem recuſaſſe dicitur, quos Eccleſia S. Remigii ad illud uſque tempus acceperat ratione caſtri Couciacenſis; quod argumento eſt, prædictum Enguerranum per vim hunc locum occupaſſe. Quocunque autem modo in poſſeſſionem hanc involarit, illud certe conſtat, quod exinceps Couciacam ditionem abſque ulla controverſia poſſederit; cujus etiam titulum ſuæ familiæ adjecit; nam & Guibertus, Nogetenſis Abbas, & Nicolaus Sueſſionenſis monachus in vita S. Godofredi Ambianenſis Epiſcopi, *Enguerranum* Comitem Couciaſenſem poſtmodum indigetant; non equidem quod ipſa civitas in Comitatus dignitatem eſſet evecta, ſed ob Comitatum Ambianenſem, quo ipſe potiebatur; quod etiam comprobatur ex ſequentibus verſiculis, vulgato ſermone exaratis:

Roy ne puis-je eſtre,
Duc ne veus eſtre,
Ne Comte auſſi,
Mais grand Seigneur de Coucy.

Attamen ditio Couciacenſis inter tres maximas regni Baronias computata eſt, quia & ſæpenumero illius Dynaſtæ multis Comitibus aut dignitate pares, aut certe ſuperiores evaſerunt.

Enguerranus igitur AmbianenſisComes prima ſtipes hujuſce Couciacenſis Domus extitit, quæ una eſt ex illuſtriſſimis & nobiliſſimis totius Galliæ familiis. Porro ipſa Ditio impræſentiarum regni Coronæ annexa eſt.

Huic Terræ, ſeu Baronatui adjacent velut appendices pagi quidam circumvicini, *Freſnes*, ſcilicet, *Noirmaiſiers*, *Landricourt*, *Rieuville*, *Verneuil*, *Forny*, *Folembray*, *Champs*, *Sernay*, *Troſly*, *Pallemans*, *Vauſſaillon*, *Creſſy deſſus Nogent*, *Guiry*, *Courſon*, *Daudelain*, *Bertaucourt*, *Montſeaux*, *Vaudeſſon*, *Pont S. Mard*, & *Marevil*.

Pons S. Medardi, ab eo ponte nomen accepit, qui Aleæ flumini ſternitur, è regione Couciaci oppidi, quem collimitaneum inter Sueſſionenſe & Laudunenſe territoria Guibertus appellat. Procurrit autem Alea ad locum *de Folembray*, qui quidem eſt voluptatis & venationis receſſus. Eſt etiam in hoc tractu amœniſſima ampliſſimaque Voſagi ſilva, quam *Voiz* Galli Lingua vernacula appellitant. Hanc frequentarunt ſecundæ proſapiæ Reges, qui eadem regione Palatium extruxerunt, quod *Silvacus* per antonomaſiam à ſilva vocabatur; illius mentionem injecit Carolus Calvus in ſuis capitularibus, nec non & Hincmarus Laudunenſis Epiſcopus datis ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum litteris. Verum illius Palatii ne veſtigium quidem hodie apparet. Satius eſt itaque tum ea quæ in ſilva, tum quæ illi adjacent, loca enumerare.

Præmonſtratus, celeberrimus hujuſce regionis locus, uno tantum à Couciaco milliari reperitur, ubi nobiliſſima eſt ejuſdem nominis Abbatia. Circa rationem nominis, nonnulli fabulas texuerunt, quibus non immoror; illud, quod certiſſimum eſt, duntaxat referam, *Præmonſtratum* dici à *Prato monſtrato*, ut teſtatur Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus in diplomate; qui cum extruendo monaſterio commodiſſimum videret, S. Norberto obtulit, ipſe autem divino inſtinctu Abbatiam ibi ædificavit, quæ poſtmodum *Præmonſtratus* nuncupata eſt; unde etiam ipſemet Ordo, cujus Norbertus fundator extitit, idem nomen retinuit; cumque jam completa eſſet Eccleſia, Bartholomæus Epiſcopus illam conſecravit præſente Thoma, Domino Couciacenſi, Enguerrani II parente, qui maximis illam reditibus ampliavit; quodcunque enim jus in Præmonſtratenſi territorio prætenderet, Religioſis hujus Abbatiæ viris ceſſit, cum vallibus eidem adjacentibus, tantumque terræ, quantum par boum uno anno arare conſueverat; præter alia magni momenti jura, queis illos exornavit. Quare non immeritò Couciacenſes Dynaſtæ, cenſentur præcipui magnificæ iſtius Abbatiæ dotatores; in qua ex illis non pauci ſua ſepulchra delegere, ut tumbæ ibi poſitæ, & epitaphia aſcripta evidentiſſime demonſtrant.

Præmonſtré.

Cœpit Ordo Præmonſtratenſis circa annum 1116, referunt tamen Albericus, & Martinus Polonus ad annum 1119; alii ad annum 1137; verùm pars maxima Scriptorum in annum 1120 aſſignant; quibus hi verſus conveniunt ab Echoino conſcripti:

Anno milleno centeno bis quoque deno
In Præmonſtrato fundatur candidus Ordo.

Haud procul aſſident *Baſſoles* vicus, *Broiencourt*, *Septvaux*, Latinè *Septem-valles*. In eodem quoque nemore burgus *S. Gobani* reperitur. Fuit autem

Baſſoles. S. Gobain.

S. Gobain. tem Gobanus natione Hibernus, & S. Furſei diſcipulus, qui Laudunenſe territorium appulſus, *S. Gobani Eremus.* *Montem Eremi* ſibi ſolitudinem delegit, qui quidem hodie *Mons S. Gobani* nominatur, qui & prædicto burgo adjacet.

S. Nicolas au Bois. In eadem etiam ſilva extat non incelebris S. Nicolai Abbatia, *de Boſco* dicta, aut *de Silva*, vel *de Saltu*; quod cognomentum mihi ſuſpicionem injicit, *Silvacum* palatium, de quo ſupra mentionem fecimus, forſan hoc loci fuiſſe conſtitutum; quemadmodum enim *Silvacus* in Bolonienſi Comitatu, nomen, *S. Vlmeri de Silva* nomine, commutavit; ſic potuiſſe *Silvacum* palatium, monaſterii S. Nicolai nomine nomen commutaſſe. *Hiſtoria.* Narrat autem Guillielmus Nangius, quod cum temporibus S. Ludovici Regis, è provinciis exteris nobiles eo demigrarent, quo Gallicum idioma politiùs ediſcerent, tres è Flandria juvenes claro etiam ſtemmate oriundos, illuc adventaſſe, eodem addiſcendæ linguæ actos deſiderio; ipſos verò, cum per ſaltus avia, venationis oblectamenta captarent, interceptos fuiſſe à præfectis ſaltuum, qui eos ad Enguerranum Couciacenſem Dominum, velut reos deducerent; illeque extemplo, furore percitus, ipſos patibulo appendi juberet. Conqueſtus eſt S. Nicolai Abbas apud Ægidium Brunum Franciæ Comeſtabilem, quem juvenum alter conſanguinitate pertingebat; Comeſtabilis autem coram Rege querelam depoſuit; Rex Enguerranum ad ſe convocat; verum ille cauſam dicere recuſavit, abnegans ſe obſtrictum ad interrogata reſpondere, poſtulanſque ut ad Pares Franciæ remitteretur judicandus, juxta ſui Baronatus Conſuetudinem; illum nihilominus Rex carceri mancipavit, diemque dixit, quâ coram cunctis regni proceribus cauſam peroraret. At vero conceſſit Rex, ut à cunctis ſuæ ſtirpis Baronibus, qui tunc aderant, ſuper hoc negotio conſultaret; qui omnes ab Enguerrani partibus unanimiter perſtiterunt; Rex itaque à propoſito deſtitit, & ſupplicium capitis, in multam graviſſimam commutavit. Iuſſus quippe fuit Enguerranus duas fundare capellanias in demortuorum juvenum expiationem; decem mille libras expendere in extructionem Pontiſarenſis Xenodochii, & ad complenda S. Dominici, & S. Franciſci cœnobia; in Palæſtinam pergere, ibique ſuis ſtipendiis certo tempore militare, juncto etiam ſibi certo Equitum numero; quæ omnia promiſit, & ſolemni juramento firmavit. Verum Rollo Eburovicenſis Epiſcopus illum hoc juramento exolvit, accepta in id munus à ſummo Pontifice poteſtate; hoc tamen pacto, quod ſummam præterea duodecim millia librarum penderet, in ſubſidium Chriſtianorum ultramarinorum.

Tandem in alia nemoris extremitate ſeſe offert *Creſpeium*, vulgò *Creſpy*, huic cognomen *Laudunenſe* additur, ad differentiam aliorum ejuſdem nominis oppidorum. *Creſpy en Laonnois.* Sunt alia quædam minimi momenti loca, quæ quidem, ad nobiliora properantes, ultro prætermus.



CAM-

CAMPANIA,

Illiusque appendices Provinciæ.

Nomen.



Ampania, insignis Galliæ regio, suis è campestribus longe lateque diffusis nomen adepta est. Qui antiquitus eam incoluerunt, præcipuis illius urbibus sua ipsorum nomina consignavere; quippe à Tricassensibus *Tricassium*, à Lingonensibus *Lingona*, à Rhemis *Rhemensis civitas*; *Catalaunum*, *Meldæ*, *ac Senones*, suis etiam ab incolis nomen acceperunt.

Fines.

Hæc regio, si Brioniam illi adjeceris quasi unum eundemque tractum ex parte Belgicum, atque etiam ex parte Celticum, habet ab Oriente Lotharingiam, Barrensemque provinciam; ab Occasu Galliam, finesque Hurepensium, vulgo *Hurepoix*, à quibus Sequana, flumine celebri, (de quo aliàs) dirimitur; à Meridie Burgundiam; ac demum à Septentrione Picardiam. Protenditur in ora Augei fluminis, ad *Lintes*, *Lintellesque* oppidula, in Burgundiensi Ducatu versus Yonam fluvium, in Comitatu vero Carolensi, ad Lingonensium limites; ac tandem in Lotharingia, ad Rhemensem Catalaunensemque civitates usque diffunditur. Si à Passavantio Bassiniæ, ad Dormantium superioris Campaniæ oppidum exploretur longitudo, ad leucas quinquaginta Gallicas sese porrigit; latitudo autem ad quadraginta, à Cadurcio nimirum, ad San-Menehoviensem civitatem.

Flumina.

Multa ex agro Campaniæ flumina nascuntur; Matrona quidem, vulgo *Marne*, dimidio à Lingonibus milliari, Matrono è fonte erumpit, unde ad Lingones proficiscitur, exin ad Rolandi-pontem defluit, Chaumontium, Iainvillam, San-Didacum, Vitriacum, Catalaunum, Fertéum-sub-Iouarrense, Meldas, ac Lagniense oppidum, & admissis obviam San-Geosmo, Muscho, Suiza, Bloisa, Saltu, aliisque fluminibus, Sequanæ miscetur ad pontem Charentesium non procul à Parisiensi civitate extructum. Porro Sequana subsequentes excipit fluvios, Bréum, qui ultra Rochfortium nascitur, Sequanæque jungitur Ayséam-Ducis inter & Castillonium; Vrsam, qui à Benevro ortum ducit, Lugnyaviumque perfluens, & Creusam amnem sibi socians obiter, in Sequanam properat ad Barense, quod Sequanæ insidet, oppidum: *Leignes* quoque fluvius, in Leignensi solo supra Molesmum exortus, juxta Pollizium, modico ob oppido Barensi intervallo, Sequanam ingreditur, quemadmodum & Arsa, cujus scaturigo est in Fonte-Arseo; Lozain, qui sex à Tricassio milliaribus habet originem: Barsa, qui Munsterium-Rameyense perluit: Ardusson amnis apud S. Flavium erumpens, sesèque in Sequanam exonerans sub vico S. Albani nomine insignito; Sorma & Lorvinium juncti ad invicem fluvii Trancaltium intersecant, *Treignelque* & *Sollignium* alluunt, ac quinis exinde leucis in Sequanam procurrunt: Albis in convalli oritur adjacenti viæ publicæ Divionensis civitatis, propagaturque ad Auberiviam atque Aubepetream, Longéum, Montigny, Ferteum-Clarevallense, Bar, Plancy-Anglurum, posteaque in Sequanam prolabitur, subtus oppidulum Meriacense. Ceterum Albis, quibusdam augetur etiam fluminibus, quorum nomina hæc sunt: Aujonium sive Ionium ex Auberivensi Solo scaturiens, San-Lupense, Arquense, & Castrovilanense oppida pertransiens in Albim effunditur sub Claravalle: Armanceus etiam amnis, qui à vico Sire-Fontano ad Randovillierum, Matheviumque excurrit: Voira, cujus fontes in Sommevoira, Torram flumen suo recipiens alveo, unà cum illo Beaufortium progreditur, Ronneum, & Cholettam, Ausonius præterea fluvius è territorio Brantiniensi egressus: Husteus amnis è Malliensi agro Vinuelium pagum prætervehitur: Angeus, qui suas per Feram aquas devehit, Sezannam præterlabitur, Albique supra Anglurum sepelitur. Hi autem in Matronam exonerantur fluvii; San-Geosmus nimirum, qui uno Lingonensibus scaturit milliari, Brenonium transgreditur, Sanctique Salvatoris vicum irrigat, ac in Matronam postmodum elabitur. Muschus, qui San-Cyricum San-Martinumque loca pervadit, Pransey ac Iocquenay territoria fœcundat, Humesioque sub ponte saxeo excipitur. Suiza Marréum juxta & Villierium ducens primordia, eo itinere, quod ad Lingonenses ac Divionenses permeat, Chaumontium, Busservillamque perlapsus, in Matronam evolvitur: Bloisa fluvius exordium sortitus è fonte, qui centum à Cœnobio Brazancuriensi passibus dissitus est, illud ipsum monasterium obviam salutat, arcisque Blosensis fossas opplet, Donlevantium, Passium, atque Esclarron vicos transmeat, subtusque San-Didacum Matronæ demergitur: Saltus scatet è montibus ultra-Ligniacensibus, in Barrensi provincia Bar-ducense oppidum rigat, ut & Vitriacum à deflagratione cognominatum, ex quo emensis quindecim circiter leucis in Matronam sese præcipitat per cognomine sibi ostium. Vella tandem suos habet latices supra Sommam-Vellam, tribus à Catalauno leucis, Castrum Silrense alluit, Remos adit, Ioncherium, Fismenseque territorium ac denique in Aisneum flumen, vulgo *Aisne* se totum projicit.

Omnes impræsentiarum memorati fluvii, è Vogeso monte profluunt, juxta San-Seinense territorium, in Lingonensi Diœcesi, qua spectat ad Occasum. Sunt & alii, qui eadem in regione sua sortiuntur incunabula, modicoque ab invicem intervallo dissiti excurrunt ad pelagus, hi ad

Septen-

Mosella. Septentrionem, ad Orientem alii. Ipso etiam Vogeso in monte Mosella nascitur non longe ab Araris fontibus, Estreum inter & Bussarsium burgum, in finibus Lotharingiæ, unde Remiremontium affluit, Espinaleque, Charmesium, Bayonium, Thoul, Fruart, Mussi-pontum, Metensem atque Trevirensem civitates, ac demum Rheno miscetur apud Confluentiam. *Araris.* Araris, vulgo *Saone*, fluvius celebris, Vogeso è monte ac nemore proruit, Darneum, Attigneum, & Monsteriolum advenit, multisque postea peractis ambagibus, septem aut octo rivulos suo admittit alveo, Ponti Burgum ad Ararim situm proficiscitur, mox Croy, Pontallerium, Auxonium, Sanctique Ioannis Laonensis oppidum, Bellegardiam, Virodunum, Cabillonium, Matisconensem, Villamfrancam ac Trivultium civitates. Amplissimus hic fluvius, etsi lentius suas aquas devehat, multos tamen suo sinu rivulos excipit, Lantanam scilicet, Amanciam, Navigennam, Lognonium, Venellam, Bezam, Thyllam, Ouscham, Vocugam, Therinum, Musonium, Bursuram, Dunam, Dulceum, Grosnam, Pianettam, Yranciam, & alios. Navigenna, qui à vulgo Vigenna vocitatur, è monte Saulionnensi provenit, Montigniumque supra Vigennam præterlapsus, atque irrigata Fontis-Franci planitie decurrit Bellomontium, ac longo locorum emenso spatio, antequam misceatur Arari, bifurcatim dividitur, & quasi insulam efformat, ubi *Thalmay* & *Marsilly* nobiles hujusce fluminis portus insident, ad quos regionis Bassigniacensis aliarumque in vicinia adjacentium frumenta asportantur, suaque ibidem institores habent horrea. Thylia duos Marchionatus *Is* nempe ad Thyliam, & Thylii-castelli, ac Comitatum Savy-Ducis suis laticibus diluit, variosque in ramos dispertitus, suas in Ararim aquas effundit, Auxonium inter & S. Ioannis Laonensis oppidum. Beza è fonte prosilit, in loco ejusdem secum nominis; hujus aquæ limpidissimæ sunt, & saluberrimæ, piscosissimus est fluvius, & ob truttas, quas gignit præstantissimas celeberrimus.

Qualitas. Provincia hæc frumentorum magnam suis incolis profert abundantiam; vinum quidem nonnullibi ab aliis expetit; attamen quæ tractus Barrensis ad Albim vina suppeditat, optimæ sunt notæ, à Belgisque ac Lotharingis maximo pretio comparantur. Mons etiam Rhemensis, & Solum Catalaunense, necnon & Ayense, aliaque adjacentia loca, præstantissima, delicatissima suavissimaque, si quæ ullibi, vina producunt. Superior Campania nemoribus destituta est; decem leucas peregeris, ne inventis quidem arboribus aut dumetis. Aquæ Borbonenses, ob non vulgarem, quo præditæ sunt, calorem, celeberrimæ sunt. Extat & in agro Vassinensi, quibusdam fodinis terra conficiendæ bolo Armenæ idonea.

Mores. Optimæ sunt indolis hujusce tractus habitatores, frugi, in réque sua familiari administranda industrii: venationi indulgent, in armis strenui; ipsique Nobiles omni ingenuitatis ac rectæ educationis genere instructi.

Opes. Quamvis autem plurimis scateat hæc regio fluminibus; attamen modicum habet commercium, neque enim in ipso Campaniæ exitu navigabiles sunt fluvii; maximeque à pelago distat. Papyrus, quæ in molendinis Trevirensibus, aliisque conficitur; panni, quos inter razæ Catalaunenses laudatissimæ sunt, Campaniæ opes ac proventus adaugent cumulatissime, ut & ferrariæ Barrensium officinæ; è quibus ferrum in Burgundiam tractumque Lugdunensem asportatur.


Vires. Possunt ex hac provincia peditum decem millia, equites autem mille in aciem conscribi, & ad bella procedere.

Divisio. Ipsa Campania, quæ olim Comitatus honore fuit insignita, in Inferiorem ac Superiorem dispertiri potest. Ducatus ac urbes Rhemensis & Lingonensis, quæ nullatenus Comitatui subjectæ sunt, locis regionibusque adjacentibus accensentur, ut tractus, Comitatusque Catalaunensis, Ligniensis, atque Mottensis. Brionia Superioris Campaniæ provincia est; Comitatus autem Retelensis, Tonnerrensis, atque Senonensis, veluti tractus Campaniæ annexi in subsequentibus describentur.

Primi Campaniæ Comites. Suos olim Comites habuit Campania; qui autem prior Comitatum hunc sibi fecit hereditarium, Odo nominatus est, Odonis I, Blesensis, Turonensis & Carnotensis Comitis filius. Odo, inquam, ipse II, Roberti regis temporibus, Brioniæ, & Campaniæ prior possessionem accepit; unde & *Odo Campanius* à Sigeberto Chronographo appellatur. *Comites Palatini, & Pares Franciæ.* Ille verò Theobaldum Secundum genuit, qui ob conceptas adversus Henricum Primum Regem inimicitias, sub protectionem Henrici Germaniæ Imperatoris confugit, qui titulo Palatini illum exornavit, (hoc insigniebant nomine ordinarios sibi Consiliarios Imperatores,) is autem honos è familia Comitum Campanensium deinceps non excidit; illumque suis omnibus titulis indesinenter adjecerunt; & quamvis Palatinorum titulus, & Parium, adinvicem annecti non patiantur; nihil tamen obstitit, quin & Franciæ Paribus accenserentur. Equidem sub Hugone Capeto, idem quoque honos Theobaldo Carnotensi, Blesensi, ac Turonensi Comiti jam contigerat; eo quod primus ipse laudabili prorlus zelo funesta moderatus est dissidia, unde Princeps maximus, prudentissimusque regni Francici thronum adeptus est; quamobrem & illius successores jure hæreditario, sibique congruo acquisitis Campaniæ, Brioniæque provinciis in Parium numerum Campaniæ Comites retulerunt.

Comitatus supra memorati, per Ioannam Navarræ reginam, ac Campaniæ & Brioniæ Comitissam, Philippique Pulchri regis uxorem, Galliarum regibus obtigere; quos & Philippus cognomento Valesius suæ adjecit copulavitque Coronæ; is quippe cum Philippo Ludovici Comitis Ebroicensis filio, Ioannæque illius uxori regnum Navarræ restituisset, quod ad illam jure spectaret hæreditario, in compensationem Campaniæ ac Brioniæ Comitatuum ad eandem Ioannam pertinentium, territoria, dynastiasque in Marchiæ Comitatu illi assignavit; ne videlicet isti Comitatus Lutetiæ Parisiorum proximi, è suis, regumque successorum manibus elaberentur; quo tutius amplissima Parisiorum civitas, ac regiones finitimæ protegerentur.

At nunc quæ celebriora sunt harum provinciarum


CHAMPAGNE
latine
CAMPANIA,
COMITATVS
Amsterdami
Apud Guiljelmum et Ioannem Blaeu.
Milliaria Gallica communia
PARTIE DE LA BRIE
PARTIE DV TARTENOIS
SENONOIS
PARTIE DE LAUXERROIS
LA MONTAGNE
LORRAINE
Chateau tierri
Fismes
Pont a Vere
Mezieres
Doncheri
Sedan
Retel
Reims
Mousson
Stenai
Verdun
Clermont
Varenne
Simie
Chalons
Barleduc
Ioinvill
Chateau Vilain
Langres
Troyes
Arcis
Sens
Pons
Nogent
Tonnere
Chatillon
Neufchatel
Grand

Tricassium, seu Trecæ. ciarum loca sigillatim dispiciamus, principioque Tricassii civitatis incunabula perlustremus, secessus olim Comitum antiquorum. Existimant nonnulli plurimum conducere ad splendorem originis, si nomen illius à priscæ Troja ruinis repetant; sed maximis illi sese ambagibus implicant; nam Troja & Trecæ multum ab vicem differunt; illa enim quæ olim in Phrygia, *Troja* vocabatur; at quæ impræsentiarum in Campania est, *Trecæ* seu *Tricassium* dicitur, cujus etiam habitatores abs Cæsare *Tricassii* nominantur. Vrbs est inferiois Campaniæ, quam Sequana fluvius trans medium alluit, multaque illi commoda ex commercio suppeditat; Solum illius pingue est; validissimis cingitur mœnibus, quæ & ingentis amplitudinis sunt, necnon & elegantiæ; unde & inter amœnissimas Galliæ Belgicæ censetur civitates: castellum habetfirmissimum, & undiquaque munitum. Ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio Episcopis illustrata est, magnificentissimaque Basilica Stephani Protomartyris nomine insignita, cujus & Ammianus Marcellinus suis in scriptis mentionem injecit, illam rebus accensens augustissimis. Hìc claruit præ cæteris illius Episcopis, sanctissimus ille Præsul Lupus, cujus intuitus ferociam perfregit Attilæ, urbisque obsidionem solvere coëgit; cum tamen illam ferro flammisque totam perdere in animum induxisset. Ob acceptum vero tanti momenti beneficium excitata est inibi Ecclesia monasteriumque, quod Abbatia S. Lupi nuncupatur. Sunt binæ præterea Collegiatæ Ecclesiæ, parochiæ sex; Episcopatus autem ipse quingentas complectitur Parochias, plurimaque celeberrima monasteria.

Concilia Trecensia. Anno 878, celebratum fuit hìc generale totius Ecclesiæ Gallicanæ Concilium, quo ad finem perducto, Ludovicus cognomento Balbus è Ioannis VIII, summi Pontificis manibus accepit diadema. Congregatum fuit & aliud sub Paschali II. summo etiam Pontifice, qui in Galliam venerat suppetias à rege petiturus adversus Imperatorem. In hoc autem Concilio declaratum fuit irritum matrimonium nondum consummatum Ludovici Crassi cum filia Comitis Rochfortii Franciæ Seneschalli, maximique Magistri, Gregoriique Summi Pontificis Decretum de matrimonii Sacerdotum prohibitione innovatum est.

Trecense Parlamentum. Anno 1418, cum Isabella regina Caroli VI uxor, Comitia Parlamentaria suspendi obtinuisset, adhærens utpote Comiti Armeniaco; & quæcunque ab iisdem emanassent Comitis edicta revocasset ab anno 1413, Trecensem Curiam instituit; verum ipsa in sui primordio extincta est.

Iurisdictio. Hic jus dicit Ballivus seu Præses assistentibus octo Consiliariis; Est & Prætor, aliique Iustitiæ Antistites, hocque Tribunal appellant subalternæ ejusdem urbis jurisdictiones. Aulæ Trecensi subordinantur undecim regii Majoratus, Castellaniæ viginti tres, aliaque sex tribunalia.

Ioigny. Comitatus Ioviniacensis urbs primaria, eodem quoque Iovinii nomine exornatur, quæ & Campaniam à Burgundia separat, ex parteque Senones attinet; nonnulli modernam, pervetustam alii afferunt; quod & testatur Latinum nomen *Iovinium*; quamvis autem impræsentiarum Trecensis extet ditionis, olim tamen jurisdictionis erat Altisiodorensis. Iovinii Comites sese Decanos olim septem Comitum vasallorum prætendebant, præcipuaque Campaniæ Comitatus membra, prout relatum in actis Blancæ reginæ datis 10 Augusti anni 1354. Nomen fecit hæc civitas illustrissimæ familiæ Ioviniacensi, è qua prodiit eximius ille Guillielmus Comes Ioviniacensis ab an. 1170, ab Historiographis tantopere celebratus. Transtulit hinc Comitatum Ioanna Ioviniacensis jure matrimonali in Carolum Valesium hujus nominis Secundum, Comitem Alençonium, Carnotensem, Perchensem, &c. quibus & titulum Comitis Ioviniacensis adjecit; cum autem absque liberis obiisset, hereditate obtigit illustrissimæ familiæ de Noyers, per Ioannem de Noyers, qui hujus Comitatus heredem duxit uxorem, unde Miles, Ioannes, Ludovicus aliique liberi fuere procreati.

Bassigny. Bassigniacensis tractus hoc nomine donatus, quod Inferiorem occupet Campaniam, pluribus est aquis irriguus, quam reliquæ hujus regionis plagæ, Matrona, Mosa, Mosella fluviis undique cingitur.

Chaumont. Illius caput est Chaumontium, à Calvo-monte dictum, Matronæ flumini adjacens, antiquitus duntaxat Burgum arce munitum in Campaniæ finibus, & agro Barrensi. Arx ipsa suos olim singulares habuit dynastas, donec Campaniæ Comitatui annexa est, atque hoc pacto cum ipsa Campania regum dominio adjecta est. Hoc oppidum tres Franciæ reges amplificarunt, murisque circumdederunt, Ludovicus nimirum XII, Franciscus I, Henricus II; qui & turribus validissimis munierunt. Maximum faciunt è pannis ac textilibus proventum hujus oppidi habitatores, ut & ex aliis manu elaboratis opificiis; unde Iudicem & Consules inibi habent mercatores, qui eorum Lites & dissidia componat.

Ecclesia. Basilica princeps hujusce civitatis, gloriosissimi Ioannis Baptistæ Christi præcursoris auspiciis inaugurata est. Ministrant in ea Canonici duodecim, uno moderante Decano; sunt & alii præterea Capellani. Porro ipsi Canonici ab ævo per Capitulum civesque urbis illius eliguntur ex solis indigenarum familiis. Matronæ flumini, longo satis à mœnibus intervallo assidet Capella Dominæ à Bonis Nunciis nuncupata, necnon & Lazaretum, atque Ecclesia S. Aniani; visuntur & in alia montis crepidine, quædam aliæ capellæ, ejusdem etiam beatissimæ Virginis cultui addictæ, atque Xenodochium, & Parochialis Ecclesia Archangeli Michaelis.

Montigny. Nogent-le-Roy. Mont-clair. Complectitur hic quoque Comitatus oppidulum, quod vulgo *Montigny* nominatur; deinde *Nogent-le-Roy*, Castellum & civitatem; postea Montem-Clarum, vulgo *Mont-clair*, qui statim in ipso Lotharingiæ occurrit ingressu, cujus arx editissimi totius provinciæ montis crepidini incumbit, quam vallis, mœnibus, ac propugnaculis Franciscus I. & Henricus II, Reges munitissimam firmissimamque effecerunt. Adsidet montis hujusce radicibus burgus *Andelou* dictus, cujus præfectu- *Andelou.* ra & Iurisdictio longe lateque diffunditur, quondam elegans amplaque civitas, ut ex ruderibus potest conjici, necnon ex privilegiis & immunitatibus, queis etiamnum incolæ in commerciis,

ciis, commutationibus, novisque acquisitionibus potiuntur. Sunt aliæ præterea urbes, burgi, arces, & fortalitia, *Risnay*, *Choiseul*, *Clarus-mons*, vulgò *Clermont*, &c. quæ suos habent Præfectos & Gubernatores. *Aigremont*, urbecula est in finibus Lotharingiæ, jurisdictionis Lingoniensis, ad familiam Luxemburgensem pertinens, locus planè non ignobilis.

Bar-Sur-Aube. Barense ad Albim oppidum, vulgò *Bar-sur-Aube* Inferiori in Campania constitutum, Comitatus titulo insignitum est; commendatur à vinis exquisitissimis; hîc regium tribunal, Collegiataque Basilica. *Chasteau-vilain.* Castro-vilanum, *Chasteau-vilain*, locus munitissimus, & Castellum pervetustum, juxta normam hodiernæ structuræ restauratum, fulget Comitatus titulo. *Passavant.* *Passavant* lautum satis oppidum circa fines agri Bassiniensis, juxta Lotharingiam & Francum-Comitatum, Silva inumbratur densissima sibi cognomine. Habent illius incolæ sua privilegia & immunitates. *Borbonne.* *Borbonna* à thermis calidis laudatissima, ostentat vetera quædam antiquitatis monumenta, Marchionatus titulo insignitur, & regiâ præfecturâ. *Coeffy.* *Coeffy* castrum firmissimum in ora Lotharingiæ, ubi & præsidium militare; burgum ipsum elegantissimum est & opulentum. Quatuor à Lingonensi urbe milliaribus *Ortes* invenitur non procul à Belli-loci abbatia. *Ortes.* *Rolant-pont.* *Rolandi-pontium* Matrona fluvius per medium secat. *Grand.* *Grand*, exiguum est oppidum, assidet uni Matronæ amnis scaturigini, pluribus antiquitatis vestigiis insigne, vetusto etiam castello defenditur, secessus olim, ut fama est, Iuliani Apostatæ, attamen hodie de civilibus aut criminalibus postulati inibi mancipantur. *Vignory.* *Vignory*, urbecula Matronæ adjacens, binos inter montes posita, in quorum altero castellum extructum est machinis bellicis munitum. Exornatur Ecclesiâ, Stephano protomartyri dicatâ, atque Prioratu, Gaudet honore Comitatus. Hic ager rebus omnibus ad vitam necessariis instructissimus est, pratis, pascuis, nemoribus, limpidissimarumque scatebris aquarum amœnissimus; nec desunt thermæ, ac medicamenta simplicia.

Vallage. Tractus Vallagensis, *Vallage*, à frequentibus in ipso vallibus cognomen accepit, plurima ipse loca complectitur; nam mox ut Calvo monte egressus fueris, si in Galliam Celticam iter arripueris, occurret *Ioinvilla* insignis & nota civitas, *Ioinville.* olim Baronatus; cujus proceres & dynastæ tanto præfulserunt apparatu in Terræ-Sanctæ expeditione, ut Sanctissimum Regem Ludovicum in admirationem rapuerint. Illam in Principatum evexit Henricus II, Rex, quæ quidem hodie peculium est illustrissimorum Ducum Guisiacensium, quorum majores sua inibi mausolæa extruxerunt, præsertim in Collegiata S. Landerici Basilica, ubi strenuissimi Herois Godefridi Bullionii ossa translata fuisse dicuntur, è quo velut è suo stipite stemma deducunt Duces Lotharingiæ. Appendices hujus Principatus sunt Baronatus hi, *Hailly* nimirum, *Doulevant*, *Roches*, & *Esclairon*, cujus parent jurisdictioni, ut plurimæ etiam arces aliæ, burgi & pagi.

Vassy. Non procul à Ioinvilla *Vassy* oppidum cernitur, lauta hereditas familiæ Ioinvillensis, obsepta silvis & nemoribus, quæ ob scatentium fontes a-

Gallia.

quarum jucundissima est. Modico à mœnibus intervallo terra singularis effoditur ad conficiendam bolum Armenam idonea, quæ in regiones ultimas exportatur. Celebratur illius castrum à fortitudine structuræque elegantia.

Bar-Sur-Seine. Barense ad Sequanam oppidum, exigua quidem est civitas, sed amœnissima; variis irrigatur fluminibus, ibi in Sequanam confluentibus, queis tumens, in amplissimum deinceps evadit fluvium, Comitatus ornata titulo, Campaniæque paribus accensetur, cujus subjacet jurisdictioni; at quod ærarii est ac regiminis, ad Burgundiam pertinet.

Monterandé. *Monterandé*, sive, *Monstier en Der*, vastum nemus complectitur ad Voiram fluvium, specialem habet jurisdictionem, at Vitriensi subordinatam. *Vand'œuvre.* *Vand'œuvre*, urbs vetusta & fortalitium, Barsæ amni insidens, Vandalorum opus, sexto ab urbe Trecensi lapide, Baronatus impræsentiarum familiæ Luxemburgensis, olim vero Dynastarum de Noyers.

Monstier-Ramey. *Monstier-Ramey*, Barsæ flumini etiam adjacens oppidum, insigni Abbatia exornatum; quemadmodum & Piney, Sequanam inter & Albim, cui Ducatus, Pariatusque Franciæ tituli sunt annexi. Iuga quoque montium Albi incumbentia eodem in tractu conspiciuntur.

Chaource. *Chaurcium*, Burgum inprimis elegans, castello propriaque jurisdictione instructum. *Brienne.* *Brienna* præ se fert titulum Comitatus, atque inter septenos Campaniæ Pares computatur. In genealogiis nobilium Franciæ familiarum memorantur Briennæ Comites ante annum 1099, è quibus genus ducit egregius ille Gaucherius Briennæ Comes, Erardi progenitor, qui Anglesiam de Montbeliard uxorem duxit; cujus primogenitus Ioannes Briennensis, regnum obtinuit Hierosolymitanum, jure per uxorem devoluto, quæ filia fuit Comitis Montisferratensis, atque Isabellæ Ierusalem reginæ. Ex hac porro familia, ampla seges Nobilium exorta est. Gualterius Eraldi filius, dictique Ioannis Briennensis germanus, Comes quoque fuit Briennensis, matrimonio junctus filiæ Tancredi Neapoleos & Siciliæ regis; quæ & Gualterium genuit, alligatum Mariæ Cyprensi, Hugonis Luzignani, Cypri Regis hoc nomine primi, atque Alisiæ Campaniensi, à Ierusalem dictæ; è qua procreatus fuit Ioannes postea Comes Briennensis, qui Mariam Enghiennensem assumsit in uxorem, Hugonis IV, Rhetelensis Comitis viduam, quorum etiam filius Hugo, Briennensis Comes appellatus est. Transiit autem postmodum Briennensis Comitatus in familiam Luxemburgensem. Petrus itaque Luxemburgensis, Briennæ Comitatum adeptus est, qui Margaritam Francisci de Baux Ducis Andrensis in Apulia filiam matrimonio sibi copulavit, ex qua suscepit Ludovicum, sub Ludovico XI, anno 1475 capite truncatum. In Comitatum verò Briennensem successit Antonius, qui ex filia Comitis Porceani, secunda sibi uxore filium habuit Carolum hujus nominis primum, Antonii Secundi, Comitis Briennensis progenitorem; Ipse verò Antonius ex Margarita Sabaudiensi, filium procreavit Ioannem Briennæ Comitem, qui fatis functus est anno 1576, relicto ex Guillelma uxore, Roberti de la Marck IV Ducis Bullionensis filia, Carolo II, Comite Briennensi. Ceterum in hoc Comitatu

V fre-

frequentes ferrifodinæ reperiuntur; ſuprema montium ſilvis amœnantur & arboribus, infima fontibus alluuntur & amnibus; conſpicias hinc inde molendina, ferrique officinas; tota ipſa regio vitibus ac frumentis fœcundiſſima eſt.

Campania Superior. Pertois.

Campania Superior tractum Perteſienſem, *le Pertois*, amplectitur, plaga vetuſtiſſima, celebrioris olim, quam hoc ævo, nominis, qui Saltu, Matronaque fluviis clauditur Vitryacum inter & San-Didacum. Maximam tritici profert abundantiam, commercio celebris ob amnium opportunitatem. Præcipua illius oppida ſunt, Vitriacum, *Vitry*, Vetus, & Hodiernum; Vetus illud à conflagratione nomen accepit, vulgo, *Vitry le Bruſlé*, quod funeſta olim clade accidit, cum Ioannes Luxemburgenſis Briennæ Comes, à partibus Ducis Burgundienſis, atque in Anglorum ſuppetias adverſus Carolum Septimum decertans, tam horrendis incendit flammarum vorticibus, ut ad ſexaginta in circuitu oppidula pervolarit incendium: quin & Carolus Quintus Imperator indignabundus & ulciſcens, uſque adeo flammis circumvolvit, ut ædes etiam magnificentiſſimas in cinerem & favillam à fundo redigeret; at rebus alta pace compoſitis, Franciſcus Primus Rex, dimidio à priori ſede milliari urbem reſtauravit, & antiquo ſplendori reſtituit ad vicum *Moncontour* dictum, qui molliter aſſurgit in montis crepidine circa oram Matronæ fluminis inde ad San-Deſiderium navigabilis. Porro Rex ipſe ut incolis animum adderet, quò celerius de reædificandis ſibi domibus providerent, maximis immunitatibus, privilegiis, & exemptionibus illos proſecutus eſt, glorioſoque nomine *Vitry le François*, illud oppidum honeſtavit, ipſo videlicet Regis conditoris nomine inſignitum; hujusque diſtrictus caput conſtituit, tres quotannis nundinas conceſſit, primas quidem in feſtivitate S. Magdalenæ octo diebus perennes; ſecundas in ſolenniis D. Martini, hyberna tempeſtate, diebus totidem; tertias denique ad feſtum S. Mathiæ, quatuor ſolum diebus; celebrarentur & quot Septimanis, ternis diebus mercatus, Lunæ nimirum, Iovis & Sabbathi. Ad triginta vel quinquaginta leucas ſe extendit Vitriacenſis præfecturæ diſtrictus, incipiens à S. Deſiderii oppido, quod à Carolo V. anno 1544. fuit dirutum; ſeſe à Septentrione uſque ad *Nogent l'Artaut* diffundens; in Gallia autem Belgica, ubi præcipua ſunt loca, ad Ducatum Luxemburgenſem Brionenſemque Comitatum.

Vitry.

S. Dizier.

Eidem diſtrictui, octo quondam præfecturæ, totidemque Caſtellaniæ ſubjacebant; Caſtrotericenſis nimirum, Caſtillionenſis, San-Manehoudenſis, Feiſmenſis, Eſpernenſis, Roverenſis, Paſſavantenſis, Vertuſienſis, & Lazicourtenſis; impræſentiarum autem Caſtrotericenſis, atque Caſtillionenſis ab hoc diſtrictu divulſæ ſunt, ut oſtendetur inferius; quemadmodum & Vertuſia, apud quam Carolus Delphinus, Ioannis regis filius, ſeceſſit anno 1357, cum apud Pariſienſes indigne haberetur; ibique hujuſce regionis Ordines convocavit; quapropter eodem Ioanne Sceptra moderante, ab hoc etiam diſtrictu ſejuncta eſt, qui eam in Comitatus evexit dignitatem, atque Valentinæ filiæ Vicecomiti Mediolanenſi enuptæ in matrimonium aſſignavit; Lazicouria etiam regnante Ludovico XI, inde ſubmota, atque in Comitem Foxenſem tranſlata, in commutationem Narbonæ, limitaneæ civitatis, quam indiſſolubiliter Coronæ adjunxit.

S. Menehou.

San-Manehoudenſis civitas, in regni finibus ſupra rupem condita, loco paluſtri, quà fluvius Axona labitur urbemque trajicit, è regione vero Yvra perfluit, qui quidem amnis Axonæ jungitur; jacet autem ipſa palus ad alteram caſtelli extremitatem; ipſum verò caſtellum integram rupis ſummitatem operit, cum tamen illa amplam ſatis habeat ſummitatem, præcelſamque urbem imitari videatur, ubi plura aſſurgant ædificia, præter illa, quæ ad præſidium militare pertinent, intra muros eſt parochialis Eccleſia; inferius eſt ipſa civitas, ubi Iuſtitiæ Domus.

Fiſmes.

Fiſma ad Velam amnem, Picardiæ contigua, civitas eſt caſtro munita ſtructuræ perelegantis. Eſpernæum quoque lautum eſt oppidum, cui Matrona fluvius ingentia profert commoda ex datis viciſſimque acceptis mercibus. In titulum Ducatus fuit evectum à Carolo IX, anno 1566, cui & Paris dignitas adjecta eſt. *Nogent*, & Pons ad Sequanam, *Ponts-Sur-Seine*, exigua quidem oppida, verum ob portuum commoditatem opulenta, in quibus nullo non tempore conſiſtunt quam plurima navigia variis mercibus onuſta. Sed & ſtatis hebdomadæ diebus, ſolvens Nogentio navigium, Pariſios ducit. *Dormants*, urbecula, lauta ſatis, ad Matronam poſita. *Mery* Præfectura eſt, longe lateque ſuam diffundens juriſdictionem. Pons-Favergius, amni Suippæ aſſidet, locus non ignobilis. Fera Campanenſis dicta ad diſtinctionem Feræ in Picardia ſitæ, mœnibus cincta civitas, in Campaniæ ac Brioniæ finibus, juxta amnem Augæum. *Suippa*, Burgum amplum & opulentum ad fluvium cognominem conditum, pannis tenuioris texturæ, vulgò *ras de Chalons* celeberrimum. Sunt & alii Burgi, pingues ſatis & lauti. *Dampierre* ſcilicet, burgus arce munitus, ad Saltum & Ornam flumina; *Neufville au pont*, in Axonæ fluvii ripa; *Pont à Vere*, burgus perantiquus eidem fluvio inſidens. *Caſtillonium* ad Matronam, unde nomen illuſtriſſimæ familiæ *de Chaſtillon*, in vertice prææalti montis eminet, Dormantium inter & Eſpernayum; maxima uno ex latere ſilva cingitur; ex altero autem Matronâ perfunditur. In ſpiritualibus Sueſſionnenſem Antiſtitem agnoſcit, etſi quinque aut ſex leucis tantum à Rhemenſi diſtet civitate. Exigebant olim hac in regione tributum Comites Campaniæ, at cuncti tam maſculi quam feminæ ab hoc tributo per Theobaldum hujus nominis Quartum, cognomento Magnum, fuere exempti anno 1231. Ab hoc ævo jus Communitatis poſſederunt, quemadmodum Dormantii incolæ; atque ſimili, quo Vitriacum, regimine uſi. Hujus arx civitatis ab Herivæo Vrſi Campaniæ Comitis pronepote fuit excitata ante annum 880 Locus olim fuit munitiſſimus, donec Anglorum & Caroli Quinti temporibus clades maximas perpeſſus, inteſtinis demum diſſidiis, fatali velut periodo à fundamentis dirutus eſt. Laudatiſſima pietas priſcorum hujus urbis Dominorum arcem Collegio Canonicorum exornaverat, ac poſtmodum,

Eſpernay. *Nogent.* *Ponts-Sur-Seine.* *Dormants.* *Mery.* *Pont-Faverges.* *Fera.* *Suippe.* *Chaſtillon ſur Marne.*

Caſtellania. *Langres.*

modum, cœtu Monachorum Marmonſtierienſium; ſed cuncta hæc bellorum tempeſtas de medio ſuſtulit, caſtrumque & illius Eccleſia ſuis ruinis ſepulta ſunt, ut & mauſolæa, & epitaphia procerum ibidem tumulatorum.

Caſtellania. Porro Caſtellaniam, unde feuda pluſquam octocenta jure relevant clientelari, poſſederunt proceres cum ipſo arcis Dominatu uſque ad tempora Gaucherii Caſtillionenſis Franciæ Comeſtabilis, qui eam in Philippum Pulchrum regem tranſtulit in commutationem Porceani Comitatus, arce ſibi tantum reſervata, quæ poſtea jure matrimonii in familiam de Roncherolles translata eſt. Philippus autem Pulcher, Præfecturam inibi erexit regiam, ſuis omnibus inſtructam Officiariis, & miniſtris, in gratiam Ioannæ Comitis Campaniæ, ac ſuæ in matrimonio conſortis. Illius deinde ſucceſſores idem dominium variis Principibus & Dynaſtis addixerunt: Nam Carolus VI, Ludovico Franciæ, Aurelianenſi Duci, fratri ſuo, cum *Montargis*, *Courtenay* & *Crecy*, in peculii additamentum dono conceſſit anno 1404: Ludovicus verò XI, Antonio Burgundiæ ſpurio donavit anno 1478, cum pleriſque Comitatibus, Granpratenſi, Vaſſenſi, Caſtrotericenſi, aliis; tandem Carolus IX Franciſco Duci Alençonio contulit anno 1566, qui eam poſſedit cum Caſtrotericenſi, Eſpernayoque urbibus ſub Ducatus titulo.

Langres. *Andomatunum Lingonum*, civitas Ducatus & Pariatus titulo nobilis; cujus Cæſar meminit lib. 4. his plane verbis: *Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum.* Vrbs veteribus antiquitatis monumentis exornata, arcum oſtentat triumphalem, non longe à ſuis mœnibus erectum, aliaſque ſuperſtites reliquias victoriæ à Romanis eò loci de exercitu Germanico reportatæ. Ipſa quidem civitas potentiſſima eſt, ſitu, & arte munitiſſima. Plurimis gaudent privilegiis habitatores, utpote Franco-Comitatui collimitanei, à quo tantùm ſex leucis remoti ſunt; à Lotharingia autem mediæ ſolum diei itinere. Dominium civitatis quadam ex parte penes ſuum Epiſcopum eſt illiuſque Capitulum. Plura etiam ſunt territoria atque diſtrictus ſub ipſius Epiſcopi clientela, qui multis inſignibus titulis honeſtatur, Ducis nempe, Paris, Marchionis, Comitis & Baronis. Ducatus quidem quatuor habet Baronatus vetuſtos, *Aigremont* ſcilicet, *Fouvent*, *Thile-chaſtel*, & *Granuy*. Longe lateque patet ipſa Diœceſis, per totam nimirum Inferiorem Campaniam, partemque Ducatus Burgundiæ, Divionenſi etiam ſuperaddita civitate. Hic auguſtum eſt Iuſtitiæ prætorium, Senonenſi tamen Præfecturæ ſubordinatum; præclaris urbs hæc ædificiis nitet, quæ inter eminet Eccleſia Cathedralis; ſuis ab ævo ſanctiſſimis nobiliſſimiſque Epiſcopis illuſtriſſima eſt. Intacta ab ullo unquam hoſte civitas, hoſtium debellatrix, Puellæ nomine gloriatur, quidquid Zeloſi obſtrepant, aut in contrarium exprobrent; neque enim à Vandalis direpta fuit aut deformata anno 411, quod perperam Cheſneus aſſerit; illud enim quod affert de martyrio S. Didaci hujus urbis Epiſcopi, à Vandalis in Cruce confixi, erroris convincitur, neque enim dictus Didacus in hujus loci Epiſcoporum ſerie à Ioanne Chenu, probato auctore, contexta, reperitur. Habet hæc Diœceſis opulentiſſimas ſub ſe Abbatias, Auberivenſem ſcilicet, Beaufayenſem, Belli-loci, Belli-montis, Clarevallenſem, multaſque alias Ordinis Ciſtercienſis: Deinde S. Benigni Divionenſis, S. Petri Bezenſis, Moleſmenſem, S. Michaëlis *de Tonnerre*, *Pralon*, *Puis-d'orbe*, Poterienſem, Monſterienſem S. Ioannis, Rubrimontenſem, omnes ſub regula ſanctiſſimi Præſulis Benedicti: poſtea Caſtillonenſem ſub auſpiciis Beatiſſimæ Virginis, S. Stephani Divionenſis, B. etiam Virginis de Valle Scholarium, Ordinis S. Auguſtini; & Septem-fontium Ordinis Præmonſtratenſis: Septem denique Prioratus poſſidet, quos inter Monſtrelienſis celeberrimus eſt.

Catalaunum, quod ad Matronam dicitur, ut à Cabilonenſi civitate ad Sequanam poſita diſcernatur, cum utraque Gallicè *Chaalons* nominetur, urbs eſt antiquiſſima, quæ ante omnem patrum memoriam ſuos habuit Epiſcopos, Archiepiſcopi Rhemenſis Suffraganeos, nam Memmium S. Petri diſcipulum, hanc civitatem Chriſti fide initiaſſe memoriæ proditum eſt. Iuxta illam, in planitie, Catalaunenſi ab antiquis dicta, Ætius Dux ſummus Romani exercitus, Theodorico Viſigothorum, ac Merovæo Francorum, Regibus ſociatus, cruentum illud prælium iniit adverſus Attilam Hunnorum regem, in quo cecidere bellatores octuaginta millia, quorum opera glorioſam adeo ex ipſo Dei flagello victoriam reportavit. Hic præclara viſuntur antiquitatis monumenta in pyramidum formam, tum intra muros, tum foris aſſurgentia; quæ priſcum illius ſplendorem loquuntur, etiam ab ævo Iuliani Apoſtatæ, qui inter primarias Galliæ Belgicæ civitates, Catalaunum acceſebat, ut teſtatur Ammianus Marcellinus. Hic etiam ſpeciatim Baillivi Veromanduorum ſedes erecta eſt anno 1543. Eſt & ampliſſima regiorum Theſaurariorum Curia. Habitatores autem frumentis, laneiſque ac lineis textilibus negotiantur. *Chaalons ſur Marne.*

Suprema Parlamenti Franciæ Curia hic reſedit anno 1592 ob funeſta nimirum diſſidia, ibique adverſus Bullam Legati Pontificii & Factionum Comitia ſolenne illud edictum pronunciavit in poſteritatis memoriam, eò quod legitimum regni hæredem ſolio exturbare decreviſſent. Fuit olim Comitatus ſpecialis, ſed poſtmodum Campanienſi unitus, ac demum Epiſcopo ex parte aſſignatus, qui quidem illius impræſentiarum titulo exornatur, ut & Paris Eccleſiaſtici Franciæ. Sub regimine ſtetit ſeptem & nonaginta Epiſcoporum, quorum alii Sanctorum, alii Virorum illuſtriſſimorum Catalogo adſcripti ſunt.

Tanta fuit iſtorum Præſulum amplitudo, ut & ſuos Vicedominos, & Subprætores in temporalibus habuerint, qui illorum & perſonas & latifundia protegerent; qui cum poſſeſſiones vireſque ſuorum Antiſtitum præ manibus haberent, ſua munera & officia, quibus apud Epiſcopos fungebantur, in feuda à Dominis Antiſtitibus relevantia commutarunt; cum nullus ſit hodie in Gallia Vicedominus, quin alicui Epiſcopo jure clientelari ſubjectus ſit; aut cujus latifundia temporalibus Epiſcopi bonis non ſint annexa. Hac itaque ratione Vicedominatus hereditarii evaſerunt; imo & uſurparunt ipſos epiſcopatuum titulos

titulos & cognomina, ut Rhemensis, Ambianensis, Catalaunensis, & alii Vicedomini.

Extensio. Latè patet hæc Diœcesis, utpote quæ celeberrima tanto numero monasteria complectatur, nimirum, S. Petri à monte, S. Martini *de Viron*, *Miraumont*, S. Vrbani, *Monstier en Der*, S. Salvatoris *de Vertus*, *Mermines*, *Milinart*, quæ Ordinis sunt Benedictini: dein S. Mengii in territorio Catalaunensi, B. Mariæ *de Vertus*, ejusdem B. Virginis *de Chastices*, quæ regulæ subsunt D. Augustini: Triumfontium, Fontis-alti, vulgò *Haute-fontaine*, *Estes*, Cisterciensis instituti: *Morelix* denique Ordinis Præmonstratensis, &c.

Lagny. *Lagny*, sive *Ligney*, olim sub ditione Comitum Campaniæ; oppidum pervetustum, *Sault* flumini adjacens, cujus Abbatia ob antiquitatem famosissima est, quæ & gloriatur ob fontem inprimis limpidissimum; suos etiam olim speciales Dominos ac Comites habuit.

La Motte. A Lagniensi, de qua nunc egimus, urbe paululum dissita est *Motta* Comitatus; quæ nemoribus, agris, & pascuis amœnissima est.

Regimen. Campaniam, Brioniam, ac Senones moderatur Gubernator à Rege constitutus; cui tres Præfecti in uno quoque districtu substituti sunt.

Invaluit hac in regione consuetudo singularis, ut alterutro ex conjugibus titulo nobilitatis potiente, eodem perinde gaudeant exorti eo in matrimonio liberi; eo quod fœminis nobili è prosapia oriundis, ignobilibus viris nubere olim sit concessum.

Ducatus Rhemensis, unà cum Campania ut plurimum describi solet; verum specialem illius tabulam proxime exhibebimus.



RHE-

RHEMENSIS DVCATVS, vulgò RHEIMS.

Rhemi.



RHemensis civitas, *Durocottorum Rhemorum*, seu *Durocortum* olim appellata, ad Vellam fluvium posita est; hujus etiam prisci incolæ, *Rhemi* vocitabantur; de quibus & meminit Iulius Cæsar in suis de Bello Gallico Commentariis, quantoque illos in pretio habuerit, litteris exaravit; nempe *cum ad fines Belgarum pervenisset*, verba sunt Cæsaris lib. 2, *Rhemi, qui proximi Galliæ ex Belgis sunt, ad eum Legatos Iccium, & Antebrogium primos civitatis suæ miserunt, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permittere, neque se cum reliquis Belgis consensisse, neque contra populum Romanum omnino conjurasse; paratosque esse & obsides dare, & imperata facere, & oppidis recipere, & frumento, cæterisque rebus juvare, &c.* Ea de causa fœdus cum illis copulavit, atque ut propenso in illum animo constantissimè permanerent, hortatus est, suisque ut partibus apprimè fungerentur: unde & humanissimis blandissimisque illos verbis affatus est. Plurima quoque strictissimæ Cæsaris in Rhemos benevolentiæ, libris quinto & sexto videbis indicia, quæ brevitatis causâ pertransimus.

Quæ verò totius Galliæ civitas tanta laude potest gloriari! Sanctus etiam Sixtus D. Petri Discipulus, cum urbem hanc Christi fide informasset, in Belgarum illico Metropolim evecta est, multasque habuit subjectas Diœceses, Catalaunensem scilicet, Suessionensem, Tornacensem, Teroannensem, cujus impræsentiarum Episcopatus Boloniam translatus est; Atrebatensem, Ambianensem, Noviodunensem, Silvanectensem, Laudunensem, & Bellovacensem.

Ecclesia Cathedralis.

Plurima etiamnum servat antiquitatis indicia, præsertim verò in portis à Marte, Baccho, Cerere, & Venere denominatis, ut & præsidio Cæsaris: præaltis mœnibus, turribusque fortissimis instructa est; præclaris magnificisque superbit ædibus; præcellit illius princeps Basilica, sede Archiepiscopi nobilis, auspiciis inaugarata sacratissimæ Virginis Deiparæ; illustrata Canonicatibus Sexaginta-septem. Primariam verò istius Ecclesiæ Ianuam quis delineare possit? celebratissimam dico illam, totoque orbe decantatam; certe in illius elegantia, amplitudine, magnificentia, pulchritudine, ornamentis, ars, si unquam aliàs, se ipsam exhausit, seipsam superavit. Hîc S. Nicasius pro Christo generosus Athleta martyrium subiit; est quoque perelegans aliud templum primitus quidem D. Petro dicatum, deinde S. Remigio, quod tessellato constratum est lapide, cui & figuræ, nonnullæque morales historiæ delineatæ sunt.

Ecclesia S. Remigii.

In hac Ecclesia asservatur Ampulla cœlestis olei, quo quidem omnes Franciæ Reges inaugurantur. Hic epitaphia, Regumque & procerum mausolæa visuntur. Excitavit templum istud Clotildis Regina Clodovæi primi Regis Christiani uxor, in memoriam celebris illius miraculi, nimirum Angeli sub Specie columbæ Ampullam olei cœlitus deferentis, quo & Clodovæus à S. Remigio recens baptizatus, illico inunctus est; quæ postmodum in hac eadem æde omni reverentiâ custoditur.

S. Ampulla.

Aliæ Ecclesiæ.

Cæteræ autem præcipuæ hujus urbis Ecclesiæ, sunt, S. Nicasii, S. Bassoli, S. Dionysii, & S. Symphoriani. Extant & plurima Religiosorum asceteria, Franciscanorum, Dominicanorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Minimorum, Capucinorum, ac denique Iesuitarum, præter parochiales Ecclesias. Carolus Cardinalis Lotharingius Academiam inibi stabilivit. Prætorium ibi regium est, plurimique Iustitiæ Antistites, Consiliarii, Senatores.

Rhemenses Archiepiscopi, ejusdem civitatis Domini sunt, qui & Ducum, & Franciæ Parium titulo exornantur. Summam hujusce Archiepiscopatus dignitatem adipiscuntur ut plurimum Magnatum liberi, ut sedes ipsa omni ex parte fulgeat. Hic Archiepiscopatus parœcias 1200 sibi subjectas habet, multasque insignes Abbatias, videlicet S. Remigii Rhemensis civitatis, S. Nicasii, S. Petri, S. Theodorici, *Mousson*, S. Dionysii, *Auvilker*, &c.

Concilia & Synodi.

Varia hac in urbe celebrata fuere Concilia, primum quidem sub S. Remigio, reparatæ salutis anno 514: dein sub Carolo Magno ad reformandam Cleri disciplinam anno 813: aliud sub Fulcone Archiepiscopo, in confirmationem regni Caroli Simplicis anno 892; aliud quoque sub Artaldo in raptores bonorum ad Ecclesiam pertinentium: annis deinde 992, & 995: nec non & sub Leone IX, summo Pontifice, anno 1099: contra investituras Laicorum, anno 1114: sub Calixto II, anno 1122 in pacem ac tranquillitatem Ecclesiæ, in quo Baculi pastorales 424 dinumerati sunt, assistente etiam Ludovico cognomine Crasso Galliarum rege, ubi & Henricus V Imperator communi Patrum consensu excommunicatus est, quod Ecclesiarum investituris renunciare noluisset: sub Innocentio II, Ro-


DIŒCESE de RHEIMS, et le païs de RETHEL.
Par Iean Iubrien Chalonnois.
TARDENOIS
TIERRACHE
RETHELOYS
CHAMPAIGNE
Partie de Brie.
Partie de Luxembourg
Partie de Lorraine
Reims
Chalons
Rocroix
Milliaria Gallica.
Amsterdami, Apud Guilj. et Ioan. Blaeuw.

10

mano Pontifice ob Schisma Petri Leonis, anno 1131: sub Eugenio III, adversus hæreses recens exortas, anno 1148. Sunt & alia magno numero Concilia, quæ brevitati consulens omitto. Qui plura volet de hujus urbis splendore, & amplitudine, illius Historiographum adeat D. Nicolaum Bergier; nos interim ad territorium Retelense properamus.

RETELENSE TERRITORIVM.

Nomina. *Fines.*



Etelense Territorium, à Latinis *Retelensis regio*, seu *Reteliorum ager* appellatur; imo & à sua Metropoli *Registete*, *Retel*, & *Registetensis* dicitur.

Habet Retelensis regio, ab Aquilone Picardiam, Namurum, & Hannoniam; ab Ortu, Luxemburgum & Lotharingiam; Campaniam Barrenseque territorium ab Occasu & à Meridie.

Flumina. Præcipua, quæ regionem hanc perfundunt flumina, sunt; à Luxemburgi quidem latere, atque Lotharingiæ, Mosa fluvius; ex parte verò Campaniæ, *Axona*, vulgò *l'Aisne*, Porro Mosa Reteliorum agrum à Luxemburgo & Lotharingiâ dirimit; exordium ducit è Burgo Baronatuque cognomine, vulgò *Meuse en Bassigny*, Campaniam nonnullibi perlabitur, ingentem optimorum piscium copiam proferens, salmonum scilicet, truttarum, congrorum, murænularum, alosarumque delicatissimarum.

Axona fl. Axona fluvius, Gallicè *Aisne*, ex Argonna profluit, partemque Campaniæ irrigat, & transmisso Retelensi territorio, urbes *S. Menehou*, *Retel*, *Chasteau-Portian*, & *Suessiones* alluit, tandemque Isaræ juxta Compendium, *Compiegne*, miscetur; amnis ille fœcundissimus est, prisces optimos, lucios nimirum, ac cyprinos portentosæ magnitudinis suppeditat. Sunt & alii minores fluvii, qui suas in Axonam aquas deducunt, qui sequentibus vulgo nominibus indigetantur, *Barvelle*, *Bione*, *Tourbe*, *Vallie*; Barum flumen non longe à Busancio scaturit, quod & irrigans, ad *Brieul* oppidum postea decurrit, ac postmodum quibusdam emensis locorum spatiis in Mosellam irruit subtus Doncherium; angusto quidem coarctatur alveo, profundo tamen, navigiisque ferendis non impari. Amnis quoque Tourbea, fonte prodit non procul à Gravilla dissito, atque ad burgum *Autry* dictum, suas Axonæ commiscet aquas. Vallia ad *Libersy* oppidulum nascitur, abbatiamque de *Signy* alluens, Axonæ tandem sepelitur.

Quatuor Principatus. Mehon Archez. Territorium Retelense, quatuor habet Principatus: Primus *Mehon* nominatur; *Archez*, secundus, qui in civitatem fuit evectus abs Carolo Nivernensi Mantuanoque Duce à quo & nomen

Charlevile. sortita est, vocatur enim Carolopolis, vulgò *Charleville*; maximasque inibi ædificare volentibus concessit immunitates: hîc in Mosæ ripa gymnasium Societatis assidet: plateam habet Ducalem, ad exemplar plateæ Parisiensis regiæ extructam, in cujus medio fons præclarus visitur. Sunt & tria ibidem Cœnobia, unumque Xenodochium, maximis proventibus dotatum. Cingitur autem regio Retelensis Leodiensi, Namurcensique territorio. Tertius verò Principatus est Lumezensis ultra Mosam; quartus denique Castellum Re- *Lumez.* naldi nuncupatur, Archesio, Lumezioque principatibus collimitaneo. *Chasteau-Regnaud.*

Alia oppida. Ducatus Retelensis oppida sunt, *Registete*, vulgo *Retel*, totius regionis Caput, ad Axonam fluvium, urbs elegans & ampla, castro munita; in qua singulare cernitur antiquitatis monumentum, quod Romanos olim ibi stetisse demonstrat, nempe cum Iulius Cæsar aciem adversus Belgas dirigeret. Amagetrobia, *Maisieres*, amœna in confinio Luxemburgensi civitas, binos inter Mosæ ramos, qui illam quoque intersecat, & quandam velut peninsulam eò loci efformat, locumque efficit spectatissimum, & arce valida instructum: Collegiatâ gaudet Ecclesiâ, extra urbem vero est Cœnobium Franciscanorum, Bethleem nomine; quod ad normam Bethlehemitici Terræ sanctæ cœnobii conditum esse circumfertur. *Ouarque*, sive *Arq*, exiguum est ad Mosam oppidum, cujus Ecclesia parochialis in extremitate posita est Insulæ, quam constituit Mosa Agetrobiam inter & Ovarcam. Doncherium, Lumezense atque Sedanense territoriis intersidet, subter ostia Bari fluminis in Mosam sese exonerantis; duabus ornatur Ecclesiis. *Rocroy*, urbecula est totam per Europam celebris, ob notissimam Ducis Euguiennensis, nunc Principis Condæi, victoriam de Hispanis reportatam anno 1643. *Buzancium* Baro flumini impositum; Fons-Mauberti non ignobile oppidum in Hannoniæ finibus, ubi & militare præsidium à rege constitutum; extat quoque in illius suburbio parochialis Ecclesia. *Villa-franca* inter paludes Mosæque rivulos velut projecta. Monsfalconius, olim castro exornatus, sed illud Henricus IV Rex potentissimus diruit; nunc autem collegiata splendet Ecclesia Canonicorum, qui loci illius Domini sunt. Castrum-Porceanum, *Chasteau-Porcian* duabus ab urbe Retelensi leucis ad Axonam situm: vetustum, quod habet castrum, nomen illi fecit, quod exiguæ quidem plagæ, at fertilissimæ communicat: titulo Principatus insignitur, quem à Retelensi plerique distinguunt. Primarii hujus Ducatus burgi sunt, *Grand-pré* ad fluvium Axonam, Comitatus cum arce & Prioratu Conventuali. *Attigny* cum parochia pereleganti. *Rosoy* ad Ser amnem, qui Campaniam & Retelensem Ducatum à Picardia & Thieraschensi ditione submovet; Collegiata hujus loci Ecclesia viginti Canonicis decoratur: *Montcornet* in Arduenna; *le Chesne Poüilleux*, cujus incolæ, hoc singulari privilegio gloriantur, quod Regum Francorum inaugurationi possint interesse, ut armati sanctam deducant Ampullam ab Ecclesia S. Remigii, ad Basilicam Virginis Deiparæ in civitate Rhemensi. *Donchery.* *Rocroy.* *Buzancy.* *Maubert-Fontaine.* *Ville-franche.* *Monsfaucon.* *Chasteau-Porcean.* *Grand-pré.* *Attigny.* *Rosoy.* *Montcornet.* *Le Chesne Poüilleux.*

Mouzon. *Mouzon*, distincta est provinciola, sub ditione olim Archiepiscopi Rhemensis supremi dominii jure, è quo aliorum commutatione locorum Carolus V, aut Philippus Valesius comparavit.

BRIO-

BRIONIA, vulgo LA BRIE.

Nomina.



Rionia provincia, quæ & *Brigeium*, & *Brigiensis Saltus*; illius autem populi Brionenses nominantur; nihilominus è sententia eorum, qui nominum etymologias curiosius investigant, nominis rationem à voce Gallica *Abry*, quod sub tecto & in umbra positum significat, desumere videtur; non ideo quod fuerit olim silvis obsita, quibus à ventorum tempestate & radiis Solaribus veluti protegeretur; sed quia Campaniæ è regione posita sit.

Situs. Sedet Brionia Campaniam inter & Matronam, incipitque à *Creteil* oppido, juxta pontem Charentonium, ubi Matrona fluvius suas Sequanæ alveo aquas deponit; qui Brioniam à Gastineo tractu dirimit, quemadmodum Matrona Campaniam à Brionia; adeo ut quod binis hisce interjacet amnibus usque ad Burgundiæ Ducatum, Brionensis sit territorii. *Extensio.* Illius ab Ortu ad Vesperum longitudo duodecim est milliarium; latitudo autem novem leucarum à Meridie ad Septentrionem. *Divisio.* Cæterum Brionia in Superiorem & Inferiorem dividitur.

Chasteau-Thierry. Castrotericensis civitas, Superioris Brioniæ caput, ad Matronam posita, Præfectura Sedesque Iudicis à Rege constituti, amplissimis fulget Iustitiæ Ministris, Senatoribus, Consiliariis, Procuratoribus, &c. *Meldæ* vero potentissimum est, munitissimumque ejusdem tractus oppidum, *Meldæ.* quod & *Iatinum Meldorum*, seu *Meldarum* antiquo suo nomine etiamnum indigetatur; sedet illud in colle amœnissimo, rivuloque binas secatur in partes, urbem scilicet & mercatum, cui arx imminet in crepidine rupis condita, profundissimisque fossis circumvallata. Maximum accipiunt illius incolæ ex Matronæ vicinia emolumentum. Vetustissima est civitas, quo etiam nomine, jure merito potest gloriari; cum & Iulius Cæsar lib. 5. de bello Gallico illius mentionem injecerit; & Dionysius Areopagita Sanctinum *Episcopi.* Episcopum præfecerit; qua etiam dignitate à priscis illis temporibus effulget. Suis illam *Comites.* honoribus Campaniæ Comites olim adjecere, *Vicecomites.* quos inter Odo Secundus Comitis Meldensis titulum assumpsit. At quamvis superioribus sæculis suos habuerit Dominos Comitum dignitate insignitos; impræsentiarum tamen non illustriori quam Vicecomitum titulo potiuntur.

Ceterum antiquissima illa Meldensis Diœcesis 216 parochias sibi subjectas habet, præter Abbatias & Prioratus illorumque appendices. Celebriores autem Abbatiæ sunt, S. Petri *de Regalla*, *bez*, S. *Pharaonis*, *Chambre-Fontaine*, *Ioarre*, S. Honorati, ac Pontis Dominarum cognominati, vulgo *Pont aux Dames*, *Phar-monstier*, *Iulli*, & quod sub auspiciis est Beatissimæ Virginis, dictum, *Nostre-Dame de Chaire*.

Quod autem Meldensis est Præfecturæ, secundum illa Brioniæ locum obtinet, Iudicibus ac viris in Iure consultissimis instructa; plurimis etiam Brioniæ districtibus jus dicit, quos sigillatim referre, nostri neutiquam est instituti.

Monceaux. Domus regia. Duabus ab urbe Meldensi milliaribus, regia Domus emicat, *de Monceaux* appellata, quam Oura fluvius irrigat. Illam Catharina de Medicis Regina, necnon & Henricus IV, summopere illustrarunt: hîc amœnissimum est vivarium, ac lætissima silva.

Provins. Agendicum, *Provins*, primarium Brionniæ inferioris oppidum, Morino amni assidet, qui Matronæ postmodum mergitur. Testatur urbis vetustatem Iulius Cæsar Commentariorum de bell. Gallico lib. 6. *Duas*, inquit, *Legiones ad fines Trevirorum, duas in Lingonibus, sex reliquas in Senonum finibus Agendici in hibernis collocant.* Quibus ex verbis suspicari licet, quam populosa & frequens olim fuerit hæc civitas, cum apud illam multo plures legiones, quam memoratis jam urbibus Cæsar assignarit; qui etiam dum legiones eo loci hibernarent, castellum excitavit, cujus vestigia hoc quoque seculo conspiciuntur.

Palatia. Iurisdictio. Tanti fecerunt Campaniæ Comites istam civitatem, ut extructo in ea palatio, sæpius inibi secesserint. Hic Iustitiæ sedes consultissimis Iudicibus exculta; nam & illius jurisdictio longe lateque diffusa est.

Apprime commendatur à rosis rubeis quæ ibi nascuntur, queis itidem Conservæ conficiuntur.

Colomiers. Montereau. Alia Brioniæ Inferioris oppida sunt, *Colomiers*, *Sezan*, *Loy le Chastel*, & *Montereau*, quod notissimum est ex morte Ioannis Burgundiæ Ducis, Philippi cognomento Audacis filii, qui Ducem Aurelianensem Parisiis obtruncari mandaverat. Maxima hujus urbis portio territorio Gastinensi insidet, suburbia vero intra Brioniam. Extant & inter Sequanam ac Yonnam maxima flumina, quædam alia loca, *Maroles* nimirum, *Motu*, & *Valery*: ex parte autem ipsius Brioniæ Prioratus S. Martini densis abditus silvis reperitur, modicoque à ripa Sequanæ intervallo, *Blandy* castrum visitur, nobilis & amœnus Illustrissimorum Ducum *de Longueville* secessus. Tandem omnium, quæ mox retulimus locorum, ager fertilissimus est, omniaque ad vitam necessaria suppeditat; neque caret iis quæ ex venatione & aucupio captantur oblectamentis. Denique neminem latet locus *Braye-Comte-Robert*, à suo olim Principe, Roberto Franciæ hoc nomine insignitus,


LE PAIS DE BRIE.
PARTIE DE L'ISLE DE FRANCE
PARTIE DE LA CHAMPAGNE
CHAMPAGNE
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARIS
HVRE POIS
GASTINOIS
SENONNOIS
Milliaria Gallica Communia
Guiljelmus Blaeu excudit.

11.

tus, omnium deinceps ore passim enunciatus; de quo, cum non obscurus sit, etiam nominasse sufficiat.

Crecy. *Crecy*, urbecula est, in Brionia Inferiori, loco satis amœno sita; proprios olim dominos habuit, quorum seriem texuit Chesnæus Historiographus.

Ferté-Gaucher. *Ferté Gaucher*, & *Montmireil*, exigua quidem, sed non contemnenda in Brionia Inferiori oppida, quæ elegantissimis validissimisque arcibus, tum in secessum suorum Dynastarum, tum vel maxime adversus hostium incursiones munita sunt.

Ceterum præter Superiorem & Inferiorem Brioniam, alia quædam tertia recensetur, Brionia scilicet Pediculosa, vulgo *la Pouilleuse*, seu *Gallo-Helvetia.* Gallo-Helvetia, in finibus Brioniæ posita, tendenti Espernayum; quæ quatuor aut quinque circiter leucas & longitudine, & latitudine colligit; in qua *Orbay*, *Montmor*, aliaque loca collocantur.

Qualitas. Hujusce regionis aër saluberrimus est, & aquæ ipsæ salutares: habet autem Castrotericum aquas minerales, quas & Medici adhibent curandis quibusvis fere ægritudinibus. Solum alicubi pingue, alibi macilentum est; attamen regio, si universim spectaveris, frumento, vino, pascuis, fœno, frugibus, hibernis etiam fructibus refertissima est.

Mores. Hic Nobiles atque Proceres humanissimi sunt, plebs docilis; qui tamen è plebe rus incolunt, durissimi sunt & agrestes.

Vires. Potest ex hac provincia numerosus conscribi miles; trecenti scilicet, ut minimum Equites, peditum autem sex millia.

Regimen. Brioniæ sufficitur à Rege Gubernator. In spiritualibus, Meldensi, Senonensi, Suessionensi, ac Trecensi regitur Antistitibus.



SENO-

SENONES,
vulgò
SENONOIS.



Enonum notissima regio, illa est quam Senones inhabitarunt, Galliæ populi, celebratissimi, inquam, illi, qui Capitolium olim incenderunt, Romamque vastaverunt; sed à Furio Camillo adeo cæsi, ut incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleta fuerint. Atrocissimum sane Romanis bellum moverunt anno V. C. CCCLXIV, Galli Senones, quod abiis bellum Senonicum deinceps appellatum est. Dux erat Brennus, Gallorum regulus. Post pugnam Alliensem (à qua dies Alliensis in Romanorum fastis) urbem ingressi, cæsis obviis, omnibusque incendio fœde vastatis, Capitolium, in quod Romana Iuventus confugerat, obsederunt multos menses, tandemque facta cum obsessis pace, auríque quantitatem stipulati, contra fidem à M. Furio Camillo Dictatore, urbem cum copiis collectis ingresso, partim obtruncati sunt, partim in fugam acti, sese in Græciam transfudere; illos Florus ac Titus Livius dixerunt, Romanam civitatem trutinæ appendisse, milliumque auri librarum pondo vendidisse. Ab his in Italia Sena & Senogalliæ conditæ sunt, imo & plures aliæ civitates iis in regionibus quas obierunt.

Fines antiqui, Gallia Senonensis totam olim Campaniam, Burgundiam, portionemque Picardiæ donec pertingas Bellovacum, quin & Regionem Carnotensem, Hurepensem, atque Gastinensem complectebatur, unde numerosus adeo miles in Italicam expeditionem à Brenno fuit conscriptus.

Moderni. Hodie autem hæc Galliæ provincia, ab Ortu Campaniâ clauditur; agro Gastinensi & *Yonne* flumine, ab Occasu; Altisiodorensi tractu, amneque Armansonio, à Meridie; Brioniâ denique & Sequanâ fluviis à Septentrione; *Extensio.* leucas autem 17 habet longitudinis; 8 tantum latitudinis.

Flumina. Agrum Senonensem ex parte perfundit Sequana, sed multo uberiùs Yonna fluvius, qui è territorio Nivernensi, præcelsis è *Marvan* montibus profluit. Hanc quoque regionem Vanna flumen rigat, qui ducit originem è loco *Font-vanne* dicto, tribus à Trecensi civitate milliaribus, fanumque S. Liebaldi perlabitur, nec non & *Rigny-le-feron*, Villam-novam, *Foissy*, *Chigy*, *Pont-Sur-Vannes*, *Masley* Vicecomitatum, uno à Senonensi urbe milliari, ac demum adit Yonnam, non longe à S. Pauli Abbatia; obiter verò à suis fontibus ad hanc usque periodum triginta & amplius molendina circumagit, novemque rivulos suo excipit alveo. *Armanson* amnis huic etiam provinciæ benignus est, & aquis Brennæ, *Oserain*, & *Lose* locupletatus Tonnerrense petit oppidum, alio deinde rivulo tumidior factus in Yonnam sese præcipitat.

Antiquitas. Vrbs Senonensis inter vetustissimas censetur Galliæ civitates, cujus fundamenta anno 140 à Diluvio, ante Christum natum 2120, & ante Trojam conditam 529 jacta fuere. *Nomina.* Variis olim nominibus fuit insignita, scilicet, *Aleuza*, *Allabria*, & *Orbendella*; postea verò *Agendicum*, quod & in Senonense commutavit.

Indoles. Senonenses optimæ sunt indolis, absque fuco aut dissimulatione, etiam à priscis temporibus in *Religio.* Religionem proclives; unde nullo negotio SS. Savinianus & Potentianus, primi Senonensium Apostoli, cum in Gallias appulissent, hoc in tractu fidem Christi propagarunt; quibus longa serie ad hanc usque diem successerunt sanctissimi, *Archiepiscopi.* illustrissimique Antistites, qui fundatam eò loci pietatem nullo non seculo perennarunt.

Investitura. Ceterùm Senonenses Archiepiscopi à primo Senonensi Archidiacono, suæ Sedis investituram accipiunt, jure hujusmodi à summis Pontificibus, tempore fere immemoriali, accepto, super quo Eminentissimus Cardinalis Guisius disceptare voluit, sed perperam; nam datâ apud Libellorum supplicum Cameram sententiâ Archidiaconus in prædicto investituræ jure confirmatus est: In cujus muneris agnitionem exolvunt illustrissimi Antistites, Archidiacono quidem auri marcam, duodecim & sexaginta nummis æstimatam; duobus autem Canonicis ipsi Archidiacono assistentibus, unam duntaxat argenti marcam. Porro Nobiles, & quatuor primarii hujusce Diœcesis Barones, tenentur in primo solenni urbis ingressu Archiepiscopum ab Ecclesia S. Petri *le Vif* dicti, usque ad Cathedralem Ecclesiam deferre, ad perennandam posteritati memoriam quatuor è Senonensi Nobilitate proceres, sanctum scilicet Serotinum, S. Edoardum, S. Altinum, & S. Victorinum principiò in hanc sedem Archiepiscopum introduxisse, eique apud populum auctoritatem conciliasse.

Primatia. Galliarum autem primatum quod attinet, quem Senonensis Archiepiscopus adversus Lugdunensem prætendit; censent nonnulli Senonensem Ecclesiam, cum antiquissima sit, primatum olim Galliarum possedisse; quin & sub Augesimo ejusdem civitatis Archiepiscopo, in Concilio Gallicano vigesima prima Iunii die, anno 876 celebrato, regnante Carolo Calvo, Senonensis Antistes Galliarum Primas assertus est; sed postmodum Lugdunensis quidam Archiepiscopus simplicitate fretus Ludovici Melodunensis, Præsulis etiam Senonensis hanc præeminentiam vindicavit, obtentâ etiam hac de re Parlamenti sententiâ.

SENONOIS, & LA PARTIE MERIDIONALE DE LA CHAMPAGNE.



Sunt autem in Senonenſi civitate inſignes Eccleſiæ. Ipſa Cathedralis Baſilica, Deo & Protomartyri Stephano dicata temporibus S. Saviniani à Chriſtanis fuit extructa, quæ anno 878, funeſto totius urbis incendio fuit involuta, poſtmodumque reſtaurata denuo conflagravit ſimul cum aſſervatis in ea reliquiis anno 962; tandemque iterum priſtino ſplendori reſtituta anno 986, quo etiam Palatium Archiepiſcopale exædificatum eſt; quod utrumque ædificium, Baſilica nimirum Cathedralis, & Palatium jam dictum ad annum uſque 1184 perennavit; ea autem tempeſtate, ipſa civitas, pene tota rurſus exarſit, & inprimis ipſa princeps Baſilica, quam Philippus II, Rex, maximis reparavit impenſis, pluribuſque turribus, & aliis elegantis architecturæ operibus exornavit. Sedes autem hæc Archiepiſcopalis, 674 parochias ſibi ſubjectas habet, præter monaſteria, quorum celeberrima ſunt ea quæ ſequuntur: S. Remigii, S. Petri *le Vif*, S. Columbæ, S. Petri *de Chaumes*, S. Petri Melodunenſis, quæ ſub inſtitutis agunt S. Patris Benedicti: S. Ioannis Senonenſis, S. Eugenii, S. Severini Caſtro-Landonenſis, S. Ioannis *du Iard*, S. Iacobi Provinienſis, Ordinis S. Auguſtini; Cœnobia *des Barbeaux*, *Seranceaux*, *Iouy*, *Poulis*, *Vauluiſant*, *Dilo*, Fontis S. Ioannis, *des Eſchalis*, *Pommeray*, *Viliers*, S. Pauli, *Roſette*, *de Lys*, *de Ioye*, *Ville-Chaſſon*, &c.

Archiepiſcopus Senonenſis ſeptem olim habebat Suffraganeos; verum hodie tres duntaxat, Altiſiodorenſem ſcilicet, Nivernenſem, & Trecenſem habet ſuæ jurisdictioni ſubjectos. In varios extenditur tractus hæc Diœceſis, amplectitur enim territorium Gaſtinenſe, Brionenſe, Campanenſe, Hurepenſe, &c.

Porro præcipuæ aliæ Senonenſis urbis Eccleſiæ ſunt: Ædes S. Petri, *du Donjon* dicta, quam piiſſima Clotildis Regina, priſcis illis temporibus ædificavit; Eccleſia deinde S. Hilarii, anno 795 condita, SS. Gervaſii & Porthaſii, S. Maximi, S. Ioannis. Anno autem 1363, ad 1366, Cœnobium Franciſcanorum, quod antea fuerat in ſuburbiis extructum, intra urbis muros fuit translatum: cumque prius Senonenſi in urbe nullus defunctorum ſepeliretur, præter Archiepiſcopos; tunc tamen cœperunt F F. Minores, facta ſibi licentia, mortuorum corpora tumulare. Extant & alia in hac civitate aſceteria, Cœleſtinorum ſcilicet, Dominicanorum, Capucinorum, Ieſuitarum, Carmelitarum, &c.

Illud inſigne circa monaſterium S. Petri *le Vif*, quod Theodechildis Clodovæi primi Chriſtiani regis filiæ munificentia fuerit conditum, ampliſſimiſque reditibus dotatum, ac tandem aſſignatum Monachis Ordinis Benedictini, quod & primum hujus Inſtituti cenſetur in Francia fuiſſe ſtabilitum. Illud etiam ſingulare, quod Baſſolus Aquitaniæ Dux, in eodem vitam regularem profeſſus ſit, ætatemque ad multos annos protelarit. Sed & multi alii & proſapia & ſanctitate inſignes viri idem monaſterium nobilitarunt.

Baillivatus. Baillivatus Senonenſis inter quatuor totius regni antiquiſſimos computatur, ex Trecenſi olim conflatus, ubi Baillivus Senonenſis tribunal etiamnum ſortitur, atque jus dicit; ad eundem etiam pertinebant Melodunenſis & Altiſiodorenſis, atque à Ligeri, qua Gyennenſe alluit territorium, uſque ad Lotharingiam, comprehenſo quoque Lingonenſi Ducatu, *Baſſigni* & *Barleduc*, qui & hodie hujus ſunt juriſdictionis, diffundebatur. Iſte vero Baillivus ter quotannis maxima, ut vocant, Iudicia celebrat, quæ ſingula diebus octo perſeverant, prima nempe die Lunæ à ſolemniis omnium Sanctorum, eodem quoque die poſt Dominicam Palmarum, ac feſtum S. Barnabæ; quibus omnes omnino hujuſce Baillivatus Iuſtitiarii interſunt.

Malley. Primo abs Senonenſi urbe lapide ſe offert *Malley* vicus Archiepiſcopalis, ubi ampliſſima Domus conſpicitur, Vivario ac nemore circumſepta, & nemore mille decempedas complectente; interque amœna hujus ditionis viridaria fons emergit, qui ſtagnis pluribus oppletis procurrens, multas hinc inde molas circumagit, ac demum in Yonnam ſeſe exonerat.

Villeneufve le Roy. *Villeneufve*, olim urbecula, ſecundo à Senonibus lapide, à Rege extructa, cum ampliſſimo leproſorum Xenodochio, ubi & Iudæis è Gallia oriundis copiam fecit Rex inhabitandi, libereque ibidem ſuam Religionem exercendi. Erat inibi locus cimeterium Iudæorum appellatus; at illo ad inſtantiam Eugenii III, diruto, Iudæi etiam ipſa urbe expulſi ſunt. *Pont-ſur-Yonne.* *Pont-ſur-Yonne*, exiguum oppidum, huic etiam regioni aſſignatur, plurimaque alia loca muris circumvallata, *Dimon* nempe, ſeceſſus amœniſſimus, ubi & opima venatio, ſilvæque condenſæ, quibus undique obſepitur; *Belle* caſtrum ſumptuoſiſſimum, in ipſis quoque nemoribus abditum. Ex adverſa autem Yonnæ fluminis ripa ſeſe oſtentat *Courtenay*, modicum quidem oppidum, ſed Comitatus titulo antiquiſſimum. Illud à Iulii Cæſaris temporibus extitiſſe, quorumdam exiſtimatio eſt, nam & vetuſtiſſima in urbe inferiori veſtigia cernuntur. Dividitur itaque urbs hæc in Superiorem & Inferiorem, colliſque modice alto inſidet. In Superiori viſitur arx elegans inclytæ familiæ *de Courtenay*. Effoſſa fuere nuper ad radices mœnium urbis inferioris numiſmata quædam, ex parte crucis figuram præferentia, averſa vero facie, manicam, quibus quidem Sanctiſſimi Regis Ludovici monetæ ſignabantur, ob perpeſſas in expeditione Terræ Sanctæ injurias, immaneſque proditiones.

Sepes de Courtenay. Famam conciliant oppido ſepes *de Courtenay* dictæ, quarum hanc accipe deſcriptionem: Incipiunt hæ ſepes à parochia *de Montcorbou*, indeque reflectuntur ad fanum S. Martini *de Dourdon*, quod duobus à Cortenayo milliaribus ſejunctum eſt; poſteaque ad Saviniacum protenduntur, quo deinde tranſmiſſo ſeſe porrigunt ad fanum uſque S. Hilarii, & ad locum de *Chante-cocq*; atque adeo hoc tam multiplici excurſu, ſeptena ſuo ambitu milliaria complectuntur.

Fuit olim Courtenayum non ignobilis civitas, utpote undiquaque mœnibus, propugnaculis ac turribus circummunita; verum Anglicis procellis ſub Carolo VII omnino deformata eſt.

Non procul à Courtenayo reperitur vicus à S. Hilario dictus, ubi Prioratus à Balduino de Courtenay Conſtantinopolitano Imperatore fundatus; modicoque inde intervallo *Montalan* occur-


occurrit castrum amœnissimum nobili & antiquæ familiæ *de Montalan*, ob egregiam Reipublicæ navatam operam, attributum; cum enim illud esset Anglorum per Franciam grassantium perfugium, ipsos inde exturbavit vir strenuus, Philippus *de Ville-Chastel*; quapropter ipsum à Regibus dono accepit, ejusque nomen suo prætulit, dictus postmodum Dominus *de Montalan*; cujus etiam sepulchrum multos post annos ibidem repertum est. Accensentur huic tractui alia quædam castella, & loca, *S. Phale, Frety, Chantecocq, Cudot, Piffons, Hallebec, Blaçon, Beuvillier, Giry, Theorigny, la Chapelle, Launay, Granches, Cerisiers, Venisy, Aix en Gothe*; atque in Senonum finibus, *Coulours, S. Iulian du Saut, Courlon*, &c.

Qualitas. Ager Senonensis fœcundissimus est, frumento & vino abundat, frugibusque omnigenis, ut & pecoribus ac variis animalibus; queis omnibus maximum quæstum faciunt habitatores; nam triticum, vinum, aliaque id genus Lutetiam Parisiorum distrahunt.

Merces. Comitatus Senonensis à suis olim Comitibus, iisque hæreditariis possidebatur; hodie autem Regum Coronæ annexus est. Antequam vero territorium hoc relinquamus, Senonibusque valedicamus, Veronensem, Gallicè *de Veron*, perlustremus. *Lacus Veronensis.* Hujusce lacus aquæ in lapides convertuntur, leves admodum, & porosos, ipsamque velut spumam ac pumicem imitantur; nusquam crescunt aut decrescunt; muscum & herbam in margine progerminantem in petram quoque transmutant; imo & murus ipse molendino adhærens, ex aquarum alluvio velut lapide spississimo incrustatus est; demum si in aliquo vase per aliquot dies aquam hujusmodi reservaris, statim in globulos lapideos concrescit.



P I C A R D I A.

Nomen. Icardia regio est amœnissima, multorumque uberrima nutrix populorum. Luserunt quotquot antea rationem nominis investigarunt; neque enim à contis (Gallice *Picques*) quorum inventores à quibusdam asseruntur, nomen assumpserunt; quasi vero priùs fuerint nomine destituti; aut ex rudis cujusdam artificis inventione provincia celebratissima nomen acceperit, unde solus ipse gloriaretur. Longius aberrarunt, qui à *Picracardia*, Græco vocabulo nomen Picardiæ derivant; quasi Picardi primis iracundiæ motibus sint concitatiores, aut juxta Græcam vocem, amariores; imo PI-Cardias, seu Pii Cordis potius dixeris, si agnoscas; nam benignissimi sunt, adeoque in omnes benevoli, ut cunctos sibi amore devinciant; Satius cum priscis auctoribus dixeris, Picardiam olim unam duntaxat cum antiqua Belgica provinciam conflavisse; postea verò ab illa divulsam, nomen forsan à cubitali quam præfert figurâ suscepisse, πῆχυς enim Græca dictio cubitum indigetat.

Fines. Agro Retelensi ab Ortu clauditur; Parisiensi seu Franciæ Insula ad Meridiem; Normannia ab Occasu; à Septentrione, mari Britannico, & veteris Belgii regionibus, Artesia scilicet, Hannonia, & Agro Cameracensi. *Extensio.* Illius longitudo ad 45 milliaria porrigitur, ad quindecim latitudo.

Divisio. Dividitur autem tres in partes Picardia, Veram nimirum, Inferiorem, & Superiorem. Superior, maximam partem Belgicis provinciis constat. Vera, Tiraschensem complectitur Ducatum, necnon Territorium Ambianense, & Veromanduorum. Inferior opimis fœcundissimisque territoriis componitur, vulgo *le Santerre*, & *Ponthieu*.

Qualitas. In planities ubique diffunditur hæc regio, omnique est ex parte amœnissima, gratissimis silvis hinc inde consita, lætissimis pascuis abundans, numerosissimos pascit ovium aliorumque animalium greges, piscibus optimis referta est, aucupio gaudet, venatione, totque oblectamentis, ut naturam benignissimam sibi parentem nactam fuisse dixeris, quæ ipsam non solum cunctis rebus ad vitam necessariis, sed etiam usque ad delicias cumularit. Ager feracissimus frumentum tanta vi suppeditat, ut Parisiensium hordeum vulgo censeatur; nec solum vino ferendo est idoneum, at plantare vineas & colere negligunt habitatores, cum aliis ex regni provinciis facili negotio advehatur tantâ, quantâ exoptant, abundantiâ, in suorum videlicet frumentorum, aliarumque rerum commutationem.

Vires. Strenuissimi sunt illius incolæ, & ad arma peritissimi, totque populis frequens est regio, ut numerosissimum militem in campum possit educere. Fortalitiis, arcibus, ac locis aliis munitissimis passim disseminatur. *Opes.* Quid opes eloquar, cum enim omnibus instructissima sit, imo & aliis regionibus affatim subministret, commerciorum frequentiâ vigeat, atque apud nationes exteras ob suorum fluminum opportunitatem, & frumenta, mercesque alias distrahat, non immerito inter opulentissimas Galliæ provincias computatur.

Flumina. Sunt autem nobilissima illius flumina, quæ vulgo nuncupantur, *La Somme, l'Oyse, l'Aisne, l'Escaut, & l'Escarpe.* *Somona fl.* Fluvius ergo *Somona* in pago Veromanduorum nascitur, cui nomen *Fervac*, ubi celebris Virginum abbatia; inde Augustam Veromanduorum, vulgo *S. Quentin*, allabitur; seseque velut in arcum recurvans Peronam adit, postea verò Corbiam, unde Ambianum properat, ubi quatuor in ramos finditur, qui in ipso urbis exitu Ponte S. Michaëlis adinvicem conjunguntur; magnoque jam apparatu dives Somona Picquiniacum transvehitur, atque Abbatisvillam procurrit, modicoque postmodum intervallo in Oceanum se exonerat. Porro ipse fluvius variis obviam pontibus sternitur in commodum & gratiam viatorum, inque connexionem Picardiæ Superioris & Inferioris, quæ ipso flumine dirimuntur. Apud Augustam Veromanduorum pons primus visitur; secundus apud Dalonem, vulgò *Dalon*, tertius Peronæ, quartus Ambiani, quintus Picquiniaci; sextus denique duobus ab Abbatisvilla milliaribus *Pons Remigii* dictus, quem Philippus Valesius jussit reparari, ut pertranseunti exercitui viam præberet, cum prælium adversus Anglos ad Creceium committere destinaret.

Isara, Oyse. Oritur autem *Isara* apud *Hiesson* oppidulum territorii Thieraschensis, quinque circiter leucis à Virodunensi civitate, celebratissima ob initos Franciam inter & Hispaniam Pacis tractatus; inde Guisiam adit, exceptisque Arroüaisio & Serra fluminibus, Feram urbem Tartanesii caput alluit, posteaque Calniacum properat, raptoque obviam *Delette* rivulo, Noviodunum progreditur, ac demum *Galliolam, Margaritam* & Versam sibi sociat: subtus verò Noviodunum pontone pertransitur, loco *Berry* vocitato. *Arroüaise. Serre. Delette. Galliole. Marguerite. La Verse.* In Confluenti autem Axona fluvius in Isaram se exonerat, qui tot auctus fluminibus, Compendium provehitur.

Aisne. Fontes suos repetit *Axona* ex Barrensium finibus, Campaniamque irrigans sensim fit locupletior, ut tandem Isaræ conjungatur. Duas habet scaturigines, unam Belliloci in territorio Argennensi, supra San-Menehoviense oppidum, cujus muros alluit; alteram verò supra Claromontium in Barrensi territorio. Conjuncti autem hi duo fluvii, pleniori alveo Rethelense territorium subingrediuntur, cujus supra meminimus.

l'Escaud. *Scaldis* in Picardia scaturit, in finibus Veromanduorum, indeque Cameracum procurrit, quam suis aquis irrigat, agrumque illius fœcundissimum reddit.

Scarpa

Scarpa prodit è Picardiæ finibus, duas quidem habet ſcatebras, verùm præcipua in monte S. Eligii reperitur; altera non procul inde diſſita; quæ invicem ſociatæ Attrebati mœnia perfundunt, quæ totius regionis eſt Metropolis.

Picardia Superior, cum ex territorii, & provinciis exteris conflata ſeparatum à Francia corpus efficiat, ad noſtrum minime pertinet inſtitutum; ipſa itaque relicta, aut potius ſuo loco remiſſa, Veram Picardiam ocyus deſcribemus.

Vera igitur, quæ communiter ab omnibus cenſetur Picardia, Pariſiis diſcedenti, tranſactis Bellovacenſium finibus, à viculo de *Crevecœur* incipit, & ſequentes tractus includit, ſcilicet, Vicedominatum Ambianenſem, Corbiam, Piconium, & Comitatum Veromanduorum.

Amiens. Ambianum præclara, ampla, & antiqua civitas, ſæpius à Iulio Cæſare cum laude memoratur; urbs ſane populi frequentia, opum abundantia, ædium nitore & elegantia, commerciorum varietate illuſtris, bonis legibus, laudabilibuſque inſtitutis ornata, ob præcipuam in reges fidem jam olim ampliſſimis privilegiis donata fuerat, cuſtodia & adminiſtratione urbis penes Decurionum collegium manente. Itaque neque novo tributo neque ſubſidiis, tam intra urbem, quam in ſuburbiis, acceptis gravari poſſe per privilegia ſua cauſabatur, ut fide, ſic libertate ſemper inviolatâ, ſervatâ uſque ad poſtremos Galliæ tumultus, à quibus in partes, ut pleræque aliæ, raptata, tandem Regi conciliata, rurſus antiquorum privilegiorum confirmationem impetraverat. Anno autem 1597 ab Alberto Auſtriaco ex inſidiis capta, nucibus ſcilicet in porta diſſeminatis; eodem quoque anno à Rege Henrico IV, ſtrenuitate, ac magnanimitate incredibili fuit recuperata. Vnde etiam vulgo jactatur: *Amiens fut priſe en Renard, repriſe en Lyon*, ſeu, *Ambianum vulpis aſtutia ſurreptum, ſed leonis potentia recuperatum.* Sex aureorum millionum ſumptûs profudit magnanimus Rex, ut rem tantam ad exitum perduceret. Excitata eſt poſtmodum in parte ejus eminentiore arx fortiſſima, quâ quidem inexpugnabiliter fere defenditur.

Eccleſia Cathedralis. Cathedralis illius Baſilica, omnium totius Galliæ elegantiſſima cenſetur; tantus in ea eſt exquiſitiſſimarum omni ex parte tabellarum, ſeu picturarum apparatus, ut nil uſquam ſimile toto orbe videas; tantus eſt illius ſacræ ædis nitor, ut contemplantis oculus novas ſemper delicias inveniat, animus quoque nova & vetera inibi ſemper addiſcens nuſquam defatigetur. Plurimis quoque aliis ſplendet Eccleſiis & Religioſorum cœnobiis. Ipſa autem Somonæ inſidet, præclaro mœnium ambitu cincta, turribus & propugnaculis munita, foſſis late patentibus & profundis circumvallata, quas & aquæ fluviales opplent; unde & *Ambiani* nomen ſortita, quod tota undique aquis ambiatur.

Magiſtratus. Regiis undique fulget muneribus, Sede Præſidiali, Conſiliariis, inſigni Magiſtratu, multiſque præſtantiſſimis & eruditiſſimis viris. *Viri Clari.* Peperit orbi illa civitas Silvium & Fernelium, duo præclara Medicæ Facultatis ornamenta.

Epiſcopatus. Hic etiam ampliſſimus eſt Epiſcopatus, qui quidem longe lateque ſuam juriſdictionem diffundit; poteſt autem innoteſcere illius amplitudo ex Decanatibus, qui ad ipſam Diœceſim pertinent; ſunt autem viginti numero, quibus omnibus ipſa Diœceſis conflatur.

Præfecturæ. Variæ ſubjacent Ambiano Præfecturæ, quæ communiter hoc ordine recenſentur, *Beauvoiſis, Grandviller, Beauqueſne, Fouilloy, Vimieu, Dourlens, S. Riquier, Monſtreüil.*

Civitates. Corbie. *Corbia* autem quatuor ſupra dictam civitatem milliaribus poſita, urbs munitiſſima eſt, inſigni fulgens abbatia.

Picquigny. Tribus infra Ambianum milliaribus *Piconium* reperitur, oppidum pervetuſtum, ubi Somona ponte nectitur; inde illuſtriſſima Vicedominorum Ambianenſium proſapia nomen familiæ deducit, vocantur enim Barones, ſeu Domini Piconienſes, *Seigneurs de Picquiny.* Cenſetur autem inter primitivos regni Vicedominatus. Horum majores fundarunt dotaruntque inſignem *du Gard* Abbatiam, hac eadem in regione ſitam; quemadmodum & *Flexicourt,* & *Moreaucourt* Prioratus, Capitulumque *de Vinacourt*, ab omni onere abſolverunt; & quodcunque jus ipſi ſuique ſucceſſores prætenderent extinxerunt. Multa ſunt alia eximiæ pietatis & illorum magnificentiæ monimenta, quæ quidem brevitati attendentes præterimus. Porro nomen iſtius urbis *de Picquiny*, eodem Anglorum nationem fato involvit, quo Tribum Ephraim dictio *Schiboleth*; horum enim 42 millia à Iephte in Iordanis littore occiſa ſunt, quod ex ſuo idiomate hoſtes & exteri dignoſcerentur, pro *Schiboleth*, pronunciantes *Siboleth*; ſic totus Anglorum exercitus in Somonæ ripa, cum pro *Picquiny*, corrupto aut quaſi contracto vocabulo *Pecny* pronunciarent, in confluentem detruſus eſt.

Porro antiquior, qui è veteribus monumentis poteſt erui hujus loci Dynaſta, Euſtachius nominatur, qui anno 1066, Collegiatam S. Martini Eccleſiam in oppido de Picquiny inſtituit, fundatis ibidem in miniſterium ipſius Eccleſiæ octo canonicatibus. Abs prædicto Euſtachio genus deducit Guermontius, qui in Vicedominatum ſucceſſit circa annum 1112, qui Thomæ *de Marles* Ambianenſem Comitatum prætendenti conſtanter ſe oppoſuit. Addit Surius, ipſum etiam, Adamum Ambianenſem, civitatis Principem, id eſt, Caſtellanum, carceri mancipaſſe, quod Enguerrani Bovenſis & Thomæ Marlenſis ejus filii, partibus faviſſet in civium Ambianenſium jacturam & perniciem. Gerardus Guermontii primogenitus Vicedominatui poſt patrem ſuffectus eſt, ampliſſimiſque reditibus Ambianenſem S. Ioannis Eccleſiam locupletavit, necnon & Abbatiam *du Gard* dictam; cujus monachi ſolemni Eccleſiæ pompa, Crucem nimirum præferentes, & vas Aquæ benedictæ, obviam Vicedominis procedere tenentur, prima quaque vice in ipſam Abbatiam adventantibus. Porro ipſe Gerardus Guermontium hujus nominis II, progenuit, ex quo prodiit Gerardus etiam II, Vicedominatûs ſucceſſor, qui in Palæſtina improles obiit; illius vero frater ſecundogenitus, nomine Enguerranus, Vicedominatus dignitatem adeptus eſt anno 1197, duaſque fundavit capellas in Eccleſia S.



NOVA PICARDIÆ TABULA.
Milliaria Gallica Communia
Milliaria Germanica Communia
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARTIE DE LA FLANDRE
COMTÉE DE HAINAUT
COMTE DE NAMUR
PARTIE DU DUCHÉ DE LUXEMBURG
PARTIE DE LA NORMANDIE
LE BEAUVOISIS
PARTIE DU VALOIS
PARTIE DE LA CHAMPAIGNE
SANTERRE
CAMBRESIS
Calais
Boulogne
S.Omer
Arras
Lisle
Douay
Cambray
Valenciennes
Amiens
Abbeville
Peronne
S.Quentin
Beauvais
Noyon
Compiegne
Soissons
Reims
Namur
Charlemont
Dieppe
Chaumont

13.

Martini Piconienſis, ductâ vero in uxorem Margaritâ, Ioannis Pontinienſis Comitis filiâ, quatuor ex eâ ſuſcepit liberos, quorum primogenitus, ſcilicet Gerardus III Vicedominorum ſeriem auxit; cui poſtmodum additus eſt Ioannes filius primogenitus, & in Vicedominatu ſucceſſor, anno 1246; qui cum virilem ætatem attigiſſet, ſibi matrimonio junxit Margaretam, Ægidii *Beaumez* dynaſtæ filiam, ex qua plures utriuſque ſexus liberos procreavit; Renaldus vero primogenitus filiam unigenitam nomine Margaritam reliquit, vicedominatus heredem; quæ etiam ſecundò enupta, cum liberos non haberet, Vicecomitatus ad Margaritam Pinconienſem conſobrinam devolutus eſt, quem ad Robertum Dominum *d'Ailly* nuptiis tranſtulit, anno circiter 1381; ex iis vero progenitus eſt Balduinus, qui eundem Vicedominorum textum proſecutus eſt; cui ſucceſſit Rollo Allienſis; qui quidem ex Iacquelina Bethunienſi Ioannem *d'Ailly* primogenitum ſuſcepit, qui patre defuncto Vicedominatus dignitatem obtinuit anno 1468; cui ſubrogatus Carolus *d'Ailly*; deinde Emmanuel *d'Ailly*, qui cum ex Ludoviſia Ongniacenſi tres liberos procreaſſet, illis, dum adhuc in teneris agerent, de medio ſublatis, Charlottam filiam Honnorato Alberto Chaulnenſi Duci enuptam Vicedominatus heredem ſubſtituit; quæ Henricum-Ludovicum *d'Ailly*, hodie Ambianenſem Vicedominum peperit.

S. Riquier.

S. Riquerii fanum, vulgò *S. Riquier*, Cardonæ fluentis alluitur, nomen autem & originem ducit è celebri illa abbatia, quam S. Riquerius anno 644 extruxit, exordium enim urbes plurimæ, tum à Caſtellis, tum à Monaſteriis habuerunt, paulatim namque illorum in ambitu populi inſederunt. Illud autem ſingulare & memoratu dignum hac de urbe refertur; quod cum illam Hiſpani ex inſidiis cepiſſent anno 1536, illos inuſitato ſtratagemate mulieres expulerunt, aſſumpta enim veſte virili, ſtrenue in jactabundos, & nimium ventoſos involarunt, & ereptis ſignis eorum cornua & ſupercilium depreſſerunt.

Monſtreuil.

Monſterolium ripæ *Canchii* fluminis inſidet, illius nomini, *ſur mer*, ſive *ſupra mare* cognomentum additur, ad differentiam alterius, quæ in Andegavenſium finibus in crepidine montis poſita eſt. Quæ autem ſit ratio nominis, varii varie opinantur. Fingunt namque ſpecum veluti fuiſſe cujuſdam Polyphemi, & quaſi hoſpitium *monoculo Monſtro* olim præbuiſſe, quod inibi fortuitò repertum, dum ipſa civitas extrui cœpiſſet. Alii vero, ut Regum theatrum exhibent, *Montem*que potius *regium* debuiſſe indigetari aſſerunt. Sed alii probabilius deducunt à Monaſterio; quod nempe cum olim eſſet monachorum ſeceſſus, nunc veluti militare extet armamentarium.

Et quidem urbs eſt munitiſſima, caſtro etiam firmiſſimo inſtructa. Et hæc pauca de Ambiano locisque adjacentibus libaſſe ſufficiat; ad Veromanduos illico tranſeamus.



REGIO

REGIO VEROMANDVORVM.

Vermandois.



Eromanduorum regio Veræ Picardiæ portio eſt; ipſa priſcum nomen etiamnum retinet; Antiqui etenim illius cultores *Veromandui* dicebantur. Extitit diuturna poſſeſſio Principum è Carolo Magno ſtemma ducentium. Comitatus titulum præfert, & antiquitus *Ambianum*, *S. Quintini* municipium, *Peronam*, *Ham*, *Montdidier*, *Roye*, *Laon*, *Chauny*, *Valois*, *Soiſſons*, *la Fere ſur Oyſe*, aliasque Tartenesii urbes, imo & Noviodunum, *Noyon*, *le Catelet*, *Coucy*, totumque Tieraſchenſem tractum complectebatur; illius autem impræſentiarum metropolis eſt ipſa S. Quintini civitas, loco paluſtri ad Somonam poſita, ſeptem ab urbe Cameracenſi milliaribus. Cæſaris Samarobrinam fuiſſe docti autumant, communiterque ab omnibus *Auguſta Veromanduorum* exiſtimatur; hoc autem illi nomen in memoriam Auguſti Imperatoris impoſitum eſt; ipſum enim populi Romanorum imperio ſubjecti veluti numen, & propitium publicæ felicitatis ſidus venerabantur. Verùm poſtquam S. Quintinus, è Romana Gente oriundus, ſub Maximino Imperatore urbem hanc ſtrenuo pro Chriſti fide martyrio illuſtravit, terreni Imperatoris nomen indigenæ reſpuerunt, civis cœleſtis nomine ſuæ civitati aſſumpto. Potentiſſima civitas, nullo non tempore caſtro optimo munita, validiſſimis præcincta mœnibus, foſſis profundiſſimis & Somonæ fluentis circumfuſa, omnibus fere artis & naturæ munimentis armata. Equidem cruentâ illâ S. Quintini pugnâ anno 1557, illam Gallis eripuerunt milites Cæſariani, qui velut Guiſiam obſeſſuri venerant, ſed re ipſa S. Quintini municipium armis & viribus tunc temporis deſtitutum aggreſſi, tam acriter impugnarunt, ut cum obſeſſi ſtrenue reſiſterent, devicti ſint, paſſique quidquid aut victor auderet, vel victus timeret; nam quinque hominum millia, & amplius illa die funeſtiſſimâ clade ceciderunt; at poſtmodum à Gallis recuperata eſt.

Nomina.

Ribadimons tribus circiter à Quintopolitana civitate milliaribus, editiori loco eminet, caſtrum oſtentat, ſuorum olim Dynaſtarum domicilium. Huic adjacent ſequentia non infimæ notæ oppida, *Lucian*, *Montigny*, *Monceaux*, *Aubrechies*, *Maſieres*, *Audencourt*, omnia ad Iſaram poſita; quemadmodum & *Origny*, ubi opulentiſſima totius Tieraſchenſis tractus Abbatia Virginum Ordinis Benedictini; ac denique *Caſtri-Porciani* territorium.

Ribiemont. Origny. Chaſteau-Porcian.

Iſaræ igitur ductum proſequenti Feram appellimus Tartanesii caput, urbemque munitiſſimam; quæ tamen victricibus armis Henrici IV. collum ſubdidit, cum enim objecto aggere curſum Iſaræ ſtitiſſet Rex potentiſſimus, feciſſetque fluvium intra civitatem reſtagnare; miſeri cives aquis intercepti cum & pyrii pulveris, & rerum ad vitam neceſſariarum jacturam feciſſent, victas manus dederunt.

Veromanduis etiam accenſetur *Calniacum*, urbs non ignobilis, quam & rigat Iſara, emenſis duobus à Fera civitate milliaribus, exceptoque Deletta rivulo Noviodunum properat. Ceſſit ſuperioribus ſæculis in jus Hiſpanorum, qui militare præſidium in ea collocarunt, ut direpto undique vini proventu, illud in redactas ſuæ poteſtati civitates diſtribuerent.

Chauny.

Ham quoque Veromanduorum civitas caſtello firma, aquis Somonæ perfunditur; eodem tempore fuit ab Hiſpanis capta, moxque *Cateletum* ejuſdem tractus urbecula; ſed paulopoſt utraque Francorum ditioni reſtituta eſt.

Ham. Catelet.

THIERASCHIA.

THieraſchenſis tractus, Veræ Picardiæ pars, Luxemburgenſi oræ collimitanea, *Capellam* metropolim habet, exiguam quidem urbem Iſaræ fluentis irriguam, ſed omnibus induſtriæ munimentis firmam. Variis belli cladibus nuperrimis diſſidiis fatigata, variorum etiam Dominorum jugum ſuſtinuit, veluti theatrum colludentis fortunæ effecta.

Thieraſche. La Chapelle.

Iſara fluvius in hoc tractu oritur è tenui fonte, in ſaltu prope *Heriſſonem*, hancque poſtmodum regionem interſecans, Guiſiam proficiſcitur. Eſt autem *Heriſſon* burgus, quatuor à Vervinio leucis diſſitus; caſtro defenditur, & exornatur. *Vervinium* vero elegans oppidum, & auguſtum initæ pacis anno 1598 Gallos inter & Hiſpanos Sacrarium; à quo itidem *Marle* paucis etiam leucis remota eſt in divergio fluminis ſita. Ad ortum viſitur *Aubenton* locus non ignobilis.

Heriſſon. Vervins. Marle. Aubenton.

Quod autem ad Guiſiam attinet, eximia eſt illa civitas, honeſtiſſimis oppleta civibus, qui, ut & illorum domus, ſingularis honeſtatis ſpecimen exhibent. Ipſa autem in Superiorem & Inferiorem diſpeſcitur. Caſtrum habet inprimis ſolidiſſimum, quod & antiquitate & fortitudine celebratiſſimum eſt. In gratiam Claudii Lotharingii ad Ducatus dignitatem evecta eſt anno 1527.

Guiſe.

Sunt & alia hujuſce regionis loca, *Montcornet*, ſcilicet, Martigny, Pierrepont, *Marſontaine*, &c. Sed ad Somonæ alveum revertamur, illiusque ductum Peronam uſque conſequamur.

INFERIOR PICARDIA.

ILla Picardiæ portio, quæ verſus Oceanum porrigitur, iſtas amplectitur regiones: *Santerre*, *Ponthieu*, *Boulonnois*, *Guiſnes*, & *Oye*.

Nobiliſſimum igitur illud territorium, quod

Santerre.


DESCRIPTIO
VEROMANDUORUM
Auctore Ioanne Suthonio
Gallice
VERMANDOIS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
ARTESIÆ
PARS.
CAM-
BRESIS.
Milliaria Gallica


GOUVERNEMENT
de la
CAPPELLE
par P. petit Bourbon.
Explicatio
Notarum
Villes
Bourgs
Villages
Hameaux
Chasteaux
Abbayes
Septentrio
Occidens
Oriens
PICAR-
DIÆ
PARS.
Milliaria Gallica.
Amsterdami
Apud Guiljelmum
et Joannem Blaeuw.

communi Gentis vocabulo *Santerre* dicit ur, rebus omnibus, ſed frumento præſertim luxuriat; ſolum pingue admodum, nam indubitata fides, & vetuſtiſſima Gentis monumenta memorant, totum ſanguine Hunnorum inundaſſe tempore Dagoberti Regis, ideoque antiquitus loca in illo poſita *in ſanguine terſo* indigetari. Ferax eſt adeo, ut juremerito Pariſienſe hordeum ſeu promptuarium vocitetur præclaris cingitur oppidis, quorum hæc vulgo nomina, *Peronne*, *Mondidier*, *Roye*, *Neſle*, ex parte etiam agro Bellovacenſi, qui illi à Claro-monte, & Bello itidem monte; uſque ad locum *de Crevecœur* adjacet.

Peronne. *Perona* illius eſt metropolis, egregia plane civitas, & à parte Auſtrali ſitu munitiſſima; inſidet aquis Somonæ, loco paluſtri; aliis autem partibus, artis armatur induſtriâ; à Cæſariano milite quondam acriter impugnata, ſed nullatenus expugnata, ſua etiamnum integritate gloriatur, paſſimque de ſua civitate dictitant cives inclyti, *Perona Potens Puella*; Regni clavis etiam communiter appellatur. Ibi Somona ponte ſternitur.

Roye. Sequitur convenienti locorum ſerie *Roya*, urbs non ignobilis, caſtro firmiſſimo munita; à qua *Mondidier.* *Mondidier* oppidum non longe diſſitum eſt, *Moreuil.* validiſſimo etiam caſtro defenſum, & aquis *Morelii* amnis riguum; qui quidem duobus ſcatet è fontibus; quorum unus hac urbe ſuperius oritur; alius ſupra Royam, atque poſtmodum circa *Neufville* oppidulum ſociantur, procurrenteſque ad *Nays.* Boream, *Nays* flumen excipiunt, qui è paludibus *de Beaurevoir*, & *Bretueil* emergens, ad radices *Pa-* *Alce.* *racleti* labitur. *Alceus* autem nonniſi tenuis eſt rivu- *Dours.* lus, qui ſub *Dourſenſi* caſtello ſepelitur.

Porro Somona priuſquam in Oceanum influat, omnes ſecum rapit rivulos, quotcunque è fontibus paludibuſque Superioris Picardiæ erumpunt, ita ut pleniſſimo poſtmodum volvatur alveo. Primus autem qui in illam influit rivulus, *Ignon.* *Ignon* appellatur, qui *Nigellenſe* oppidum perfluit. *Neſle.* *Nigella* vero urbecula eſt firmiſſima, & velut propugnaculum adverſus quoſcunque Belgarum inſultus. Inter antiquiſſimos Quintopolitani Baillivatûs cenſetur Marchionatus.

Encre fl. & Marchionatus. *Encrenſis* fluvius, ex oppido ſibi cognomine emanans, *Encre* ſcilicet, ubi Corbeiam attigit, *Celle.* Somonæ jungitur; Cella ſalutans obviam Bur- *Conty.* gum Caſtrumque fortiſſimum *de Conty*, Ambianum prolabitur, multiſque poſtea junctus anonymis rivulis in *Pontinium* properat, vulgo *Pon-* *Canaples.* *thieu*, Burgum *de Canaples* interſecat, eidemque Comitatui limitem conſtituit. *Cardon* etiam fluviolus è S. Riquierio decidit, & paulò pôſt Somonæ miſcetur; tumque Somona tot auctus amnibus in Oceanum ſeſe exonerat.

PONTINIENSIS COMITATVS.

Ponthieu. Pontinium Comitatus titulo exornatur; ipſum autem nomen ſortitur à Pontibus queis per paludes frequentiſſimis ſternitur. Hic olim Gallorum & Anglorum acies ad invicem acerrime concurrerunt.

Oppida. Sunt autem hæc celebriora, quæ Pontinienſis tractus complectitur loca, *Abbatis-villa*, vulgo *Abbeville*, *S. Riquier*, *Ruë*, *Waben*, *Crotoy*, *Crecy*, ſeu *Creſoy*, *Arainnes*, *Port*, *Arguel*, *Tranleel*, *Martaigneville*, *Triſtre*, *Camberon*, *Monſtreuil*, de quo ſupra, & *Pont-dormy*, urbecula caſtro munita.

Abbeville. Abbatiſvilla, Pontinienſis territorii caput, urbs eſt elegans, populoſa, & commercio celebris; cùm enim Somonæ ſit irrigua, nec procul ab Oceano diſtet, opportuniſſimo S. Valeriani portu fruitur ad tranſmittenda & adducenda, quæcunque exoptarit, commoda, & ad vitam neceſſaria. *S. Valery.* Eſt autem *S. Valeriani* fanum locus antiquiſſimus, & monaſterium pervetuſtum.

Ipſa verò Abbatiſvilla celeberrimo Baillivatu exornatur, qui quidem ad Pariſienſem Parlamenti Curiam appellat; Sedemque habet Præſidialem, ſeptem Conſiliarios, alioſque Iudices & Officiarios. Titulo Vicecomitatus inſignitur. Ex hac dependet *Croteſium*, quod caſtro pereleganti & firmo, ut & opportuno portu, inſtruitur. Haud procul inde Somona in Oceanum labitur. Eidem etiam Baillivatui ſequentia ſubjacent Dominia: *Noyelle*, *Noyellette*, *Ponthelle*, *Hiermont*, *Conteville*, & *Rambures*.

Ruë. *Rua* etiam urbs eſt Comitatus Pontinii non ignobilis. Incumbit illa rivulo, qui è Creſſiacenſi planitie profluit, atque in Oceanum mergitur; *Auriacum* quoque, Croteſium, Creciacum, Piconium, ceteraque hujus tractus oppida, amnibus etiam & Pontinii paludibus perfunduntur.

Crecy. Porro Creciacum, obſcurus quondam fuit viculus, ac poſtquam Edoüardus Angliæ Rex in hunc Comitatum appulſus anno 1346, illius Dominium jure per matrem acquiſito prætendens, illic caſtra poſuiſſet, valliſque, aggeribus ac foſſis muniiſſet; tum emerſit è tenebris, atque ex cruentiſſimo inibi commiſſo prælio nomen accepit.

BOLO-

BOLONIENSIS, ET GVINENSIS COMITATVS,

vulgo

Comtez de Boulogne, & de Guisnes.



Bolonia Comitatus est amplissimus, multosque alios sub se tractus includit, Guinæum nempe, Oyum, & Calesium. A Septentrione montibus S. Ingelberti clauditur; ab Ortu quadam portione Flandriæ atque Artesiæ; à Meridie, Britannico mari; ab Occasu denique Cancha flumine terminatur.

Fines.

Ager Boloniensis quinque fluminibus perfunditur, *Aa* scilicet, & fluvio *Boloniæ* proprio, *Cancha, Antia,* & *Somona*. Illorum ab origine ductum, usque ad ostia, quibus in Oceanum sese exonerant, prosequamur.

Flumina.

Aa fluvius supra Rentiacum nascitur, indeque ad Fanum S. Audomari defluit, multisque divisus alveolis, uno postmodum juxta Gravelingam alveo jungitur, tandemque in Oceanum properat, ut pretiosissimas, quas advehit è Flandria, aliisque ex provinciis merces, in regiones longinquas transmittat.

Aa.

Bolonia fluvius ab ipsa civitate nomen mutuatur. Inferior, quæque jacet in maris littore, ad sui fluminis ostia, burgus tantum erat antequam ab Anglis obsideretur. Superior vero, centum ab Inferiori passibus dissita, in monte eminet, urbs munitissima, fossis altissimis circumvallata, & aquis undique circumfusa. Censent viri eruditi ab ebullientibus in littore arenis nomen accepisse; totus enim tractus arenosus est, æstivisque adeo fervet mensibus, ut velut arenis ebulliens videatur; ideoque inde *Boloniam* nomen traxisse autumant, quasi *Bulliens* diceretur; cui propius Gallica dictio accedit, nempe *Boüillante*. Portum habet, dum mare affluit, commodissimum, facillimumque. Græci auctores sub nomine *Bononiæ* illius meminere; illamque portum Gessoriacum putant viri docti, quos inter Robertus Cœnalis de re Gallica lib. 2, perioche 3, de ipso speciatim tractu Boloniensi sequentia verba exaravit: *De Gessoriaco Morinorum portu recte cum Mejero dixerim, vere dici Boloniam maritimam, à qua ad Doverium portum Angliæ brevissimus est trajectus.*

Bolonia fluvius, & civitas.

Nomen.

Castrum habet Bolonia in editiore urbis parte positum, ubi & præsidiarius miles indefessas agit excubias; Episcopali sede exornata fuit anno 1565, illiusque Episcopus Rhemensem Archiepiscopum agnoscit.

Boloniensis Comitatus ex Artesiæ dominatu movebatur, ab eo tempore, quo Isabella Hanoniæ Philippo Augusto fuit enupta; verum Ludovicus XI, à temporali dominatione prorsus exemit, soli Deiparæ, Angelorum hominumque Reginæ illam subjecit; & quasi novam accipiens à B. Virgine investituram, posito ense & militari baltheo, aperto capite, flexis genibus, debitam clientis reverentiam coram illius imagine, quæ in Principe Basilica Boloniensi visitur, inter Abbatis manus præstitit 18 Augusti anno 1477, cor ex auro solidum, pondo duûm millium aureorum offerens, hac etiam conditione se obstringens, quod ipse illiusque successores Franciæ Reges, Civitatem & Comitatum Boloniensem denuo ab ipsa Beatissima Virgine fide clientelari tenerent; & quoties novus succederet Cliens, ipse coram illius altari eodem ritu, oblatoque ejusdem ponderis corde auri solido investituram acciperet.

Ab illo ævo perstitit in regum dominio iste Comitatus; attamen illius possessio ab Henrico Octavo Magnæ Britanniæ rege quodam temporis intervallo fuit interrupta, qui anno 1544 Boloniam Francisco I, Regi, eripuit, per Vervinii cujusdam ignaviam, deditione invitis, qui ibi aderant, Capitaneis factâ; quod & ipse postmodum publico supplicio Parisiis luit, capite, carnificis manu, obtruncatus. Henricus vero II, terra marique bellum gerens, hanc civitatem Anglis eripuit, qui cum innumeris pene munimentis potentissimi adeo Regis nequaquam possent impetus sustinere, illam præoptatâ pace tradiderunt, anno 1551, ex quo tempore Regum dominio inseparabiliter fuit annexa.

Quinis à Bolonia milliaribus, littus legenti Turris Ordinis visitur; quam suo etiam ex littore Angli prospiciunt, *Turrimque Boni-hominis* vocitant; assurrexisse dicitur impensa Iulii Cæsaris, cum secundo in Angliam transfretaret; ut nimirum illius triremes, si forte procellis & tempestatibus quaterentur, aut à recto deviarent itinere, hoc possent indicio in rectum ad ipsam Insulam tramitem reduci; talis quippe eventus in prima transfretatione contigerat. Ludovicus

Tour d'Ordre.


COMITATVVM
BOLONIÆ
et GVINES
DESCRIPTIO.
MARE BRITANNICVM.
COMTE DE BOVLONOIS.
COM. DE GVINES.
ARTESIÆ PARS.
S. PAVLI PARS.
FLANDRIÆ PARS.
MARIS GERMANICI PARS.
Terre d'Oye
Boulonge
Estapels
Monstreul
Renty
Teroane
S. Omar
Ardres
Guines
Hames
Cales
Grevelin
Borborch
Baillage de Hesdin
Milliaria Gallica.
Guiljelmus Blaeu excud. Amsterdami.

16.

Pius eandem reſtaurari juſſit in maximum nautarum commodum & emolumentum.

Turrim Ordinis inter & Dieppam perlabitur *Heu* fluvius, ſuæ civitatis nomine inſignitus. Lyana, qui ſubtus Boloniam in mare influit, fontes ſuos repetit è Boloniæ & Arteſiæ finibus, loco *Queſque* dicto, unde Cellam, & Cremarum transgreditur, trajectoque *Surennæ* nemore, & exceptis quibuſdam rivulis, ſub ponte lateritio labitur, ut inferioris Boloniæ mœnia pertingat, foſſaſque oppleat.

Heu fluvius. *Lyane.*

Canchia in Arteſia naſcitur juxta Blavincurtium; inde Ligniacum allabitur; transmiſſo autem Heſdinio, quoſdam ſibi jungit rivulos, quos inter Terneſium, vulgo *le Ternois*, qui in ipſo ſcaturit S. Pauli Comitatu, allabenſque recentis Heſdinii muros, ſuas in Cancham deponit aquas. Eſt etiam alius amnis, qui quidem ab imperitis Heſdinio tribuitur; nos autem *Blangis* à loco ſuæ originis appellamus; ſeparat iſte Boloniam à Picardia, ac *Sampium* vicum interſecat. Heſdinio diſcedens Cancha, ſuas Monſtrolium aquas devehit; indeque *Eſtaples* urbeculam properat, ubi in mari mergitur.

Eſtaples.

Iſta autem urbecula nil antiquius habet Lupi Ferrarienſis Abbatis ortu, qui floruit ſub Ludovico Pio, & Carolo Calvo Imperatoribus. Illæ, quas exaravit, Epiſtolæ locupletiſſimum ejus probitati & doctrinæ teſtimonium reddunt. Porro in hac urbe portus eſt commodiſſimus, & fidiſſima navium ſtatio.

Ad Septentrionalem vero fluvii *Heu*, Turriſque Ordinis partem, videtur *Treſport*, ubi appellas licet affluente Oceano, vix aliter. Immunis eſt à vectigalibus omnis illa regio, utpote in regni confinio poſita.

Treſport.

Foſſa Bolonienſis vulgo dicta, ſedecim leucas ambitu colligit. Vnicus eſt hac in regione Epiſcopatus, cujus ſedes in Bolonia extat, è Teroüanenſi quondam civitate huc tranſlata, cujus olim juriſdictioni totus hic Comitatus in ſpiritualibus ſubjacebat. In hac regione tres ſunt ſpectatiſſimæ arces, præſidio munitæ, *Mont-Hulin, Hardelot*, cui adjacet cognominis ſilva, ipſaque urbs Eſtaplenſis, cujus ſupra mentionem injecimus. Sunt etiam Abbatiæ quatuor, totidemque Prioratus; hæ nimirum Abbatiæ, *la Chapelle*, ſeu *Capelle*, Inſtituti Benedictini; *Longvilliers*, *Beaulieu*, & *Saugier* in nemore abdita, Ordinis Auguſtiniani.

Foſſe de Boulogne.

GVINENSIS COMITATVS.

Guiſnes. Nomina.

Comitatus *Guinenſis* variis nominibus indigetatur; nam quandoque *Githma*, aliàs *Ghiſna*, & *Giſnienſis terræ Comitatus* dicitur; accenſetur maximis & celeberrimis Comitatibus. Sedet *Caletum* inter & *Boloniam* juxta Oceani littus; vaſto canali ab Oyenſi Comitatu ſejungitur. Tota autem regio procurrit in planitiem, frumento, fœno, frugibus, aliiſque rebus neceſſariis feraciſſimam; hic aucupium frequens, & commodiſſima damarum, aprorumque venatio; amœniſſima etiam ſilva, quæ *Guinenſis* vocitatur; plebs agit à gabella aliiſque publicis oneribus immunis.

Situs.

Celebriora hujus regionis loca ſunt; Guiſnenſis civitas, totius territorii metropolis; *Ardres*, *Audervic*, *Bredenarde*, *Sangathe*, & *Tornehem* fuere olim illius appendices, prout & portus *de Witſant* dictus, quem pro Iccio portu Cæſaris accipiunt eruditi. Hoc autem ſupra modum effert illius amplitudinem, quod Baronatus duodecim, totidemque Pariatus ſibi ſubjectos habet; Baronatus quidem, *Andres*, *Bavelinghen*, *Fiennes*, *Licques*, *Wal en Surques*, *Creſecques*, *Courtebonne*, *Haumes*, *Hermelinghen*, *Zueveland*, *la Molle d'Ardres*, & *Allembon*. Pariatus vero, *Bouvelinghen*, *Arquinghond*, *Surques*, *Eſelemy*, *Foucqueſolles*, *Prieuré d'Ardres*, *Recques*, *Lotbarnes*, *Auvainghes*, *Nielles lez Ardres*, *Campaignes*, & *Ouderbrouck*.

Loca.

Guinenſis civitas binis partibus conſtat, paluſtri nimirum, & terra firma ſeu conſiſtenti; ſedecim circiter à Bolonia milliaribus divellitur; locus eſt natura & arte munitiſſimus. Illi adjacet *Hames* validiſſimum caſtrum, in paludibus ſitum.

Hames.

Ardria in collis acclivi poſita, in ſuperiori Boloniæ tractu Caleſium inter, & S. Audomari fanum, duas in partes diſpeſcitur, Novam ſcilicet, & Veterem villam; urbs potens & elegans omni ex parte; Nova enim ſeptem propugnaculis defenditur; clauditur autem Vetus foſſis circumjacentibus.

Ardres.

Sunt & alia in Guinenſi Comitatu loca, *Hartincourt*, ſcilicet, *Peuplingue*, *Conquelle*, Portus Nivelletius, vulgo *Port de Nieulet*, Præſidium Blanenſe, *Fort de Blanes*, *Lyanne*, *Colambert*, *S. Iglevert*, &c.

Famam, & celebritatem accepit hæc regio ab illuſtriſſimis generoſiſſimiſque Dominis, qui illam poſſederunt; nam Comitibus longa ſerie ſuccedentibus paruit, quorum præſtantia & pietas eorum gloriam æternitati commendarunt; quemadmodum & nobilitas, & honoratiſſimorum connubiorum ſplendor; quod anſam præbuit Lamberto, Ardrenſis Eccleſiæ Presbytero, res illorum præclare geſtas monumentis mandandi; quod itidem fecit Guilliemus Ardrenſis Abbas, S. Ludovici contemporaneus, in Chronico ſuæ Abbatiæ; à quibus Andræas *du Cheſne* integram iiſdem de Comitibus texuit Hiſtoriam; quos quidem auctores avido Lectori ſufficiat indigetaſſe.

CALETVM.

Calais.



Aletum inter antiquissimos Europæ portus computatur, duobus ab Ardrensi civitate milliaribus; insidet Oceano urbs firmissima, validissimo castro munita, instructaque omni bellico apparatu; Oyensi Comitatu ab Oriente clauditur; Portu Nivelletio ab Occasu; à Meridie verò *Hames* paludibus; à Septentrione tandem Risbanensi fortalitio. Habet & alia quædam præsidia in paludibus projecta, *Brusse* scilicet, *Fore-Rouge*, *Bastard*, *l'Escluse*, quibus ab Artesia separatur.


Fines.

Hic tractus in Commentario Iulii Cæsaris, ceterisque priscorum Romanorum historiis sub nomine *Portus Iccii* præcipue commendatur. Locus hic viam fecit ipsi Cæsari, qua novum, ultra pelagus, mundum investigaret, & divulsas ab invicem Oceano provincias, adinvicem jungeret, suo subjiciens imperio. Hæc civitas Doverium è regione respicit, septem inde milliaribus dissitum, adeo ut dum propitius afflaverit ventus, horis tribus quis illuc trajiciat. Vrbs ipsa inter præcipuas regni claves censetur; formam habet triangularem, præclaris & solidioris etiam structuræ ædibus nitens. Quod autem apprime illius ostentat amplitudinem, illud est, quod nobilissimorum Dynastarum omni tempore possessio extiterit, quibus uti fidissimis potentissimisque tradita fuerit; unde & ab illis maximum splendorem accepit.

Mores.

Magnanimi sunt, & probitatis ac fidei in patriam prorsus suspiciendæ, illius habitatores; quamvis enim Eduardo Anglorum Regi, à Creciaca victoria reduci ad nutum se dedide-rint, at non nisi post continuam anni obsidionem fame adacti præstiterunt. Verùm cum ipse Eduardus factâ plebeculæ copiâ, cum quamcunque possent asportare supellectile egrediendi, sex primarios urbis cives in exolutionem præstiti à se juramenti reservavit, exigendi causâ illorum morte pœnas rebellionis. Postulantur ergò, se sistant victori; mox omnes animo constanti & intrepido, *Regem adeamus*, inquiunt, *& mortem pro patria oppetamus*; quod strenuum animi propositum resciens Regina Eduardi uxor, institit ut essent immunes; Rex autem ipse concessit. Ex hoc excellenti prototypo, cæterorum civium mentem suspicère licet.

Flagrantibus igitur Anglos inter & Gallos funestis dissidiis, adeóque pertinaciter durantibus, cum Gallia jam multis cladibus esset fatigata, tandem anno 1360, initum est Bretiniaci inter Ioannem & Eduardum Reges, hujusmodi fœdus, quod dominium *Caleti*, *Merk*, *Sangate*, *Colognes*, *Hames*, *Wals*, *Oye*, nec non & Guinensis Comitatus apud Angliæ Regem permaneret; ex quo etiam illud diu penes se retinuit. Verum bonis avibus, & felicibus Caroli VII auspiciis, ut & illius præstantia, atque magnanimitate Angli toto Franciæ regno expulsi sunt, excepto tamen Caleto; quam civitatem haud longo postea intervallo, captata occasione, Rex obsedit, advocato scilicet ex partibus Italiæ cum potentissimo exercitu, Guisiacensi Duce; qui velut Hispanorum quasdam alias Picardiæ urbes impugnantium commeatui obstare volens, & quasi aliud intendens, Caletum convolavit, illucque vires & exercitum convertit; & ipsam urbem devictis primum cunctis in circuitu militaribus præsidiis, obsedit, & paulo post expugnavit, & hac demum ratione Oyensis Comitatus (qui munimentis Caletensibus contiguus est, ac Gravelinam, Dunkerquium, & Horstek usque protenditur) antiqui Principis imperio redactus est, vocaturque impræsentiarum, *Recuperata regio*, vulgo *Pays reconquis*. Cum autem postmodum Archidux Albertus Caletum prospero Marte, & victricibus armis sibi subjecisset; felicioribus Henrici Magni semper Victoris, armis & potentiâ recuperatum est; atque demum factâ Caleti deditione, exoptata pacis oliva toti Europæ restituta. At de Picardia, quod ad propositum satis; nunc autem gradu ex amœnissima ipsâ regione facto, ad sedes alterius Gentis, Normannorum scilicet, illorumque mores transeamus.



LE GOUVERNEMENT DE CALAIS, & PAYS RECONQUIS.
CALAIS
GRAVELINES
F. S. Philippe
Fort Darcque
Chasteau d'Oye
Fort l'Escluse
Fort Nieulet
Marcq
Coulongue
Fort du Pont de Guemp
Guemp
F. Brûle
Fort Rouge
BREDENARDE.
BOSSENARDE.
ARDRES
Fort Ballingen
Fort Rebus
Fort Baster
Chasteau Henin
Andre
Campangue
Ballinghen
Guisnes
Boucre
Hammes
Fretun
Coquelle
Nielle
S. Pierre
Nordkercke
Andernicq
Cappelle
Volquin
Offekerke
La Lanterne
FLANDRIÆ PARS.
ARTESIÆ PARS.

17

Nomen priscum;

Recentius.


Fines.

Extensio.

Fluvii.

NORMANNIA, vulgo NORMANDIE.

Nomen priscum;



OCcidentalior hæc Galliæ pars, Celtica, & Belgica, varios quondam complectens populos, sub suis viventes Principibus particularibus, (quales fuisse indicant Historiæ, Aulercos, Caletes, Ebrionicos, Lexovios, Bellocassios, Sajos, Ambiliates, nostro hoc tempore Rothomagenses dictos, Ebroicenses, Lexovienses, Bajocenses, Sajenses, & Aboricenses) felicibus Iulii Cæsaris armis devicta, Populi Romani agnoscere imperium coacta, *Lugdunensis Secunda* vocata deinceps fuit. At sub Childerico & Clodovæo *Neustriæ* appellationem sortita; quæ vox Occidentalem terræ plagam notat. Omnes cis Rhenum Provincias hoc venire nomine, non diffitear: verumenimvero hanc ipsam denominationem, lapsu temporis, Occidentali huic regioni, regni Suessionici partem constituenti, ut maxime propriam, adhæsisse, nec illud inficiandum. *Recentius.* Cui tertia Normanniæ accessit appellatio, idque occasione Dani Principis, Rollonis, cui Rex Carolus Simplex, fœdere inito, hanc populisque suis inhabitandam concesserat regionem: & reapse *Normanniæ* vox nihil sonat præterquam Terram populis Septentrionalibus possessam: prout suo amplius loco dicturi sumus.

Fines. Terminatur Provincia hæc ab Ortu fluvio Epta, qui illam à Francia dividit. Hic è fonte cognomine oriens, duabus, aut circiter à Gornajo leucis, secat Gisortium, & apud Guydonis rupem, (vulgo *Roche-Guyon*) septem à Gisortio leucis Sequanæ permiscetur. Ad Occidentem fluvium habet Crenonem propriè *Cenon*, aut *Coesnon*, qui à Fulgeriarum valida munitione fluens, Britanniam à Normannia dividit ad pontem *Orson*, indeque versus montem S. Michaëlis descendens, in mare labitur. Ad Septentrionem est mare Britannicum: ad Meridiem sunt Cenomani. *Extensio.* A Gisortio ad Cheriburgum usque septuaginta & duorum milliarium obtinet longitudinem: triginta amplitudinem, & centum ac quadraginta in circuitu.

Fluvii. Fluminibus irrigatur quamplurimis, & nobilissimis: plurimumque ad Terræ fœcunditatem facientibus: Sequana, vernacule *la Seine*: Eura, Risola, Andura, vel Actura; Olena, *Orne*; Semina, *Selune*; Touquesia, *Touques*, Diva, *Dive*; Vira, *Vire*; Sea, *See*; Sulla, *Soulle*; Ouveria, *Ouve*; Eua, *Eu*: quæ omnia mare versus tendunt; & complura alia in hæc ipsa, mutatis nominibus, desinunt. Sequanæ originem, aliosque quos recipit fluvios prius, quàm Parisios alluat, alibi diduximus. Proximè Lutetiam Oysæ fl. jungitur Sequana, Normanniamque versus cursum dirigit, recipit Eptam prope Guidonis-Rupem, qui Vexillodunum Normanniæ à Francico secernit; cujus etiam scaturigo Erigniæ est, haud procul Forgesia. Epta Gournayum alluere incipit, Gisortium labitur, & ad Sancti Clari Sequanam illabitur; qui ad Vernonium, Andelyamque Euræ sui facit copiam. Andura, vel Actura, Euræ proximus fluvius, in Saltu Lognicensi Perchiæ, recipit Auream, *Aure*, qui Vermilliacum, Tilleresium, Nonancourtium, & Estreensem Abbatiam irrigat; & sub Aneta Vegram admittit, Hondencio adfluentem; & paucos post circuitus fluvium Itonem, Perchiensi è fonte ebullientem; Salutat Condæum, Ebroicensium Episcoporum acceptissimam semper sedem: unde prolabens Euræ adlabitur prope Aquigniacum. Sequana, pontem Arcalem, vulgo *Pont de l'Arche*, præfluens, Rothomagum tendit, ubi Robecam, Aubettam, & Risolam fl. admittit, eò loci qui vernacule *la Crique de sainct Samson* dicitur: & hîc ille Oceanum illabitur. Risola, *Risles*, ad Arcem Haspresium nascitur, saltumque ab Aquila denominatum; qui, ubi disparuisse videri jam possit, sub Grolæo augescit, *Beaumontium-le Roger* præterlabitur: Nassandresiumque, (ubi Carentonnam recipit, in Ouchensi saltu nascentem) proxime Abbatiam S. Euroldi Ternaultium admittens; Monterevilium, Chambroisium, Bernayumque irrigat; ubi Conque fl. se jungit, & Risolæ hic immixtus, mutato etiam nomine, tandem Montfortium locumque dictum *Ponteau-de Mer*, pervenit; & ad S. Samsonis Sequanæ immergitur. Canabuillio suam trahit originem fluvius Touquesia, *Touques*; recipit Orbecium, Lexovium præterfluit, Cormeillesiumque fl. admittit ad locum *Pont-l'Evesque*: & inde Oceano absorbetur. *Cormellesius* fl. è loco dicto *Dures-en-Fontaines* profluit, Estivaliam pergit, Bailleulium item, Asnieresium, & Cormeillesium, recipit fl. Hebertotium, & in fl. Touquesia dicto ad Sanctæ Melanæ nomen amittit. Diva, *Dive*, duas sortitur origines, sub Guacéo, recipit fl. *Ante*, inter Turyum & Caumontium, Falaisium transcurrit, & Divæ immergitur, sub S. Petro, qui inde denominationem habet. Olena, *Orne*, fl. Aunoniæ nascitur, Seésium, Pontem-Crespini, & Clislyum, loca, transcurrit, recipit fluvium dictum vulgo *le Noireau*, suprà Condæum ordientem, (qui locus etiam inde appellationem sortitur suam) deinceps tendit *Pontem du Coudray* versus, ac Linchampium, ubi Guignéum fl. admittit, & impetuosum Laisæ, vulgo *Laise*, flumen, quod è *montibus Ancræis* (*monts de l'Ancre*) delabitur: & inde Orlena Cadomum properat, ubi Oudonium fl. recipit ad S. Petri montem; hicque incipit


NORMANDIA
DVCATVS.
OCEANVS
BRITANNICVS.
LA PICARDIE.
LE PAIS DE CAVX
NORMANDIE
LE PETIT PERCHE
LE GRAND PERCHE
LA BRETAIGNE
Milliaria Gallica communia.
Excudit Guiljelmus Blaeu.

18

pit majoribus ferendis navigiis esse commodus, & ad portum Estrehaniæ mari commiscetur. Proxime Olenæ scaturiginem Sarta profluit, qui Merleum, Alençoniumque allabitur, Ligerimque intrat. Sulla, *Seulle*, è *monte Aneréo* orditur, Tillysy, Cruillyum, Coursevillam, & Bernieres, loca, transit, Cadomensem atque Bajocensem discernit jurisdictiones, tandemque maris portus efficitur. Aurea, *Aure*, Livoya progreditur, proxime Caumontium, & locum vernaculè *Vaux* dictum, translabitur. Droma, *Drome*, è saltu Aillesio scaturit, cumque Aurea sub Bajocio commiscetur; & unà ad Montis Calvini nomen amittunt: ac duobus inde milliaribus exsurgentia hæc flumina, portum *Bessinium* efficiunt. Vira, *Vire*, nomen impertitur suum & Civitati ac Valli Virensi, vulgò *Vaux-de-Vire*, Pontem-Bellengerii translabitur, *Tessy*, *S. Lo*, & in mare se effundit proxime locum, *le Grand Wé*, Constantiam Bajoco secernens. Sea, *Sée*, duobus è locis scaturit; scaturiginum una Alba, Rubra dicitur altera; & prope *Butte-Brimbalium* profluit, ut Vira & Engreina fluvii; Senenses perfluit Valles, inque mare se exonerat apud Abrinconem. Semina, *Selune*, in eodem dicto loco *Butte* & parrochiâ dictâ *Chaulieu* nascitur; Pont-Aubantium rigat, marique commiscetur. Lerra, vernaculè *Coesnon*, è duobus itidem fontibus scaturit; quorum prior est ad Lucernam, ad Burgum Lerensem alter; propè Champernonium auctus, ad S. Michaëlis montem in Oceanum ruit, quem, ut diximus, Normanniæ relinquit. Soulla, *Soulle*, Bordesii comparet, proxime Deipolim, *Ville-Dieu*, recipit fl. Burd, qui Constanciam rigans, in mare se præcipitat. Ova, *Ove*, in saltu Briquebecensi nascitur, Carentanum delabitur, & ad locum vulgò *le petit Wé*, sive abbatiam *de Wees* Oceano confunditur.

Silvæ.

Saltubus, silvisque Normannia scatet; unde, seu venationi indulgere, apricarique velint aliquando: vel etiam premente frigore focis instruendis se dedant incolæ; quin imò architectari animus si sit, omnis generis arbores illis sufficiunt, quercus, putà, ulmus, cedrus, pinus, &c. Saltus illi sunt, ut vocant, Euensis, Arquensis, Brayensis, Lugdunensis, *de Molineaux*, Rourmarensis, Eburonensis, *de Bretueil*, Aquilensis, aliàs *de l'Aigle*, Conchensis, *de Conches*, *de Beaumont-le-Roger*, *de Chambrois*, antiquitus dictus *le Buisson*, *Cornilaffle*, Harcourtensis, Neubourgensis, *de Brotonne*, *Touques*, *Argentan*, *Hyesmes*, *la Lande pourrie*, *Cerisy*, *Ailles*, *Briquebec*, *Singlais* &c.

Qualitas.

Frigidissima totius Galliæ regio est, aëre utut temperato ac salubri, Maris vaporibus frigoris asperitatem, æstatisque sudores moderantibus. Tellus frugifera, ac cunctorum penè frumenti generum ferax; Rothomagi maximè: pyrorum, pomorumque perabundans, unde vulgus potum sibi parat, quem *siceram* dicimus. Rarum quippe hìc loci vinum; eò quod hujus provinciæ incolæ mercaturæ ac negotiationi plus satis addicti, minus de colenda terra laborent; maris utrimque vicini huc inducti commoditate. Sicera, sapidus cætera potus, vel ipsum præstantiâ vinum referens; ac, quod mirere, largior siceræ potus ebrietatem quandoque parit. Ex hac etiam, aqua distillationi perquam idonea elicitur. Nec cerevisia tamen incolæ carent; ac pyrasio. Arenosa ob loca, viciniores Oceano agri minus fertiles. Pecorum pascuis herbæ passim sufficiunt, nec feræ desunt, venatibus reservatæ: abundant pisces, maris vicinitate, fluviorumque multitudine; adeò ut vili admodum precio sint. Nec ipsa etiam caro cara in compluribus locis, ut Monteburgii, & in eo Provinciæ districtu qui Douva fluvio irrigatur. Inferior Normannia herbas suppeditat, tinctorum usibus proprias; *Garantiam*, ut vocant, glastum, isatin, nec lanificio accommodi desunt cardui. Ora Rommoisiaca, *Rommois*, & Lieuvinia, *le Lieuvin*, surculos tanta subministrat copia, ut annuatim in ipsam deferantur Provinciam, quæ vocatur, Francicam, & Aureliam, ubi locorum lapsu temporis, sicera pyrasiumque tantum, quantum in ipsa Normannia, æstimium suique usum acquirent.

Lapicidinæ.

Præcellentes habet hæc Provincia lapicidinas: Alençonii lapides *Hertres* dicti effodiuntur, aliique, adamantis speciem præ se ferentes. Propè Turrim Bonæ, uti dicitur, Insulæ, & in valle *d'Infray* lapicidina aluminis rupei instar est, aut similis, cujus natura necdum indagari potuit. In vico *Vieux* marmor offenditur jaspidei coloris, & ad *S. Lo* griseum, rubrum, & nigrum suppeditatur; ut & ad Fontis-Abbatiam, *Fontaine l'Abbaye*, inter Cadomum & *Falaisium*.

Per totam passim Galliam lapis Ferrierensis proximè Seesium nascens, in maximo est usu; ille qui ad Vernonium provenit, politus, & candidus, durior est; qui tamen facile diduci potest. Lapicidinæ plurimæ ab ipsa natura factæ videntur, ædificiis exstruendis aptissimæ. Grezii lapides præterea celebrantur, non ita pridem detecti, immensæ magnitudinis, & crassitiei, diffissu tamen perfaciles. In Lugdunensi saltu quæ conficiuntur vitra, & proxime *S. Lo* & Manerbiensis prope Lexovium, artificio ac pulcritudine sua spectatorum oculos in admirationem rapiunt.

Ferrifodinæ.

Vulgares admodum ferrifodinæ in hac sunt Provincia: ita ut pauci admodum sint fluvii, qui furnis ferro cudendo & præparando destituantur: etiamque fabri ferrarii, & qui ipsis operas suas præbent, inter Auream, Ormamque flumina, speciali gaudeant Regis privilegiis, & aliquot insuper immunitatibus fruantur. Cupri venæ inventæ sunt, aliorumque metallorum, in saltu Briquebecensi, & in Parochia Carolesia, tribus Abrincone milliaribus; & quatuor à Cadomo leucis propè Tracyum, auri, argentique venas repertas esse, constat. Salinæ plurimæ propè Touquesium aliaque mari vicina loca conspiciuntur; ubi candidissimus sal conficitur; in plumbeis vasis aquam marinam percoquunt incolæ, unde deinceps in salem maximè album convertitur: cujus pars quarta ad Regem spectat. Oppidorum sunt 25, aut 30 circiter, sub loci *Pont-l'Evesque* jurisdictione, quibus concessum est salem hunc mensæ suæ adhibere.

Aquæ minerales.

Præter aquas Forgesias in Braya, laudatissimas & usitatissimas, celebrantur illæ quæ vocantur *de Saint Pol*; propè Rothomagum, *de Hebertot*, propè *Pont l'Evesque*, de *Saint Sautin prez l'Aigle*, S. Laurentii, *S. Lo*, &c. & quæ Thorignyacum inter

ter & Iunquesium sunt. Aliquæ nonnisi certa anni tempestate, imò certis etiam annis fluunt; quæ caram futuri anni annonam præsagire videntur.

Mores. Normanni cholerici sunt, ac fervidi, callidi, versuti, processuum juridicorum & stropharum avidissimi; subtili quippe ingenio, nec facile seduci se patiuntur, aut circumveniri. Contumaces, ac præfractæ sunt mentis; sive causas agant, sive leges & mores suos defensum eant, ne alios admittere cogantur. Quod probro ipsis vertatur, quod perjuriis se facile inquinent, id de fæce plebis, non de honoratioribus capiendum. Vti bono sunt promptoque ingenio, sic scientiarum capacissimi, laboriosi, gnavique commendantur: & ad quidvis imitandum parati. Bellicosi sunt, terraque marique validissimi, tot tantisque per universum terrarum orbem trophæis reportatis, id affatim testantibus. In præliis Normannicæ Nobilitatis virtus semper spectatissima: & cui, quotidianam quod attinet conversationem, comitas singularis, & Humanitas ipsa ingenita, etiam Regum Principumque aulis non frequentatis. Fæminæ, maxime cives, utut domesticis curis operibusque supra modum attentæ, & sollicitæ, commerciisque dexterrimam navantes operam, vestitu tamen ornatiores, sumptuosioresque incedunt, quam illarum ferat conditio. Et illas si decoret agilitatis & promptitudinis virtus, imperiosi animi non minus deformat habitus. Ruricolæ fœminæ œconomæ sunt optimæ, & sibi suæque familiæ piis manuum laboribus prospiciunt. Incolæ passim humani satis comesque: politæque eloquentiæ: sed Oceano proximiores incultiorum sunt morum, etiamque linguæ non usque adeo elegantis. Victus Normannorum sobrius & parcus, ut plurimum; utut satis lautus. Vbi tamen Parentes, amicique convenerint, ordinario Nobilium more, splendidissima diceres agitari convivia. Populi potus sicera est pyrasiumque: mulierum sicera tenuior; vino conviviis sumptuosioribus reservato, aut familiis Nobilioribus. Rothomagum vinum defertur, Hispanicum vulgo, vel *Perrochimel* dictum; naturâ perquam ardens & validum. Canariâ aliud adfertur, & excellentius quod est, à Petro Ximenes nomen mutuatur, qui optimum omnium fertur habuisse producendo vino solum.

Opes. Variarum mercaturæ rerum, & quod ex negociatione resultat, lucro, incolæ toti se dedunt, idque ratione Maris, quod ipsis vicinum, & rei faciundæ percommodum. Pannificium tractant Bessinienses & Lexovienses: Caletes lino, filisque, & carbasis conficiendis insudant; siceram etiam frumentumque divendunt. Vexillodunenses optimæ tenerrimæque lanæ operam navant. Ebroicenses Sequanæ & Euræ oportunitate Rothomagum, inque alias Superioris Normanniæ oras frumenta sua asportant divendenda. Romoisius tractus linificio gaudet, & Rothomago, Hispaniæ, ipsique Barbariæ de linis suis prospicit: ut & ea Normanniæ ora, quæ *Lieuvin* dicitur, opes sibi acquirit ex cannabi sua, carbasisque Borrayensi, Briosmensi, & *de S. Ioré*; ex lanis similiter, pannis, &c. Bernayensibus, Eburocensibus, & Cormeillensibus, Cenomanum, Andegavum, & Aureliam devectis. Augienses & Constantienses Rothomago & Parisiis boves suppeditant. Cenomanenses, Eburonicenses, & Rommoysini divitias suas pecori & lignis acceptas ferunt. Constantia Naucleros exploratissimos fovet; & longinquis diuturnisque notissimos navigationibus. Tandem, Provincia hæc opulentissima est, & potentissima commerciis omnis generis, frumenti, siceræ, abietum, quæ navium malis faciendis percommodæ: boum item, vaccarumque armentis gaudent plurimis, aliisque pecudibus, quibus Lutetiam ipsam abunde provident. Sale item candido affluunt; Parisios delato, & in alia Galliæ loca: ferro & restibus, quæ exteri magno sibi coëmunt, Seviliamque & Vlysipponam transmittunt, ut inde classes suas navales instruant. Rothomagus, ditissima urbs, & frequentatissima, cujus incolæ longinquas & diuturnas suscipiunt, Oceanum sulcantes, cis & ultra Æquatorem navigationes.

Vires. Ex Normanniæ opibus ejusdem vires ac potentiam facile conjicere est; numerosam si attendas incolarum multitudinem, maxime Rothomagensium; & vastam Provinciæ extensionem animo si suspicias tuo: loca quot habeat munitissima, portus opportunissimos; & si ob oculos tibi ponas populi dexteritatem felicissimam, & exploratissimam rei maritimæ scientiam: Nobilitatem præterea, quæ ruri residens, agris non exiguo cedit ornamento: unde maxima Rex præsidia sibi habet, quibus majora vix subministrare possit, aut quæ eis æquiparanda veniant, nulla Galliæ Provincia, nisi quod Gallia Narbonensis, vulgo *le Languedoc*, Regi, teloniorum ratione, plus pecuniarum conferat; quas immensas dixeris, idque unius Provinciæ nomine, ut quæ amplioris sit extensionis, continens 22 Diœceses, & Episcopatus opulentissimos complectatur; quorum duo Archiepiscopatus celebrantur.

Loca. Normannia sequentes comprehendit districtus, sive partes, Eburonicum, *Evreux*, *Lieuvin*, *Auge*, *Ouche*, *Bessin*, *Constantin*, *Auranchin*, *Rommois*, *Vexin le Normand*, *Bray*, & *Caux*.

Divisio. Vulgatissima Normanniæ divisio est qua dispertitur in Superiorem & Inferiorem. Superior quatuor continet Baillivatus, Rothomagensem, Eburonicensem, Caletensem, *de Caux*, & Gisorsensem. Inferior tres habet, Alençonium, Cadomensem, & Constantiensem. Et hæc quidem divisio, ratione Regiorum, ut vocant, Præfectorum, Provinciæ huic concessorum, se habet. Præter Normanniæ Metropolim, Rothomagum, & sex Episcopales Vrbes, quæ sunt, Abrincensis, Ebroicensis, Bajocensis, Sajensis, Constantiensis, Lexoviensis; vulgo, *Auranches*, *Evreux*, *Bajeux*, *Sais*, *Contances*, *Lisieux*; civitates nonaginta quatuor numerantur; ingenti Arcium Burgorumque numero excepto.

Roüen. *Roüen*, olim dicta *Vellenocassium*, *Velocassium*, *Rodonium*, *Rodomus*, jam *Rothomagus*, Ducatus Normanniæ Caput & Metropolis est: Archiepiscopatu insignis. Nomen ei inditum ferunt ab idolo *Roth*, olim ab incolis suppliciter adorato, & ab secundo loci Archiepiscopo S. Melone scilicet, destructo, qui hic loci Templum extruxit SS. Trinitati, hodieque sub nomine *S. Lo* celebre.

Gallia. Gg Vnde

Lapicidinæ. *Ferrifodinæ.* *Aquæ minerales.*

Vnde eidem Sancto hymnus inscriptus fuit:

Extirpato Roth *idolo,*
Fides est in lumine,
Ferro cinctus, pare solo
Pascitur, & flumine:
Post hæc junctus est in Polo
Cum Sanctorum agmine.

Rot igitur, & *Magus*, Samothis, Celtarum & totius Celticæ regis filius, Rothomagi fundator, civitati huic celebratissimæ nomen imponunt. Alii aliunde nominis originem deducunt. Sed cui bono, tam incertis inhærere opinionibus? quicquid sit, extensionis suæ vastitas, & incolarum affluentissimæ divitiæ Vrbis famam, toto terrarum orbe dispergunt: nec fabularum involucris immorandum. Archiepiscopatus sui erectionem consule, vitamque sanctissimorum Præsulum, quæ de ejus antiquitate fidem abunde tibi faciant. Anno salutis humanæ 80, S. Nicasius à S. Clemente in hosce terrarum tractus missus, religionis Christianæ semina disseminaturus, in itinere comprehensus, ad locum dictum *Monstiers*, prope Guidonis Rupem, *la Rocheguyon*, à Sisinnii, regionis tum Præfecti, lictoribus capite truncatus, piâ Nobilis Heroinæ Piennæ operâ, sepulturæ honorificæ demandatus est. Præsule tum orbatum Rothomagum ad annum usque 265, quo S. Melo, natione Anglus, à Papa Stephano huc delegatus fuit. Hujus supra mentionem injecimus. Huic suffectus S. Anidianus, qui duobus Conciliis, Arelatæ, Provinciæ urbe, habitis interfuit, Constantini M. tempore: ubi ex ejusdem Imperatoris authoritate, Metropolitanus primusque dignitate constitutus fuit Episcopus Neustriæ, scilicet Saiensi, Abrincensi, Constantiensi, Bajocensi, Lexoviensi & Ebroicensi Episcopis prælatus. Hunc secutus S. Severus, quem alii; quos enarrare tædiosum foret; quorum seriem texere, Geographici instituti non est.

Situs urbis. Cæterum urbs amplissima, est & elegantissima, Rothomagum; à Meridie Sequanæ æstuario clauditur, quod ponte lapideo eximii operis jungitur, & in ulteriore ripa S. Severi suburbium habet: ad Septentrionem præaltos colles impositos spectat, & ad pedes eorum Albetam amniculum, qui Darnetalium, pannificio nobile municipium alluit, tum quasi in suburbano positos & lætissimos pascuis campos habet. Ad Ortum supra viam Parisiensem in præcelso aliis contiguo colle S. Catharinæ Cœnobium eminet, à Gabriele Comite Mongomerio quondam munitum: ab eadem parte Robeca amnis influit, & juxta Santhiarianam portam intra urbem receptus undecim molatrinis servit, & inter Portuensem & Guilielmi Leonis portas in Sequanam exoneratur. Vetus palatium forma quadrata in imo angulo, qui Caletense suburbium altero latere respicit, situm est, & Sequanæ altero latere imminet; arx semidiruta ad Occasum vergit, inter Boveroliam, sed huic propior, ad Caletensem portam sita.

Templa. Templum primarium est B. Virginis, exquisitæ artis & elegantiæ, sive exterius illud, sive interius contempleris. Tribus turribus decoratur, S. Romani, Butyracea, & Pyramide. Butyracea nomen habet, quod ex eo argento exstructa fuerit, quod Archiepiscopus Georgius Ambosius, ex indulto esu butyri tempore Quadragesimæ, collegerat exactis ab unoquoque sex denariis. In ea spectatur campana totius Galliæ maxima, tredecim pedes alta, triginta duos lata, undecim in diametro, pondere librarum 40000, aut 36000, uti alii volunt, crassitie magis conspicua, quam magnitudine: illi Gallice inscriptum;


Ie suis nommée George d'Amboise,
Qui plus de trente six mille poise;
Et qui bien me poisera,
Quarante mille il trouvera.

Pyramis ex ligno mirabili artificio erecta, plumboque vestita hinc inde deaurata est. In fastigio etiam templi statua D. Georgii collocata est, eaque pulcherrima. In sacello pone chorum, quod vocant *d'Amboise*, visu dignissimum est Epitaphium Cardinalis Ambosii, Domini *de Bresay*, Seneschalli Normanniæ, & aliorum. Prope chorum pictus est draco, qui infestissimus dicitur fuisse incolis, & obtentu stolæ victus à S. Romano, (alii S. Oventium successorem ejus hoc fecisse narrant) cui adjuncti tum fuere captivi duo capitis rei, quorum tamen unus aufugerat. Inde invaluit mos, ut Archiepiscopo & Canonicis hujus ædis liceat quotannis liberare unum ex captivis, postquam omnium confessiones audiverunt; fitque hoc Ascensionis festo. Quin & in memoriam hujus liberationis quotannis processio celebratur, in qua captivus iste septem continuis annis tenetur adesse, vel ipse, aut, si fieri nequeat, per alium. Aliud templum splendidissimum & nitidissimum est S. Oventii, vulgo *S. Oinct*, cum cœnobio contiguo à Clotario Rege loco totius urbis amœnissimo conditum. Hortos vicinos habet perelegantes; duas fenestras è regione sibi obversas, figuram rosarum repræsentantes, alteram à Magistro, à discipulo alteram structam, quorum ille cum invidia ac æmulatione motus, discipulum occidisset, laqueo suffocatus fuit. Vterque in templo hoc prope chorum humati narrantur. In hoc monasterium, quoties huc concedunt, Reges Galliæ divertere solent.

Loca publica. Loca publica paulum contemplemur, quæ nec ipsa exigua, nec pauca. Primum se offert Palatium regium, *le Palais Royal*; *Palatium regium.* Parlamenti Curia: fundata an. 1499 à Lud. XII, Rege; Præside suo gloriatur, Consiliariis item, aliisque Magistratibus & Iustitiæ Ministris. Structurâ opus est laudatissimum; atria & cubicula imprimis magnifica: maxime elegantissimum est atrium, quod vulgo vocant *la chambre dorée*: alia insuper Palatia procerum, ædesque privatæ splendoris non exigui in hac urbe visuntur.


Tribunalia alia. Sub Palatio locus est, forma quadra extructus, Carcerum mancipationi destinatus: Capella ornatus, & præaltis muris cinctus. Curia item eorum, qui vocantur Electi, & Camera Subsidii, *Chambre des aides*, à Carolo VII fundata, ut subsidiorum, tributorum, teloniorumque ratio habeatur. Sub hac comprehenduntur complures, quas vocant, Electiones, hoc, quem damus, ordine: Rothomagum, *Ponteau de Mer, Pont de l'Arche, Gisors, Andely, Evreux, Conches, Bretueil, Caudebec, Arques, Neufchatel, Montivilier, Pontoise, Chaumont, Magny, le Perche, Bernay, Lysieux, Pont l'Evesque, Alençon, Argentan, Dan Front, Vernueil,*

Mortai-





DIŒCESIS EBROICENSIS, vulgo L'EVESCHÉ D'EVREUX.
Illustr.mo Reverend.mo Domino, D. ÆGIDIO BOUTAULT, EBROICENSI EPISCOPO, Domino et Comiti Condeti, Illierii, Brosuille, etc. Tabulam hanc dedicat Collegium Musarum Blavianum.
NOTARUM EXPLICATIO
Civitates.
Parochiæ.
Abbatiæ.
Castella.
Prioratus P.
Scala Milliarium.
ARCHIEPISCOPATUS
ROTHOMAGENSIS PARS.
EPISCOPATUS LEXOVIENSIS PARS.
EPISCOPATUS SAIENSIS.
EPISCOPATUS CARNOTENSIS PARS.
DOYENNÉ DE NEUBOURG.
DOYENNÉ DE LOUVIERS.
PAIS DE ROMMOIS.
DOYENNÉ DE LA CROIX S.T LEUFROY.
DOYENNÉ DE VERNON.
DOYENNÉ DE PACY.
PAIS DE CHAMPAGNE.
DOYENNÉ D'YVRY.
DOYENNÉ DE VERNEUIL.
DOYENNÉ DE CONCHES.
PETIT PAIS D'OUCHE.
DOYENNÉ D'OUCHE.
DOYENNÉ DE LYRE.
DOYENNÉ DE L'AIGLE.
Evreux
Conches
Verneuil
Vernon
Pacy
Louviers
Pont de Larche
L'Aigle
Lyre
Breteuil
Neubourg



Mortaigne, Caën, Bayeux, Falaise, Vire, Condé, Constance, Carentan, S. Lo, Vallognes, Avrenches, & Mortaing. Curia S. Loensis, ubi rationum Camera, restituta anno 1580 ab Henrico III Rege. Ab anno quidem 1388 inibi jam instituta fuerat, sed Rex Franciscus I, anno 1548 eam suppresserat.

Conventus Thesaurariorum, ubi de Provinciæ Financiis, quas vocant, tractatur.

Locus Carceris Publici, prope quem Rothomagensis Baillivus aliique Iustitiæ Præsides, & Vicecomes conveniunt, munia sua obituri.

Proximè Conventum Franciscanorum, Primorum, Consulumque celebrantur Consessus Iuridici.

Sedes Curiæ Ecclesiasticæ proxime ædem Archiepiscopalem, sub se 24 complectens, eos totius quidem Archiepiscopatus Rothomagensis, Decanatûs.

Vt tot tantaque alia elegantissima silentio prætercam ædificia, quorum è numero est Domus Præfecti Regii, arx, ordinaria Baillivi sedes, Palatium vetus, locus dictus *Bouteronde*, Archiepiscopi Palatium, illudque quod S. Oveni dicitur: Aula *Fescamensis*; Aumaliensis; Lexoviensis; *l'Hostel du Bec*; *de Iumieges*; & *l'Hostel de Vvandrille.*

Externus hic ædificiorum tam sacrorum, quam publicorum splendor Civitati Vrbique Rothomagensi magnam peperit ubique nominis celebritatem; at majorem ei, pene dicam, conciliarunt commercia omnigena æstimationem; ut inter opulentissimas frequentatissimasque totius Galliæ, ne dicam Normanniæ Civitates accenseri meritò possit. Situ munitissima, vallisque instructissima, arcibus decorata, atque fossis, aliisque ad urbis tuitionem spectantibus operibus prospectissima: S. Catharinæ mons eam protegit modo, quo Metense ille defendit fortalitium. Sequana, muros suos alluens, eam maxime securam reddit, tutaturque; cui stupendus maxime, totiusque Galliæ pons pulcherrimus substernitur; sive ejusdem altitudinem, aut verò situs sui profunditatem spectes.

Fluvioli *Robec*, *Aubette*, & *Reiiile* diversas ejus transcurrentes plateas, eximio Civium commodo sunt, ut qui inserviant molendo frumento, alutariis etiam, & aliis compluribus. Pontes, hos præter, invenias etiam qui te de platea in aliam deducant, quales sunt, pons dictus *Robec*, *Aubete*, *le Pont Dame Renaulde*, & *le Pont de Taritaine.*

Multa alia, utut huc spectantia, silentio involvo, maxime quæ ultimis hisce tumultibus evenere: cum nostri non sit instituti: & ad Vrbis propero infortunia.

Incendia. Hæc quidem Civitas (quinquaginta & unam sub se continens parochias,) aliquando ipsi potuisset præferri Lutetiæ; nisi tot, tantisque incendiis deformata fuisset. Quaterdecies quippe legitur Mulciberi iram fuisse perpessa. Hastingus, Daniæ Seneschallus, anno 842 urbem, superbeque ædificatas Ecclesias omnes igni devoverat. Anno 1118 furiosum hoc elementum totam penè Civitatem invasit. Anno 1120, Ecclesiæ Cathedralis fornices consumpsit. ann. 1126, Civitatis pars aliqua igne consumpta cum abbatiis S. Amandi, & S. Oveni. Anno verò 1173 tredecim in urbe parochias, adjunctasque domos Vulcanus sui juris fecit; nec viris, fæminis, & ipsis parcens infantibus. Sed quid his immoror? nunquam actum foret, si omnia recensere animus esset; hoc addam, Rothomagum belli incommodorum, ultimis hisce, maxime religionis ergo, tumultibus, non inexpertum fuisse. Pestifera lue aliquoties etiam tacta fuit, & potissimum anno 1511, quo gramina plateas, agrorum instar, obtexerint, habitatoribus, peste absumptis, vacuas.

Sequana, longo quidem circuitu acto, tribus Rothomago leucis, locum dictum *Alboeuf*, vel *Elboeuf*, alluit; Ducum, *d'Elboeuf* dictorum, Domoque Lotharingicâ ortorum, sedem gratissimam. *Elboeuf.*

Hinc se offert Ebroica, *Evreux* Gallicè, Latine etiam Mediolanum Aulercorum, Eburonicum, Itone flumine irrigatur; sive malis fluviolo, è Perchia scaturiente: sed admirando tamen, ut qui spatio duarum triumve leucarum cis hanc ipsam Civitatem quasi evanescat, ne ullo sui vestigio relicto, nec vel aquæ guttulâ comparente: sed tria passuum millia terram subterfluens, tantum injicit sui proximis stuporem, quantum cætera commoditatem afferunt. E duobus scaturit fontibus; uno propè stagnum *Bretueil*; altero propè *Verneuil en Perche*, qui ad Condæum, arcem, placidamque Episcoporum Ebroicensium aliquando sedem, conjunguntur. *Evreux.*

Ebroica, muris validissimis cincta, Arce munita, cujus inspectio Baillivo demandata. Sex, quos diximus, Normanniæ Episcopatuum, septem Baillivatuum, unus est. Sub hoc Baillivatu sunt, *Tilleres*, Comitatus & Burgus, ad Auram fl. *l'Aigle*, (Baronia fluvio *Rille* rigua) *Conches*, tribus Ebroicâ leucis; Vicecomitatus, & Electio, firma Civitas, cum arce & Præfecto. *Breteuil*, duobus stagnis cinctum, quæ fluvius Iton transmeat. *Rugles*, Rillesia irrigatum, ad castrum *Hasspres* suam habente scatebram propè saltum dictum *d'Aigle*, perlabitur *Aigle*, deinde dictum *Rugles*, *Auton*, *Montfort*, *Ponteau*, minoris quidem momenti loca, sed quæ bellis utrimque durantibus, Gallorum, Anglorumque arma, victricia, & aliquando infelicia ex utraque parte, probarunt. Ebroicâ tribus dissidet leucis *Passy sur Eure*, vineis suis nobilitatus locus. *Nonancourt*, Auræ aquis irrigatur. *Lyre*, duplici castro munitum; quorum unum vetus; at novum celebri Abbatia famosum. *Bruin*, *Hermencourt*, *Louviers*, *Aquigny*, (ab aquis ob confluentes Itonam, & Euram fluvios) & *Harcourt*, Ebroicensem similiter spectant Baillivatum: *Vernon* etiam super Sequanam: ubi loci lapideus pons erectus est. Carolus VII Anglo Vernonium ademit, cum arce Vernonetta. Vernonium & Longuevillam Castellaniam à Richardo Vernontio sibi acquisivit Rex Philippus Augustus, anno 1195, cum suis dependentiis. *Tilleres. l'Aigle. Conches. Breteuil. Rugles. Hasspres. Auton. Montfort. Ponteau. Passy sur Eure. Nonancourt. Lyre. Vernon.*

Beaumont le Roger locus sub Ebroicensis Baillivatus jurisdictione, Risola fluvio irrigatur, qui, sui quasi oblitus, deserens *Aigle*, sub Grolæo caput denuò effert, hunc locum salutaturus: qui olim conspicuus fuit Dynastarum suorum domicilio. E quorum prosapiâ illustri ortus est Rollo *de Mellant*, Eques, Regis Ludovici Sancti seculo, in quem etiam anno 1255, *Beaumont le Roger*, & Brianam terram transtulit, rege ipsi sexcenta terræ jugera concedente. *Beaumont le Roger.*

Ci-

Civitas Ebroica Præsulum suorum sanctitate commendatissima semper fuit: cujus Episcopus hodieque etiam 353 sub se parochias habet; Abbatiis non connumeratis, quæ vulgò vocantur à S. Taurino, à Cruce S. Leofridi, à S. Maria de Lire, *de S. Marie la Vallée, de la Noüe*, à S. Salvatore Brevalensi, *de l'Estrée, d'Yvry*, &c. Primus hìc Episcopus fuisse legitur S. Taurinus, ann. 133. aut, juxta Baronium, 95.

Ebroica suos semper habuit coluitque Dominos, dignitate, tituloque Comitum insignitos, Normannos stirpe; quos inter, Radulphus celebratur, cujus uxor, Hessélina nuncupata, fluvio Iton nomen impertiit. Alius item, Robertus, qui Civitatem gemina æde sacra quammagnificentissime exornavit; quarum unam piis Nobilium Fœminarum officiis sacram fecit: & S. Taurini in honorem extruxit alteram, utpote primi apud Ebroicenses sacrorum Antistitis. Verum enim verò, Philippus Augustus, ab Sacra suâ Expeditione redux, bellum in Normannos movit; Richardo, Angliæ regi, infensus: unde, belli fortuna arridente, Gisortium, Comitatumque Vexinensem ei eripuit; vallemque *de Rueil* vocatam universam; Vrbes, locaque necessariis validisque instruxit munitionibus. *Ebroicam*, inter alias, munitissimam reddidit; quam, ut & mille argenti marcas, Iohanni *sine Terra* dicto, (Richardi, Regis Angliæ fratri) contulit; quòd ipse, deserto fratre, ejus se protectioni tutelæque commisisset. At vero Philippæi beneficii post immemor, Richardo fratri suo, urbem fortalitiumque Ebroicam, ingratus reddidit: quo motus Philippus, Vernueillii obsidium quam festinantissime solvit, Ebroicam recuperaturus; quam tamen nonnisi plurimorum strage & clade tristissima obtinere potuit. Amauricus tamen Glocestriæ Comes, cessit, & in Philippum Augustum Comitatum Ebroicensem universum transtulit, Goletonii, anno 1200. Vicecomitatum etiam Ebroicensem obtinuit idem rex 1204, à Rogerio Meulantio. Cui Dynastiæ, dictæ *Guyrebonne*, *Croinville*, & *Foucherolles* à Regia beneficentia obtigerant. Ludovicus Francicus, Philippi III, Audacis cognominati, filius, Ebroicæ Comitem se gessit. Ludovicus Hutinus Ebroicam in Pariatum & Comitatum erexit anno 1316. fato cessit Princeps hic anno 1319. Philippus, Comes Ebroicenus obiit 1343. Carolus Pulcher Pariatum huic Philippo confirmarat anno 1326. Quem Pariatum tamen, Comitatumque Ebroicensem Carolus, hujus nominis IX, in Ducatum erexit, anno salutis 1569, in cujus possessionem fratrem suum miserat, Franciscum, Alençoniæ Ducem. Quo Duce defuncto, Ducatus Ebroicensis Coronæ restitutus; à quo etiam tempore, regis nomine Baillivatus hìc constitutus, & Curia Præsidialis, (sub Rothomagensis jurisdictione,) cui complures alias Civitates, & Castellanias veteris territorii Ebroicensis subjecerunt. Quibus missis, *Lieuvinium* nos conferamus, sive Lexoviorum terram: & ab antiquitate & ab validitate non minus commendatorum, quam reliqui Galliæ populi. Priscorum Lexoviorum, Iulii Cæsaris Commentariis celebratorum, metropolis sedes est Lexovium. Diva terram irrigat, duas habens scatebras, sub loco *Guace* dicto, separatque Seenses, (Sagios,) à Lexoviensibus. Ad S. Petri locum Antam recipit, ubi viatorum commodo pons extructus est, inde Mari se commiscet ad *S. Salvatoris de Diva*, complures secum rivulos tranans, è stagnis, quibus scatet Provincia, provenientes.

Lexovium.

Situs Lexovii.

Civitas Lexovium dicta, Lexovia etiam, & olim Neomagus, Gallicè *Lisieux*, ad fluvium Lesonam sita, qui se nobis omnium primum in Normannia offert, Honfleuræo Britanniam versus contendentibus. Non quidem late fluvius hic se diffundit; & parvi est apud Geographos æstimii, qui nec ejus recordari dignentur. Ad Canabavillam scaturit, *Orbec* recipit sub Lexovia, versus locum *Pont l'Evesque* labitur, & inde mari se reddit, inter Touquesiam & S. Arnoldi, ubi fluviis *Cormeilles*, sive *Calone*, & Hebertotio jam intumuerit. Lexovium Episcopali sede fulget: ejusque Episcopus Comitis titulo decoratur: non amplæ quidem est extensionis, ut qui sub sua habeat jurisdictione tantum Abbatias *de Bernay*, *de Preaux*, *de S. Evroul*, *de Præstain*, & *de Cormel.* Episcoporum primus fuit Etherius, cui successit Litharius, qui primo Aureliæ Concilio, sub Magni Clodovæi, primi Christiani regis authoritate, habito, interfuit.

Episcopatus, & Comitatus.

Lieuvin.

Loca hæc, dicta vernacule *le Lieuvin*, Risola, Carentonna, & Touquesia fluviis cingitur: rigaturque *Orbec*, & Cormeillesii aquis: tractus est omnium Normanniæ fertilissimus; quin & universæ pene Galliæ: dignus, qui unicus, Normannorum deliciæ audiat: Vino tantum destituitur: cujus tamen potus familiaris & ordinarius satis, & comparatu inter incolas facilis, ac si ipsis Bacchi diffluerent delitiis. Frumentum, & reliqua vitæ & amictui necessaria omnia abunde suppetunt: ex linificio & cannabi maximas sibi parantibus divitias habitatoribus. Planitiem undiquaque hic videris, pomorum feracissimam, maxime versus loca *le Ponteau de Mer* & *Lieurrey* dicta, unde siceram conficiunt, pellucidam, & succinei coloris; cujus potum priori quidem semestri compluribus Galliarum vinis præferre meritò possis.

Ponteau de Mer.

Non magno Lexoviâ intervallo se conspiciendam offert Civitas *Ponteau de Mer*; cui celebratum adsidet Monasterium, *de Bernay*, à Iuditha, Richardi Normanniæ Ducis, uxore ædificatum. Ioannes Rex, ut turbulentis se extricaret difficultatibus, quæ ei cum Navarræ rege intercedebant, & se ab omni removeret suspicione homicidii, patrati in Comestabile Clissonio, cujus rex Navarræus arguebatur, concessit prædicto Navarræo locum *Ponteau de Mer*, *Conches*, &c. Bretonnensi saltu excepto, aliisque, quibus ut feudalibus tantum bonis frueretur, & Pariatus jure, ea lege, ne jura regalia, dissolutionem nullam ferentia, regi Gallo perpetuum reservarentur. Exin rex Navarræ Carolus VI, Galliæ regi hanc ipsam urbem restituit. At his terris omnibus, sub dominio Henrici, Angliæ regis, qui hæredem & regem Franciæ se dictitabat, existentibus, Vicecomitatus Orbecensis, Augensis, & *Ponteau de Mer* anno 1430, Ducatui Normanniæ adnectebantur. Quod ipsum prædictus Angliæ rex, Henricus,

ricus, ut Franciæ quoque rex, (ut quidem præ ſe ferebat,) confirmavit.

Honfleur. Alia diſtrictus hujus Lexovienſis loca, ſunt *Honfleur*, urbs maritima, (ſic dicta, quod aquæ per hunc locum fluant, ſeque in mare exonerent.) *Bernayl. Chambrois. Pont de l'Arche. Orbec.* *Bernayl*, *Montereul*, *Chambrois*, *le Pont de l'Arche*, *Orbec*, prævalido munita Caſtro, quod Guilielmus Mareſchallus, Comes Pembrocenſis, Regi reſtituit, anno 1204. Iohannes rex fratri ſuo Philippo, Aurelianenſi Duci, Orbecam ademit, anno 1353, & complura alia loca, in quorum vicem alia eidem reddidit.

Seés territorium. Territorium *Seés*, à Geographis Gallis Seſſunienſe, & Sagienſe, dictum: Latinis urbs ipſa, Sajus, Sagium, Seſuvium & Seſunorum plaga vocitata. Ab Oriente Lexoviam habet; ab Occidente Beſſinium; ad Meridiem Ducatum Alençonium, & ad Septentrionem Baillivatum Cadomenſem, & Augenſem.

Metropolis. Metropolis eſt Sagium, *Seés*, Ornæ fluvio adſidens, ex *Annon* loco ſcaturienti, non procul hinc; unde *Argentan*, Pontem-Criſpini, & *Cliſſy* perlabitur, ſe fluvio *Noireau* miſcet, qui Condæo profluit, & inde cognomen ſortitur; hinc Orna Pontem *Caudray* verſus properat, & *Linchamp*; ubi ſe fluvio *Guigné* inſinuat, & impetuoſo illi rivo *Laize* dicto commiſcetur, qui è montibus Anoræ ſcaturit. Deinceps *Thury* delabitur ſub ponte, Cadomum transmeat, ubi Oudonium fluvium amplectitur, ad pontem S. Petri; & hîc demum loci, navigiis ferendis idoneus evadit Orna: tum tribus abhinc leucis in mare ad portum *Eſtrehan* diffluit. Epiſcopali ſede renitet urbs Sagium; cujus Cathedralis ædes ſacrata eſt Beatæ Virgini.

Hæc civitas validiſſimo caſtro armatur; parsque illius civium Ducibus Alençoniis olim paruit; pars altera regiæ poteſtati.

Beſſinenſis regio aquis *Vire* & *Orne* circumfunditur, illamque *Laize*, *Suelle*, *Aure*, & *Drome* flumina fœcundant; expanditur à Meridie, montuoſa eſt, cautibus aſpera, & ſilvis obſita; attamen hordeum, avenam, ſiliginem, & triticum, quod Sarracenum vocant, profert, unde plebecula victitat; Bajocenſe vero territorium tantam frumentorum gignit abundantiam, ut & ſuis indigenis, & Cadomenſibus affatim ſubminiſtret. Sicera quoque ibi præſtantiſſima eſt, viniſque non infimæ notæ ſuavitate præcellit. Ipſa etiam numeroſos alit animalium domeſticorum greges. E rubia tinctorum, glaſto & iſatide opes congerunt: venatione, aucupio, piſcatione, menſas onerant: oſtreorum piſcatura copioſiſſima eſt. Qui rebus ſuis ſollicite intendunt; labori invigilant, pannorum texturæ operam navant, mari negotiantur.

Celebriora hujus tractus loca ſunt *Caen*, *Bajeux*, *S. Lo*, *Vire*, & *Condé*; horum deſcriptionem in ſubſequentibus dabimus.

Caen. *Cadomum* priſcæ memoriæ eſt oppidum, quod hoc ipſo nomine etiam Iulius Cæſar indigetat, quaſi *Caji-Domum* dixeris; hîc quippe maximus Imperator, dum Angliam cogitaret, præpararetque expeditionem, ſeceſſerat. Orna fluvio iſtud oppidum bipartitur; ambæ verò illius partes SS. Iacobi & Petri pontibus connectuntur. Hic aſ-

ſurgit Prætoria Domus ſtructuræ perelegantis, quaternis contignationibus, totidemque turribus eminens, pulcherrimis tum ſacris, tum ſæcularibus & publicis ædibus nitet. Præcellit cæteris S. Petri ampla, divesque Baſilica; ſecundas tenet nobiliſſimum D. Mariæ templum; deinde S. Salvatoris, S. Stephani, Franciſcanorum, Dominicanorum, Carmelitarum, aliaque ingenti numero ſanctitatis delubra, tum virorum, tum Virginum Deo ſacrarum, Parochiæ, Monaſteria, Abbatiæ. Hîc, ſicut & Rothomagi, & quibusdam aliis Normanniæ locis, celebrantur propoſitis etiam Laureis Poëtarum inſignes Panegyres, Muſarum miracula.

In ſuperiori urbis regione caſtrum aſſidet, quod inter munitiſſima totius Normanniæ loca computatur; eadem quoque regione Collegia plurima conſpiciuntur; quorum Cancellarius eſt ipſe Bajocenſis Epiſcopus; Lizienſis & Contancienſis Epiſcopi privilegiorum Conſervatores; quaſi Academiæ ſive Vniverſitatis jura propugnare, idem omnino cenſeatur atque Chriſti Eccleſiam tueri. Hîc ampliſſima Curia, totiusque Iuſtitiæ pompa & ornatus.

Inferior autem urbis regio aquis circumfunditur, ubi navium onerariarum appulſus & fidiſſima ſtatio maximam negotiationi opportunitatem præbent. Interſecat urbem *Oudon* amnis, qui poſtmodum *Ornæ* jungitur, ubi pontem S. Petri attigit.

Supra Cadomum Portus *Eſtrehan* viſitur, ad oſtia, quibus Orna flumen in mare ſe præcipitat, ubi & Cadomenſis Gubernator quasdam belli machinas in fortuitos eventus præparatas conſtituit.

Subtus Cadomum reperitur oppidulum *Veteris* nomine indigetatum, vulgò *Vieux*, ubi marmor effoditur colore jaſpideo variegatum.

Auge. Augenſe territorium depreſſum eſt, atque uliginoſum, attamen inter opulentiſſima hujus provinciæ recenſitum; pars clivoſa modici eſt proventus, vixque culturæ laboribus reſpondet, neque incolis ſufficiens præbet alimentum; verum ipſe ager, qui à ſepe *Hyeſmes* ad Pontem uſque Epiſcopi ſeſe explicat, tot herbis vireſcit, ut ter quotannis bobus repleatur, quò citiùs & uberiùs pingueſcant; & quaſi fidem ſuperat ingens quæ inde extrahitur boum multitudo in Rothomagenſium & Pariſienſium annonam. Tantam lactis copiam vaccæ ſuppeditant, ut per æſtatem duobus tantum aſſibus butyri libra coëmatur; duodecim caſei, quinque aſſibus veneant; paſſim in paludibus inambulant & natant anſeres atque anates. Hîc opima venatio. Regio hæc tot arboribus malis eſt conſita, ut unus atque idem cultor, ducenta nonnunquam aut trecenta ſiceræ dolia exprimat, tantæ ſuavitatis, ut vini penuriam abunde compenſet, maximaque pariat emolumenta ex diſtractione apud Rothomagenſes aliaque fluviis opportuna loca.

Bayeux. Septenis à Cadomo milliaribus ſita eſt Bajocenſis civitas, Epiſcopali ſede nobilis, antiqua & valida; *Bellocaſſium* Latinè vocari poteſt, cum *Bellocaſſos* incolas Cæſar appellarit lib. 7 Commentariorum, ubi cum Eburonicibus, & Lexobienſibus collocat, ſub ſignis Vercingentorigis, dum Galli Romanorum jugum excutere molirentur. Porro id genus nominis quibusdam im-

posuit, ut cogitarent, in hanc inferioris Normanniæ partem Belum, Babylonis secundum regem, appulisse, cujus & prima fundamenta jecerit, & *Beli-Casam* vocitarit; sed perperam. Belleforestius autem Bajocassium appellat, atque ut urbis potentiam comprobet, post verba Iulii Cæsaris, hæc quoque Gregorii Turonensis recenset: *Dehinc Bajocassini, Turonici, Pictavi, Cenomanici, Andegavi, cum multis aliis in Britanniam ex jussu Chilperici regis abierunt, & contra Barochum, filium quondam Macliam ad Vicinoniam fluvium resident, sed ille dolose per noctem super Saxones Bajocassinos ruens maximam exinde partem ejecit.* ubi, inquit, Saxonum nomine Bajocassi à Gregorio indigetantur, quia nimirum Childerici I temporibus Saxones quidam hac in regione constiterant; illo quippe ævo Odoacer Saxonum Princeps, in Gallias transmigrarat, suæque potestati Aurelianum, Andegavum, aliaque maximi momenti oppida subjecerat.

Episcopatus. Bajocassium igitur hujus regionis caput, prædicante Exuperio, Christi fidem ac religionem excepit. Ipse autem primus suarum radiis virtutum Sedem hanc illustravit, cujus vestigiis sanctissimi Præsules in Episcopatu successores adhæserunt.

Ecclesia Cathedralis, primas pulchritudinis & opulentiæ nulli totâ Normanniâ Ecclesiæ cedit; insigni quinquaginta Canonicorum Capitulo decoratur.

Regimen. Exornatur quoque hæc civitas Vicecomitatu, nec non & Baillivatu, cujus quidem jurisdictio longius latiusque diffunditur, quam ipsa Diœcesis.

Falaise. *Falesium*, à promontoriis & rupibus, queis undique cingitur, nomen assumpsisse creditur, hoc enim linguâ Celticâ Falesii nomen exprimit: alii à bilancis trutinâ nomen inditum credunt, hoc quippe vocabulum Hebræum *Fales*, seu *Feles* significat, nimirum quod cum sit inter populos velut in æquilibrio, aut potius vallis medio posita, attamen, quasi trutina, omnibus suis aditibus & suburbiis undecunque pateat; hoc autem nomen posteros Noë illi imposuisse.

Quidquid verò sit, hoc saltem indubitatum est, urbem hanc & antiquissimam esse, & munitissimam; ipsa navicularem figuram præfert, longa & angusta, tribus tantum plateis decora. Parte superiori castrum eminet, velut navis puppim in scopulo effictam ostentans, quod & fossis altissimis munitur, duobus etiam stagnis adsitis, quorum alterum nunquam exhauritur, alterum binas molas circumagit. Fuit olim primorum Normanniæ Ducum domicilium, duabus eximiis turribus, prælaltis & rotundis insigne.

Ecclesiæ. Falesium duabus ornatur parochiis, unâ in honorem SS. Trinitatis, alterâ S. Gervasii; Franciscanorum Cœnobio, & pauperum seu infirmorum Xenodochio. Extra muros extat Abbatia Ordinis S. Augustini, & paulo ulterius elegans D. Mariæ Sacellum, vulgo *de la Guibray* dictum,

Nundinæ. hìc quotannis mense Augusto nundinæ celebrantur, toto regno provinciisque conterminis notissimæ.

Primo ab urbe lapide, mons visitur in parte

Airiennes. Occidentali, *Airiennes* appellatus, ubi Accipitres, Nisi, Falcones, Aquilæ, & rapaces aliæ id generis aves capiuntur. Nec procul inde, inventa sunt à 40 annis quædam numismata ærea Iulii Cæsaris effigiem & nomen, fugientibus caracteribus, præferentia; unde suspicio nascitur hisce in partibus Iulium Cæsarem olim constitisse, arcemque hujus oppidi exædificasse.

Arnes. Est aliud in hoc territorio singulare & memoratu dignum; in vico scilicet Arnensi in planitie sito, fluminibusque ac rivulis destituto, mare novem circiter leucis remotum, occultis & ignotis meatibus tantâ copiâ suas illuc aquas propellere, ut lacum, seu stagnum varii generis piscibus exundans efformet, stagnum quoque arescere, suas inde aquas mari subducente.

Vire. *Vira* urbecula est satis à Falesio dissita, Castro, Vicecomitatu, & Baillivi sede conspicua, fluvio cognomine irrigatur; adjacens illi territorium abundat pecore, lanis, textilibusque totâ Galliâ decantatis sub vocabulo *Vau-de-Vire*; inde vulgi

Vaudevilles. rumores, & cantilenæ *Vaudevilles* vocitatæ, pro *Vaudevires*, quarum inventor fertur Oliverius Basselinus, teste Belleforesto.

Thorigny. Est etiam hoc in tractu *Thoriniacum*, olim non inelegans oppidum, ut superstites ostendunt ruinæ; nec impræsentiarum fama destitutum, utpote Comitatus titulo & jure Baillivatus insigne.

Argentan. Occurrit & *Argentanum* ad Ornam situm, quondam Anglorum juris, quorum potestati diu paruit; at tandem Carolo VII, victori, subjectum.

Hiemes. Inde *Oximium* devenitur, vulgo *Hiemes*, cui quidem oppido perperam tribuitur, sedem Episcopalem olim habuisse; nam ablusit in voce *Hiemes*, pro *Séez*, quicumque est auctor.

Mortain. Hac etiam regione sedet *Mortain* Comitatus, ubi mos invaluit, ut in festis solennibus ensis evaginatus pro vexillo in processionibus deferatur.

Iste Comitatus, Baillivo, Vicecomite, Prætoribus, aliisque à Rege Officiariis exornatur.

Constantin. Tractus Constantinensis inter septem Baillivatus Normanniæ computatur; à Septentrione clauditur Oceano; à Meridie *Sees* territorio; ab Ortu, Guezensi, urbeque Thorigniacensi, ac Virensi Vicecomitatu; ab Occasu denique, Britanniâ. Principatum tenet inter ceteras Normanniæ regiones; nam ager ille feracissimus triticum maxima profert abundantia, estque adeo pinguis, ut vix pedem efferas, ubi pluvia inundarit; pascua tot boum armentis referta, ut numerus afferat stuporem. Affluit sicera, & quidem præstantissima, præsertm vero quæ glasti colorem imitatur: hæc enim ad vini subpallidi speciem & suavitatem accedit. Carnium pisciumque esculenta vili adeo pretio veneunt, ut decem expensis apud tabernas assibus, laute admodum epuleris. Plebs lanis pannisque negotiatur terra marique; hæc autem habet munitissima loca, *Constances*, *Carentan*, *Cherbourg*, *Vallongnes*, & *Barfleur*, de quibus seorsim, sed succincte, tractabimus.

Constances. *Constancia*, hujus regionis caput, id nominis sortita est ob *Castra Constantia*, quibus priscorum Gallorum Gens inclyta constantissime Romanorum impetus reundebant. Putarunt nonnulli Iulium Cæsarem urbis hujusce fundamenta jecisse;

atque

atque Constantium 49 Imperatorem suo nomine insigniisse, in Normanniaque apud Euburovices diem supremum clausisse. Ceterum hæc civitas, quantumvis sit antiqua, nullis tamen clauditur mœnibus, neque fossis vallatur, sed castro tantum defenditur. Equidem olim præclaro mœnium ambitu cingebatur, quæ quidem expulsis Anglis anno 1400 diruta fuerunt, & solo fere coæquata. In Occidentali urbis latere, ad depressa vallis, multæ cernuntur columnæ velut arcuatæ, structuræque elegantis; subtus defluit rivulus nomine *Bulsard*; superius autem fons plumbeis canalibus ad mediam usque civitatem decurrit.

Ecclesia. Cathedralis ædes Constanciæ civitatis inter insignes Galliæ Basilicas jure numeratur, nam & omnem elegantiam, & artis industriam sibi vendicat; binas turres præaltas habet, quarum altera in vertice quadrata, plumbo obtegitur, unde amœnissimus per subjacentem undique regionem prospectus. Ministrat in sacris venerandus Canonicorum cœtus. Hanc sedem illustrarunt sanctissimi Episcopi, quorum agmen duxerunt SS. Ereptiolus, & Exuperantius, hos autem iisdem vestigiis multi subsecuti fuerunt, quos recensere, nostri nequequam est instituti. *Episcopi.* Sunt præterea binæ parochiæ, & Collegium à Ioanne Michaële, Doctore Theologo, atque Canonico Constantiensi, fundatum.

Eadem civitas sede Præsidiali exornatur, susque habet tum in Civilibus, tum in Criminalibus Iustitiæ Officiarios.

Septimo à Constancia lapide, ad Ortum, apparet Theopolis, vulgo *Ville-Dieu*, ubi celebris Equitum Rhodensium Commendataria. Hujus urbis incolæ maximam partem rudes sunt & agrestes, & colliquando metallo in usum campanarum, & lebetum, præcipue operam impendunt.

Haud procul est *Lande-Herould*, impræsentiarum simplex parochia, olim autem burgus elegans, & ad sesquimilliare projectus, cujus etiamnum vestigia conspiciuntur. Habuit & castellum, cujus solum nomen prato, cui insidebat, relictum.

Modico inde intervallo, visitur antiquissimum sacellum, quod fuit olim virorum religiosorum secessus & domicilium.

Prodigium. Stupendum hac in regione prodigium evenisse enarrat Sigebertus circa annum 1158, Columnam scilicet cæruleam, & rubram in aëre apparuisse, quam crebræ impeterent sagittæ & jacula, huicque circumhærerent aves multiplicis generis; funestum plane omen pestis per totam Normanniam annis subsequentibus immaniter grassantis, à qua nec ipsi Proceres immunes evaserunt.

Loca. Sunt & alia hujusce tractus non ignobilia loca, nempe *Gauray*, ubi nuper vetus castrum visebatur suis ruinis velut consepultum, quod nunc resurrexisse testantur; deinde *Hambuys*, ubi quondam Abbatia; *Moyon* burgus; *Tessy* Baronatus, & *la Motte* pulcherrimum castrum.

S. Lo. Occurrit deinde urbs non inelegans *S. Lo* dicta, locus munitissimus ad Viram flumen, quod modico inde spatio in mare labitur; cui id nomen inditum à quinto Constanciæ Episcopo, cujus Successores S. Loti Episcoporum titulum diu prætulerunt, quod ipsa urbs esset eorum possessio, ibique amplissimas, opulentissimas, ac magnificentissimas ædes obtinerent. Est etiam in eadem civitate, eximia Ordinis Benedictini Abbatia. Adjacet quoque huic urbi *Hommet* Baronatus; unde brevi *Carentan*, seu *Querentan* pervenitur, ubi portus commodissimus, & fidissima navium statio; quod quidem oppidum castro obarmatur, estque D. Leonis Rothomagensium olim Archiepiscopi natalibus illustre; ac Baillivo, Vicecomite, aliisque dignitatibus exornatur. *Carentan.*

Quaternis inde milliaribus se offert *Montebourg*, burgus non incelebris. Hic quondam Guillielmus Rufus Magnæ Britanniæ Rex, Duxque Normanniæ elegantem Benedictinorum Abbatiam posuit, ibique frequentissimæ nundinæ quot diebus Sabbati celebrantur.

Vno postea milliari reperitur *Valongnes* modicum oppidum, quod à suis incolis vitilitigatoribus *la Hongne* per ludibrium nomen accepit; attamen Vicecomitatus dignitate potitur; idem locus castro validissimo munitur. *Valongnes.* Ad Occasum ulterius progredienti, *Hogue* burgus se ostentat, ubi copiosissima piscatura; nec procul *Barfleur*, etiam burgus, in valle positus invenitur; *Barfleur.* ipsa autem vallis *Cereris* nomen præfert, ob maximam, scilicet, frumentorum abundantiam, quæ quotannis ibi colligitur. *Vallis Cereris.* Inde *Chereburgum* devenitur, quod à Latinis *Cæsaris burgum* indigetatur, nam à Cæsare, loco arenoso, & ob binos quotidie maris æstus fere inaccesso, extructum perhibetur. *Chereborg.* Extra muros visitur præclara Ordinis Augustiniani Abbatia. Reducto ad *Vallongnes* itinere, versus Ortum cernitur burgus & castrum *S. Salvatoris*, à Vicecomite cognominati, priscæ memoriæ Vicecomitatus, ubi Iurisdictio Regia. *S. Sauveur le Vicomte.* Habet quoque Abbatiam Benedictini instituti.

Australi parte *Briquebec* reperitur, burgus castro munitus, quem amœnissima circumstat silva; & quarto ad Ortum milliari *la Haye du puys*, burgus itidem & castrum, à quo Abbatia *de Blanche-lande* non longe dissita. *Briquebec.*

Avranchin. *Avranchinense* territorium, plurimis fluminibus, *Coesnon*, scilicet, *Engraine*, *Burd*, *Vire*, *Selune*, *Causé*, *Causon*, *Herou*, & *Soulle* perfunditur; varias qualitates sortitur, ex parte montibus & silvis obsitum; *Qualitas.* ex parte vallibus depressum, solo arenoso, & siliginibus, hordeis, & avenis parcissime idoneo, ita ut nec sufficientem cultoribus annonam suppeditet; ipsi tamen aliunde divitias congerunt, ex numerosissimis scilicet boum & vaccarum armentis quæ in montibus & pascuis nutriunt; unde carnibus, quemadmodum & è mari piscibus abundant: multaque alia emolumenta percipiunt. Hujus regionis oppida sunt, *Avranches*, *Granville*, *Ville-Dieu*, *Pont-Orson*, & *Domfront*. *Oppida.*

Avranches. *Arborica*, seu *Abrinca*, ex arboribus, queis olim undique consita, nomen accepit; urbs vetusta, nam *Ambiliates*, quos Cæsar memorat, fuisse cives Arboricæ existimantur. Præalto colli insidet, ad Oceanum, fossis, mœnibus, ac suburbiis circumvallata. Floret Episcopatu ab ævo Francorum in Gallias adventantium, illiusque velut maximi momenti in distributione terrarum inter filios Clodovæi

dovæi factâ cum aliis adjacentibus terris fuit inserta mentio.

Primus in hoc Episcopatu sedit D. Leontius, cui successit Nepus ille, qui fuit ex numero 32 Episcoporum, Concilio primo Aurelianensi sub magno Clodovæo Rege assistentium. Huic in hac sede successerunt plures alii virtute & singulari pietate insignes.

Cathedralis Basilica in honorem D. Andreæ Apostoli dicata est, cui assidet Episcopale palatium elegantia singulari, ut & magnificentia extructum. Sunt etiam in suburbiis tres parochiæ, ac gymnasium. Suos etiam hæc civitas Magistratus sortitur, gaudetque honore Vicecomitatus.

Mont S. Michel. E mœnibus civitatis Arboricæ prospicitur *Mons D. Michaëlis* editissimæ rupi incumbens, urbs & Abbatia ob frequentiam peregrinorum illuc adventantium notissima. Hic scopulus ternis ab Arborica leucis dissitus, fuit olim tantum solitudo silvis obsita, quam devoti quidam Eremitæ incoluerunt, qui inusitato, prout piè creditur, Providentiæ miraculo inibi sustentabantur, usque ad annum 708, quo S. Aubertus Arboricensis Episcopus, primùm ibi Ecclesiam in rupis apice extrui fecit in honorem D. Michaëlis, qui illi apparuerat, in qua duodecim Canonicos constituit, sacris ministeriis operaturos. Verum Richardus, Primus Normanniæ Dux, ibidem monachos Ordinis Benedictini substituit, nimirum anno 966; Richardus verò, Secundus ejusdem Normanniæ Dux, eandem Ecclesiam reædificari mandavit anno 1024, quæ etiamnum extat. Porro qua ratione locus accreverit, & in urbem satis amplam evaserit; castri extructionem, fontem multis morbis saluberrimum, reliquias, miracula, qui scire volet, adeat Feuardentium toto orbe celeberrimum Doctorem, qui absolutissimam illius loci historiam exaravit.

Mortaing. Septimo ab Arborica milliari extat urbecula *Mortaing* nuncupata, cujus Baillivatus appendix est Castellania *de Thincebray*; cui etiam contiguæ sunt *Moutons, Blanche & Savigny* Abbatiæ.

Rommois. Rommensis ager, Sequana & Rislafluviis clauditur, solo gaudet fertili & amœno, silvis & saltibus exornatur: Linum ingenti copia producit, unde plebs maximam partem textilibus insudat, quæ quidem Rothomagum asportata, totâ ferme Europâ distrahuntur. Nullæ sunt hoc in tractu urbes; sed hæc tantum oppidula recensentur: *Pagi.* *Bourgtheroude, du Boschard, Routot, Bec, Montfort, & Briosne*, &c.

Ouche. Ouchensis regio Rislæ fluentis irrigua, solum habet planum, & saxosum, quod æstivis mensibus nimium arescit; hibernis autem nimis est uliginosum. Avenam abunde profert; silvis densissimis obsita est; numerosos pascit ovium greges; quarum è lanis quæstum non modicum facit. Ferri fodinis & officinis scatet, quibus indigenarum pars operam navat, pars lineis textilibus invigilat: potu è pyris expresso utuntur, qui censetur suavior, quam qui aliis in plagis exprimitur; nam pyrus suopte genio, solo rudi & aspero delectatur. Hæc autem sunt Ouchensis regionis loca, *Vernueil, Bretueil, Conches, l'Aigle, Lyre, Rugles, & la Barte.* *Loca.*

Braye. Tractus Brayensis alicubi varius est, modo enim in colles attollitur, modò silvis & nemoribus occupatur; modò in prata & arva diffunditur. Illius loca & oppida sunt, *Gournay, la Ferté, Lyons, Charleval & Fleury.*

Vexin-Normand. Vellocassinum Normannum, fœcunda regio, Sequana, Andella, & Epta fluminibus irrigatur; arva habet aratro idonea, vina gignit nonnullis in locis, & siceram. Celebriora illius loca sunt, *Gisors, Andely, & Escouis.*

Gisors. Gisortium, hujus territorii caput, urbs Eptæ insidens, munitissima amœnissimaque; nec inepte rationem nominis quidam investigarunt, *Gisortium*, quasi *Regis otium*; nec aberrarunt, qui *Gisortium* velut terrarum Franciæ & Normanniæ *divortium* existimarunt. Hìc varia, ad Eptam fluvium, Anglos inter & Francos, commissa fuere prælia. Porro hæc civitas septem Normanniæ Baillivatibus accensetur. Hujus appendices sunt, *Andelis*, major nimirum & minor; *Escouy*, burgus celebris, Collegio Canonicorum exornatus. *Andelis.*

Hujusce tractus sunt alia non contemnenda loca, scilicet; *Estrepaigny, S. Clair* ad Eptam fluvium; *Neaufle, Gamaches, Arville, Chasteau-neuf, Vaudemont, Braye, Cornice*, &c.

Alençon. Alençonium in inferiori Normannia situm, in agro pingui, frumentoque, ac frugibus feraci, ex parte ad silvam *d'Escouy*, ex altera ad Perseignense nemus protenditur; nam ambæ silvæ æquali intercapedine sunt ab urbe dissitæ, quas inter *Sarta* profluit, Alençoniique muros allambit, terminaturque altero latere, *Hambon* pascuis. *Briante* etiam amnis undis perfunditur, qui quidem in Sartam sub ponte se exonerat, & in ipsa urbe, juxta Virginum S. Claræ Cœnobium, tenuem efformat insulam. Ecclesiâ Beatissimæ Virgini dicatâ gloriatur. Quatuor portis & arce exornatur, amplissimoque vivario. Ducatus Alençonius sequentes Castellanias sibi subjectas habet, *Alençon, Esse*, urbeculam castro munitam, *S. Escolasse, Moulins, & Bons-Moulins.*


Argentan, non minoris notæ oppidum, castro firmum, *Trun*, & *Hiesme*, unum simul efficiunt Vicecomitatum. Vernolium, vulgo *Vernueil*, est ampla, & vetusta civitas, cujus turris Auræ amni imminens, districtûs est Gallici; urbs autem reliqua Normannicæ est ditionis; Vrbs potens, castro olim munita, quod Ludovico XIII, rege, dirutum est. Loca alia sunt *Quatre-marés, Sorteauville, Rootot*, &c.

CALE-

C A L E T E S,

vulgò

DE PAYS DE CAVX.



Mbitur hæc regio fluminibus *Deu & Sequana*, & Oceano ad littora urbium, *de Sie*, *Dieppe*, & *S. Valery*; magnam partem fertilis eſt, rebus ad vitam neceſſariis abundat, ſilvis, pratis, agris culturæ patientibus, carnibus, fructibus, lanis & lino, magnaque piſcium copia, ad mare vicinum ubique piſcatoribus opportuna. Sicerâ ut plurimum, & cereviſi in potum utuntur. Præcipuarum civitatum vernacula nomina ſunt, *Caudebec*, *Harfleur*, *Havre de Grace*, *Feſcamp*, *Montvillier*, *Dieppe*, *S. Valery*, *Eu*, *Neufchaſtel*, *Aumale*, *Arques*, &c.

Divitiæ. *Civitates.*

Faciem peninſulæ præfert hæc regio, magis in longum quam in latum patet: agro Abavillenſi finitur ab Ortu; Bellovacenſi à meridie; à ſeptentrione Oceano; ab Occaſu Sequana fluvio, ex parteque Rothomagenſium finibus. Hos eſſe Caletes Cæſari nuncupatos aliqui malunt quàm Caletenſes, quorum oppidum ille alibi *Iccium Portum*, recentiores *Calitium* vocant; quod ut certius evincant, *Caſletum* à Cæſare dirutum, non *Calais*, ſed arcem in agro *de Caux* fuiſſe aſſerunt. Vbi denuo ſtruxit arcem Iuliæ-Bonæ titulo decoram, vulgo *l'Iſle bonne*, corrupto vocabulo, è cujus ruderibus ſtrata eſt via Colleboſcenſis, Promontorium *de Caux* dictum, oppido ejuſdem nominis ſubjacet, turri ad littus inſigne, in qua pharus, in gratiam navigantium; ſummum vero ejus acumen occurſus Axonæ nominatur, hinc in Angliam, ſecundum Sequanam navigantibus iter. Hic tractus inter ſeptem Parlamenti Rothomagenſis Baillivatus computatur; multoſque Ducatus, Comitatus, Vicecomitatus, Baronias, Abbatias, Prioratus, magni nominis complectitur.

Situs. *Fines.*

Dieppa, urbs ejus præcipua, inter duos montes ad littus maris muros ejus ferientis jacet, & quantumvis anguſtis faucibus, in portum commodum, ad oſtium de *la Bethune* ſe inſinuantis, unde urbis accolæ, opportuno tempore, ad Terras novas, novaque regna commercium inituri proficiſcuntur. Propugnaculum *du Pollet* Portui imminet; caſtro autem ex adverſa parte urbs defenditur: latere hujus propugnaculi aſſidet Caſtillonenſe præſidium, quod flumini Arquenſi imperat; urbi nomen eſt ab exiguo flumine portas ejus alluente.

Dieppe.

Ponè locus eminet, ubi quondam poſita Limarum civitas, cujus nullum modo extat veſtigium. Hic portus, variis oppugnationibus, inter bella civilia conflictatus, Henrico IV poſt præceſſoris obitum refugium fuit. Hujus urbis, ut & *Louviers* dominationem, quo ad ſacra & profana penes *Gautherium* Rhotomagenſem Archiepiſcopum annuente Rege atque Pontifice fuiſſe ferunt. Conſtat cives Rothomagenſium exemplo, in feſtis Natalitiis & Aſſumptionis floralia celebrare ſolitos, & æqua præmia Poëtarum induſtriæ proponere. *Arquenſe* oppidum haut procul *Dieppa*, arx flumini *Bethune* imminet, collem cui inſidet alluenti; neque longum neque altum hoc flumen, victoria Henrici Quarti celebre; ex tribus rivulis coaleſcit, quorum unus à vico de *Seaume*, alter fontem ducit paulo ſupra *Neufchaſtel*, ab *Henrico* IV ſubacto, fœderatis per Legatos fractis; tertius rivus à loco cui nomen *Bon-encombre* oritur; tres hi rivuli prope *Arques* conjunguntur, ubi anno 1598 Henricus IV famoſo certamine cum paucis Helvetiis, & Gallis, triginta millibus hoſtium debellatis, Coronâ potiri cœpit.

Arques oppidum, flumen Bethune.

Ad idem littus verſus meridiem antiquus vicus de *Feſcamp* ſitus, ad oſtium fluminis exigui ex duobus rivis coaleſcentis, quorum unus à *Vallemont*, alter *à Gouffreville* ducit originem. Abbatia fundatorem *Richardum* II Normanniæ Ducem agnoſcit, S. Vandrillum Pipini Regis nepotem eò ſolitudinis amore allectum, Regum Angliæ Ducumque Normanniæ ſepulchris celebris, à quibus præter cætera Baroniam *d'Argences* dono accepit.

Feſcamp urbs & Abbatia. *Baronia d'Argences.*

Caudebec, urbs ab agro ubi ſita nomen accepiſſe videtur, alluitur Sequana, in quam ſe *Clere* flumen paulo infra *Cler* & Rothomagum exonerat, inde latiori alveo propter vicinum mare, in quod inter *le Havre*, & *Honfleur*, magno impetu nautis verendo irruit, æſtus ille vocatur *la Barre de Seine*. *Honfleur* ita dicitur, quod ex eo undæ in mare fluant: *Harfleur* vero illi oppoſitum, contrarium maris æſtum ſignificat.

Caudebec urbs. Cler fluvius. *Honfleur.* *Harfleur.*

Havre de Grace arx validiſſima, & maximi ad littora Galliæ tuenda momenti, à Franciſco I erecta ad intercludendum Anglis Galliæ aditum, ſi denuo Galliam cogitarent, ut cum ſub Carolo IX urbs illa Eliſabethæ Reginæ à Proteſtantibus tradita, ſed poſtmodum à rege recuperata eſt.

Havre de Grace.

Tertio à *Caudebec* lapide, exiguum regnum extat, ſi tamen ager *Yvetot* titulo illo unquam potitus, eo quod *Clotharius* Primus occiſo Gualterio, Domino *d'Yvetot*, die Veneris Sancti, in ipſo ſacello dum ſacris intereſſet, ad expiandum ſcelus à Pontifice ſub pœna anathematis obſtrictus, ejus loci Dominos impoſterum à clientelari ſubjectione exemit, quoad agrum *Yvetot* in Normannia ſitum, tandem Regis nomen & authoritas in Domini nomen & authoritatem ceſſere: quibus

Yvetot Principatus, olim Regnum.

LE PAYS DE CAVX.



PICARDIÆ PARS.

NORMANDIÆ PARS.

L' Emboucheure de la Riviere de Seine.

Milliaria Gallica.

Septentrio. Meridies. Occidens. Oriens.

S. Vallery. Diepe. Vallemont. Caudebec. Le Havre. Honfleur. ROUEN. Neufchastel. Aumale. Blangy. Eu. Gisors. Lions. Vernon. Pont de Larche.

20

Familia *du Bellay* etiamnum gaudet. *Bresle*, flumen, urbem *Eu* alluit, nullibi navium capax, nisi ad ostium *du Treport*, ibique vix idoneum, à vico *Courcelles* oritur, supra *Aumalle*, augetur rivo ad *Senenpont*, ubi ponte lapideo ripæ junguntur, alioque *ad Blangy* quarto inferius lapide. *Aumale* olim Comitatus, impræsentiarum verò Ducatus, & ob militarem suorum Dominorum gloriam & nobilitatem, & affinitates cum Angliæ Regibus insignior. *Montvillier*, Portus admodum commodus, non longe *à Fescamp*; *S. Valery* urbs & Parrochia quingentis passibus à littore maris inter *Dieppam* & *Fescamp*, portu caret ad maris æstum admittendum. *Oton* & *Courbon* ad agrum *Huge* pertinent, agro *de Caux* nonnulli annectunt.

Ager Aumalensis. *Montvillier portus.* *S. Valery portus.* *Oton & Courbon.*

Non longe à Constantino, de quo supra, insulæ *Iarsay* sive *Gersay* ac *Grenesay* & *Sere* propugnaculis non spernendis contra Piratas extant munitæ, Anglo parent: ibi Persarum regum mos viget, ut primogenitis, sive nobilibus sive plebeis, tantum paternorum bonorum cedat, ut pars admodum tenuis posterioribus supersit; mos ab antiquis Norvegis & Danis ortus, ad sustinendam familiam, quo posteriùs nati coguntur rem familiarem sibi deficientem alibi quærere; quemadmodum forte primi Normanni tam feliciter Gallias invasere, ut adhuc vi partis fruantur, ut in Ducum origine notandum.

Insulæ Iarzay, Grenezay &c.

Neustria, antiquis Dominis in servitutem redactis, ut se res humanæ habent, nomen mutare coacta, & vocata *Nortmannia*, cum Rollo, sive *Raoul*, Normannorum Dux, anno 910 potitus est regione.

Mutatio Ducum Normanniæ.

Nortmanni Septentrionales populi, ex Daniæ, Sueciæ, populorumque adjacentium supra soli fertilitatem abundantia coacti arrepta occasione, quod Caroli Magni successores ab avita virtute degenerarent, Regni fines invasere, tam fortiter, ut Carolus cognomento Crassus inito fœdere, cedere coactus sit illis quæ tollere non valebat. Inde Neustria Nortmannis contigit, hoc pacto ut regem feudataria lege (ut barbare vocatur) agnoscerent. Illi natale nomen subactis terris assignavere. Nulli mortalium Christo infensiores, dum impii fuerunt, nulli agnita veritate impensius coluere.

Nortmannorum ingressus in hanc provinciam.

Est in Normannia Superiori Gubernator, itemque Locum Regis tenens, seu à Rege præfectus, quemadmodum & in Inferiori, una cum Statibus singulis annis Rothomagi congregatis, ejus ritus, & Clamor *de Haro* (vocabulum Iuris apud Gallos in usu) quo ad illa quæ ad reos spectant, & ad quædam civilia, Parlamentum etiam, aliis nominibus alioque numero constans, auctum sub Francisco Primo & sequentibus Regibus, inde duæ Generalitates pendent, *Rouën* & *Caen*, præterita prolixiori minutarum Curiarum de novo electarum erectione, quamprimum supprimenda. Ferunt hanc præcipuam fuisse Admiralium sedem.

Gubernatio Nortmanniæ.

Continet Ducatus *d'Alençon*, *d'Aumale*, *d'Elbœuf d'Eureux*, de quibus supra, & Ducatus de *Damville*, de *Longueville* & *d'Estouteville*, de quibus infra. *Estouteville* arce munitur. Magnatum in Gallia nobilissimorum ibidem imperitantium notissima sedes.

Ducatus Normanniæ, Alençon, Aumale, Elbœuf, Evreux, Longueville, Estouteville.

Longueville, celebris locus, unde nomen illustrissimæ familiæ, ad Regiam Domum jam pridem pertinuit.

Longueville.

Agri *Graville*, *Neubourg*, *Nonant*, *O*, *Courtaumer*, *Canizy*, *Beuvron*, *la Lande*, *Thury*, *Manny*, *Alegre* & *Verneuil*, Marchionatuum titulo insigniuntur. *Graville* insigni familiæ nomen dedit ab antiquis Comitibus d'Alençon oriundæ.

Marchionatus.

Nonnulli Normanniæ Comitatus denuo Coronæ annexi sunt. Vt *Hiesmes*, *Argentan*, *Vireconches*, *Orbec*, *Bretueil*, *Beaumont-le-Roger* & *Montfort*.

Octo Nortmanniæ Comitatus Coronæ annexi.

Alii ad peculiares Dominos spectant, ut Comitatus, *Eu*, erectus in Ducatum in favorem Caroli *d'Aartois* anno 1458, *Lisieux*, *Mortain*, *Harcourt*, *Briosne*, *Tancarville*, *Maulevrier*, *Montgommery*, *S. Sauveur*, *Landelin* (à Carolo VI erectum & Aurelianensi Duci traditum,) *Gisors*, *Thilleres*, *Carrouge*, *Thorigny*, *Creances*, *Thury*, *Auge*, *Flers*, *Estelan*, & *Cuisy*, quorum Domini olim illustribus affinitatibus & Bellicis facinoribus inclyti.

Comitatus ad particulares pertinentes.

Baroniæ Nortmanniæ inter multas præcipuæ sunt, *Medany*, *la Ferté*, *Orbec*, *Montreuil*, *Pont S. Pierre*, *l'Aigle*, *Quilbœuf*, ad Sequanam olim portus munitus, cui nomen fuit *de Herinville*, *Rommois* &c.

Baroniæ Nortmanniæ.

Præcipui multorum conventus sunt, *Charleval*, Prioratus extructus à Carolo Nono in sylva *de Lyons*, studio venationis, nunc abbatia *Sainct Evroult*, *le-Bec*, cui nomen *à Bec*, hoc est promontorio terræ in quo jacet, ubi duo flumina confluunt; *Bec-Herluyn* vocatur, propter abbatiam ab *Herlun* Magnate Nortmanno fundatam; *Cormeilles* ad ripam fluminis exigui *de Calonno* abbatiæ cognomini annectitur; *Bernay* ad flumen *Charantone*, dives locus ac fertilis, unà cum abbatia; *Dive* nomen sumpsit à flumine vicino de quo supra, cujus ad ostium Christi Cruci affixi extat imago, peregrinantium eò frequentiâ celebris.

Conventus.

Præter *Caen* Vniversitatem, in qua Jus Civile, Sacrumque; Theologia, Medicina, artesque liberales docentur, à Pontificibus & à Carolo Septimo confirmatam, patent artium collegia & magnæ scholæ du *Mont-cloutier*, aliæque. Scholasticis ibidem initiatis, & ad Gradus promotis, idem jus ad obtinenda beneficia suo tempore, quod illi qui promoti fuere Parisiis. Sequitur Comitatus *de Perche*, quem olim Normanniæ partem fuisse nonnulli autumant.

Academiæ.

COMI-

COMITATVS PERCHENSIS.

Nomen. Ger *Perchensis* variorum fluminum inde orientium fontibus clarus, recens nomen accepit admodum diversum à veteri; vocabantur olim incolæ *Vncl-li* vel *Aulerci*, qui forte partem ejus incoluere, ambo sub Celtica Lugdunensi continentur.

Fines. Carnotense, & Vindocinense territoria huic à Meridie adjacent; Cenomanense, vulgo *le Maine*, ab occidente, ab oriente vero ac septentrione Nortmannia. Vnde fit ut aliqui hos populos Nortmannis annumerent. Pars agri sita in Ducatu *d'Alençon*, *Rothomagense* Parlamentum; pars altera in Carnotensi Baillivatu, Parisiense, Iudicem agnoscit; olim Neustriæ ascribebatur: ejus incolæ, vicinis in agris imperitantibus quatuor Episcopis subjacent, *de Sées*, *de Chartres*, *du Mans*, & *d'Evreux*.

Divisio. Dividitur in superiorem & inferiorem: Inferior antiquorum dominorum nomine *Perche-Gouet* insignitur. Superior Comitatu constat, hinc vicinum *Verneuil*, ubi à Nortmannia; illinc *Memers*, ubi ab agro Cenomanensi sejungitur. Nonnulli quatuor in partes dividunt, in Terram Gallicam, Perchense majus, Perchense minus, vulgo *le Perche-Gouet*, & terras inde distractas. Terra Gallica ipsa est, in qua extat Turris grisea Vernoliensis. Ab urbe, & Normannia flumine *d'Aure* dividitur; ejus curia, cui nomen Gallica, Parisiense Parlamentum solum agnoscit. Perchense majus, quod communiter Perchense territorium dicitur. Continet urbes & Castra regia *de Belesme*, *Mortaigne*, *la Perriere*, & *Nogent le Rotrou*. *Le Perche Gouet* constat Baroniis *d'Auton*, *la Basoche*, *Montmiral*, *Alluye* & *Brou*: ejus lites ad Iudicem de *Iainville* vulgo spectant: terræ distractæ hæ sunt, *Chasteau-neuf* in *Timerais*, hujus agri caput, ita vocati à *Thimer* parvulo vico: Hæc oppida continet, *Senonches*, *Bazoches* & *Champront*, moribus ac legibus à cæteris diversi, & à reliquo agro in favorem Ducis de Nevers distracti, sub titulo Mantuæ Principatus. Ita inter Regem & ultimi *d'Alençon* Ducis hæredes conventum est.

Flumina. Præcipua flumina sunt, *la Sarte*, & *l'Huygne*, præter quas *le Loir*, *Orne*, *Braye*, *Eure*, & *Aure* inde oriuntur. *Sarte.* *La Sarte* ibidem fontem habet nomine *Sommesarte* inter *Soligny* & *Sainct Estiennes*, & per *Longpont* & *la Mesle*, Nortmanniam dividit ab agro *le Perche*, admissis in alveum fluminibus *de Pontpercé* & *d'Euine*, præterita urbe *Mesle*, præterit *Barville*, paulo inferius flumen *d'Autreche* admittit, inde præterfluit *Alençon*, *Fresnayé*, *Iaille*, *Vivain*, *Beaumont le Visconte*, *Sainct Marceau* & *la Guersche*, in eum demum se flumen *Orne* exonerat ab agro de *Soisay* ortum ducens, & inde urbes *Suré*, *Origny le Roux* & *Peray* præteriens prope *Dive* flumen, quod præter *Memers* descendit *au Balon* & *la Sarte* ingreditur, quod muros urbis Cenomanensis præterlabens, & postmodum *Huygne* conjunctum, præteritis *Noyens*, *la Suse*, *Malicorne* & *Sablé*, conjungitur flumini *le Loir* in Andegavensi agro. *Loir.* *Le Loir* ortum ab agro *Des Corvées* nomen à fonte, lacu, & abbatia *du Loir* ducit, stagna *de Cernay* præterlabitur, prope *Villebon* ad *Illiers*, ubi admittit Rivum *de Montigny* orientem à stagnis de *Tiron*, & præterlapsis *Chasteaudun*, *Claye*, *Vandosme*, *Lavardin* & *Montoire*, flumini de *Braye* conjungitur, quod à castro de *la Greve* ortum *Theligny* sublabitur, rivum sibi non absimilem labendo excipit, postmodum alluit *Vibraye*, *Gué de Lauray*, *Savigny sur Braye*, *S. Calais* transmittit *le Mayne*, *l'Anjou*, *la Flesche*, *Duretal*, & *Lisle S. Aubain* prope *Angers*, demum admissis *la Sarte* & *le Mayne*, ad *Bouchemayne* in Ligerim influit, cum quo Meridionale Britanniæ mare ingreditur. *Eure.* *Eure* in *Perchensi majori* oritur, inter *Nully* & *la Lande* aquas de *Vanpillon* & de *la Loupe* excipit, cœnobium monialium de *Bellommer* præterfluit, & extra nativum solum usque Carnutum progreditur, ubi flumini Ligeri terga vertens, præterlabitur *Iouy*, *Maintenon*, *Nogent le Roy* &. redit in Perchense solum; *Aure.* occurrit *Aure* ex sylva ejusdem ruris orienti, prætergreditur *Chesnebrun*, *Verneuil*, *Tilleres*, *Nonancourt*, & multis in locis Franciam à Nortmannia dirimit, flumen utrumque conjunctum, præterlapsis, *Anet*, *Bassy* & *le Vau de Rueil* in Sequanam irruunt ad *Pont de l'Arche*, ubi ab æstu septentrionalis Oceani excipiuntur. Flumina de *Comeoche* & la *Iambée* ingrediuntur *l'Huygne*, prope locum cui nomen *le Moulin Cheureul*.

Sylvæ. Hoc in agro tres sylvæ regales surgunt. Primæ nomen regionis inditum, *la Forest du Perche*; Alteri *Reno*, intra quam cœnobium Cartusianorum *du Valdieu*: tertiæ *de Belesme*, arborum præstantia & abundantia cæteris longe antecellenti; in qua Monasteria Sancti Martini du *Vieil-Belesme*, & de *Chesne Gallon* cum Prioratibus de *S. Lienard de la Chese*, & aliis: in medio hujus sylvæ à Belesme ad Mortagne eunti fons occurrit nomine *la Herse*, aquis ad medendum variis morbis salubribus, nihilo aquis de *Pouques* & *de Forges* Medicorum judicio inferioribus.

Vrbes. Præcipuæ urbes sunt *Bellesme*, *Mortagne* antiqui Comitatus, *Nogent le Rotrou*, & *la Perriere Mortagne* publicis privatisque ædificiis, & amplo murorum ambitu clarior est; *Bellesme* vero, dignitate: propter viginti duas supremas Iusticias, vernacule vocant *hautes justices*, octuaginta feudos, agri amplitudinem, arcem admodum antiquam, & horreum salis non aspernandum; ex utraque constat unicus Baillivatus: cujus Præses, seu Præfectus, sagatus, hoc est vernacule de *Robbe courte*, *Mortagne* residens, ab incolis utriusque agnoscitur: in singulis sedibus vices suas gerentem, seu ut vocant sub-Prætorem habet. *Bellesme*, *Mortagne* & *la Perriere*, tres sedes & Castra regalia sunt. *Nogent le Rotrou*, vulgo caput Perchensis inferio-

 ris,

ris, ſeu *Perche Gouet* habetur, tametſi in diviſione quatuor agri partium non contineatur. Ingens oppidum, tribus eccleſiis clarum, modò Ducatus *d'Anguyen le François*. Sunt nonnulla præterea loca, nimirum *Fenillet*, *Mauves*, *Roux Maillard*, *Condé ſur Huygne*, *Ceton*, *Villeray*, *Preaux*, *Le Tail* &c.

Qualitas. Ager, magnam partem fertilis, omnis generis frugum, paſcuis pinguibus abundans, pratis & collibus, fontium rivorumque copia peramœnus. *Mores.* Perchenſe territorium non late patet, nec ideo multum à vicinarum regionum moribus diverſum.

Nogent le Rotrou, propter merces, maxime pannorum, telarum & coriorum dives. *Divitiæ.*

Duodecim ibi Marchionatus erecti ſunt, *Graville*, *Neubourg*, *Nonant*, *O*, *Courtaumer*, *Caniſy*, *Beuvron*, *la Londe*, *Thury*, *Manny*, *Alegre* & *Vernueil*. *Marchionatus.*

Le Perche, quo ad jus, Pariſienſe Parlamentum; quo ad ſpectantia edictum, Curiam Præſidialem *Chartres*; quoad tributa & ſubſidia, Cameram Supputationum & ſubſidiorum Rothomagenſem agnoſcit; congregantur Status regionis *in Belleſme*: in Generalitatibus Perchenſis inter Aurelianenſes annumeratur.




BRI-


PERCHENSIS
COMITATVS
LA PERCHE COMTÉ
Milliaria Gallica
1 2 3
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
VANDOMOIS
Laigle
Mortaigne
Bellesme V. C.
Senonches
Longny
Nogent le Rotrou
Mommirail
Forest de Mommirail
Forest de Mondoubleau
Mondoubleau
La Bazoche
Brou
Illiers
Bonne val
Chasteau dun
Vandosme
Cloye
Fretteval
Montoire
Le Loir Riviere
Sarthe Riviere
Aure Riviere
Huigne fluv.
Braye fluvius
Ver nueil
La Ferte Bernard
Remalard
Maison maugis
Chenebrun
Thiron
La Croix du Perche
Authon
Champront
Pontgoin
Digny
La Ville aux Nonains
Roche L'evesque
Pont Blossier
Montigny
Chapelle Royal
Arville

BRITANNIA, vulgo DVCHÉ de BRETAGNE.

Opinio de origine nominis.



N magno errore verſantur, qui ſibi perſuadent, quod Britannia nomen ſuum ſit mutuata de nomine Angliæ, quæ *Britannia Magna* vocatur, & *inſulana*, vel *transmarina*. Scriptores, qui enumerant populos *des Gaules*, ſive *Galliarum*, teſtantur, Britones, *Bretons*, ſic fuiſſe nominatos, priusquam Cæſares, Oceanum transgreſſi, in hanc inſulam Oceani maximam ditiſſimamque, victorias intuliſſent ſuas. Rationi magis eſt conſentaneum, *Britones* Galliarum, devicta inſula *Albion*, quæ Anglia eſt, nomen *Britanniæ* huic dediſſe: contra quam Romani, qui ſibi nomen à devictis vindicare ſolebant. Vtut ſit, compertum eſt, hujus Britanniæ civitates dictas fuiſſe *Armoricas*, hoc eſt, maritimas, tempore Iulii Cæſaris; eo quod, ſitæ quum eſſent illæ ad oram alicujus tumuli vel ſinus terræ, iter pedibus facere non dabatur, mari inturgente; neque navi, undis minuentibus, & illa in ſicco hærente: ut adeo ſumma eſſet difficultas, ſeu illo, ſeu altero ſtatu, ad ipſas appropinquandi. Enimvero, quum cogerentur ſeſe accommodare iiſdem legibus, quibus aliæ Galliarum tenebantur Provinciæ, gubernati ſunt ſicut alii populi, qui per Gubernatores Romanos Imperio ſubacti: donec Tyrannus, nomine *Maximus*, ſe proclamaret Imperatorem *Magnæ Britanniæ*, Galliaſque, Comites inter, & Nobiles, quorum ille fortitudinem & fidelitatem erat expertus, diſpertiretur. Qui idem *Parvam Britanniam* Conani dedit, tribuno ſuo. Conan hic, regem ſeſe facturus, hoc tam facile præſtare ſe poſſe fidebat, quam patronus ſuus Imperatoris majeſtatem aſſumſiſſet. Ergo, ſumpta corona, ſceptroque, parvam Britanniam titulo regni poſſedit. Quam autoritatem hæredes filii ſervare conati alios, qui Coronæ Galliarum erant proximi, interemerunt. Verum Clodovæus Magnus tandem illos devicit, titulumque regium, & inſignia ſuſtulit ab illis, Comitumque nomen aſſumerent, coëgit, ſibique coronam relinquerent. Abinde hi, & deinceps, prout ipſis theatri fortuna favit, modo reges, mox comites, duceſque, fuerunt; nunc ſceptrum in manu, in capite coronam, geſtarunt, aliàs ad pedes regum Franciæ dejiciebantur, apud quos clientelarem fidem profiterentur. Tandem Annæ matrimonium, quæ filia fuit unica Franciſci, poſtremi Ducis, cum rege Ludovico XII initum, hos liberavit ex omnibus iſtis incommodis, & Franciæ coronæ firmiter feliciterque Ducatum hunc annexuit.

Tyrannus Maximus, magnæ Britanniæ Imperator.

Conan parvæ Britanniæ rex.

Clodovæus Magnus.

Latitudo.

Latitudo Ducatus Britanniæ extendit ſe à quadrageſimo quinto gradu cum dimidio ad quadrageſimum ſeptimum & dimidium: longitudo ab undecimo & dimidio ad decimum quintum cum dimidio: id eſt, uſque in Gallicas leucas centum viginti: circuitus ducentarum circiter eſt leucarum. Ejus diameter, à *S. Malo* ad extremitatem terræ de *Rez*, leucarum eſt quinque & quadraginta; & à *Conqueſt* ad *Vitré* uſque, ſexaginta quinque. Formam habet peninſulæ, Plinio *Spectatior peninſula* dicta; formam item equinæ ſoleæ, cujus rotundum exterius, hoc eſt, concavum, reſpicit mare; interius, ſive convexum, continentem.

Fluvii.

Britannia non tantum perluitur Ligeri, *Loire* dicto, qui tranſit ab extremitate ſaxi *d'Ingrande*; ſed etiam perluitur à flumine *Caëſnon*, quod hanc à Normannia diſcernit; à flumine *Vilaine*; quod tranſit à *Rennes* Provinciæ capite, ubi admittit flumen *l'Isle*, ſive *Lelle*. Pelluitur & à *l'Andre*, quod apud Nannetum in Ligerim ſe provolvit; à *la Seure Nantoiſe*, id eſt, *Separa*, quæ tranſit à *Cliſſon*. Pelluitur à *Lelle*, quod tranſit à *Quinperlay*; ut *le Rance*, Rinctius, à *Dinan*, circiter *A' la tour Solidor* in mare labens: à *Solidor*, *Oude*, *Loques*, *Blavet*, aliiſque minoribus.

Qualitas.

Hæc provincia copiam habet rerum omnium, non ſolum eximiarum, ſed & rararum, quæ alibi non eſt reperire. Agri oppidò quàm exoptatiſſimam ferunt culturam, & inprimis, mare ſecus. Pratorum dives eſt ſupra modum. Habet nemora, quæ dant arbores, & pabulationem: ſylvæ omnimodam materiem ſubminiſtrant. Lac, butyrum, fructus, fruges, ſemina, grana, ſicera, potus è piris, & pomis, cereviſia, captum ſuperant. Vini indigenis nulla copia, neque delectamentum: Gallica vina, Andegavenſe, Gravenſe, & Burdegalenſe, è celſaque Gaſconia, defectum omnem explent.

Piſces.

Litora, ripæque, tantam piſcium copiam exhibent, ut ne quidem Orientis maria taleis unquam cognitos habuerint. Heic inveniuntur delphines, heic acipenſeres, heic thunni, heic marini porci. *Lapriſes* qui vocantur, nonniſi pro regibus habentur egregii. Sed & alii occurrunt, *regalium* nomine; ſalmones item. Sunt & haleces, & ſardines, qui ſuis temporibus littori ſeſe proſtituunt, & capturam ferunt, agminatim. *Rouget* hic, ſeu rubellio ſit, ſeu mullus, non alibi comparet, quam apud *Vennes*. Alius ſingularis piſcis habetur, *Marſeille imperador* dictus: huic Britanni nomen fecerunt *de Gracieux ſeigneur*. Denique ſunt qui *crabans*, vel *carabans*, dicuntur, qui iidem

inter

inter Britannos *brevaches*, formâ avem marinam *canjard* aſſimilantes: nigro colore. Non certo liquet, an hi caro ſint, vel piſcis. Horum generatio talis commemoratur; Magna navigia, quæ reſinâ, pice, gommibus, ceratâ pice, aliter, aliter, ferruminantur, hæc quando per annos in oceano continuant, gignunt exteriùs maſſam vel cruſtam, adhærentem medio navis, quæ tandem acquirit avis formam, tandemque vivit, & roſtro ſuo aquæ imminet, donec in mare labatur, quando confeſtim ſe ſubducit.

Sal. Circa *Prignoy*, & in *Prignoy*, habentur ſalinæ, quibus ſal craſſus conficitur, indeque per Britanniam & vicinas provincias eum diſtrahunt mercatores. Tales ſalinæ ſunt & in *Belle Iſle*, in *Finniac*, interque *Dol* & *ſainct Michel*.

Fodinæ. Fodinarum raritas nulla. Sunt enim inter *Chaſteau Briant* & *Martigne*, ferri plumbique. Argentique fodinæ non deſunt ſuis locis. In dominio *de Salles* eſt regio montoſa, habens ſcaturigines ſabuli auriferi, & aquæ præ ſe ferentis nonnihil odoris, antimonii. Eodem in colle inveniuntur fruſta ſulfuris, antimonii, petrarum rufarum, cum quantitate cupri, cui ſubinde ſtannum, cum alia terrâ, colore diſtinctâ cæruleo, adhæret. Omnes hæ petræ ſunt, tenaces & bituminoſæ, non abſque ſulfuris odore. Alius collis habet copiam talci, & ammianthæ, ſive aluminis plumati, quod inſtar ſpeculi à ſolo radiati ſplendet. Creditur, hoc eſſe petram asbeſton antiquorum. Iaſpides, qui fodiuntur, ſunt graves, & virore magis nigricante, quàm rubeſcente, perfuſi. In Britanniâ eſt abundantia pyritæ lapidis, qui marcaſites appellatur. Heic purum cryſtallum, & ſerenum. Heic alia rara. Vt in opulentis fodinis *de Vulgoët*, quæ ſunt à Ducibus Britanniæ excitatæ. Vt in ſeceſſibus montis *Menedalhoch*. Vt in amœnitatibus nemoris *de Breſſelian*: ubi luſtratur adhuc *le Perron-Merlin*, antiquum delectamentum vacantium equitum; ubi fons *de Balanton*; ubi alia, quæ curioſitate digna. Vt in antiquitatibus nemoris *de la Hunaudaye*. Vbi eſt nemus nigrum; lapicidinæ, *de Succinne en la Belle Iſle*; aquæductuum canales *de Dol*; priſcæ teſtudines vel arcus inter *Rieux* & *Redon*, torrens ſubterraneus in nemore *de S. Aubin du Cormier*; exquiſita fluminis *d'Ardre*; lacuſque *de Grand-lieu*, prope Condivincum ſeu Nantelium; lacus alius *Guippeel* in territorio *de Rennes*; ubi multi chelonitæ, ſive gemmæ bufonis, *crapaudines* dictæ; item lingua ſerpentis; qualia diverſis proprietatibus efficacia ſunt, ac remedium contra venena præſtant.

Mores. Vicinitas maris reddit hos Britannos non ſatis civiles vel comes. Quo longiùs remoti ſunt alii, hoc politiores ſunt, & meliùs morati. De reliquo, univerſi ſic ſatis ſunt ſociabiles, & non malæ converſationis; cauti tamen & ſubtiles re ipſa, bardâque indole. Quæſtum amant, & cauponam: hic omnes illorum curæ & mercaturæ expediuntur; emptio, venditio; controverſiarum actio, proceſſus, & terminatio. Pietate & devotione fervent, dediti religioni: non pronâ benevolentiâ in Normannos.

Lingua. Alibi nos indicavimus opinionem, quæ ſuſtinet, quòd lingua vetus *Gauloiſe*, id eſt, Gallica, fuerit antiqua Britannica; quæ in inferiore Britanniâ, & in terra *de Walles* in Angliâ, pro una è linguis capitalibus Europæ, conſervatur; quod ipſum indicavimus quoque. Hanc opinionem ſequuntur & antiquarii ipſi Britannorum. Hanc roborant illi quarundam vocum uſu, quæ manent communes ipſis *Bretons*, vel *Bretonnans*, & ipſis *Gaulois*. *Mor*, id eſt, *mare*. Hæc vox conſervatur in nominibus, *Morbihan*, *Larmor*, & *Morlaix*. (quæ ſunt loca maritima) item, in antiquiſſimo & primo nomine terræ *Armorica* dictæ, Britanni, & Angli *de Walles*, perinde eam conſervant. Leonenſes Britannum judicant ſuaviorem & eloquentiorem propter magiſtros linguæ. Wallones Angliæ, Leonenſes & Kimpercorentinenſes, intelligunt ſe invicem optime, eodem modo verba formantes. Quod fatentur Anglici ſcriptores: at, Cameracenſes, vel Wallones, intelligi ab Anglis, iidem negant.

Divitiæ. Opulentia Britanniæ conſiſtit in magno commercio, quod cum externis nationibus exercent incolæ. Vt incolæ *de S. Malo* cum Luſitanis, in frumento, tritico, in telis lini, telis lanæ cum lino, in telis *boldavid* dictis, è quibus vela nautica parantur: alia grandia mercimonia aſportantur in Flandriam. E territoriis *de Nantes*, *Blavet*, atque *Pigueley*, aliò afferuntur omnigenæ telæ candidæ, frumentum paradiſi, cardamomum dictum, pruna Damaſcenis æmula, caſtaneæ. Ex *Pigueley* petuntur coria *de Lamballe*, *parchemins de Lamballe* dicta, quæ præſtat pecorum immenſa copia: ſalis indidem permagna mercatura frequentatur. In territorio circumcirca *d'Ancenis*, cui latæ ſilvæ circumjacent, compinguntur navigia marina numero indictâ. Immenſa navis illa, *la Nompareille* vocata, ſub Rege Franciſco I, & alia, regis Henrici II, *le grand carraquon*, illic conſtructæ ſunt. Verùm ſunt deſertæ, quòd prægraves eſſent ad regendum. Oppidum *Nantes*, ob ditiſſima reconditoria, vel mercatorum apothecas, nulli totius regni cedit. Mercatores Hiſpani, aliique, in telis potiſſimùm heic, & quidem cum aliis Britanniæ urbibus, negotiantur. Eadem quæ regi eximios reditus præſtat, præter officiorum penſiones, aliaque extraordinaria emolumenta, Societas generalis mercatorum Franciæ, per longinqua itinera Orientis & Occidentis, ſedem cepit in *Morbihan*, autoritate generali Eminentiſſimi Cardinalis Ducis de Richelieu.

Vires. Vires Britanniæ non obiter è divitiis ejus, nec leviter, eſt exiſtimare. Arces, munimenta, terrâ marique clariſſima, re machinariâ & navali inſtructiſſima, ſub ſtrenuis, marique terrâque expertis præfectis, ſatis indicant, quantas inde ſuppetias Rex, ſi quid opus foret, habere queat. Municipium *de S. Malo* heic excellit. Illud *de Vannes*, cum ſua modica republica antiqua, fuerat alioqui potentiſſimum; cujus numeroſæ naves Angliam frequentabant, ac omneis, qui illo utebantur mari, vectigales faciebat. Polybius, & Strabo, affirmant, Venetias ortum ſuum ex hoc *Vannes* habere.

Diviſio. Britannia partim ſuperna eſt, & partim inferna. Superna, eſt pars orientalior. Quæ ſeparatur ab inferna, ducendo lineam à *Bourg du Chaſteau*, Andron, eamque continuando *Quintin* inter & *Courlay*, verſum extremitatem *du Golfe de Vannes*, uſque ad flumen *de Vilaine*, ita ut

BRITANNIA DVCATVS.

Duché de Bretaigne.

MARE BRITANNICVM.

PARTIE DE LA NORMANDIE.

Partie du Duche de le Maine.

BASSE BRETAIGNE

HAVLTE BRETAIGNE

POICTOV

OCEANI OCCIDENTALIS PARS.

Milliaria Gallica communia.

Apud Guiljelmum Blaeu.

ut *St. Iean* infernæ Britanniæ maneat inclusum.

Linguæ. Britanniæ lingua duplex est. Francica tribuitur supernæ, *Langage le bas Breton*, vel *Langage Breton bretonnant*, infernæ. Diœceses *Cornuaille*, *S. Pol*, & *Treguier*, utuntur lingua *Bretonne*. Incolæ *de Dol*, *Rennes*, & *de S. Malo*, quia lingua Francica utuntur, nomen habent *Bretons-Galots*. Sed incolæ *de Nantes*, *de Vannes*, & *de S. Brieu*, mixtam linguam habent, vel potiùs utramque, modo Francicam loquentes, modò *Bretonne*, scientes ambas, & intelligentes.

Civitas Rennes. Primaria civitas Ducatûs Britanniæ, *Haillan* dicti, est municipium & Episcopatus *de Rennes*, Latinis Redonum civitas, metropolis Britanniæ. Ptolemæo Condatæ vocatur. Nonnullis Rubra, quod credatur, antiquitus eam habuisse muros è lateribus, qui rubrum colorem ferunt, constructos. Cujus rei vestigia cernuntur adhuc in maceriebus veteris civitatis. Circuitus externus est ter mille quadringentorum quinquaginta graduum, gradus autem, duorum pedum & dimidii. Quantam habitationis amplitudinem nulla Britanniæ civitas habet. Populosissima est, & pervetus. Iulio Cæsari nota fuit, ac celebris. Huc ille misit Iunium Crassum cum præsidio. Hodie sedes est Parlamenti totius Provinciæ, cujus Præsides & Consiliarii partim Galli sunt, partim Britones. Hinc jura petuntur per provocationem à tribunalibus primariis quatuor, *Rennes*, *Nantes*, *Vannes*, *Quimpercorentim*. Erectum est hoc Parlamentum anno M D LI. Quod constanter in fidelitate & obedientiâ erga suos Principes perseveravit.

Situs. Civitas hæc ab omnibus rei militaris peritis habetur pro forti; commodissiméque sita est, ut recte defendere queat sese, habens fortissima mœnia & valla, magnas turreis, cum fossis magnis & profundis: ut adeo paucæ urbes in Gallia sint, quæ huic possint æquiparari. Situs urbis propè in planicie est, parumper declivis: quæ *Flumina.* alluitur à duobus fluminibus, (quæ & suprà commemorata,) *de l'Isle*, & *de la Vilaine*, sive *Viglaine*. *Vilaine.* Hoc *Vilaine* olim fuit majus. Sumit originem suam in territorio *du Mayne*, & secus muros *de Vitré* (quod exiguum oppidum) descendit ad *Rennes*; ubi divisa aqua, uno brachio transit inferiorem urbem, altero volvitur in fossas mœnium, ut redeat ad Redon portum, & illac sese in Oceanum exoneret. Veteribus Geographis Vidiana, Vigelania, Vicenonia, est hæc ipsa *Vilayne*.

Hoc flumen est navigabile. Et nomen ex omine habet. Nam est receptaculum immunditiarum, vicorum impurorum, & macellorum. Quæ remanent, à corvis continenter distrahuntur in pastionem suam. Absque quo foret, aër inde inficeretur. Quæ caussa est, quod lege prohibitum apud Redonenseis, necare corvos, ceu beneficos vicinos suos, ac sequestros sanitatis.

Chasteau Giron. Ad tertiam leucam *de Rennes* aperit sese *Chasteau Giron*, arx spectabilis & perfortis, eximium castellum. Familia nominis hujus eam longo tempore possedit, quæ progenuit fortissimos viros: donec in familiam abiit *de Malestroit*, posteaque *d'Acigné*, minorem natu *de Vitré*.

Ad alteram leucam *du Chasteau Giron* lustrare *Port Redon.* est portum *Redon*, portum marinum bonum, qui castello munitus forti, condecoratus Abbatia *de S. Sauveur*, in territorio & limitibus *de Rennes*.

Episcopi *de Rennes* ac *de Nantes* sunt in Parla- *Episcopi de Rennes.* mento Britanniæ genuini Consiliarii vel Senatores, & quidem per erectionem ipsius Parlamenti; habentque vocem deliberativam in civilibus processibus, & similibus controversiis in eo proponi solitis. Hoc ad exemplum Episcopi Parisiensis, & abbatis S. Dionysii in Gallia. Qui prærogativam habent eandem in Parlamento Parisiensi, quam singuli Pares Ecclesiastici. Ceteri Prælati, pro honore dignitatis, accessum solummodo, ac decentiam à dextra manu Præsidentis habere sunt soliti, in diebus audientiarum, & quidem sine permissione, sine licentia, judicium proferendi suum, nisi hactenus per intercapedinem viginti annorum heic fuerint Senatores.

In statibus Provinciæ pertinebant quidem pri- *Status provinciæ.* mæ sessiones ad Episcopos hujus Episcopatus Redonensis. At hoc non confiebat sine controversia in hujusmodi conventibus. Nam, certatim invicem invidentes, in varianteis decentias inciderunt. Decentia supra cunctos alios, & jurisdictio super totam Provinciam Britanniæ, spectabat ad Seneschallos hujus civitatis Redonensis, qui tenent locum primum judicaturæ inter Status æqualis tituli, nihil quam Comitatum *de Nantes* excipiendo. Ordo hic & distributio justitiæ comperitur hanc autoritatem habere à tempore usque Conanis Meriadez. Quæ postea confirmata & renovata fuit per Conanem Iuhaëlis filium, fratrem Martini Redonensis. Etiam comperitur subinde, qui tenuerunt dictam qualitatem Seneschalli Redonensis, vindicasse sibi qualitatem Iudicum universalium vel generalium provinciæ, usque ad parentum nostrorum tempora. Posthac cœperunt mutare politias, pristinaque instituta, quæ recepta fuerant & approbata per sæcula. Hinc confusio nobis, hinc ruina, turba, fastidium, justitiæque magistratuumque.

Dominatus hic, qui & Episcopatus, priscus *Comitatus & Episcopatus Redonensis, cum tribus Baronatibus suis.* Comitatus Redonensis, sedes Principum suprema, ex se habet tres Baronias, *Vitré*, *Foulgeres*, *Chasteau-Briand*.

Vitré, exiguum oppidum, sed egregium, & dives. *Vitré baronatus.* Cui mœnia dedit anno 1448 Anna *de Laval*, Baronissa loci. Hæc Baronia est assignatio perpetua Iuhaëlis, Comitis Redonensis, quam Iuhaël filio suo, Martino *de Rennes*, minori natu, dedit in patrimonium gentilicium, anno 992. Hinc descendit domus *de Vitré*.

Non procul ab hac Baronia *de Vitré*, secus li- *Fougeres baronatus.* mites, altera jacet, septem leucas à Redone, *Baronie de Fougeres* dicta. Quæ & ipsa est assignatio Comitis Redonensis, olim data in patrimonium natu minori filio *Meen*; unde ille sumsit sibi cognomentum gentilicium Baronis *de Fougeres*; quod ipsius posteritas per complura secula continuavit.

Tertia Baronia sub eodem Episcopatu, plus *Chasteau Briant, baronatus.* ultra in continente, civitas est & castellum *de Chasteau Briand*, Baronatus antiquus, possessus aliàs à Domo *de le Beuf* & *de Briand le Beuf*, dehinc appellatus *Chasteau Briand*, ut quidam: deinde

perve-

Pervênit in domum *de Dinan*, *d'Avougour*; & per confœderationem lapsus est in domum *de Laval*; non pridem in manum & possessionem Ducum *de Montmorençy*, dono à Domino Iohanne *de Laval*, Gubernatore Britanniæ, datus à Domino Annæ *de Montmorençy*, Comestabili Galliæ.

Quatuor bar. Alii sunt Baronatus quatuor, quos ad solemnem ingressum episcoporum in urbem *Nantes*, oportet apparere; & ordine quidem istoc; *Raiz*, *Pont-chasteau*, *Ancenis*, *Chasteau Briand*.

Guerrande oppidum, cum Portu de Sailli. Sub *Nantes* Episcopatu sita est civitas *de Guerde*, cum portu *Sailly*, ad mediam leucam distante: veteribus est aula Quiriaca, pars territorii olim Aulercorum. Civitas esset satis bella & amœna, nî palustribus esset circumdata; è quibus plebs vulgi fodit glebas terreas, quas pro lignis adhibent foco; quod in locis maritimis rarum est plerumque.

Portus Croisy. Non longe abhinc portus est *Croisy*, primum *Trosic*, ut nonnulli, vocatus.

S. Nazaire. Abinde offenditur *Saint Nazaire*, situs portus in litore occidentali ad ostium *de Loyre*. *Hevain. Pornich.* Vbi & portus *Hevain* est; deinde *Pornich*; ubi æstuarium est periculosissimum; *Æstuarium la Baye.* quod extendit se adusque Burgum *de Bourgneuf* & *Monstiers*, non procul ab insula *Boum*. *Bouin insula.* Hæc finem dat Britanniæ ex hoc latere, in margine communi posita.

Lacus Grand lieu. In loco, ubi videre est lacum *de Grand lieu*, extabat magna urbs *Herbauges*, quæ, propter indignitatem factam S. Martino *de Vertou*, qui fuit Diaconus S. Felicis, voragine devorata est, & hoc lacu contecta. Hic lacus exit in sex leucas per circuitum, & illabitur in flumen *Tenu*, parvum, sed profundum; *Flumen Tenu.* quod petit Ligerim. Ex adverso latere ejusdem fluminis, septem leucas supra *Nantes*, in eodem Episcopatu, est civitas *Ancenis*, *Civitas Ancenis.* antiquitus clausa. Territorium hoc facit separationem inter Britanniam & inter saxum *d'Ingrande*. Apud Ptolemæum locus vocatur habitatio Samnitarum. Hi erant antiquitus domini aliquot insularum ad oram Britanniæ, infra ostium Ligeris.

Nannetensis Vniversitas. Nannetes ab Vniversitate literata ornamentum habet; quam Pius II, magnus amator literarum, erexit. Largitus eadem est privilegia, quæ Bononia, Sena, Lutetiaque, habent. Quandoque inventa sunt ibi nonnulla monumenta, & vetustæ inscriptiones lapideæ. Quæ fidem faciunt & antiquitati & literaturæ. Ex illis istæc est quæ sequitur:

NVMINIB. AVGVSTOR.
DEO VOLIANO.
M. GEMEL. SECVNDVS ET C. SEDAT. FLORVS ACTOR VICANOR. PORTENS. TRIBVNAL C. M. LOCIS EX STIPE CONLATA POSVERVNT.

Clisson, civitas. Ad quinque leucas à *Nantes* situm est municipium *de Clisson*. Quod titulum dat dominis Domûs *de Clisson*. Inter quos Dominus *Olivier de Clisson*, Comes stabuli Galliæ. Qui magnifice illud auxit, clausum & circumdatum bonis mœnibus, cum exiguo castello, inprimis forti tamen, & defensioni apto. Ingressus illi tantum à latere oppidi, eo quod excelsæ rupi incumbat; ad cujus radicem labitur *Sevre Nantoise*, hoc est, Separa flumen, in Ligerim illapsurum. Hæc diœcesis continet CCLV parochias, IX abbatias.

Vannes, urbs. Venetia, *la Vannes*, nomen habet nonnullis à *Guennet*, quod Britannice sonat id quod Gallis *Bledblanc*, hoc est, *Blanchlé*, candidum frumentum. Cujus territorium hoc fertilissimum est. Alii existimant, à *Venna* venire, quod nominis in veteri Gallica lingua sonat idem quod in hodierna *la Pesche*, *Piscatio*, quoniam pisces marini singulares heic capiuntur, inter quos rubellio, aurata, mugil. *Venna Caroli*, Helgardo, vetusto autori, est, *Piscatio Caroli*.

Territorium de Vannes. Hoc territorium olim nomen habebat *Broberec*. *Erec* fuit minor natu Domus & Comitatus hujus territorii, qui vindicavit sibi *le Vannetois*, & Vicecomitatum *de Porhoët*.

Portus. Portus vicini hujus oppidi inter alios sunt *le Croisic*, & *Marbiliam*. Hæc nova civitas est, erecta negotiationi Franciæ in insulis orientalibus, magnis privilegiis. Negotiatio heic floret, in præclaro portu. *Insula Ruys, cum Castello.* Ad duas leucas est insula de Ruys, cum castello *de Sussinio*. Terra tam amœna, & habitantibus commoda, tam fertilis, jucundaque, quam ullus Britanniæ locus. E regione est sinus maris, cum triginta parvis insulis, in quibus nulla unquam bestia venenata. Supra hunc sinum est civitas *d'Auray*, veterum Arubiorum. *Civitas Arubiorum.*

Amplitudo Diœcesços de Vannes. Diœcesis *de Vannes* complectitur sub se Parochias centum & viginti, quatuor abbatias.

Insula Belle-Isle. E regione insulæ *Ruys* jacet insula *de Belle-Isle*, vetustum patrimonium comitum *de Cornouaille*. *Belle-Isle*, hoc est, *Calonesus*. Hæc insula ad sex leucas à ripa maris est remota; distans ab *Honnebond* & à *Cornouaille* circiter decem leucas; à continente quatuor. Circuitus est leucarum septem; longitudo trium; latitudo duarum. Includit quatuor Parochias, centum quadraginta vicos. Episcopos non accipiunt, sed obediunt uni, qui universæ eeclesiæ clavum regit, quem pro pastore suo ferunt. Qui pastor unum officialem habet. Cuniculorum abundantia venationem præbet libentibus non injucundam, & amœnam. Superius, versus agrum Pictonicum, est insula *l'Isle Dieu*, minor, minusque populosa. *l'Isle Dieu.* Hinc ultra, versus Septentrionem, insula *de Groaye*. *De Groaye.* Inter hanc & continentem extat scopulus pravissimus & periculosissimus: tametsi è contrario aliquammulti boni portus occurrunt, in quibus commercia permultum frequentantur è Gallia, Anglia, Hispania, Flandriaque.

Quimper-Corentin. *Quimper*, & *Kemper*, sunt nomen civitatis, cujus primus fundator fuit *Corentin*, vir sanctæ vitæ, sub rege Britanniæ *Gralon*. Ipsum Territorium & Episcopatus habent nomen *de Cornouaille*. Prisci habitatores apud Cæsarem, Pliniumque, erant Curiositæ, Cariosuelites, Curosopitenses. Apud alios veteres legitur nomen regionis Cornubia, & Cornugallia: Cornugalliæ quidem non tantum de hac, sed & de illa quæ in Anglia invenitur. Civitas ipsa *Corisopitum* illis, & *Curiosolitanorum civitas*, sub Archiepiscopatu *de Tours*. Sita est supra sinum maris. Sub ipsam præterfluit amnis *d'Oder*, qui suas aquas dulceis amarore Oceani corrumpit. *Penmarch.* Ad ostium hujus sinus cernitur oppidum & promontorium *de Penmarch*, aliquam multis

multis parvis insulis scopulisque circumdata. Sabulum heic paret subrufum.

Diœcesis de Cornouaille. Sex, & plureis, si forte, abbatias, cum ducentis eximiis parochiis, diœcesis *de Cornouaille* sub se complectitur.

Promontorium du Four. In hoc Episcopatu *Cornouaille*, ad confinia regionis, detegitur promontorium Gobæum Ptolemæi, hodie Manethum, vel *Menetuemet*, aliàs Finis terræ, vel *du Four*. Vbi est Burgum & abbatia *de S. Mahé*, ex una parte in *Cornouaille*, ex altera in *Leon*. Quidam vocant *S. Matthieu de fine Poterne*. Circiter hanc abbatiam initium sumit *le Raz de S. Mahé*. Qui est sævus vortex maris, scopulis terrificis ceu parvis insulis, ex utroque latere eminentibus, septus. *S. Mahé.* *Et le Raz de S. Mahé.*

Concarneau oppidulum. Abeuntes è *Kempercorentin*, sive *Quinpercorrentin*, ob oculos habent oppidulum *Concarneau*, bono instructum propugnaculo, in maris ora situm: & respicientes versus meridiem, habent insulas *des Moutons*, & *de Gleran*; oppidum *Quemperlay* situm supra flumina *d'Elle* & *de l'Isole*. Hinc flumen *Elle* præcipitat se in sinum, *dans le golfe*, εἰς κόλπον, *Blavet*, infra fontem *Scort*, è fluxu & refluxu Maris ordinario increscens. *Pouscort*, vel *Poussort*, oppidulum est, in quodam sinu extructum. *Hennebon* bona civitas est, sita in triangulo terræ, circumdata mari, instar peninsulæ. Ad duas leucas ab angulo ejus est portus *Blavet*, vel *Blavoët*, è regione insulæ *de Groaye*. Inter hanc & continentem scopuli sunt periculosi. Hic portus *Blavet*, nomen habet à flumine *Blavet*, quo alluitur. Origo fluminis est prope locum *de Grace*, in diœcesi *de S. Brieu*. Petit locum *Pontivi*, & civitatem *Hennebon*, ubi ponte illud obtectum. Tandem ad portum *Blavet* sese in mare exonerat. Vbi facillime ad septem orgyias usque mare patet; ita tamen, ut scopulum periculosum *Iument* prima fronte habeat in oculis, alios item, qui secus ostium cernuntur. Hodie vocatur hic portus *port Louys*, unus è fortissimis totius oræ Britannicæ. In continente cernuntur oppida *Pondogon*, & *Landerneau*, sita in optimo fertilissimoque solo Britanniæ. Ab hoc Angulo trianguli *de Hennebon* in hoc littore reflectentes ad septentrionem, *Leon* habent, primum Episcopatum. Qui distat à littore pedum sex millia. Vbi Ptolemæus ponit portum *Soli ocan*, qui est portus *Leon*. Heic habitabant populi Osissimii à Cæsare nuncupati, à Ptolemæo Osissimi, Solino *Sismii*, Strabone, Timii. Ab Antonino ipsa urbs vocatur Osissimum; à Britonibus autem *Osissimor*; priscis Legio, hoc est, *Leon*, Leonium, Leona; Gallis sæpe *Leondol*, & *S. Paul de Leon*. *Leon* erat Vicecomitatus; nunc Principatus. Sub hoc Episcopatu continetur *le royal port de Brest*. *Brest*, tam ratione situs, quam structuræ, fortisque urbs est, & forte ac superbum castellum. Habet meliorem portum, ac tutiorem, quam ulla alia Britanniæ castella. Situs ejus in magno sinu, in quem mare quatuor accessus habet. Versus septentrionem habet accessum per *havre de Brest*, portum *de Brest*. Versus medium inter septentrionem & occidentem habet accessum *Landerneau*. Versus occidentem habet accessum *du Four*. Versus meridiem habet accessum *de S. Segal*, & respicit meridiem versus *Chasteau Lin*. Hic accessus factus est in triangulum. Ad accessum septentrionis cernere est *S. Mahé*. de quo dictum supra. Versus meridiem est quoque *Crandzon*: ubi circiter sunt tres aliæ insulæ, & numerosi scopuli. Hoc latere urbs erat *Vorganum*, juxta Ptolemæum, cum portu *Solio-can*, qui est *Leon*. Notitia Imperii collocat ibi turmas præsidiarias, quas vocat Mauros Osismiacos. (Lemovices, quos Cæsar inter Armoricas commemorat, non sunt Lenovices, ut quidam putat, id est, Leonenses. Nam *Leon* tempore Cæsaris nondum erat nota, licet idem dicat quod *Legion*: quales plures erant; *Legion*, regnum in Hispania, aliud *Legion* in *l'Isle*.) *Leon* ergo sedes erat *des Osismes*. Hæc Diœcesis continet octoginta parochias, & abbatias treis.

Gleran & Moutons isles. *Quemperlay civitas.* *Elle & Isole flumina.* *Poussort oppidulum.* *Hennebond, civitas.* *Blavet portus.* *Groaye insula.* *Iument scopulus.* *Leon Episcopatus, & portus.* *Brest, regalis portus, urbs & castellum.* *Crandzon.* *Vorganum, cum portu Soli ocan.* *Lemovices.*

Non procul à *Leon* occurrit *le bourg de Rodeau*, in promontorio. Vbi circiter est insula *du Bas*. Vnde venitur ad promontorium *le Four*; Veteribus *Gobæum*, sicut jam dictum. Aditum habet difficillimum; inprimis illis, qui legunt oras *de Probanec*, *Burac*, & *Porsan*, propter scopulos terræ vicinos. E regione *de cap du Four* est insula *d'Oueſſant*. Paucos inquilinos habet hæc, propter errones piratas, Anglos, Hispanos, præsertim temporibus bellorum. Alioquin amœnissima est, & sufficiente magnitudine ad habitandum. *Axantos* hanc Plinius appellat, nomine non abludente; ut & alii *Vxantis*. *Le bourg de Rodeau.* *Insula du Bas.* *Cap le Four.* *Insula d'Oueſſant.*

Qui transit *Crandzon*, offendet *le bec de la Chevre*; quod sonat, rostrum Capræ. Qua venitur ad supra dictum *Raz de S. Mahé*. Inter hæc duo portus est & civitas *Pouldouy*: & ad alium portum vicus *d'Audierne*, & vicus *de pont de Croix*. *Bec de la Chevre.* *Raz de S. Mahé.* *Pouldouy.* *Audierne.* *Pont de Croix.*

Lingua. Totus hic Episcopatus loquitur Britonicam tersam, & elegantem inter magistros hujus.

S. Malo, Episcopatus. *S. Malo*, id est, Fanum S. Maclovii, olim Aletha, & episcopatus est, fortisque civitas. Munitur eximio castello, quod Anna regina erexit. Sita est in scopulo ad maris oram. Hanc mare bis de die, tanquam insulam, circumdat: eadem deinde ripam quam proxime, nunquam tamen penitus, attingit. Emporium est hæc civitas, habens egregium portum; tametsi aditus est periculosissimus illi quem hoc fugit. Ergo munimentum habet hic portus, è quo terra, vel è terra ille, aditur, dum non est refluxus, per aggerem angustum & arte factum; qui agger *le Seillon*, nominatur. Incolæ negotiantur cum Hispanis, Lusitanis, Novis Terris, Tripoli Syriæ, & quaquaversum per omnia lata æquora. Militaris indolis sunt, & formidabilis in mari, hac ora certe. Magnus numerus heic navium onerariarum, Mercatorumque ex omni natione. Exigua civitas, at bene clausa. Ad magnam leucæ quartam partem extra oppidum fontes aquæ vivos habent, quos per canales vel tubos in oppidum deducunt. Sed & cisternas habent. Res machinaria fere est innumerabilis. Excubiæ, & lustratio excubiarum, perpetuò noctu grandibus Angliæ canibus, qui *dogues* nomen habent, non aliter atque militibus, exantlantur, ita ut gregarium habeant militem conductorem, ceu capitaneum, qui hos secus mœnia circumducit. Mane diluculi reducuntur in locum oppidi, ubi sopiunt rabiem suam seu ferociam, quæ per noctem supra modum est immanis. Totus hic Episcopatus loquitur Gallice.

lice. Diœcesis parochias habet CLXVI, & quatuor abbatias. Inter quas & abbatia *de Meen.* Quæ habet immensam quotidie congeriem sacrorum viatorum, ex omnibus quaquaversum regionibus, ac nationibus remotioribus, ad sanandam psoram, vel lepram corporis huc peregrinantium. Non remotius tamen abest hinc locus *Avornis*, satis notus, cujus speciatim meminisse, cum nihil nisi commune præferat, nostri non est instituti.

Sesembre, insula.

Duabus à *S. Malo* leucis distat insula *Sesembre*, (ubi Franciscanorum conventus,) quæ olim fuit terra firma cum continente.

Cancalle burgum & portus.

Quatuor à *S. Malo* leucis jacet pagus magnus, *gros bourg*, dictus *Cancelle*, qui mari pene totus est circumfusus, manente angustia continentis. Heic commoda ripa est cum portu, tam ab ortu quam ab occasu intrantibus. Objacet illi tamen transversaria multitudo saxorum. Amplus est & commodus receptus anchoram figentibus ad aquarum usque quatuor vel quinque orgyias: naves apricum requirentes commodiorem habere non possunt: ut adeo tantopere expetatur ab unoquoque, ut nullus alius portus. Omnis commoditas heic datur, quæcunque ad egregii oppidi extructionem desiderari potest.

Montfort oppidum.

Huic eidem Episcopatui subjacet oppidum *de Montfort*, quatuor leucis dissitum ab *Rennes*, declinans in tesqua loca Britanniæ. Domus dominorum *de Montfort* extincta est in familia *de Laval.* Quos subsecuti sunt Comites *de Montfort*, volente sic rege Ludovico XII. Tam antiqua est hæc domus, ut ad tempora Sigeberti adscendat.

Dinan urbs.

In hac diœcesi est & urbs *Dinan*, amœna, magna, dives, cum egregiis mœnibus & turribus, monasteriisque: quam præterfluit *le Rance*, Rinctius, ut eat in mare versus turrem *Solidor*, & objiciatur sinui marino, seu canali, qui Rinctium frequenter retroagit, vehentem naveis usque ad dictam urbem *Dinan.*

Vnelli.

Est qui putet, *Dinan* esse Veterum *Vnellos*, quasi *Vnelli* dicatur pro *Dinelli.* Verum Vnellorum neque locus nec ætas demonstrari potest. *Dinan* habuit primùm dominos singulareis: postea venit in manus dominorum *d'Avaugour*: deinde ducis Ioannnis I; cujus filii natu minores titulum dominorum *de Dinan* ad usque postremos Duces retinuere.

Ploërmel, oppidulum.

Sæpe dicto Episcopatui subjacet quoque *Ploërmel*, oppidum & territorium: oppidum exile quidem, & suo tempore Ducibus carum, sed habens amplum districtum jurisdictionis, clarisque dominis & nobilibus familiis turgens.

Iosselin.

Ibi circiter est & civitas & castellum *de Iosselin*, olim dominium *de Domini Olivier Clisson*, postea Vicecomitis *de Rohan.*

Malestroit.

Ibidem pulcrum oppidulum *de Malestroit.* Domini ejus hoc nomine claruerunt non ita pridem in Italiam usque.

Rohan, & Sales.

Inter alia est & castellum & pagus *de Rohan*, domus vetustissima, supra flumen *Doude.* Est & domus *de Sales.*

Treguier.

Trecorensis plaga Lexobiorum apud Cæsarem, creditur esse oppidum *Treguier*, *Triguier*, *Triquet*, *Landriguier*, vel *Landriquet*, fundamento veterum quorundam titulorum; quibus Episcopus hujus civitatis vocatur Lexobiensis; quòd item Normanni utuntur nomine Lexobiensium, quando nobis innuunt populos *de Lisieux.*

Cocquehoudet.

Quod plus est, hanc civitatem ajunt sitam fuisse ubi hodie *Cocquehoudet*, hoc est, vetus civitas, supra flumen *de Loquez*, cui vicinus est ille locus, cujus rudera monstrant.

Loquez fl. Trecor vallis.

Lantreguer, oppidum. Trieux flumen.

Duodecim millia passuum à Lexobio, in valle *Trecor*, oppidum est, quod ab hac nomen habet *de Lantreguer*, ipsaque diœcesis *Treguier*, prope exiguum fluentum, *de Trieux*; non est clausum, portus vero bonus, licet in aditu tres insulæ parvæ, cum scopulis diversis, abjaceant, quæ appulsum pilotis inexpertis periculosum reddunt.

Brehac, insula.

Ad latus septentrionale aperitur insula *de Brehac.* Vbi circiter notantur quoque scopuli periculosissimi *de Horave.*

Scopuli de Horave urbs Morlais.

Plus ultra cernitur urbs *de Morlais*, supra sinum maris; quam dispertit exiguum fluentum, & unam partem diœcesi *de Treguier*, alteramque *de Leon*, relinquit. Via, qua itur ad *Morlaix*, obnoxia est potestati castelli *Taureau*, quod proxime ante nostrum tempus extructum fuit.

Lez, l'Elorne, l'Aufen, incelebria flumina.

Flumen *Lez* meat ad *Pontrieux*, & se condit in Oceanum supra *Treguier*, infra famam manens. Sicut & *l'Elorne*, & *l'Aufen*, flumina sunt incelebria, cognoscenda tantùm propter magnam & spatiosam paludem de Brest, *baye de Brest*, in quam absorbentur; *l'Elorne* apud portum *de Landerneau*; *l'Aufen* ad latus portus *du Four. l'Aufen* longiorem cursum habet; veniens à *Buzlat*, & à *Rostrenan*, pergit ad *chasteau Neuf*; roborat portum *de chasteau Lin*, ubi mare suum refluxum habet; tandem in bayam dictam, infra *Lanevenel*, abdit sese. Tota hæc ripa perquam periculosa est propter scopulos: interque *Lan-treguier*, & *Leon* cernuntur septem insulæ, vicinæ oppido *Lanion*, quod & ipsum ad maris oram situm.

Lanion, oppidum.

Diœcesis *de Treguier* continet septuaginta parochias, & abbatias duas.

S. Brieu, Episcopatus.

Hanc ripam persequentibus ingressus datur in diœcesin Episcopatus *de S. Brieu*, vel *Brieuc*, dictam Latinis Biducium, *le Biduce*, hodie *S. Brioci*, nomine Apostoli & primi Episcopi sui *S. Brieu.*

Trieu, Argenon, amnes.

Minuti amnes, *de Trieu*, & *d'Arguenon*, sint Nitius, & Argenna Ptolemæi. Vbi est Biducium veterum, circa *de S. Brieu.*

Leguer, portus. Sesson, turris.

Prope hanc civitatem est portus *du Leguer*, ubi est turris *de Sesson*, erecta ad securitatem ripæ, quæ maximopere infestatur magno numero scopulorum, qui sunt quasi totidem insulæ, nominata ab accolis, *Commets*, *Grenome*, *Micques*, & *Roche-dure.*

Lamballe, regio.

Territorium *de Lamballe* homines fert, qui, rem facturi, in exteras regiones excurrunt, & fossores fiunt castrenses. Hæc est celebritas *de Lamballe.* Sed & optima coria parant incolæ, *parchemins de Lamballe* dicta; quæ deinde in *Pigueley* venduntur, & in externas regiones late distribuuntur. Hoc ad divitias territorii pertinet. Incolæ creduntur esse Ambiliates veterum. Nam habitatores *du bourg d'Amblie*, prope *Bayeux*, diversi sunt ab illis.

Moncontour, civitas.

Cernitur quoque civitas *de Moncontour*, ducum vetus dominium, deinde Comitum de Ponthievre.

Quintin civitas.

In hac eadem sæpius dicta diœcesi, est & oppidum *Quintin*, vetus hæredium dominorum *d'Avaugour*: possessa deinde à dominis *du Perier*, donec veniret in domum *de Laval.*

Castellaz Iugon, & Laudran.

In eadem est parvum castellum *Iugon* dictum, à militibus vastatum, eminenti loco positum, olim camera Ducis. Item castellum *Laudran*, sub domo *d'Avaugour*, & *Borlay.* Sed *Guingamp* oppidulum est, apud veteres dictum *Mengamp.* Vbi multi ex hac domo domini sepulti jacent.

Vrbem

Dol, urbs, & Episcopatus. Vrbem *Dol* autumant nonnulli pertinuisse ad Episcopatum *de S. Malo*, quæ inter initia solummodo castellum fuit. Hactenus urbs est, & Episcopatus, sedes veterum dominorum qui vocati *Diablintres*, quorum primi nomen *de Diables* habebant, & adhuc nomen *de Diableres* ipsa territoria retinent. Dolum antiquitus erat Diablintrum in Armorica. Subjacet Parlamento *de Rennes*, & Archiepiscopatui *de Tours*. In palustribus est sita. Vnde aër infectus sanitati permultum nocet. Latitudo diœceseos hodie comprehendit LXXX parochias, vel circiter, abbatias treis.

Insulæ. Insulæ, quæ hactenus sunt annotatæ heic, & numerus earum, nullam proportionem habent ad numerum nondum annotatarum, tam principalium quam reliquarum.




COMI-

COMITATVS CENOMANENSIS;

vulgò

PAYS DV MAINE.

Nomen.



Omitatus *du Maine* acquisivit nomen à priscis populis Cenomanorum, qui habitabant ibi, in Galliâ Lugdunensi. Metropolis *du Mans*, & ipsum territorium Comitatus, adeo adæquant generale nomen Cenomanorum, ut non opus sit in antiquos Aulercos & Orobios inquirere, (quum nihil certi haberi queat,) quinam sint, & ubi hi duo populi habitarint; fuerint ne diversi à Cenomanis, vel unius corporis Cenomanorum membra.

Confinia. Vindocinus ager illi ab oriente adjacet: à meridie vicinos habet Turones & Andegavenses: Britannia illi ad occasum est: Vnelli denique, & Alençonium, à septentrione territorium hocce claudunt.

Amplitudo. Longitudo territorii est leucarum triginta duarum, à *Gerron* ad castellum *du Loir*: &, à *Memers* in territorio *du Sonnois* usque ad *Laval*; latitudo ejus est duarum & viginti leucarum. *Divisio.* Facta est pridem regionis in superiorem & inferiorem distinctio. Pro inferiore capere est illam, quæ à civitate *du Mans* versus Balon, in occidentem, ad tres quatuorve leucas extenditur. Solum terræ non est eximiæ bonitatis, neque vini ferax. Penitus aliter se habet superior: ut dicetur post in Castello *du Loir*. Lingua incolarum lenta & crassa.

Flumina. Regio Cenomanensis multis alluitur perluiturque fluminibus rivisque. Inter principaleis celebratur *la Mayne* vel *Mayenne*, Latine Meduana. *Mayne, vel Mayenne.* Qui fluvius, sicut ipsa regio, seu *pais du Mayne*, à Cenomannis nomen accepit. Oritur in montibus *d'Alençon*; transit per urbem *Mayenne*, quæ jacet supra fluvium *de Mayne*; denique se abjicit in Ligerim, postquam discerniculum fecit inter Comitatum *du Mans* & inter Normanniæ regionem. Navigabilis fit prope civitatem *Laval*. Complura flumina minora ingredientia in sese fluvius *de Mayne* recipit, Primum est *Domfront*, *Domfront.* quod in dextrâ ripâ ingreditur, proveniens è saltibus *Dandayne*, supra limites *du Mans* & *de la Normandie*. *La Grene.* Alterum est *la Grene*, quod oritur supra *S. Aubin-fosse-Louvain*, supra margines trium provinciarum, *du Mans*, *de la Normandie*, & *de la Bretagne*. Parumper infra urbem *de Mayenne* jungit sese *la Grene* ipsi Meduanæ.

l'Oeste & Lovenne. Duo flumina, *l'Oeste* & *Lovenne*, coëunt ad *Maisoncelles*, & se præcipitant in Meduanam supra locum *de S. Sulpice*. *Oeste* descendit à loco *de Gallia*, *Brées*, *Lovenne*, *de Schaillon*. Ripâ sinistrâ *de Mayne*, infra locum *de S. Sulpice*, adest flumen *le Ioune*, *Le Ioune.* Meduanæ illapsurum; & adhuc inferiùs, infra castellum *Gontier*, adest *le Beron*; *Le Beron.* cujus cursus tantum tres vel quatuor leucas habet, veniens à *Gres*, & petens flumen *Boyere*. *l'Oudon. Boyere.* Flumen *l'Oudon* in conspectum venit ex adversâ ripâ *de Mayne*, auctum & ipsum diversis amnibus; qui sunt, *la Rincerie*, & *Charrans*. *Rincerie.* *Rincerie* habet duplicem originem, unam in saltu *de Guerche*; alteram infra eundem saltum. *Charrans.* *Charrans* oritur supra confinia Britanniæ, & se perdit in *l'Oudon*, è regione loci *de Castellais*. *Vrezée.* Aliud quod *Vrezée*, profluit è stagnis quibusdam, qua pergit ad *Povance*, ad *la Previere*, & ad S. Michaelis *du Bois*; & se jungit ipsi *l'Argos*, & ipsi *l'Ormée*, & ipsi *Segre* suprà ante pontem *de Segre*. *l'Argos. l'Ormée. Segre.* *L'Ormée* promanat è saltu de *Longuenée*; peragitque suum cursum à meridie versus septentrionem, contrà quàm alii fluvii solent. *L'Oudon* ortum habet in stagno *de Meral*; & sese provehit subter pontibus, *de Craon*, *de Segre*, *de Lion*, *d'Angers*, *de Grez*, & *de Neufville*. *Grez*, & *Neufville*, loci sunt riparum sibi adversarum, ponteque junctarum.

Loire. Post Meduanam celebratur fluvius *le Loire*, Ligeris Latine. Nascitur in parochiâ *des Cornées* Vnellorum. *Loir*, fons est, & stagna abbatiæ *du Loir*: unde nomen ipsi Ligeri, seu fluvio *de Loire*. Tranat stagna *de Cernay* prope *Villebon*, & petit *Illiers*; (ubi assumit rivum *de Montigny*, qui profluit è stagnis *de Tiron*;) defluit ad *Bonneval*, ubi recipit alium rivum, *Musurve*; inde pergit ad *Chasteau-Dun* in Comitatu *de Dunois*; ubi compos fit *de l'Yere*; pergens ad *Cloye*, *Vendosme*, *Lavardin*, *Montoire*, *la Chartre*, *Chasteau du Loir*, *le Lude*, *la Fleche*, *Durtal*, & insulam *S. Aubin* prope *d'Angers*; ubi se jungit cum Sartâ & Meduanâ: apud *Bouche* Meduana nanciscitur Ligerim: qui duo, juncti, meridionalem in Oceanum Britanniæ prolabuntur, postquam agrum Andegavensem alluerunt.

Sarte. Sarta flumen primas aquas acquirit prope *de Molins*, in limite Normandiæ, tres leucas ultra *Mortagne* in Vnellis, sive *en Perche*. Prima origo est fons *Somme Sarte* dictus, inter *Soligny* & *S. Estienne*; qui, transiens per *Longpont* & *la Maile*, separat Normanniam ab Vnellis, recipiens rivos de *Pontpercé* & *d'Evines*. A *Mesle* tendit ad *Bervile*. Paullùm inferiùs recipit rivum *d'Autreche*; & pergit, dum cadat in fossas *d'Alençon*. Inde fert argenteas aquas suas in regionem *de Sonnois*, & sensim provehit subter pontes *Iaillé*, *Pont-neuf*, *Pont de Vivain*, *Beaumont*, *S. Marceau*. Supra limites Ducatus *de Beaumont* recipit *l'Orne*.


LE PAYS & DIOCESE DE MANS.
Vulgairement LE MAINE ubi olim CENOMANNI.
NORMANDIÆ PARS.
LA PERCHE COMTE.
LE CHARTRAIN
D'ANJOU.
TOVRAINE.
Milliaria Gallica.
Occidens.
Oriens.

L'Orne. *L'Orne* capit suam originem supra territorium *de Soisay*; alluit *Sure, Origny, le Roux, Peray, Balon*. Fluentum *Dive* sibi jungit *l'Orne* ad *Peray*; atque transmeat per *Memers*. Hi duo petunt Sartam; cum illâ perfusuri mœnia *du Mans*, ejusque fossas repleturi. Eodem venit *Huygne*, se juncturus urbem supra. *Huygne.* Qui *Huygne* sortitur originem prope *Mortagne*, ad limitanea *du Perche*; ubi se auget duobus tribusve rivis, inter domum *Maugis*, & *Boisse-Maugis*; pergens ad *Condé sur Huygne*: ubi pontem habet; descendens inde ad *Nogent le Rotrou*, ubi capitulum *du Perche-Gouet*.

Ronne. Vbi exiguum fluentum *Ronne* sese agit in *l'Huygne*, ut sic perveniant ad *la Ferté-Bernard*, quæ species est insulæ sic formatæ ab hoc fluento; quod idem recipit rivos *de Belesme* & *de la Herse*; *la Herse* id est, aquas *de la Fontaine*, aquas salubreis & medicinaleis, fluenteis inter *Belesme* & *Mortagne*, quæ aquis *de Pougres* & *de Forges* à Medicis æquiparantur. *Belesme. Herse.* Hic rivus *de la Herse* nominatur *Mesme*; *Mesme.* qui vadit in *la Calabriere*; veniens à *Bonnay*, à *Villiers*, & è pratensibus *de Courbes*; socians se cum alio exiguo, sed periculoso, rivo *la Nerive*; *Nerive.* qui proficiscitur *de la Chapelle*, & meat per *S. Germain de la Coudre*, in *l'Huygne* cadens, inter abbatiam *de la Palisse* & *la Ferté Bernard*. Exiguum quid heic addatur, ob homonymiam vocabuli *Mesme* & *mesme*; quod heic nomen est fluenti, aquas fundentis saluberrimas; aliàs pronomen *Mesme*, *ille ipse, id ipsum*, &c. Quo fit ut in urbe *Mayenne* hoc utantur lusu in cives *de la Fontaine*, servosque illorum; nempe quod cives bibant præstans vinum, servi item de *Mesme*. Quasi diceretur, quod servi *de eodem* (*de mesme*) bibant de præstanti vino; quum tamen sensus sit, quòd è contrario servi bibant aquam de fluento *Mesme*. De *la Ferté Bernard* effundit sese Huygne flumen usque subter pontes *de Pontagene*, *de Champagne*, *Ivray*, & subter *le Pont-long*, ut tandem se jungat Sartæ flumini, ad latus *du Mans*, postquam in se recepit rivum *de Cameoches*, & rivum *la Iambee*, in loco qui nominatur *le Moulin Chevreuil*. *Cameoches. Iambée.* Vbi Sarta ipsi *Huygne* depeculatus est & aquas & nomen, procedit ad *Alone*, ad *Suze*, *Noyen*, *Malicorne*, ad *Peschenil* oppidoquam egregiam domum *de Mayne*, cui sociatus grandisburgus, vel castellum. Hæc domus ad dextram habet *la Sargie*, vel *Sergie*, atque *l'Eure*; habet *la Vegre*; *Sargie. Eure. Vegre.* qui fluvius pererrat regionem *de Charnie*, fluens per *S. Susanne*, seque ipsi *Sablé* insinuans, usque in ipsum Sartam; habet & *la Vergette*, infra ipsum *Sablé*. *Sablé. Vergette.* Ad sinistram insuper, infra *Sablé*, admittit *l'Enferne*; *Enferne.* qui descendit usque infra pontem de *Chasteau-neuf*, uniens se Ligeri, ut intrent in Meduanam, infra insulam *de S. Aubin*, proxime apud *Angers*. Ibi circiter & rivi *de Braye*, *d'Ante*, aliique, suum ortum habent, suas aquas in Sartam & *l'Huygne* inferentes. Fluvius *l'Huygne* à Theodulfo episcopo Aurelianensi vocatur *Idonea*.

Le Mans, metropolis du Mayne. Metropolis regionis *du Mayne* est *le Mans*, una è quatuor urbibus quæ dicuntur rubræ, quòd earum mœnia sunt è lateribus rubris exacte cæmentatis. Latine Cenomanum: aliquibus Vindinium, Vindicum ad Sartam; quòd ad Sartæ fluvium est extructa, orâ amœnissimâ, ut si quæ ulla Galliæ extat. Maxima civitas est, populis abunde differta; sede decorata episcopali, justitiæque Principatu; rei aquaticæ sylvaticæque præfecturis, tribunatu equestri, comitio, denique salarii vectigalis curiâ. Districtus habet tres abbates, & unam abbatissam; complureis conventus religiosorum; monasteria alia, & abbatias, octodecim; cum nonaginta & unâ cathedralibus præfecturis. Omnia loca hæc subsunt unius episcopi jurisdictioni.

Castellum du Loir. Castrum *du Loir*, sedes est regia, & ordinem habet eorundem jurium quæ celebrantur in *Mans*. Castrum devastatum est; civitas tamen est dives satis, & populosa. In propinquo est sacrarum virginum abbatia *de Bonlieu*; verùm conventus Benedictinarum est urbem intra. Ipsa regio *Vau du Loir*, longa est ad octo si forte decemve leucas; ad tres verò quatuorve lata; regio feracissima tritici, sed vini albi rubellique inprimis; quæ vina in Angliam Flandriamque avehuntur.

Laval. Inter ceteras urbeis vel oppida est *Laval* supra Meduanam, regia sedes, & eximia. Camera computorum, vel ærarii, pro terris Comitatûs & dominii senatoris regii, heic celebratur; quæ pertinet ad dominum *de la Trimouille*. *Sablé* est Marchionatus. *S. Calés*, sedes regia. *Sablé. S. Cales.* Sunt & aliæ civitates, ut *Mont-doubleau*, *Bonnestable*, civitas, & castrum. *La Ferté-Bernard* (quâ præterlabitur amnis *d'Huygne*; quæque solum unam parochiam habet; tametsi septendecim octodecimve parochiæ ab istac dependeant) est baronia & sedes regii Senatoris; *Ferté-Bernard.* unde provocationes dantur rectâ ad curiam Parlamenti Parisiensis. Sunt adhuc aliæ civitates, juridicatus, satrapiæ. Quarum nonnullæ dependent à Ducatu *de Mayenne*, qui vocatur in inferiori territorio *du Mayne*. Vbi sunt &, *Beaumont le Vicomte*, *Sillé le Guillaume*, *Lascey* sive *Lussé*, *Bresteau* Procomitatus, cum castellaniâ *de Montfort*, quatuor leucas à *Mans*; *Conarrey* oppidulum, quatuor leucas à *la Ferté*; aliæque regiones & castellaniæ complures. *Beaumont le vicomte. Sillé le Guillaume. Lussé. Bresteau. Montfort. Conarrey. Mayenne.*

Mayenne, supra fluvium Meduanam, est Ducatus & dominium senatoris regii. Pertinuit antehac ad domum *de Guise* nomine *de Lorraine*: post hæc pervenit ad domum *de Nevers*, vel *de Mantouë*. Vulgariter appellatur *Mayenne la Iuhais* vel *Iuhel*, qui fuit priscus loci dominus. Civitas est bona; in quâ justitia pro rege, dominoque, conservatur.

Pais de Sonnois. Baronia *de Sonnois* confinis est ab occidente ipsi *Alençon*; ad quam pertinent Alençonii suburbia *de Montsaur* dicta. Ab Oriente confinis est ipsi *Belesme de Perche*. A meridie ipsi *Balon*, quod jacet in territorio *Mayne*. A septentrione confinis est ipsi *Seez*, quod est in Normanniâ. Longitudo ejus est, à *Balon* ad *Séez* usque, leucarum duodecim: latitudo totidem, ab *Alençon* usque ad *Perche*. Est ergò quadrata. *Memers* est urbs primaria. *Fresnay* supra *Orne* pertinet ad hanc Baroniam, cum *René*, *S. Remy du Plain*; cumque *S. Cosme*, & *Nostre Dame*; quæ duo unum burgum seu castellum faciunt in duabus parochiis. Sunt & alii minores loci. *Memers. Fresnay. Rene. S. Remy. S. Cosme, & Nostre Dame.*

Pays de Charnie. Regio *de Charnie* habet si forte octo leucas longitudinis. Flumen *le Vegre* per medium eam secat. *Saincte Susanne*, baronia & sedes regalis, cum

Qualitas du Mayne.

Mores.

cum abbatiâ *d'Esteval*, pondus aliquod volenti lustrare ferunt. Solum non est bonum, propter salebrosa, saltuosa, atque tesqua loca.

Qualitas du Mayne. Regio *du Mayne* copiam habet tritici, vinorum, butyri, pecorum; imprimis superior; quod indicatum in *divisione Terræ*, & in castro *du Loir*. In cannabe linoque par est Andegavensi agro. Telarum mercatura inter hanc regionem, urbisque *Laval* & *Mayenne*, aliaque loca, assidua viget. Saltus egregii sunt & regales. Quales, *Bercay*, *Douvre*, *Minclou*, *Loncaulnay*. Montes copiam habent fodinarum ferri. Præstantissima domus *du Mayne* est *Peschesеul*; quæ magnum burgum sive castrum habet.

Mores. Homines sunt cauti & subtiles, ingeniosi ad vafre machinandum aliquod facinus, venusti in loquendo. Cenomani hoc infamiæ patiuntur; quod unus *Cenomanus valeat sesqui Normannum*: eo quòd sint aliquid plus quam veteratores. At verbum hoc ortum fuit occasione monetarum Normannicæ & Cenomanicæ æqualium; quando Comes Cenomaniæ nummum Normanniæ, qui valebat exempli caussâ obolos sex, proscripsit, ut inter suos tantùm quatuor obolorum haberet valorem, nummo Cenomanico pristinum valorem retinente: ut adeo dici posset; *Nummus Cenomanicus valet sesqui Normannicum*. Sed quid inde? Si vera sunt hæc; Cenomanniæ Comes lapidem in altum jecit, qui caderet in caput Normannorum, at in suorum cervicem desedit: Non hæc commemorantur in contemtum utriusque nationis. Certo certius hoc manet immutabile dictum, Quòd in unaquâque natione hominum sit congeries ex bonis malisque mixtorum. Tam præstantia ingenia nata sunt in Cenomaniâ, tam illustres doctique viri ex illâ prodivêre in omni Facultate, ut verum ipsum non sit verius quam hoc, Provinciam *du Mayne* multorum bonorum ingeniorum esse matrem. Exempla hujus effati apud alios, qui prodiderunt, est legere; heic autem ad alia pergendum.

Possessores supremi; Comitatus *du Mayne* priscis temporibus habuit Dominum, modò Comitem *d'Anjou*, modò regem Angliæ, modò Galliæ, per diversa connubia; donec pervenit ad Ducem *d'Alençon*; qui, decedens absque hærede, eumdem Coronæ Galliæ reliquit, quem à fratre rege in perpetuam fiduciam habebat. Cui hucusque unitus manet.

& particulares. Particulares possessores sunt, Comites *de Soissons*, Duces *de Brissac*, Comites *de Laval*, Comites *de la Suze*, Marchiones *de Sablé*, *de Valley*, *Bouille*; Comites *de Tresmes*; & complures Barones. Quæ heic de illis requiri possint, alibi commodius tradentur. Nunc Andegavenses occupationi nostræ sunt proximi.



DVCATVS ANDEGAVENSIS, vernacule ANJOV.



INter Populos Galliæ Lugdunensis antiquissimos Ptolemæo aliisque auctoribus Græcis recensentur Αρδικαῦαι, quos Latini Scriptores postmodum, nempe Tacitus *Andicavos*, vel *Andecavos*, Cæsar *Andes*, Plinius *Andegavos*, hodierni vero *Andegavenses*, item *Andinos* dixere. Regio autem, quam populi illi inhabitârunt, hodie vocatur communi Patriæ dialecto, *Duché d'Anjou*, & *l'Evesché d'Angiers*; Latine scribentibus, *Ducatus Andegavensis*; & incipit à vico *Chousay*, ac desinit inter *Montcontour*, & *Herraut*, ubi initium Territorii Pictaviensis, quod versus meridiem aspicit. Ad ortum habet Turones, *Turaine*; ad septentrionem Marchionatum Ducatumve Cenomanorum, vulgo *Maine*, & comitatum Vallensem, vulgo *de la Val*; ad occidentem vero Britannos. Nonnulli scribunt hunc tractum antiquitus dictum fuisse *Aiguade*, *Aquadam*, ob ingentem amnium, aquarumque quibus irrigatur, multitudinem. Quippe plus quam quadraginta in eo se offerunt fluvii, quos omnes fere Ligeris, vernacule *Loire* dictus, excipit; ut sunt majores, *Vienne*, *la Dive*, *le Touay*, *le Layion*, l'*Eure*, *la Guynate*, *Mayne*, *Loir*, *Sarte*, qui navibus haud parvis pervii; item minores *Laviton*, *Vresée*, *Oudon*, *Irosne*, *Aubence*, *Huye*, *Touré*, &c. Stagnorum præterea, & lacuum, item paludum, fontiumque magnus numerus. Et quamquam non late extendatur hæc regio, limitum tamen suorum angustiam solo valde fertili, ac rerum ad vitam necessariarum ubere proventu compensat. Inter alia profert vina alba magnopere commendata, vinorumque Galliæ nobilissima. Propter collium, & tumulorum frequentiam montosa, & inæqualis est. Planitiem silvæ ingentes numerosæque ac proceris arboribus umbrosæ, nec non prata, pascuaque viridantia maxime illustrant.

Limites. *Fluvii.*

Metropolis. Totius Regionis caput, & metropolis est *Andegavum*, alias *Iuliomagus*, *Andium*, item *Andegavorum*, seu *Andicavorum civitas*, vulgo *Angiers*, dicta. Prima ejus fundamenta jecisse dicuntur Philosophi antiquissimi, quibus postea complementum addiderint Trojani, atque sic ab illis leges sapientiæ, ab his autem ornatum, & splendorem nobilitatis accepit. Sita est ad Meduanam fluvium, vulgo *la Majenne*, vel *Mayne*, dictum, qui eam in duas partes, ponte tamen ingenti, ædibusque ab utroque latere onusto, rursus conjunctas, dispescens, unico milliari ab urbe in Ligerim se exonerat. Harum partium una prospicit meridiem, & orientem, altera occidentem. In orientali parte, qua urbs primùm condita fuit, se offert *Templum S. Mauritii cathedrale*, in quo conspicitur sepulchrum Renati, Regis Siciliæ, & Hierosolymæ, cum vestibus, corona, & imagine ejus, quam propria pinxit manu: item gladius S. Mauritii, Exercitus Thebanorum Ducis; & urceus ex gemma quadam, jaspide simili, rubri coloris, quem unum ex urceis istis in nuptiis Canæ olim usitatis esse ferunt: Hoc sequitur *Templum S. Petri*, nunc sedes Episcopalis, & *S. Martini*, *S. Maurilli*, *S. Dionysii*, &c. cum Basilica S. Iohannis, nunc *S. Iuliani* dicta, ubi in cœmeterio se offert lapis quidam vetustissimus, cum hac inscriptione: *Vxori optimæ T. Flavius Aug. Li. Asiat.* In occidentali parte, quæ minima est, quâque urbem Iohannes, Angliæ Rex, & Normanniæ Dux, *absque regno*, vulgo *Sans terre*, cognominatus, cum Galliæ itidem Rex designatus esset, pomœria dilatans auxit, *templum* est S. Trinitatis, circa annum 581 conditum, item *Cœnobium S. Laurentii*, *S. Iohannis*, & *Carmelitarum*, *Augustinorumque*, cum suis templis. *Castellum* urbis, quod quidam à Principibus Angevinis, alii regibus Angliæ, aut primis Andegavi Comitibus, & Præfectis conditum esse asserunt, ex lapidibus nigriusculis in tantam altitudinem ascendens, octodecim turribus quadratis, fossisque valde profundis munitur. Hoc nimia vetustate fere collapsum restaurari curavit *Bertrada* cognomento *Pulchra*, quam Rex Philippus, repudiata uxore, sibi sociaverat. Comites enim superioribus temporibus non hic, sed Turaniæ, commorati sunt. Antiquitatis quoque satis evidens testimonium præbet locus ille in præurbio, *Grohan* dictus, in quo Amphitheatri à Romanis olim constructi rudera, & reliquiæ adhuc apparent, quò loci etiam veterum Imperatorum numismata sæpenumero effodiuntur. Et hæc quidem moles eo fine à Provinciarum Præsidibus quondam erecta, ut populo ibi ludos, & spectacula exhiberent, simulque gratam Cæsarum memoriam illis redderent. Nec minus celebrem facit urbem ordo Ecclesiasticus, Episcopo civilem pariter, ac ecclesiasticam jurisdictionem exercente, idque ex plenaria ac generali illa potestate, quam veteres olim Reges, Imperatoresque, Episcopalis dignitatis illustrandæ gratia, quoad feuda, & jurisdictiones, illis indulsere. Ceterum ad Christianam religionem conversi perhibentur Andegavenses eo ipso tempore, quo *D. Iulianus* Cenomanis Evangelium prædicaret; qui postquam satis diu inibi concionatorem egisset, Maineam tendens, comitem

suum,

suum, nomine *Defensorem*, virum pietate ac religione præstantem, sibi substituit. Et hic *Defensor* primus hujus Vrbis Episcopus fuit, cui *Apothemius* successit, quidam præponunt *Auxilium*; dein *Prosper*, post *Maxillus*. Quintus erat *S. Renanus*, & *S. Breton* decimus, *Andovinus* decimus tertius, *S. Lecinus* decimus quartus, *Cardulphus*, Comes Andegavensis, circa annum 581, decimus quintus, S. *Magnebodus*, decimus sextus, S. *Lupus* 17, S. *Ioh. Michaël* 59: & recensentur, usque ad tempora Caroli IX, Episcopi 65. Quin & hæc Ecclesia Andegavensis plurima, & opima possidet beneficia, opulentas item Abbatias, Prioratus, Præposituras, & collegia cum in urbe, tum etiam extra, de quibus omnibus adeantur Annales Andegavens. part. 1, c. 6. Ludovicus primus Andegavensium Dux, Iohannis Galliæ Regis filius, unicum hoc efficere studens, ut Andegavum præ aliis civitatibus, magnificentia, splendore, ac fama polleret, in hac urbe, anno 1398, Academiam fundavit, quam privilegiis ac immunitatibus eximiis decoravit. Et in hac Academia, quam Carolus V, cognomento Sapiens, non absque ratione, *Fontem scientiarum* dixit, præ cæteris, qui jura, aliasque facultates olim publice hic professi sunt, claruerunt, *S. Guilielmus du Pojet*, Franciæ Cancellarius, *S. Lazarus Baifius*, *Ioachim Bellajus*, *Franciscus Balduinus*, summus Iurisconsultus, *Renanus Benedictus*, Theol. Doctor, *Bodinus* Advocatus Parlamenti Parisiensis, & alii non pauci doctrina, gravitateque illustres. Hinc, velut ex equo Trojano emergentes, quorum laus in publicis, privatisque rebus semper emicuit. *Portæ* hujus urbis præcipuæ sunt *S. Michaëlis*, *S. Albini*, *S. Iohannis*, *omnium Sanctorum*, *& Lugdunensis*, quæ exitum civibus præbent singulæ, in sua singula haud exiguæ magnitudinis præurbia, plurimis templis, aliisque ædificiis sacris passim decorata. Vnicuique Portæ addita est Abbatia, ceu Domus quædam vigilum sacrorum. Vrbis præsidiarii singularibus privilegiis gaudent, quippe qui ab omni subsidiorum onere immunes sunt. Mercatores vero antiquo civium Romanorum jure fruuntur; etiam cudendæ monetæ. Ceterum sita est urbs loco humili, unde natum proverbium: *Angiers basse ville, hautes clochers; riches putains, pauvres escoliers*, hoc est, Vrbs humilis, celsa campanilia, opulentæ meretrices, studentes egeni.

Vno ab Andegavo milliari pons est, vulgo *Pont de Cee*, vel *See*, quasi *Pons Cæsaris*, quippe à Iulio Cæsare extructum asserunt: licet alii velint, quod sic dictus sit, quasi *pons stagni*, sive *stagnantis Ligeris*. *See* enim Germanica lingua aquam stagnantem significat; & Ligeris hic, ob latitudinem suam, magis stagno, quam brachio seu alveo fluvii similis, ita ut pons longitudine sua quadrantem milliaris fere excedat. Ponti adjacens vicus, vulgo *Bourg de Cee* dictus, longitudine semimilliare complectitur. Prope urbem ipsam, quod hic quoque annotandum duximus, exscinditur marmor tam album, quam nigrum, valde elegans; ut & tophus tanta multitudine, ut admodum vili pretio vendatur.

Reliqua oppida. Præter Andegavum, in hoc Ducatu adhuc novemdecim oppida muris cincta numerantur, ut sunt *Saumur*, *Montrenau*, *Beauge*, *Beaufort*, *Craon*, *Brissac*, *la Fleche*, *Monstreuil-Belay*, *Malevrier*, *Chantonceau*, *Vihers*, *Montsoreau*, *Duretail*, *Chasteau-Gontier*, ad Meduanam, *Segre*, *Thouars*, &c.

Saumur. *Saumur*, Latinis *Salmurium*, ad Ligerim, loco amœnissimo situm, exiguum quidem est oppidum, sed muris, fossisque munitissimum, ac intus ædificiis egregiis nitens. Præurbiis quoque haud exiguis undiquaque cinctum; & unum ex his muris & fossis munitur. Prælongo ponte sternitur ob immensam Ligeris latitudinem, quippe qui hoc loco in plurima brachia divisus. Insulas quasdam habitatas complectitur. Oppidum ad radices montis situm; arx vero in monte posita, foris antiquitatem præ se fert, at intus atriis, cubiculisque nitidissimis splendet.

La Fleche. *La Fleche*, oppidum, cum castello quoque ad Ligerim situm, exornatur Collegio Iesuitarum, ab Henrico IV, Galliarum rege, fundato. Hoc octo Doctoribus, quatuor in Iure, & totidem in Medicina instructum, agnoscit Rectorem Iesuitarum, & Præfectum Studiosorum, quibus directio Vniversitatis est demandata.

Beaugé & *Beaufort en Vallée*, sunt Regiæ sedes, ab antiquissimis temporibus ad Regnum Galliæ pertinentes. *Beaufort*, circa annum 1340, Comitatus titulo exornatum est à Rege Philippo Valesio.

Brissacum. *Brissacum*, sedes Francisci Cossæi, Ducis de Brissac, Ordinis Franciæ Equitis.


Suos olim habuerunt Andegavenses regulos, & duces militares, quorum Dumnacum à Cæsare victum scribit Hirtius l. VIII. Postea cum aliis Galliarum populis venerunt in Francorum ditionem, ubi Comites suos habuerunt. Primus autem, qui titulo Comitis Andegavensium usus est, fuit *Hildebrandus*, Caroli Martelli frater, ex cujus posteris succedente tempore plurimi Orientis Imperatores, & Franciæ Reges electi, ac coronati sunt. Imò Robertus hujus nominis II, & quartus in ordine à dicto Hildebrando, cùm Normannos & Danos, Normandiam, aliasque finitimas regiones, irruptione facta, spoliantes ac vastantes, compescuerat, hanc gratiam à Carolo Calvo obtinuit, ut illum Ducem, & Marchionem Franciæ, Comitem Andegavensium, Aureliæ, &c. crearet. Quin & hujus ditionis à Chilperico Rege, Andegavensium Comite Paulo occiso, occupata, ac posteris suis relicta, partem quidem superiorem, Carolus Calvus postmodum *Torquato* dedit, reservato sibi supremo in eam jure; sed inferiorem *Odoni*, Parisiorum Comiti: cujus ex fratre Ruperto, Comite Andegavensi, Duceque Celticæ, nepos, Hugo Magnus eam largitus est Fulconi, Torquati, ex Ingelgero filio, Nepoti. Huic autem Fulconi ordine successerunt, Fulco II, Godofridus I, vulgo Grisgonella dictus, Fulco III, Godofridus II, Fulco IV, qui Hierosolymorum rex fuit, Godofridus Barbatus, Godofridus VI, & Guilielmus; Godofridus VIII, Arturus, Ludovicus VIII, Francorum Rex. Huic successit filius. Ludovicus IX, Sanctus cognominatus, qui regionem hanc Carolo fratri concessit. Hunc secu-


DVCATVS
ANDEGAVENSIS,
Auctore Licinio Guyeto Andegavense
ANIOV.
Amsterdami Apud Guiljelmum Blaeu.
Milliaria
Gallica
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
LA MAINE.
PARTIE
DE
TOVRAINE
LODVNOIS.
BRITANNIÆ
PARS.
Partie
de Poictou.
Angiers
Saumur
Beaufort
Montreuil belay
Segre
Craon
Ch. Gontier
Duretail
Le Lude
Fleche
Bauge
Doue
Montreneau
Beaupreau
Chantoceaux
S. Florent
Moncontour
Lodun
Les Mauge

ſecutus eſt Carolus II, & hujus filius, Philippus Valeſius, qui ſucceſſorem habuit quoque filium, ſeu, ut alii ſcribunt, nepotem, Iohannem. Et hic Iohannes nobiliſſimam hanc regni portionem, jam Ducatus titulo, nempe anno 1350, decoratam, Filio Ludovico appennagii, ut vocari conſuevit, jure dedit: Quem ſecuti ſunt deſcendente linea, Ludovicus II, & Ludovicus III; hoc absque liberis anno 1435 mortuo, Principatum adiit *Renatus*, frater Ludovici II. Hic defunctis liberis, hæredem dixit fratris ſui filium, Carolum, qui hæredem ſcripſit Ludovicum XI, Franciæ Regem. Atque ſic hic Ducatus, cum Comitatu Cenomanorum, juxta inveſtituram anni 1360, & jus appennagii, anno 1480, ad Regnum rediit, ac Coronæ Francicæ fuit annexus, eique in hæc usque tempora unitus manſit, niſi quod Franciſcus I eundem matri ſuæ Aloiſiæ Sabaudicæ in uſumfructum tradiderit. Rex Carolus IX eundem poſtmodum, anno 1566, jure appennagii tribuit Henrico III, fratri, poſtea Poloniæ regi: & hic Rex Franciæ factus, rurſus Fratri Franciſco, Duci Alençonio. Hodie hunc ipſum poſſidet Regis Ludovici XIV frater, Philippus, qui natus eſt anno 1640. Atque ſic hactenus in Gallia mos obtinuit, ut Regum minores natu filii ſemper appellati ſint *Duces Andegavenſium*, vulgo *Ducs d'Anjou*, æque ac majores natu *Delphini*, vulgò *Daufins de Viennois*.

Cæterum complectitur ſub ſe Ducatus Andegavenſis *Marchionatum Cenomanorum*, vulgo *Maines*, non ita pridem ornatum titulo Ducatus, uti & Comitatum *de la Val*, ac Vicecomitatus, *Beaumont & Omfort*. Ducatus Cenomanorum tribus præcipue fluviis irrigatur, nempe *Meduana*, vulgo *Majenne*, *Ledo*, vulgo *Loir*, & *Sartra*. Ornatus illi multus accedit à ſilvis, ſaltibusque. Cenomanenſis, *le Mans*, ditioni addita eſt Regis Franciæ. Vrbs autem *Mœnia*, vulgo *Maine*, cum Marchionatu, nunc Ducatu, jam Guiſios agnoſcit Dominos. Oppidum primarium ſitum eſt ad Sartram fluvium, quod vulgo *le Mans*, vocant. Hoc nobiliſſimus vir Ioſephus Scaliger putat eſſe Ptolemæi οὐίνδικον, Aulerciorum Cenomanorum caput. Ab initio erat ſedes Ballivatus: poſt Henricum II præſidialis eſt facta, ad quam variorum oppidorum appellationes devolvuntur. Hæc ſe jactat omnium Gallicarum urbium primam Chriſtianam fidem admiſiſſe, miſſo à Clemente, S. Iuliano, qui Eccleſiam illam annos 47 continuos rexit, & myſterium religionis in vicina loca propagavit. Homagium quoque illi, ſive fidem clientelarem præſtare ſolent Comitatus *Vendoſme*, *Beaufort*, & *la Val*.

Denique ad hunc Ducatum, quod regimen ſeculare ſeu civile concernit, quoque referri ſolet Ducatus *Richelieu*, tam in latitudinem, quam longitudinem ſe ad octo circiter milliaria extendens. Loca ejus principalia ac munita, ſunt *Mirebeau*, & *l'Iſle-bouchard*; item *Richelieu*, caſtello valde munito conſpicuum, quod Cardinalis ille famigeratiſſimus ejusdem cognominis nuperrime poſſedit, ac ſupra modum exornavit.



TER-

TERRITORIUM LODONENSE.



Belsia media.

BElsia Media est, cui tribui solitum, quicquid est, inde quidem ad utramque Ligeris ripam à Ratomago, *Romorantin* vernacule, Vendomium usque: hinc autem in dextra ejusdem Ligeris ripa, quicquid Castelloduno porrigitur Blesas, & ad Turonensium usque agros. Comprehendit partim Ducatus Vindocinensem & Turonensem, partim Comitatus Blesensem, Dunensem, & Tonnoriensem. *Turonensis* Ducatus, *le Duché de Touraine*, incipit tribus supra Ambaciensem urbem milliaribus, versus Blesas, & terminatur in vicis, qui vulgo *la Chapelle Blanche*. Metropolis ejus est Turonum, *Tours*. Oppida vero minorum gentium sunt Ambocia, *Amboise*: Langersum, *Langres*: Chinonum, *Chinon*: Castellum, *Chastillon*: Asayum duplex, *Asay*: Mons Richardi, *Mont Richard*: *Lodonum*, *Lodum*, vel *Loudun*.

Ducatus Turonensis.

Inter cujus oppida

Loudun.

Est autem Lodonum & urbis & totius tractus ac territorii nomen, quod alii Pictaviæ adscribunt, cujus Diœceses, aut potius parœciæ, sub tribus Episcopatibus, Pictaviensi nempe, Luconii, & Maillezais, ut vulgo sonant, comprehenduntur. Loca celebriora præter hæc sunt (incolarum nominibus ea profero) *Roche sur Yon*, *Talmont*, *Meroil*, *Vouvant*, *Mervant*, *Bressuire*, Loudun, *Fontenay le Comte*; atque hæc in superiore, quam diximus. Inferior habet, *Nyort*, *Partenay*, *Thouars*, *Moncontour*, *Hernauld*, *Mirebeau*, *Chastelleraut*, &c. Primatum autem inter hæc Pictavia, sive *Poitiers* obtinet, omnium Galliæ urbium post Lutetiam amplissima, maxima parte Clanio flumine vivo circumdata. Districtus Lodonensis non usque adeo magnus est, Ligerim inter, Divam, Vigennam, & Veudam interceptus. In meditullio est *Lodunum*, urbs non adeo magna, sed situ loci amœnissima ac jucundissima, arcem habens valde vetustam. Privatis quondam paruit, nunc sedes Tribunalis regii est. Sunt qui Iuliodunum vocant, quod à C. Iul. Cæsare conditum sit, at nescio quo antiquo scriptore. Laudatur hic panis croco coloratus, quem, qui ex vicinis oppidis negotiorum gratia huc abeunt, domum redeuntes, liberis aut amicis secum adferre solent. Est & aliud huic territorio laudabile, quod Silva urbi vicina, *Bois-Ronge* dicta, prægrandium gallinarum copia abundet, vulgo *les poulles de Loudun*. Vrbes, quod sciam, alias hoc territorium non habet, sed pagos, vicosque plurimos, sylvas ordine quasi positas tres, quarum media Loduno vicina est. Ligerim hic videre est, à Cæsare aliisque nobilitatum, hodie Loire & Leire. Caput ejus in pago Velauno, locus vulgo *le font de Leire*. Amplior est reliquis, ut merito audiat *Pater Galliæ fluviorum*, aquæ limpidissimæ. Facto inter varios populos procursu, exonerat se in Oceanum occidentalem, inter Nannetes & Pictones, ostio quatuor fere leucas amplo, pulvillis aliquot infesto. Ingentes & navium patientes excipit fluvios non paucos, Elaver, Carim, Vigennam, Meduanam. *Caris*, *Cher* hodie, in tabula supra Vigennam conspicitur. *Vigenna*, cujus mentio apud Fortunatum, Gregorium Turonensem, & Hugonem Floriacensem, hodie *Vienna*, agros Lodunenses proxime præterlabitur à septentrione in austrum, ita ut eos proxime radat. Ab occidente eam ambit, & parte tenus secat Diva fluvius, *le Dive*. In ejus finibus versus boream spectatur in ipso Ligeri *Salmurium*, *Saumur*, urbs elegans satis, murisque & mœnibus non inconcinna, ædificiisque non vulgaribus pulcra. Arcem habet in edito monte positam, quæ, foris si adspectes, antiquissima & veluti collapsa esset, apparet: verum intus atriis, cubiculisque pluribus nitet & fulget, uti & hortis circum amœnissimis. Proximis annis eam Gubernatoris titulo tenuit Philippus Mornæus Plessiaci Dominus, vir natalium splendore celebris. Ab urbe trans Ligerim pons stratus est, ex quo jucundissimus quaquaversum ambulantibus prospectus. Versus Austrum in finibus Lodunensis tractus videre est urbem *Moncontour*, ad Divam fluvium. Ad orientem occurrit oppidum *Champigny*; altius, Insula, Viennæ aquis circumdata, in qua situm est oppidum *l'Isle-Bouchart*, antiquum patrimonium insignis Familiæ, cui nomen *Bouchard* admodum familiare, & ordinarium. Ceterum hoc territorium Lodonense titulo Ducatus ornavit Henricus III, anno 1579, in gratiam Franciscæ de Rohan, cui illud ipsum ad vitam donavit, quod postea anno 1591, comprobavit Henricus IV.

Ligeris.


Caris.

Vigenna.

Diva.

Saumur.


LOVDONOIS.
LAVDVNVM.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PARTIE DV
DVCHE D'ANIOV.
PARTIE DE LA
TOVRAINE.
PARTIE DV
POICTOV.
Saumur
Loudun
Champigny
Chinon
Moncontour
Thouars
Mirebeau
Milliaria Gallica communia.


MIREBALAIS.
PARTIE DE
LA TOVRAINE.
PARTIE DV LOVDVNOIS.
PARTIE DV POICTOV.
Champigni
Lodun
Mirebeau
Moncontour
Chastelherault
Poictiers
Milliaria Gallica
Amsterdami
Apud Guiljelmum et Ioannem Blaeu

TRACTVS MIREBALAIS.



Ontermina superiori Lodonensi agro est regiuncula *Mirebalais*, ab oppido capitali *Mirebeau* nomen sortita, Lodonensi minor. Clanio flumine vulgo *Clain*, ab oriente, Veuda à septentrione cincta, qui per mediam regionem abit, eamque irrigat. In ea præter *Mirebeau* urbem præcipuam, arce, ac salinis nobilem, etiam occurrunt oppida, *Faye la Vineuse, Aurigne, Doussay, Moncontour, Vouzaille*, & *Ceaux*. In finibus spectatur ad austrum Pictonum urbs *Poictiers*, amœnissimo sita loco, clivoso tamen, nisi quod una parte, quam Tranchæam patrio vocabulo dicunt, in planitiem abeat; latissimi, si quæ in Galliis alia, ambitus: sed cujus ingens portio ab habitantibus vacua, pratis, vineis, aliisque agrestibus operibus occupata, reliqua excellentibus ædificiorum structuris veneranda. Adluit latus illud Clanius fluvius, aqua satis copiosa manans, insulasque deducto alveo efficiens, qui inde aliquot versus septentrionem milliaribus Vigennæ miscetur. Visuntur ibi præter validam arcem, palatium Gallieni, vasta Amphitheatri rudera, vulgo *les Arenes*, nota voce; aquæductuum fornices, Romanorum hoc loco imperii vestigia. Primarium templum D. Petro est consecratum. Præfuit huic Ecclesiæ D. Hilarius antistes, invictum se gerens Arianis antagonistam, à quo regionem hanc ad religionem Christianam conversam tradunt Ecclesiastici scriptores. Academiam habet florentissimam, cui alter post Parisiensem locus solet tribui. Instituit Carolus VII Francorum rex, anno CIↃ CCCC XXXI. Magnas sustinuerunt aliquando incolæ calamitates ab Anglorum aliorumque incursionibus. Medio circiter ab urbe milliari, itinere, quod Avaricum Biturigum ducit, in via regia, ingens spectatur saxum, forma quadratum, quinque lapidibus fulcitum, unde vulgo *La Pierre levée*, de eo hoc distichon exstat:

Hic lapis ingentem superat gravitate Colossum
Ponderis, & grandi sidera mole petit.

Regio est frugum omnis generis, pecorisque, lanæ, linique feracissima, vino, frumentoque dives, piscium abundans, avium, ferarumque magnam habens copiam, ejusdemque prorsus cum Pictaviensi agro indolis ac genii.

Flumina. *Metropolis. Mirebeau.* *Oppida.* *Poictiers.* *Academia.* *Regionis indoles.*



B L E-

B E L S I A.

La Beausse.



BElsia, vulgo *la Beausse*, regionis nomen, non equidem priscæ adeo memoriæ, ut populi, qui illam inhabitarunt; quorum appellationes sunt *Carnutes*, *Cenomani*, & *Turones*. Horum notitiam veteres habuerunt; & vox *Belsia* in priscis auctoribus reperitur.

Divisio.

Dividitur in tres partes à Geographis, Superiorem, Mediam, & Inferiorem; assignatis igitur Belsiæ Superioris finibus, eos etiam, qui alias partes circumscribunt, facili negotio assequemur. Superior autem Aurelianum includit cum locis illi adjacentibus, quæ quidem Aurelianensis regio inter duodecim Franciæ Gubernatus seu Provincias computatur, quarum Præfecti in Comitiis generalibus Franciæ, locum & suffragium habent.

Attamen Superior Belsia, tractum proprie Carnotensem solum includit; unde nunc exordium faciemus; postea vero adjunctos à Geographis tractus convenienti ordine subjiciemus, qui cum modicæ sint extensionis, nec aliis provinciis contineantur, cum proprios habeant Gubernatores, hac parte melius, quam alibi inserentur.

Le Chartrain.

Carnutum regio, vulgo *le Chartrain*, sub qua censentur Comitatus Drocensis, vulgo *Dreux*, & Montifortius, quem versus orientem spectat; ita ut versus occidentem aspiciat *d'Illiers*, *Courville*, & *Champront*, versus meridiem *Pluviers*, & Saltum *d'Orleans*, & versus Septentrionem Comitatum *de Dreux*. Ad novendecim milliaria, ab *Estampes* usque ad *Champront*, in longitudinem se extendit; & à *Pluviers*, usque ad Comitatum *Dreux*, ad viginti, & quod excurrit. Fluvii, quibus irrigatur hæc regio, sunt *Eure*, *Drouette*, *Blaise*, *Loir*, *le Gas*, à quibusdam *Lorin* dictus.

Chartres.

Oppidum *Chartres*, olim *Autricum Carnutum*, hodie non postremi est loci, situm ad Eurum fluvium, partim in planitie, partim in colle, frequentibus ædificiis refertum, mœnibus firmis cinctum, aggeribus fossisque circumvallatum, incolarum divitiis pollens. Perluit ad collis pedem fluvius, pistrinis versandis commodus, qui è Perchensibus ortus, hucusque civium industria derivatus, apud Luparias (*Louviers*) paulo supra Rothomagum in majores Sequanæ undas influit. Summum templum Mariæ Virgini est consecratum, in cujus crypta, puteus ostenditur, *Sanctorum Fortium* dictus, in quem, quum Carnutes Christo nomen primitus dedissent, magnus Christianorum numerus ab Quirino Galliæ Proconsule dicitur præcipitatus. Adservari hic etiam fertur ingenti pietate subucula Divæ Virginis, quam Carolus Magnus huic civitati dono dedit. Portas habet 8, quarum sex patent. Reliquas bella clauserunt civilia: quibus anno 1567 fuit obsessum oppugnatumque, sed virtute Lignerii fortiter defensum. Loquitur carmen, quod ad mœniorum partem, quæ hostium machinis prostrata, restituta, Lapidi incisum est:

Dum nova religio studia in contraria cæcas
Gallorum mentes agit, & bello omnia miscet,
CARNVTVM *premitur magna obsidione, globisque*
Machina sulphureis oppugnat mœnia, quæ nunc
Sarta & tecta vides. Salva incolumisque remansit
Vrbs Duce Lignerio, populi curaque fidelis,
Atque manu parva numerosum reppulit agmen.
Quam pro Rege suo, patriaque, arisque, focisque
Sit pulchrum pugnare, atque hosti cedere nunquam,
Exemplo discant Nati, serique nepotes.

Dies, quo ab obsidione repulsi hostes, Festis est adscriptus. Cæterum in ipso oppido septem sunt Ecclesiæ parochiales, & in præurbiis adhuc tres: item septem Abbatiæ seu Conventus, nempe Abbatia S. Petri, & S. Iohannis, conventusque monachorum tres, & duo fœminarum, cum Collegio Poquetano, cujus princeps Canonicus est Templi D. Virginis, anno 1572, à quodam *Poquet* condito. Extra urbem est Abbatia S. Cheronis, & S. Iosaphati, item Prioratus S. Martini *au Val*, &c. Hæc urbs, hodie *Carnutum & Carnotum* dicta, quondam sedes erat Druidarum, qui Gallos, priusquam à Iulio Cæsare subigerentur, gubernarunt, atque hic Parlamentum suum celebrarunt. Ex horum, quos valde venerabantur, instructione credebant incolæ, Virginem quandam in terris nascituram esse, Matrem Salvatoris hominum futuram. Atque hinc Priscus, Carnuti Comes, imaginem quandam Virginis infantem portantis fabricari curavit, & diis seu idolis suis adjungens, sacrificiis sæpissime exhibitis, summe coluit. Et Godefridus, Comes *de Montlehery*, postquam filium suum deperditum ex puteo quodam recuperasset, in honorem hujus incognitæ Virginis, à Carnotensibus vicinis tanto studio cultæ, templum erexit, cum crederet hanc ipsam filium suum conservasse. Lucus ille, quem Cæsar de Druidis loquens, *Lucum consecratum* dixit, erat silva montem Carnutorum tegens, ubi illi altare quoddam huic Virgini erexerant, cum hac inscriptione, *Virgini Parituræ*, anno 500 ante Christi nativitatem. Atque sic hos populos Savinianus, & Potentianus, Apostolorum Discipuli in hasce terras missi, facili negotio ad Christum penitus convertere potuerunt. Suos tempore I. Cæsaris Carnutum habuit reges; sed Normanni, & Dani ibidem instituerunt Comites; quorum nî fallor, progenitor Otho, cujus pater Theobaldus Senior, Comes Blesensis, Rollonis Normanni, (qui urbem hanc obsidens, & ab obsessis subuculâ D. Virginis victus, Christianam amplexus est religionem) adgnatus, illud ipsum armis adquisiverat. Otho quosdam habuit successores, nempe filios, Theobaldum II improlem, & Stephanum, item nepotem ex posteriore Theobaldum III, & pronepotem Theobaldum IV improlem: post quem quidem nihil amplius de Carnutensibus Comitibus invenitur. Epi-


BELSIA, Vulgo LA BEAVSSE.
LE GRAND PERCHE
Milliaria Gallica communia.
Dona fero Cereris, latos quæ sparsa per agros Frugiferas messes, alimentaq; mitia reddant.
G. Blaeu excudit
Occidens
Oriens
Meridies
Septentrio
LA SOVLOGNE.
LE BLAISOIS
LE DVNOIS.
LA BEAVCE.
LE GASTINOIS.
LE PERCHE GOVET.
LE VEXIN.
FRANCE.
Blois
Orleans
Chartres
Vendosme
Paris

ſcopi Carnutenſis jurisdictionem agnoſcunt 847 Parochiæ, 113 Capellæ, 8 Capitula, ſupra 200 Prioratus, 200 Abbatiæ Monachorum, & 7 Virginum. Cæterum Carnutum olim Comitatum, anno 1528, Ducatus titulo ornavit Rex Franciſcus I, ac Renatæ Filiæ in matrimonium dedit. Ludovicus XIII, anno 1626, eundem Gaſtoni Fratri, Duci Aurelianenſium, jure appennagii poſſidendum tradidit. *Mores.* Carnutes humani ſunt, inter ſe amantes, in peregrinos faciles, religionis ac libertatis antiquæ tenaces; munifici in pauperes, ac mercaturæ ſtudioſi. Belſia Carnutum (inquit Maſſon) frumentaria regio eſt, à Ligerique & Aurelia protenditur leucis 15, Stampas uſque, & à Stampis Lutetiam 14 leucæ minores numerantur, quas [illegible] las metimur 11 paſſ. mill. Hæc regio neque montes, neque fluvios, neque ſylvas, neque vites habet, nec prata, niſi pauciſſima, propterea putei Belſiani, fontes à prætereuntibus vocantur. Vnde verſus neſcio cujus Poëtæ circumferuntur:

Belſia triſte ſolum, cui deſunt bis tria ſolum,
Fontes, prata, nemus, lapides, arbuſta, racemus.

In eadem raras arbores naſci, nec natas creſcere ajunt, propter tophum, lapidis genus: puteique in ea regione altiſſimi ſunt, quia regio ipſa alta. Frumenti hic ſumma ubertas, & non ſine cauſa urbis Pariſiorum granarium appellatur. Aquas vero pluvias Belſiani habent, ad aquandum animalia, eaſque in concavis colligunt locis, & reſides arte faciunt, *Maraſque* vocant. *Dreux.* Drocæ, vulgo *Dreux*, antiqua urbs & pulcra, arce olim conſpicua, & Druydum conventu celebris, ut creditur. Ad fluvium Ebrum jacet, qui vulgo *Evreux*. Comitatus eſt, ut & Montfortius, *le Comté de Montfort*. Eum inter alios obtinuiſſe legitur Robertus IV, Dreuſii Comes, uxore ducta Beatrice, Ioannis Comitis Montfortii filia & hærede. Montfortium oppidum, medio fere inter Druydum urbem, & Lutetiam itinere ſitum, multos bellipotentes Heroës produxit, ut Simonem, Philippum, & Iohannem, Montfortios.

Andegavenſis Ducatus. Cenomani. Pertinent inſuper ad Belſiam Superiorem *Ducatus Andegavenſis*, & ſub illo Comitatus *Maine*. Ille à pago Chouſay incipit, & deſinit inter Moncontour, & Herraut, ubi Pictavienſe territorium incipit, quod limitem illius claudit ad Meridiem. Ad Orientem habet Turonenſem & Vindocinam ditionem ad ſeptentrionem Comitatus Maine, & Laval: ad Occidentem Britanniam. Regio fertilis & amœna, colles vitibus conſiti, & vina alba hujus provinciæ laudatiſſima. Metropolis Ducatus Andegavum, vulgo *Angiers*, ad utramque Meduanæ ripam ſita, quam pons lapideus jungit. Sunt præterea in hoc Ducatu Salmurium, cum arce ad Ligerim in edito colle poſita. Ripæ fluminis lapideo ponte junguntur, *Montreneau, Baugé, la Fleche, Segre*, &c. Verum latiorem deſcriptionem Ducatus Andegavenſis, ut & Comitatus *Maine*, leges in propriis harum regionum Tabulis.

Comitatus Perchenſis. Tertiò in Superiore Belſia ponitur *Comitatus Perchenſis*, in quo ſunt *Perche Gouet*, cujus principale oppidum eſt *Nogent le Rotrou*; & *Haute Perche*, cujus præcipuum oppidum *Mortagne*. De hoc fuſius in Tabula Comitatus Perchenſis.



T E R-

TERRITORIVM BLESENSE.

Blois. Nomen.



BLesense vocabulum Ptolemæo, Cæsari, Plinio, aliisque vetustis auctoribus ignotum, primùm à Gregorio Turonensi cœpit usurpari.

Habet ab ortu Aurelianense & Bituricense territorium, ab Occasu, Turonense; ab Austro, Sologniense; Vindocinense demum à Septentrionibus. Quinque & viginti leucis patet in longitudinem, latitudine verò Æquatoris versus Aquilonem, leucas quadraginta colligit. Blesense oppidum 21 gradus longitudinis, & 47 grad. 32. min. latitudinis complectitur.

Blesium est hujus regionis caput; Ligeri fluvio insidet, cujus fluenta præclaro ponte excipit; quo transmisso territorium Soloniense in inferiori Belsia reperitur. Amplissimo castro munitur, structuræ elegantis & magnificæ; ab Occasu, urbe sejungitur. Collegiata S. Salvatoris Ecclesia in prima castri area consurgit, amplissimis reditibus à suis Comitibus & Franciæ Regibus dotata, ubi superba urbis Dominorum mausolæa conspiciuntur. Est quoque alia non inelegans Ecclesia S. Iacobo dicata. Visuntur etiam juxta ipsam urbem quædam antiquitatis monumenta, operis veterum Romanorum, creduntque indigenæ horrea Iulii Cæsaris ibi extitisse. Hic emicat Præsidialis sedes, aliique regii Magistratus. Præclaro etiam Patrum Societatis Collegio, pluribusque Cœnobiis & Abbatiis exornatur.

Huic civitati ad lævam objacet suburbium *Vienna* dictum, quod urbi saxeo ponte nectitur, cui pyramis imminet cum inscriptione præferente, Pontem hunc dissidiis civilibus dirutum; rebus autem in pace compositis, Henrici Magni ætate fuisse restauratum. Cætera Blesensis provinciæ loca sunt, *Sancet*, *Aignan*, Comitatus, *Mer*, *Selles*, *Remorantin*, *Vatan*, *Chasteau-Roux*, Ducatus & Parriatus de jure Principis Condæi; quæ quidem loca nonnulli in territorio *Bituricensi* constituunt; *Valençay*, *Bussy* castrum amplissimum; in cujus area extat statua ænea Davidis Regis columnæ imposita, quæ maximi censetur valoris.

Qualitas. Blesensis regio clementi & temperato aëre potitur, ob fontium variis in locis erumpentium scaturigines. Duobus à Blesensi civitate milliaribus, in collis acclivi, inter arbusta specus reperitur, ubi inter saxorum hiatus terra pinguis & viscosa pallidi coloris subrubei extrahitur, quæ jure merito Bolo Armenæ, vel terræ sigillatæ Lemnos Insulæ comparatur; illamque in similes usus adhibent Medici. Illa etiam regio frumenti est adeo ferax, ut Franciæ hordeis accenseatur. In circumjacentibus urbi Blesensi ad duo milliaria locis, vina melioris notæ producuntur, quæ in Flandriam, Hollandiam, Angliam, aliasque regiones exportantur. Fructus quoque & fruges maximâ ibi nascuntur abundantiâ, & gratissimi saporis; silvis etiam amœnissimis, hortis & viridariis est consita. Lac, & multiplicis generis lacticinia suppeditat; cui usui, pascendis nimirum pecoribus amplissimum Vallis-Ligeris pratum commodissimum est, quod rivulo *de Cousson* dicto, irrigatur, qui quidem haud procul ab Aurelianensi civitate originem sortitur, ac postmodum in Ligerim sese exonerat, tribus sub Blesensi urbe milliaribus.

Mores. Blesenses humanissimi sunt & urbani; nec mirum, cum fuerit olim hæc civitas aula regia, & ordinarius Regum secessus, ubi etiam Regii liberi honorificentissime educabantur; quò enim populi suo Regi sunt viciniores, eò uberiùs urbanitatis fonte imbuuntur.

Opes. Opes colligit hæc regio ex immensa rerum omnium quas profert abundantiâ, ex commerciis, & ex vini copiâ, quam exteris provinciis suppeditat. Horologiola singulari arte ex auro & argento effingunt aurifabri, quæ totâ Galliâ commendantur.

Chambourg. Chamburgum, regia Domus est tantæ amplitudinis, ut cunctos etiam Europæ Principes simul hospitio possit excipere: tam elegantis architecturæ, ut omnibus veterum & modernorum operibus præluceat, sitque veluti absolutissimum totius artis & elegantiæ compendium. Illam Franciscus I, Rex, ab Hispana detentione redux inchoavit, nec duodecim annorum spatio complere potuit, quamquam octocentos mille operarios amplissimæ huic Domui exstruendæ indesinenter addixisset. Scala seu ascensorium ducentis & septuaginta quatuor gradibus constat, tantæ latitudinis, ut qui per ambas graduum extremitates ascenderint, invicem colloqui possint, quamvis sese intueri nequeant, miro prorsus artificio; unde peritissimi artis magistri semper aliquid eximii possint ediscere. Horti tam amœni, tantâque industriâ sunt consiti, ut nihil aut mirabilius, aut jucundius toto orbe videas.

Cise fl. *Cisa* fluvius ad pontem Chousiacum proficiscitur, ternis à Blesa milliaribus, à parte Aquilonari, ad dextram Ligeris; *Beuveron* verò ad sinistram in meridie, qui oritur apud *Sourdon* vicum superioris Soloniæ. Hoc nomine insignitur, quod æstate terrâ imbibitus totus fere penitus arescat.

Regimen. Blesia Gubernatorem habet & Baillivum, cujus quidem jurisdictio longe lateque diffunditur.

DVNENSIS COMITATVS.

Dunois. DVnensis Comitatus à Castelloduno metropoli nomen accepit; *Dunum* autem veteri Gallorum linguâ, aut urbem, aut scopulum & collem indigetat.

Fines. Habet hic Comitatus ab Ortu territorium Aurelianense; Vendocinense ab Occasu; à Meridie


COMITATVS BLESENSIS, Auctore Ioanne Temporio. BLAISOIS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Milliaria Gallica
AMSTERDAMI Apud Guilhelmum Blaeuw.
Vendosme
Chasteau dun
Bloys
Orleans
Baugency
Romorentin
Selles
Bourges
Meun
Patay
Issoudun
Chenonceau
Amboise
TOURAINE
Loyre Riviere
Le Cher Riviere
La Sauldre Riviere
Le Beuveron Riviere
Cousson Riviere
Le Loir Riviere

28

Sologniense & Blesense; à Septentrione Carnotense & Perchense *Goüet* vocitatum.

Extensio. Patet amplius in latitudinem quam in longitudinem, nam decem protenditur leucis; octo autem & quadraginta gradus latitudinis sortitur.

Chasteaudun. *Castellodunum* colli prælto insidet, ipsum castrum validissima turre munitur; atque suburbia, majorem quam ipsa civitas, elegantiam præferunt. Plurimas habet Ecclesias, quibus apprime exornatur. Hic celebrantur Iudicia Dunensis Comitatus. In castro visitur Sancta Capella, ubi Comitum Dunensium mausolæa.

Qualitas. Solum ferax, varia producit juxta regionum diversitatem, silvas habet & pascua, quibus plurimos nutrit animalium greges; quà Aurelianensem & Blesensem tractus attingit, frumento & vino refertissimum est.

Flumina. Dunensis ager quatuor fluminibus irrigatur, *Ligeri* nimirum, *Connia, Aigra*, & *Hierra*, vulgò *Loir, Connie, Aigre, Hierre*. E nemore Aurelianensi originem ducit Connia, qui fluvius nunquam proprio exundat alveo, nec imbribus ullo tempore perturbatur; equidem æstivis mensibus accrescit: Verum si quando plus solito intumescat, pestem Autumno proximo præsagit. *Aigra* sub Verdensi stagno nascitur, mediamque *Ferté-Villeneul* silvam pertransiens, in Ligerim properat, tandemque illi immergitur. *Hierra*, velut Mesopotamiæ Tigris, nunc palam profluit, nunc cuniculis abditur; nomen quoque *fluvii sicci* præfert, cujus ratio nominis inde deducta, quod solâ pluviarum vehementiâ concussus procurrat.

Verdense Stagnum. Stagnum Verdense juxta Castellodunum, duabus patet in longitudinem leucis, 250 in latitudinem passibus; de quo memoratu dignum, quod, cum Childebertus Rex, Regniaque uxor veneno immaniter confecti fuissent, sic æstuarint stagni latices, ut excoctos maxima copia in margine pisces ejecerit; quasi elementa enormitatem sceleris, inusitato prodigio detestarentur.


Mores. Acuto sunt ingenio & subtili hujusce Comitatus habitatores; paucis, quæ dicuntur, percipiunt; Sunt, quod laudabile est, pauci sermonis & accisi.

Comitatus Dunensis, ad illustrissimum & magnanimum Ducem Longavillæum spectat, quem à majoribus de Francia æternùm benemeritis hæreditario jure accepit.



TVRONENSIS DVCATVS.

Touraine. Nomina.



Eteres *Turonum* populi nomen huic regioni fecerunt. *Turones* quippe pro *Turupii* dictione substituendum in Libris Ptolemæi, ubi *Cæsarodunum* ponit territorii caput.

Fines.

Terminatur Ducatus Turonensis ab Ortu, agro Blesensi, & aliqua Bituricensis portione, Andegavensi, ab Occasu; Vindocinensi ab Aquilone, ac Pictaviensi à Meridie. Longitudo 28, aut 29 circiter leucis protenditur, cui par fere latitudo.

Flumina.

Amœnissima regio multis amnibus perfunditur, quæ hæc vulgo nomina sortiuntur, *Loire*, *Cher*, *l'Indre*, *Clayse*, *Creuse*, *Vienne*, *Bransle*, *Cisse*.

Qualitas.

Illius amœnitatem auget placidissima suavè spirantis aëris constitutio, adeo ut totius Galliæ Hortus ac Pomarium vocetur, *le Iardin de France*. Vini frumentique feracissima est, & nemora habet venationi commoda.

Turones autem inter ceteros Galliæ populos sunt antiquissimi & præcipui, inter Celtas haud postremi, quorum metropolis ad suburbii partem Ligeri alluitur, qui fluvius ex transverso rivum canali propè S. Annam ad suburbia Richii transmittit, eorumque partem Orientalem occupat: à Meridie & Occidente fluvius Idra cursum suum dirigit. Latitudo hujus regionis non ita magna est, propter vicinas & finitimas provincias, quibus circumdatur. Incolæ non magis morum elegantia, quam fide in suos Principes laudantur.

Metropolis Tours.

Vrbem TVRONVM antiquissimam, vulgo *Tours*, Cæsarodunum Tacito, ædificarunt Galli, unde etiam, ob antiquitatem, præ aliis Galliæ civitatibus excellit, adeo ut caput multarum nationum dici meruerit; etiam à Cæsare aliisque, qui Galliam descripsere, pro præcipuis primisque Gallis semper Turones habiti sint. Ptolemæus lib. 2, cap. 8, tab. 3. eos Turegios nominat, ripam Ligeris incolentes. Cæsar plurimis in locis illorum facit mentionem, præsertim in fine secundi libri Commentariorum, cujus hæc verba sunt: *His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta hujus belli ad Barbaros perlata opinio est, ut ab nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur Legati ad Cæsarem, quæ se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur, quas legiones Cæsar, quod in Italiam Illyricumque properabat, inita proxima æstate, ad se reverti jussit. Ipse in Carnutes, Andes, Turones, quæ civitates propinquæ his locis erant, ubi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est.* Vnde colligi potest, Turonenses non fuisse hostes Romanorum, sed Cæsaris partes tenuisse, optimumque hoc antiquæ illorum magnificentiæ indicium esse. Ex historia etiam Gregorii Turonensis liquet, cives Turonenses plurimis in locis Senatores Romanos nuncupari, eo quod jure civium Romanorum usu sint, cujus juris olim amici & confœderati Romanorum fuere participes. Sed posteaquam imperium Romanorum à Gothis, Vandalis, Alanis, Burgundis, Hunnis, & Francis devastatum, Turonum civitas, ut & aliæ, libertate sua privata fuit, duraque obsidione à Gallis pressa, qui tamen commoti reverentia tumuli S. Martini, cujus ossa hic condita sunt, ab incœpto destitere, quin imo tanti postmodum hanc urbem habuere, ut in sanctis reliquiis hujus sacratissimi Episcopi, omnium negotiorum suorum ac conatuum fortunam posuerint. Et hac ratione urbs Turonum Franciæ Coronæ accessit, donec post Danorum & Normannorum irruptionem in Galliam, à Ludovico Tertio in Ingelgerum, Comitem Andegavensem, transferretur, quo hostiles Barbarorum impetus copiis suis repelleret, & oram Ligeris propugnaret. Illud quoque memoria dignum est, quod olim in territorio, fere in ipsis portis & sub mœnibus Turonum invictissimus ille Gallorum Princeps Carolus Martellus, circa annum Christi 729, prælio superarit, necique dederit Regem, una cum quadringentis millibus militum, quibuscum, subjugata prius Hispania, Galliam invaserat. Turonenses etiam hac in parte æternum nomen meruerunt, qui non solum Sarracenis illis acriter restitere, sed & Christianis, cum prælium anceps esset, aditum in urbem præcluserunt, quo salutem non in fuga, sed fortiter dimicando quærerent.

Archiepiscopi.

Primus urbis Archiepiscopatum tenuit Gratianus, qui temporibus Diocletiani vixit. Verum post hunc anno 375 secutus in eodem munere S. Martinus, tertius Turonensis Archiepiscopus. Natus hic creditur in Hungaria, & sub Iuliano Apostata militasse, postea vero, mutato vitæ genere, Turonenses ad Christianam fidem convertisse. Archiepiscopatum obiit annos 26 & ultra. Habet Archiepiscopatus Turonensis undecim Episcopos suffraganeos: Andegavensem, Cænomanensem, Redonensem, Nannetensem, Venetensem, Briocensem, Corosopitensem, Leonensem, Trecorensem, Macloviensem, & Dolensem. Ipsa autem Turonensis diœcesis 1036 parochias subjectas habet. Spectantur in urbe, primo templum Cathedrale S. Gratiani, quod in ejus honorem exstruxit S. Martinus, architectura magnificum, horologio quoque insigne, quod non horas solum, sed & Planetarum motus, Lunæque incrementa ac decrementa designat. Duabus turribus elegantis structuræ exsurgit, paris altitudinis, unde conspectus longe lateque. Deinde Templum S. Martini, in hujus memoriam à posteris fabricatum, in quo ejusdem ossa asservata fuere, donec bellicis furoribus commissa Gallia, ab alterius partis

tis hominibus cremata fuere. Locus cancellis ferreis cinctus aditum vulgo prohibet. Illis inscriptum:

Impia relligio furiis agitata malignis
Ossa viri sancti hic igne cremanda dedit, &c.

Sunt & alia hic templa, sed ea quæ recensui, præcipui sunt nominis. Dimidio ab urbe lapide Abbatia visitur, opus ejusdem Martini, præterlabente Ligere. In ea spectari solent stabulum Regium, deinde ampulla, sacri olei receptaculum, quod Martinoa b Angelo traditum perhibent, quo oleo in Regem unctus fuit Henricus IV, cum Rhemense in Campania, ferventibus ibi bellis, haberi non posset. Duabus leucis infra eandem urbem in ripa Ligeris rupes est concava, unde stillicidia quam plurimas figuras effingunt, alias forma rotunda & orbiculari, alias oblongas, alias amygdalis similes, omnes tamen albo & candido colore politissimas, ut Tragematis persimiles apposite dicantur; ac sæpe fallunt convivas in mensis, præsertim feminas sacchari amantes.

Oppida. Minorum gentium hujus Ducatus oppida sunt Ambocia, *Amboise*: Langersum, Chinonum, Lodunum, Loches, Montrichard, Castellum, sive *Chastillon*, *Asay*. *Amboсiam*, vicum Ambociensem vocat Gregorius Turonensis, hodie *Amboise*, oppidum ad Ligerim loco tam amœno situm, ut cum omnibus aliis hujus regni certare audeat, qua de causa Reges sæpius eo secedere solent. Arcem hic exstruxit Carolus VIII, in qua & repentina morte exstinctus fuit anno 1498. Primum hic templum ædificari jussit S. Martinus, remotis gentilium idolis ac sacris. Templo nomen *Marmonstier*. Templum S. Florentini condidit *Fulco de Nerra*, Comes Andegavensis, qui Canonicatus in eo instituit, reditusque ad hos necessarios addidit. Diu penes Comites Andegavenses fuit. Philippus Valesius accepit per commutationem. Alii dicunt dominum Touarsii imaginario contractu Ludovico XI vendidisse, odio hæredis sui Domini Tremollii: Regem autem oppidum quidem & arcem amœnitate loci captum retinuisse, cetera Tremollio restituisse. Arx in rupe edita posita est, nec nisi fame expugnabilis putatur. Hinc, obortis in Gallia bellorum motibus, in ea Regina regiique liberi, velut loco tutiore, custodiri solebant. *Langersum*, *Langres*, oppidum non ignobile, paulo supra Confluentes Ligeris & Indri versus Orientem. *Chinonum*, *Chinon*, oppidum arce munitum, Francorum regibus olim in deliciis, præsertim Carolo VII, quo tempore æmuli non alio eum dignabantur titulo, quam regis Biturigum; territorium habet fertile & amœnum. Ab hoc oppido majores leucæ versus Pictones initium capiunt. Visitur haud procul hinc pons, qui vulgo *de la Nonnaia*. Arcus sunt lapidei ad medium procurrentes milliare. *Lodunum*, *Loudun*, Pictaviensi ditioni à nonnullis adscribi solet. Olim privatis paruit, nunc sedes tribunalis regii est. *Lochum*, *Loche*, ibidem oppidum est non invalidum, ubi sepulta formosissima quondam mulier Agnes *Surelle*, Caroli VII. Regis, pellex. In crypta arcis repertum olim corpus viri, staturæ raræ; inventus narratur insidens grandi lapidi, capite in ambas manus inclinato. *Mons Richardi*, *Montrichard*, oppidum in amœna planicie situm, rupibus silvisque (quæ vulgo *les Forests de Montrichard*) cinctum. In suburbanis domus sunt subterraneæ, superque eas horti & vineta. *Castellum*, *Chastillon*, oppidum regale ad Indrum fluvium. *Asayum* duplex, unum ad Indrum, quod *Asay le Brusse*: alterum ad Carim (*Cher*) *Asay le Ferron*. *Insula Bouchardi*, *l'Isle Bouchard*, ad Vigennam est fluvium, quo circumdatur. *Cauda*, *Caude*, situm habet ubi Vigenna cum Ligeri concurrit. *Paulmium* arx, Vicecomitatus titulo gaudet, sita loco edito. Vivarium adjacet duorum fere milliarium, muro cinctum.

Insulæ. Porro Ligeris fluvius plurimas hac in regione Insulas efformat; hæ autem speciatim Turonensi territorio tribuuntur: *des Canes*, *de S. Iean*, *des Hastelliers*, juxta Ambociam; *Tribon*, *du Lavoir* ad locum Bonidesiderii, vulgo *Bondesir*; *Mahoudeau* prope *Vervou*; *Roche-Courbon*, haud procul à Turonibus, *de Tourçay*, quæ urbi Turonensi objacet; Insula autem *de Vorger* eidem subjacet; alia deinde Insula *de Maillé* dicta, non longe à cognomine vico; *du Buisson-Berthenecy*, *Druyneau*, *Bec de Cher*, *Trois Volets*, *S. Martin*, *Chapelle-blanche*, *Sauget*, & *Chosé* quæ quidem quatuor sunt ejusdem nominis insulæ, invicem contiguæ; *S. Cosmæ* Insula, in qua sepultus jacet Petrus Ronsardus Gallorum Poëtarum princeps; atque famosissimus ille Berengarius.

Textilia serica. Ceterum hujus tractus incolæ maximam partem, Turonenses præsertim, sericis textilibus operam navant, queis etiam opulentiores negotiantur.

Ducatus. *Marchionatus.* *Comitatus.* *Baronatus.* In hac provincia duo sunt Ducatus & Pariatus, *de Montbason* nimirum, & *de Luines*; duo quoque Marchionatus, *de Mezieres*, scilicet, & *de Mongauger*; Comitatus autem sunt, *Busançois*, *Montsoreau*, *S Maure*, *Chinon*, &c. Plures etiam Baronatus, quorum antiquiores sunt, *Prueilly*, *Ligueil*, *Beaulieu*, *Grand-Pressigny*, *la Haye*, *Chasteau-Regnaut*, &c.

BRENNA.

Brenne. Brennæ quædam portio tribuitur Ducatui Turonensi, altera partim Pictaviensi, partim Bituricensi territoriis; in spiritualibus autem tota est Diœcesis Burdigalensis.

Fines. Agro Bituricensi ab Ortu; Pictaviensi ab Occasu; iisdem confiniis à Meridie; à Septentrione, Turonensi terminatur. Figuram triangularem præfert. Patet longitudine leucis quindecim, octo circiter latitudine.

Flumina. Haud procul à Brennensi territorio *Creuse*, & *Indre* flumina suas aquas devehunt: duo autem rivuli *Claise* & *Dioson* ex hoc tractu ortum deducunt, quo decurrentes per medium irrigant.

Stagna. Stagna plurima ex divergio horum fluminum efformantur, quorum præcipua sunt, quæ vulgo vocitantur *des Sept bondes*, quod aliorum 250 stagnorum & amplius aquas excipit; & quamquam septem obstaculis amotis, aut potius septem faucibus apertis effluat, attamen nec hoc sufficit, ut tot aquis ibi regurgitantibus evacuetur; sed agger nonnunquam proscindendus est, ut aquæ liberiùs erumpant: *Picadon*, quod vastissimi totius



DVCATVS
TVRONENSIS
Perlustratus et descriptus ab
ISAACO FRANCO, Ædili Regio,
et in ea provincia viarum magistro.
TOVRAINE.
Septentrio.
Meridies.
Occidens
Oriens
VENDOMOIS.
PARTIE D'ANIOV
ANIOV.
PARTIE DV BLAISOIS
PARTIE DV BERRI.
PARTIE DV POICTOV.
Tours
Bloys
Amboise
Loyre flu.
Chinon
Loches
Milliaria Gallica communia.
Amsterdami,
Apud Guiljelmum et Iohannem Blaeuw.

tius regionis ſtagni, Vigniaci nempe, vulgò *Vignaux*, aquas admittit. Hæc ſtagna & pleraque alia Claiſæ amni ſeſe committunt, qui inde piſcoſiſſimus evadit, & lucios, cyprinos, percas, anguillas, piſceſque alios optimos affatim producit.

Oppida. *Meſieres.* *Blanc.* *Tournon.* *La Haye.* *Tour de Rancé.*

Meſerenſis civitas regionis caput, collegiatam in ſuburbiis Eccleſiam habet. Arx hujuſce Marchionatus eſt elegans & vetuſta. Villa Blanca Creuſa flumine diſſecatur, parte altera Bituricenſis, altera Pictavienſis territorii. Turnonium quoque burgus eodem modo diſpeſcitur, ut & urbs *la Haye* dicta, quæ eandem ſortitur diviſionem. *La Selle* burgus eſt non ignobilis, Turonenſis ditionis. Quà tractus hic vergit ad Creuſam fluvium, prætendit ampliſſima quædam nobilium palatia, ſcilicet *Neville-les Bois*, ubi Rancea Turris; *Ronay*, ubi famoſiſſimum caſtrum *du Bouchet*, quod loco ita eminenti aſſurgit, ut duodecim procul leucis proſpici queat; ædes deinde Avenionenſes & aliæ conſpiciuntur.

Qualitas.

Hæc regio depreſſa eſt, nec multum frequens, ac velut inculta & ſilveſtris, paucis vinetis conſita, nec triticum aliud quam ſiliginem & avenam producit. Viæ ſunt aquis impeditæ, ac viatoribus difficiles, imo & ipſis Brennæ incolis, qui velut paludibus immerſi & ſilvis obſiti degunt. Copioſiſſimos ſuis nemoribus nutrit cervorum, damarum, aprorum, aliarumque ferarum greges; eſt etiam ibi maxima avium fluviatilium multitudo.

Mores.

Plebecula obtuſo eſt ingenio & parum ſagaci, ignara, deſes, malitioſa & nequam; proceres autem, & primarii cives, omni morum elegantia & honeſtate præditi ſunt.



AVRELIANENSIS PRÆFECTVRA.

AVrelianenſis Præfectura ſub celeberrimo ejus nomine longe lateque patet; continet enim Ducatus Aurelianenſem, Andegavenſem, Turonenſem, Nivernenſem, Vindocinenſem, Bituricenſem, Engoliſmenſem, Maiſnenſem, Comitatus Perchenſem, Bleſenſem, Pictavienſem, Terram Aulnis, Belſiam, & partem agri Gaſtinienſis, vulgo *Gaſtinois*, quarum regionum deſcriptiones partim ſupra dedimus; partim verò infra ſubjiciemus.

INFERIOR BELSIA,
DVCATVS AVRELIANENSIS, ET SOLONIA.

Extenſio.



INferior Belſia, vulgo *la Baſſe Beauſſe*, ipſa eſt veriſſima quæ Belſiæ nomine regio indigetatur. Ipſa autem inter Senonenſem, Aurelianenſem, & Carnotenſem Epiſcopatus diffunditur.

Flumina.

Connia fluvius hanc regionem alluit; flumen hoc, paludem potius, quam fluvium nonnulli putant, nam areſcit ſæpius ea tempeſtate, qua ceteri intumeſcunt; 25 circiter leucis decurrit, ac poſtmodum Ligeri ſe immittit. Huic amni impoſita eſt præclara domus *de Fontenay*. Sunt alia duo flumina, quæ ex Aurelianenſi ſilva emergunt; de quibus mox in ipſius ſilvæ deſcriptione mentionem injiciemus.

Dimenſa fuit, Franciſco I, Rege, Aurelianenſis ſilva, inventaque ſeptem viginti mille orgyias in ambitu continere, ſed ab illo ævo mediam fere partem præciſa, in vineta, arvum & paſcua uberrima evaſit. Incipit ab Occaſu civitatis Aurelianenſis, juxta locum *de Monpipeau*, porrigitur autem ad viam, quam dicunt, Romanorum; ab Ortu verò uſque ad Gyennenſe oppidum procurrit. Ex hoc nemore duo progrediuntur fluvii, *Pont aux Moines*, & *Bionne* dicti; ille nomen ſumpſit à præpingui hujus regionis Prioratu; hîc autem ab ejuſdem nominis oppidulo, quod alluit. Cæterum hac in ſilvâ, lautiſſima venatio eſt, nam feræ omnigeneris ibi reperiuntur. Eò loci quondam præcipue venationis oblectamenta captabant Reges; quod teſtantur diſſeminati paſſim inſignes hac regione burgi, quibus ideo cognomen inditum eſt *aux loges, Vitry aux loges, Neufville aux loges*, &c. Quod equi ſupranumerarii, vulgo *relais*, & in ſubſtitutionem defeſſorum adducti, ibidem ſtabularentur; quapropter & iſti burgi poſtmodum frequentes evaſerunt. Ceterum tota hæc ſilva optimo in fundo conſita eſt, eaque de cauſa variis in locis exciſa locum frumento, vino, uberrimiſque aliis proventibus fecit.

Orleans. Nomina.

Aurelia civitas à Iulio Cæſare & Ptolemæo *Genabum* nominatur; Strabo autem τῶν Καρνούτων ἐμπόριον illam appellat; nomen verò quod impræſentiarum præfert, ab Aulercis veteribus forte accepit.


Fines.

Soloniam habet à Meridie; ab Aquilone autem ſuâ ſilvâ cingitur. Illius ager in Soloniam procurrit, & in Gaſtinenſe territorium; quidquid ſupereſt, id ipſum vera eſt Belſia. Vrbs omnium amœniſſima in lætiſſimo Ligeris colle emicat. Inſulam gratiſſimam in gremio præfert, pulchris arboribus conſitam, quibus & umbræ delicias excipit, alia vero ex parte ſuperbis ædibus exornatur. Inſula urbi ponte nectitur, ipſa autem civitas intenſi arcus figuram imitatur, cujus funis eſt ad Meridiem, quâ ſcilicet Ligerim aſpicit; parte autem altera molliter incurvatur.

Decem portis venientes excipit, magniſque ſuburbiis accreſcit; ſuperſunt etiamnum antiquorum murorum rudera; plurimùm autem huic urbi acceſſit poſt Anglorum tempeſtatem; nam regnante Carolo VII, ille, quo nunc cingitur, ambitus inceptus eſt. Anguſtæ ſunt urbis veteris plateæ; ſpatioſæ vero quæ in nova civitate conſpiciuntur: publicos habet mercatus, queis frumenta, & vina communiter diſtrahuntur. Caſtellum, ſeu juſtitiæ Prætorium non quidem pulchrum eſt aut elegans, ſed potius abs ſua antiquitate commendatum. Horologium majus pondo octoginta mille librarum extat in turri publicæ Domus. Sunt in urbe parochiales Eccleſiæ 22, quarum quatuor totidem Collegiatis ſunt annexæ; præter Cœnobia, & Conventus utriuſque ſexus Religioſorum.

Eccleſia S. Crucis.

Cathedralis Baſilica S. Crucis creditur ab uno ex primitivis Aureliæ Epiſcopis condita ab anno 360, opulentiſſimis ornamentis abs Conſtantio Imperatore Arriano dotata; cujus rei cauſæ in


GOUVERNEMENT GENERAL
DV PAYS
ORLEANOIS.
Nivernois
Orleanois
Anjou
Touraine
Blaisois
Poictou
le Maine
Berry
Angoumois
NORMANDIE.
ISLE DE FRANCE.
BRIE.
LE MAINE
ANJOU
POICTOU
BLAISOIS
ORLEANOIS
Vendosmois
BEAUCE
LOUDUNOIS
BERRY
NIVERNOIS
BOURBONNOIS
MARCHE
LIMOSIN
ANGOUMOIS
SAINTONGE
MER DE GASCOGNE.
ISLE DE RE
ISLE D'OLERON
Pertuis Breton
Pertuis d'Antioche
Pertuis de Maumusson
Riviere de la Garonne
Occidens
Oriens
Septentrio
Meridies
Milliaria Gallica communia

veteribus iſtius Eccleſiæ, & Abbatiæ monumentis recenſentur: iis annumeratur Eccleſiis quæ ab ipſo Chriſto fuere conſecratæ, S. Dionyſii, in Gallia, S. Severini Burdegalenſis, & Arelatenſis in *Provincia*.

Fuit hæc Eccleſia ſæpius diruta, ſæpius quoque reſtaurata, præſertim ſub Rege Roberto, urbe ipsâ penitus incensâ. Inceperat Henricus IV, ſuper iiſdem fundamentis illam reſtituere, cœptumque opus proſecutus eſt Ludovicus XIII. Porro hæc Baſilica quinquaginta Canonicatibus exornatur. Sunt aliæ præterea Eccleſiæ Collegiatæ, ſcilicet S. Aniani, S. Petri *Puellarum*, S. Petri *in puncto*, & S. Aviti. Extat Eccleſia S. Salvatoris loco Synagogæ Iudæorum, qui Aureliâ fuere expulſi anno 1184.

Res vitæ ſuſtentandæ neceſſarias deſiderat nullas: & imprimis vinum, quod ex circumjacente agro colligitur, & generoſiſſimis Galliæ accenſetur. Sanitati tamen proficuum non creditur. Sic ut etiam Pincernæ regio hoc Principi ſuo propinare vetitum perhibeant. Exportatur tamen Ligeri opitulante, & poſt mari in diverſas Europæ Septentrionalis provincias diſtribuitur, nomen ab urbe mutuans. Deambulationes extra urbem ſunt peramœnæ inter vineas, quæ tamen nunc viridariis, nunc hortis fructiferis, nunc arvo frugum ferace interſtinguuntur.

Vinetum, quod civitati Aurelianenſi circumjacet, duas & viginti parochias habet; & ſane frequentiſſima eſt regio; nam quædam ex iis parochiæ, *Ingre* nimirum, & *Olins*, bis mille & amplius familias numerant; adeo ut ſi totius vineti familiæ in unum coaleſcerent, potentiſſimam componerent civitatem; hîc rurales domus non vulgarem elegantiam oſtentant.

Regimen. Aurelia auguſto Magiſtratu conſpicua, Vrbis Majorem habet cum decem Conſulibus ſeu Scabinis; Mareſcallum quoque, necnon pontium viarumque Præfectum, & Monetariam Officinam. Quantum autem ad Aurelianenſem Præfecturam, illa tam longe lateque ſe extendit, ut inter ampliſſimas Galliæ juriſdictiones cenſeatur.

Qualitas. Aëre fruitur puro & clementi; in pulchram planitiem ſe pandit tota fere regio; frumento, vino, frugibus, fructiferiſque arboribus abundat. *Mores.* Humaniſſimi ſunt incolæ & comes, robuſti, laborioſi, negotiationi addicti; attamen qui exteras nationes nullatenus frequentarunt, rudes ſunt, iracundi, & otio nimium dediti. Verum maxima regiorum Officiariorum multitudo, iſtam qualemcunque morum duritiem emollivit; ſed hac viâ luxus irrepſit, cum olim eſſent frugi, & rebus ſuis intenti.

Lingua. Linguæ Gallicanæ elegantia hîc in urbis meditullio, & Blæſiis ea floret, ut palmam facile præripiant omnibus. Hinc Gallis Aurelianiſmus, quod Græcis Atticiſmus. Puellæ inprimis excolere illam nituntur, ac cum æmulatione ita in ea excellere laborant, ut Pindarum ſe exprimere (*Pindarizer* vocant) gloriari auſint: quod & Merula in Aureliæ deſcriptione adnotavit. Illam tamen elegantiam turpant una atque altera vox & ſignificativa & conſignificativa, in extremis oppidi regionibus, ubi alia, eaque rudi dialecto utuntur, *e* longo in *a*, modo Dorico, mutato, præſertim circa Portam *Banniere*, quas ut non facile indigenis eripias, ita monitus quam facillime evites.

Opes. Ex tantâ, quam obiter attigimus, rerum omnium abundantiâ, extitit hæc omni tempore opulentiſſima civitas; cujus opes etiam commerciorum frequentia ſupra modum adauxit, & accumulavit. *Vires.* In toto autem Aurelianenſi Ducatu, locus neutiquam firmus aut munitus reperitur; ſola Aurelia ab omni ævo pollet viribus, præclaro mœnium ambitu cincta, ſtrenuis habitatoribus exculta, etiam olim Attilæ aſſultibus intrepida perſtitit & inconcuſſa.

Equidem mala ſuſtinuit plurima. Vt antiquiora taceam, ab Attila arctiſſime obſeſſa, & tantum non ad deditionem coacta fuit. Virtute tamen & fortitudine civium vim omnem viriliter ſuſtinuit, certa etiam ſpe ſuppetiarum ab Ætio, Merovæo, Theodorico. Creduntur etiam preces ſancti Aniani, ſub id tempus Epiſcopi Aureliani, civitatis conſervationi profuiſſe. Vide Sidon. Apollin. 8, *Epiſt.* 16. Cujus nomini & memoriæ ædificatum fuit templum, poſt cœnobium effectum, hodieque *S. Aignan* dictum. Nec minorem inſultum paſſa eſt ab Anglis, ſub regno Caroli VII, anno 1428, cum puella Aurelianenſis, de qua mox, ſuppetiatum ipſi veniret, & obſidionem ſolveret. Parilem obſidionem tulit anno 1536, à Franciſco Guiſiæ Duce, nomine Regis Caroli IX. Quem cum ſcelerate Poltrotus intereniſſet, pacto obſidio ſolvebatur: quo de noviſſimæ hiſtoriæ conſulendæ.

Diviſâ quondam inter Clodovæi Magni liberos Monarchiâ, fuit Aurelia regni potentiſſimi ſolium & titulus, multaſque provincias ſibi ſubjectas complectebatur; ſed poſtmodum in Ducatum erecta, Regum liberis in peculium & appennagium aſſignata eſt. Plures habet Caſtellanias, quarum prima eſt ipſa Aurelianenſis, vulgo *le Chaſtelet d'Orleans*; ſecunda, *Lorris*; quæ quidem urbs in ſilva Aurelianenſi ad Ortum ſita eſt. Tertia, *Yenville*, Aurelianum inter & Carnutum, urbecula elegans, muris circumvallata. Quarta, *Baugency*, titulo Comitatus inſignita; eſt verò in colle Ligeris poſita, pontemque prætendit 22 fornicibus ſuffultum. Quinta Caſtellania, *Chaſteau-renard*; Sexta, *Boiscommun*; *Yeure-le-Chaſtelle*; Octava, *Chaſteau-neuf*; Nona, *Vitry*, Decima tandem *Neuf-ville-aux-loges*.

Baillivatus Aurelianenſis ex Caſtellaniis jam enumeratis coaleſcit, prout & ex ſequentibus; nimirum, *Pluviers*, frumentorum mercatu celebris; *Meun*, urbecula non ignobilis, 20 Canonicorum collegio inſignita; *Artenay*, *Toury*, *Angerville*, &c.

Caſtella. Hujus regionis Palatia, Caſtella, præclaræque nobilium ædes hoc ordine recenſentur, *Laz*, antiquum Borbonicæ Domus patrimonium; *Doiſy*, *Malsherbe*, *Chaſteau-neuf*, *Chenaille*, *Chamerolles*, *Chemant*, *Acheres*, *Rouchemont*, *Montpipeau*, *Huiſſeau*, *Fontenaille*, *Avalé*, *l'Orgé*, *Duyſet*, *Lornay*, *les Gaſchetiers*, *Duilly*, *Fontpertuis*, &c.

Viæ. Extra portas Aureliæ, quacunque egrediaris, duro ſilice ad duas ſaltem aut tres leucas conſtratæ ſunt viæ. *Inſulæ.* Ligeris autem fluvius hinc procur-

currens, varias Nanneten usque Insulas efformat, *Roselin*, scilicet, & illam, cui *ab Anseribus* nomen est inditum, vulgò *l'Isle aux Oyes*, quæ unam ambitu colligit leucam; Insulam deinde *de Baugency*, octocentis passibus protensam; quæ vero Calvo-Monti objacet, ducentis passibus porrigitur: plures alias passim reperies, si Ligeris ductum fueris prosecutus.

Quina Gallicanæ Ecclesiæ Concilia Aureliæ sunt celebrata: multi etiam Reges ibidem inaugurati, Carolus nimirum Calvus, Robertus, & Ludovicus Crassus. Non tam late patet Diœcesis, quàm ipse Ducatus aut Præfectura; ducentas tantum & octoginta parochias habet, & triginta Prioratus, undecim Collegiatas, & quinque Abbatias.

Neque silentio involvendum singulare & eximium prorsus Aurelianensium Antistitum privilegium, quo quidem illis potestas facta, ut ipso die primi solennis in urbem adventus, possint quoscunque urbis carceribus mancipatos, illico relaxare; & quod mirum, Nicolaus *Nets*, ejusdem urbis Antistes, hac fretus potestate, cum anno 1632 urbem pompaticè ingrederetur, undecim supra quadringentos carceribus liberavit. In hac autem pompa, quatuor ex hac Diœcesi Barones tenentur Episcopum usque in thronum Episcopalem suis humeris deferre.

Academia. Academia, sive Vniversitas Aurelianensis antiquissima est; & collegia seu gymnasia Ecclesiarum, aut Cœnobiorum omni ævo celeberrima fuerunt. Guntrannus Rex primo suo in urbem adventu, felicibus auspiciis linguâ Hebræa, Græca, & Latina exceptus est. Florebat illa Academia ætate D. Ludovici; anno quoque 1230, S. Richardus Magnæ Britanniæ Episcopus, Theologiæ operam navavit in cœnobio Dominicanorum. Imo & Bonifacius VIII, Pontifex summus, suas Decretales anno 1298 illuc transmisit, ut in eadem Academia prælegerentur. Celebris est hæc Academia, & à Germanis frequentata, qui nonnullis ibi privilegiis potiuntur: præsertimque ut linguam Gallicam addiscant, illuc se conferunt; ubi & suæ Nationis Procuratorem obtinent, gaudentque Bibliotheca & Ærario sive Bursa suæ Nationi propriis; ac præscripto quotannis die solenni pompa per urbem procedunt, delato etiam vexillo, ubi Aquila, Imperii insigne, depicta est. Plateæ, eleganti pavimento ex lapide quadrato minusculo stratæ, nulla impuritate inambulantes maculant.

Areæ complures majores, minores, quarum celebratiores sunt, *la place de l'Estappe, le Martroy*, (ubi supplicium de reis sumitur, unde & nomen mutuata creditur) *S. Aignan, les Mottes.* Nonnullæ arboribus latissime ramos diffundentibus inopacantur: quod præ omnibus aliis amœnitatem Aureliæ incomparabilem conciliare videtur.

Innumera certè alia in hac ornatissima civitate reperiuntur, sed relictis naturæ, artisque ac magnificentiæ miraculis, ad Providentiæ prodigia transeamus, sicque commendatâ meritissimo jure Aureliâ, sermonem ad alia convertemus.

Exhibet Pons Aurelianensis singulare, & dignissimum memoratu pietatis monumentum, Deiparæ scilicet iconem, Christum è Cruce depositum inter ulnas præferentis; à cujus uno latere extat Caroli VII Regis, cataphracti, effigies; ab altero, Puellæ quoque cataphractæ, flexis genubus, cæsariem humeris defluentem gestantis; cui junctæ manus supplicantis instar; huic olim nomen Ioannæ à parentibus inditum, vulgo *Ieanne d'Arç*; à rebus autem præclare gestis, eximiisque facinoribus *Puellæ Aurelianensis* decoro & celebri nomine insignita est. *La Pucelle d'Orleans.* Puella, inquam, insolitum Providentiæ regna nutu gubernantis, miraculum, pauperculis orta parentibus, pascendisque ovibus addicta, flagrantibus Anglorum procellis, Aurelia obsidione pressa, & arctè circumvallata rebusque pene desperatis, Carolum VII Regem adit, suppetias ex parte Numinis illi allatura, quod & præstitit; nam brevi septem Anglorum millia occîdit, sexagintaque illorum munimenta solo coæquavit, tandemque Aurelianensem obsidionem solvit; in cujus rei, ac stupendæ liberationis perennem memoriam cives inclyti Aurelianenses suo ponti prædictam effigiem apposuere. Vrbem tali encomio celebravit Iul. Scaliger.

Non potuit magni caput esse Aurelia regni.
Ergo quod reliquum est, cor animusque fuit.
Dat Bellona manum, facundam Curia linguam.
Ars potuit nullis ulla latere modis.
Tam come ingenium, tanta est prudentia rerum.
Hæc quod non novit, Gallia muta silet.
Ipse pater choreas agitans in vertice Nysæ
Olim, aut hinc, aut huc munera læta tulit.
Nil humile aut vulgare sonat: magna omnia, magni
Quin animum vulgus principis ipse gerit.
Quæ tibi non cessit, toti non cesserit orbi.
Cedere non debes tu, nisi sola tibi.

SECALONIA.

Sologne. Nomina. Secaloniam variis nominibus auctores appellant, nimirum, *Sigalauniam, Siligoniam*, eò quod siliginem proferat, & *Sabuloniam*, quod abundet sabulo. *Fines.* A Giennensibus fere pontibus orditur, procurritque ad *Cheram* fluvium, vulgo *Cher*, totamque Australem Aureliæ ultra Ligerim regionem occupat. *Extensio.* Quadraginta circiter leucas longitudine, octodecim autem latitudine colligit.

Illam plura, sed innavigabilia flumina rigant; præcipua autem sunt *Loiret, Cousson, Beuvron*, & *la Sauldre*. Loiretum unico nascitur ab Aurelia milliari; illius autem fons tantâ scatet aquarum abundantiâ, ut amplissimum lacum efformet ferendis etiam navigiis onerariis idoneum; at cum ad binas tantum leucas decurrat secus vineta, circumagendis duntaxat molendinis inservit. Hic fluvius quosdam æstus patitur, quales maxima flumina perpetiuntur, ita ut totam fere regionem suis fluctibus inundet; attamen piscosissimus est, & cygnorum innatantium candore decoratur. Haud procul absunt *S. Cyre & Cobray* rivuli, qui inde in Loiretum properant. Collis huic amni imminens præclaris ædibus disseminatur, ubi etiam *du Pontil* spectatissima domus. Sunt alii præterea hujus tractus fluvii, scilicet *Cousson, Canle, Beuvron, Sauldre*, quo nomine duplex fluvius indigetatur; *Neere, Berenjon, Reze*, &c.

Oppida. Remorantin.

Præcipua autem oppida ſunt, *Ratomagum*, vulgo *Remorantin*, *Gergeau*, *Suily* & *Aubigny*. Ratomagum Saldræ fluentis aſſidet, oppidum elegans, & caſtro inſigne. Spectatiſſimo Canonicorum Collegio gloriatur. Pannis laudatiſſimis ipſi indigenæ & operantur, & negotiantur. *Gergeau* urbs ſatis nota ob pontem commodiſſimum, quo Ligeris fluvius ibi pertranſitur; fulget etiam Collegio Canonicorum; *Sully*, Ducatus & Pariatus, in ora ejuſdem fluminis ſitus, iiſdem Dignitatibus præcellit; *Aubigny ſur Neere*, urbecula muris cincta, & caſtro munita; *Clery* Secaloniæ burgus, quaternis ab Aurelia leucis diſſitus, ubi egregium Deiparæ templum, cujus Canonici, loci Dominio potiuntur.

Gergeau.

Qualitas.

Amœna ſatis eſt hæc regio, nam ſaltibus conſita, fontibus ac rivulis reſperſa, gleba fertili, quæ præcipuè ſiliginem melioris notæ producit; paſcuis abundat, omnis generis venatione gaudet, non tamen aucupio; præſertim verò nutriendis gregibus & armentis cultores inſudant. Bobus duntaxat arant, & quidem ingenti labore arvum proſcindunt, namque altius terram penetrant, illamque attollunt, quò aquas tutiùs devitent; novem boves unico addicunt aratro. Cœlum prorſus inſalubre, nec aquæ ſunt ſalutares, ſed ponderoſæ; unde forſan incolæ, vultu ſubpallido utplurimum, aut quaſi plumbeo devenuſtantur. Nihilominus ipſa regio eſt habitatoribus frequens.

Mores.

Indigenæ omni ſollicitudine rei familiari intendunt, altius apud ſe res trutinant, profunde ruminant, vix proximis ſe aperiunt, aut cuiquam communicant. Vulgaris parœmia, *Stolidi Secalonienſes, in proprium duntaxat emolumentum falluntur!* Gallicè, *Niais de Sologne, qui ne ſe trompent qu'à leur profit.*

Puiſaye.

Puiſæus tractus Electionis eſt Gienenſis. Generalitatis autem Aurelianenſis, cujus Gubernatori ſubjacet; *S. Fergeau* illius eſt caput & metropolis; comprehendit alia pleraque loca, *Toucy* nimirum, *Perreuſe*, *Treigny*, &c. Hinc plures, fluvii exoriuntur, *Chenille* ſcilicet, *Mezille*, *Bourdon*, *Ouayne*, &c. Sed de Solonia, ſeu Secalonia, pro inſtituto ſatis.



BITV-

BITVRIGVM REGIO,

vulgò

LE BERRY.



Ituricensis ager ille est, quem olim *Bituriges Cubi* insederant, in priori scilicet Aquitania; in posteriori verò *Bituriges Vivisci*. Provinciarum Notitia vetus vocabulum aliquatenus immutavit. A Septentrione Secalonia clauditur; habet autem ab Ortu Hurepensem, Nivernensem, & Bojorum tractus; à Meridie Lemovicensem; ab Occasu denique Pictaviensem, & Turonensem. Longitudine 60. leucis, latitudine 32 protenditur. *Fines.*

Flumina. Præclaram hanc provinciam plurimi amnes alluunt, quorum præcipuus, nomine non re ipsa, *Carus*, assignatur; suo ille exundans alveo multa damna infert, tantoque decurrit impetu, ut vix equus totis viribus contendens possit in adversum flumen obniti. E Lemovicensibus jugis nascitur, moxque nativo fonte egressus, Tardam fluvium in Bojorum finibus excipit, posteaque rivulum *Amaron*, qui *Neris* oppidum prolabitur, à Nerone olim extructum, & veteribus monumentis etiamnum insigne. Inde *Carus* Monluçonium defluit, rapitque obviam *Cosnil* flumen, *Bande*, *Aumance*, *Chaulne*, ac *Trevillies* rivulis oneratum; tandemque *Marnandæ* aquis locupletatus, ponte sternitur ad locum *de Bruiers*, alteroque itidem ponte, ad Novum-Castrum, vulgo *Chasteauneuf*, in Biturigum limite, emensoque postea spatio, *Auram* cum plerisque aliis amnibus admittit; ex cujus fluvii appellatione, *Avaricum* Latini derivarunt. Porrò alia flumina sunt, *Auron*, *Molon*, *Aurette*, *Colin*, *Tripaude*, *Azin*, *Choëstre*, *Ovatier*, *Beranjon*, *Barageon*, *Arnon*, *Cynaise*, *Theo*, *Tournemine*, *Saudre* major & minor, *Reze*, *Poson*, *Nahom*, *Moton*, *Indre*, *Couard*, *Clery*, *Eschandon*, *Creuse*, major & minor, *Veiron*, *Croute*, *Bouzine*, *Gartampe*, *Vinçon*, *Seve*, *Basile*, *Anglin*, *Aise*, *Blenaise*, *Blou*, &c. Præter autem hîc enumerata, sunt & pleraque alia, quæ hanc regionem perfundunt, de quibus in aliarum descriptione terrarum abunde tractamus. *Cosnil.* *Marnande.* *Eure.*

Divisio. Dividitur autem Bituricensis regio in Superiorem & Inferiorem; Superior à Ligeri, ad Lovaterum usque flumen procurrit; Inferior verò, à Caro flumine, ad Creusam usque itidem flumen.

Bourges. *Avaricum Biturigum Cuborum*, *Biturica*, & *Biturica*, vulgò *Bourges*, vetusta ostentat mœnia, partim Romanorum opus; partim à Carolo Magno extructa. Integrum S. Fulgentii suburbium, cum ipsâ etiam Auroræ platea, fuere olim intra muros conclusa, necnon & illa, quæ *de Montchevry* nominatur, usque ad Clementiam Turrim; ubi visuntur superstites quædam antiquitatis reliquiæ tum intra muros, tum extra; ipso quoque loco *arenarum fossa* nuncupato, atque amphitheatro. Vetus civitas tantulum inclinat, qua parte paludi objacet. Septem portis majoribus adventantes excipit, ac quibusdam minoribus, quas posternas vocant; septem quoque suburbiis amplificatur; septemdecim parochias habet, & septem Collegiatas, præter quatuor Mendicantium cœnobia, binas virorum Abbatias, unam S. Ambrosii, S. Sulpitii alteram; tres quoque feminarum D. Mariæ Annunciationis, S. Laurentii, & Mendicantium Clarissarum.

Fluvii & paludes, urbem potenter muniunt, ferèque reddunt hostibus inaccessam; neque enim averti possunt aut exsiccari ob erumpentes passim scaturigines. Turris ingens seu crassa tres orgyias spissitudinis habet, tantæque altitudinis, ut ex illius vertice ad quatuor leucas facilis sit prospectus; in ea omnis bellicus apparatus reperitur, præclarumque Gubernatori domicilium exhibet. Hic ostenditur ferrata cavea, cui Ludovicus, Dux Aurelianensis, postmodum autem hujus nominis duodecimus Franciæ Rex, fuit mancipatus. Cathedralis Basilica Stephano Protomartyri dicata, amplissima est, habetque præaltum campanile plumbo copertum, deauratasque porticus, ac cæruleo colore depictas. Sancta quoque Capella, opus est magnificum & elegans, ad Parisiensis S. Capellæ exemplar effigiatum. Tribuitur illius ædificium Ioanni Biturigum Duci, profusæ liberalitatis & munificentiæ Principi, qui quamplurimas ædes alias insignes excitavit. Hîc Briati Gigantis ossa conspiciuntur, qui quidem perperam Bituricensis Gigas appellatur, ferturque quindecim cubitos altitudinis implevisse; Illius sepulchrum in Comitatu Crussoliensi, anno 1456, regnante Carolo Septimo, fuit repertum. Videtur etiam cujusdam inusitatæ magnitudinis cervi effigies; visuntur adhuc eadem in urbe Domus magnificæ viri opulentissimi Iacobi *Cœur*, ædesque columnis statuisque marmoreis interstinctæ; extra muros vero, viæ plurimæ ac meatus subterranei, arcuato opere eleganter extructi, conspiciuntur, qui in varias hujusce regionis plagas porriguntur. Sunt & alia Romanæ antiquitatis monumenta, militaria nem-


BITVRICVM DVCATVS.
DVCHE DE BERRI.
Amsterdami Guiljelmus Blaeuw excudit.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
SOVLOIGNE.
Souloigne Biturigum
Bourges
Brenne
PARTIE DE TOVRAINE.
PICTAVIAE PARS.
LA MARCHE DE LIMOISIN.
PARTIE DE BOVRBONNOIS.
PARTIE DE NIVERNOIS
HVREPOIS
Turribus a binis, inde vocor Bituris.
Milliaria Gallica

nempe præsidia, aliaque id genus ædificia non à Romanis solum, sed à veteribus quoque Gallis constructa.

Yssoudun. *Exoldunum*, sexto à Biturigibus milliari, *Theols* flumine perfunditur, ipsius autem scaturigo quatuor ab Exolduno leucis *Fontheols* appellatur, ramus est majoris fluvii, qui hoc ipso nomine insignitur, in urbemque aggestis molibus in usum molendinorum invectus est, unde coriariis, tinctoribus, membranariis, aliisque artificibus maximo est emolumento. Ipsa civitas firmis mœnibus cingitur, fossis præaltis & latioribus, turribusque ac munimentis aliis obarmatur; arx quoque adjacens, muris fossisque vallata, & amne circumfusa, instar est urbis sejunctæ, crassissimam turrim in præsidium prætendentis. Ibi Domus regia, & Iustitiæ solium, Ædes S. Stephani, Benedictinorum Abbatia, superbaque hujusmodi ædificia eò loci, velut in tutiore urbis parte, posita sunt; ideoque ipsi proceres ibi domicilium elegerunt. Amplius autem ipsa civitas se diffundit, nec angustis adeo finibus coarctatur; illam incolunt cives, mercatores, opifices; hîc mercatus, tabernæ, hospitia, quatuorque spatiosa satis suburbia. E Turri, Baillivatuque Exoldunensi plurimæ dependent Baroniæ, ac feuda. *Charros*, urbs est & Castellania, Bituriges inter & Exoldunum sita; hanc Arnon fluvius irrigat, quem exornant lætissima in margine prata, silvæque amœnissimæ & opacæ, *de Fontmoreau* dictæ, necnon & optimum alia ex parte vinetum.

Chasteau-Roux. *Castellum-Rufum*, sive *Chasteau-Roux*, civitas & Baronia pervetusta, in finibus Biturigum, octo circiter ab Exolduno leucis; hodie Ducatus ac Pariatus titulo conspicuum, muris, turribus ac fossis munitur, cum quatuor amplissimis suburbiis; Indræ fluentis alluitur; Ipsum autem territorium viginti leucas & amplius ambitu colligit; milleque & ducenta inde relevant feuda.

Sancerre. *Sancerrense* oppidum, vulgo *Sancerre*, ad Ligerim situm, decem à Bituricensi urbe milliaribus, in monte eminet, cujus radices alluit fluvius, ubi S. Theodebaldi portus. Hæc civitas in veterum monumentis commendatur quasi *Sacrum Cereris*, quod nempe Ceres in ea coleretur; aut potius, ut *Sacrum Cæsaris*; hunc nempe locum velut in alto positum delegerat Cæsar, quò vota cœlo propiùs nuncuparet, acceptamque, diis auctoribus faciens, felicitatem ac fortunam referret. Nunc tantum quatuor portas habet, quarum altera *Cæsar* nominatur; hanc portam inter & illam, quæ ab *Ansere* nomen sortitur, Castellum insidet. Protenditur illius ambitus ad duo mille & quingentos passus. Famam à Dominis & Comitibus accepit, sed celebriorem ab obsidione & clade, quam perpessa est anno 1573, priusquam peremtoriis armis cederet; nam calamitates insolitæ Ierosolymis & Numantiæ illam adæquarunt.

S. Satur. *S. Satur* sub Sancerrensi oppido visitur, urbis gaudet titulo, turribus ac fossis obseptæ. Ibi Abbatia insignis, quæ sua etiam vetustate gloriatur; Castellum quoque muris solidissimis, turribusque optimis est munitum.

Les Aiis d'Angilon. *Ajacia*, oppidum est arce vallatum, sex à Sancerra leucis. Arx ipsa validissima est, 800 passus ambitu continens. Decoratur Collegio Canonicorum; subsuntque urbi ac Castellaniæ parochiæ novem, ex qua etiam ducenta relevant feuda. Vrbs est antiquæ memoriæ, quæ quidem sæpius vastata, clades diversas & incendia sustulit tum à Vercingentorige, tum ab Anglis & Burgundionibus. *Colin* flumine subtus alluitur.

Montfaulcon. *Mons-falconius*, civitas, castro edito munita, muris cincta, crebris turribus ac fossis vallata. Hic Baronatus 28 parochias sibi subjectas habet, quas inter *Baugy* burgus elegans, castro conspicuus recensetur, ubi nundinæ novies quotannis celebrantur. Hac regione quinquaginta plus minus stagna spectatæ magnitudinis reperiuntur; præter cætera autem Poligniense, quatuor in ambitu leucis expanditur.

Lury. *Luriacum*, exiguum quidem, sed priscæ memoriæ oppidum, muris clausum, ceterisque industriæ munimentis, ut superius memorata oppida, instructum, ubi quadrata turris stupendæ magnitudinis. Hæc Castellania quinque tantum parochias subjectas habet, attamen usque ad Carum amnem diffunditur.

Gracay. *Gracæyum*, urbs Baronatu insignis, mœnibus & castro munitur; præclaris fulget ædibus. Hic panni lanei melioris notæ conficiuntur. Regio est silvis opaca, & stagnis ac amnibus irrigua.

Linieres. *Linieres*, urbs est & Baronia, optimo mœnium ambitu, & castro obarmata. *Arnon* fluvius in Bojorum finibus nascens, hanc urbem perlabitur, ipsumque territorium ad tres leucas procurrit. Inde Rizensis Castellania dependet, ac quinque complectitur parochias, habetque vetustum castrum, cujus radices perfundit Cinesus amnis, qui in Arnonium postea influit. Hujus urbis incolæ plurium jure Nundinarum potiuntur.

S. Severi. *S. Severi* oppidum Baronatu insignitum, arce defenditur; illius ager vinetis est consitus, ac pratis lætus, ubi & numerosos pascit animalium greges; arcem Indra fluvius allambit. Illius habitatores macerandis coriis insudant; unaque & altera vice quotannis nundinas celebrant.

Argenton. *Argentona*, urbs castro firma, Bituriges ab Aquitanis dirimit, in monte castrum eminet, septem crassis turribus, tribusque minoribus adjunctis; omnium crassior, turris Eraclea nominatur. Vallatur præstanti mœnium ambitu, & crebris turribus, quarum radices allambit Creusa flumen, quod quinis inde milliaribus, in Marchia Superiori nascitur, unde cursu velocissimo proruit, donec ad rostrum confluentium aquarum Viennæ amni demergatur, sub portu Pilensi, ubi navigabilis esse incipit, ac truttis, luciis piscibusque aliis refertissimus est. *S. Marcelli* oppidum haud procul dissitum est.

S. Marcel. Boussac. *Boussac*, urbs & Castellania in Bojorum & Marchiæ finibus, muris clauditur, turres prætendit & arcem in rupe positam, binisque amnibus obseptam, Creusa scilicet minori, & Veyrona. Multas complectitur parochias, quas inter *Leract* oppidum tribus firmissimis arcibus insigne; *Moserines*, *Clugnat*, *Iallesches*, & *Vaulfranche*, locus elegans, Præceptoriâ conspicuus. Hæc plaga stagnis fœcundissimis, & piscibus optimis abundat, silvis est consita, quibus feras, cuniculos, alias que venationis prædas nutrit.

Castra,

Castra, vulgò *la Chastre*, quam subluit Indrus amnis, urbs est satis ampla, cui castrum assidet; pannorum, aliarumque rerum mercatoribus est frequens. Sunt multa alia hujus tractus non ignobilia loca, quæ vernaculâ Gentis linguâ vocitantur: *Chasteaumeillant*, *Chastelet*, *Motte-fully*, *Marveil*, *Voulon*, *Neufvy*, *S. Sepulchre*, *Agurande*, *Clin-dessus*, *Masseure*, *Coudray*, *Dun le Roy*, à quo non longe remotum sublime & opacum Mousuense nemus, vulgò *Mousu*; prædictis accensentur *Vierzon*, seu *Versio*, aut *Eversio*; urbecula scilicet sæpius eversa & cremata; *Mehun*, Latinè *Medinum*, *Magdunum*, & nonnullis *Mediolanium*, egregio castro decorum, ubi ager frumento & leguminibus ferax, cui circumjacent amœnissima prata, & densissimæ silvæ; ibique est opima venatio.

Mousu, nemus.

Aubigny sur Neerre. Concressaut.

Aubiniacum, aliàs *Aubigny sur Neerre*, ubi quondam Prætorium, seu sedes regia, quæ hodie ad *Concordiam salutis* translata est. Est autem *Concordia-salutis*, Gallicè *Concressaut*, insignis burgus, muris nequaquam, sed fossis obseptus, Sancerram inter & Aubiniacum in valle projectus, Castrum muris ex quadrato lapide cinctum, sex validissimas turres habet, æquali ab invicem spatio dissitas, in radicibus autem fossam centum pedibus latam, altitudinis duodecim, & aquis semper offertam, in illam enim suas Sauldra amnis aquas derivat. Spississimi sunt arcis muri, altiusque ædes assurgunt, coctis laterculis extructæ, tecta scandulis pulchro ordine dispositis operta, quorum apices plumbo deaurato nitent, disseminatis etiam variorum animalium, ursorum, cygnorum & aliorum peritissime expressorum figuris.

Qualitas.

Aër hic saluberrimus, & ager fertilis, qui rerum omnium copiam suppeditat; pecore & equis abundat; tantaque est ob silvas passim consitas, ferarum ac silvestrium animalium multitudo, ut cum domesticis sæpenumero pascantur.

La Chapelle d'Angilon.

Capella Angillonensis castro etiam defenditur; neque urbi aut castro sua munimenta desunt, muri, turres, fossæ, circumfusa flumina. Hic spatiosum est vivarium proceris nemoribus obsitum, quaternisque milliaribus excurrens; in medio semita seu via in modum aggeris delineata jacet, cui assident hinc illinc tuguriola, seu casæ viridantes & amœnæ, circumfluuntque stagna ac piscinæ.

S. Aignan.

S. Aniani oppidum & Comitatus optimis mœnibus clauditur, castro quoque præalto & forti obarmatur. Iuxta urbem profluunt Eura, Sauldra, & Carus fluvii. Hîc Carus navigiis ferendis est idoneus; urbs negotiationi & commerciis frequentissima est, nam opportunitatem præbet Eura navigabilis, ipsaque regio frumento, vino, fœno, frugibus & silvis feracissima. Tredecim in suo districtu parochias habet. Porro Sellensis urbecula S. Aniano contigua est. Sunt & multa alia hujus regionis loca, nempe *Leuroux*, *Vatan* laneis opificiis & pannis celebre; *Oblincum*, Gallice *le Blanc*, *Preuilly*, *Sevilly*, Latinis Soliacense castrum, *la Perouse*, *la Salle-le-Roy*, *Chastillon*, *Buzançais*, *Palluau*, *Menesto*, *Enet*, *S. Palais*, *Cluys*, sive *Cuys*, *Tradegoulat*, *Bourg-Dieu*, *Quantilly*, *Valençay*, *Nançay*, *Montron*, *S. Amand*, *Bommiers*, *Boisbelle*, seu *Henrichemont*, & vulgò *Rougemont*, &c.

Selles.

Qualitas.

Bituricensis regio amœnissima est, multorum benigna nutrix populorum, queis omnia ad vitam necessaria subministrat. Frumentum magnâ profert abundantiâ, ut & vinum, quod laudatissimum est, & ætatem fert; nam Exoldunense vinum ad viginti annos sincerum asservatur. Celebriora autem Exoldunensis territorii vineta sunt, *Crevecœur*, *Champ-lort*, *Haute-roche*, & *Pied-rouan*. Nec ignobilia sunt quæ sequentibus locis enascuntur, scilicet, *Chasteau-Roux*, *Sancerre*, *S. Satur*, *Argenton*, *la Fretay*, & *Reully*. Silvæ & pascua ipsam regionem commendant quibus etiam partibus sterilis & otiosa videtur; ubi vero flava, pinguis & fœcunda est, frumentum, siliginem, hordeum, & avenam profert. Aëris benignitate gaudet, & gratam amœnitatem sua viriditate spargunt arbores passim consitæ; herbæ & plantæ ibi teneræ sunt, & in alimentum pecoris sapidissimæ, imprimis ovium, quæ optimo pastæ alimento, subtilissimas quoque & laudatissimas lanas ferunt. Bojorum quidem oviculæ lanam rudem & oblongam gignunt, verùm hanc in regionem adductæ, lanam emendant, subtilioremque emittunt ac præstantiorem quàm anteà. Fructus optimos edit & varios, poma scilicet, pyra, persica, pruna, nuces, &c. Habet ferri & argenti venas, imo & lapicidinas, è quibus lapides structiles eruuntur. Frequens ibi venatio & aucupium, quin & volatilium aquatilium maxima multitudo, necnon & copiosissima piscium omnis fere generis sapidissimorum captura.

Commercia.

Lanis præsertim & pannis negotiantur hujus regionis incolæ, quamvis enim rebus innumeris quibus abundant, commercia ineant, præ cæteris tamen panni Bituricenses totâ Europâ laudatissimi sunt; nam neque in Gallia, neque in exteris provinciis melioris notæ reperiuntur. Singularis autem est politia quæ in signandis apud Bituriges pannis observatur. In id operis enim viri sex quotannis eliguntur, qui Domi Publicæ convenientes, auctoritate Magistratus pannos inspiciunt, antequam Ovis effigies, quæ est urbis insigne, illis apponatur. Vix est ullum hac in regione oppidum aut burgus, ubi non aliquoties nundinæ, frumentarii mercatus, vini, leguminum, coriorum, lanarum, pecorum majorumque animalium quotannis celebrentur.

Vires.

Maximis etiam viribus pollet hæc regio, nam præter Bituricensem Turrim omni bellico apparatu instructam, aliis quoque validissimis munitur, Dunensi nimirum, Sancerrensi, Exoldunensi, & aliis; firmissimas etiam arces 124 numerat, quarum vulgaria nomina hîc inserere operæ pretium duximus; nam illæ fere totidem nobilissimis familiis nomen imposuere. Cæteris prælucet arx Exoldunensis, vulgo *Yssoudun*, de qua superius mentionem injecimus; sequuntur deinde *Villelongis*, *Baugy*, *Boussac*, *Concressaut*, *la Sale le Roy*, *Meun*, *Haute-rive*, *Vouillon*, *Montfaucon*, *Linieres*, *Bocard*, *la Creuzete*, *S. Fleurant*, *le Lys*, *S. Georges*, *Leuzeret*, *Pauldy*, *Cluy dessous*, *Culant*, *Vierron*, *Contre-Moret*, *la Motte-Sully*, *Nançay*, *Sancerre*, *S. Chartier*, *Vierzon*, *Ville-Mart*, *Salebry*, *Bomyers*,

myers, *la Selete*, *le Coudray*, *Ville-Dieu*, *Cuzains*, *Chaſteau-roux*, *Pringet*, *Brouilhamenon*, *la Verrery*, *Bruſlebant*, *Boiſſac*, *Marmaignes*, *Montigny*, *Beaulieu*, *Iuſſy*, *la Vaul de Boureil*, *Breſſy*, *les Aiis d'Angillon*, *Verrieres*, *Quantilly*, *Brelieres*, *Vauvirile*, *S. Aignan*, *la Mote-cochon*, *S. Palais*, *Corbeil*, *Maubrache*, *Dames*, *Charentonnay*, *Brine*, *S. Severe*, *Chaſteaumeillant*, *Soetines*, *Maulpas*, *Beaujeu*, *Quicampoix*, *la Maiſon-forte*, *la Tour-gazeau*, *Vally*, *Cornuſſe*, *les Gordes*, *Douay*, *Saucergues*, *Argent*, *Tuoly*, *Aſy*, *Marſilly*, *Villiers*, *Peſſeliers*, *Dulion*, *Meneſtou-couture*, *Meneſtou ſur Chere*, *Meneſtou-celon*, *Buſſy*, *Soulangy*, *de Portaux*, *Theveu*, *l'Ecluſeau*, *Chaſſi-gravan*, *la Terryer*, *Cilly*, *le Mahuy*, *Buives*, *la Rocherole*, *le Vivier*, *Milier*, *S. Fauſte*, *la Ferté-ville-mort*, *le Broutay*, *Buchevyou*, *Nizeroles*, *Chaſtihuon*, *les Bordes*, *Chambon*, *Malſay*, *Lomethiaul*, *Villemenart*, *le Perreau*, *le Sellier*, *Ville-neufve*, *Meun prés Chaſteauroux*, *Spire*, *Bouſſon*, *Chezelles*, *le Mainet*, *Barneufve*, *Bournoiſeau*, *Prunieres*, *la Ferté-Imbaut*, *Chabenel*, *Monte-Iean*, *le Repaire*, *Cherellet*, *le Courpoy*, *le Brion*, &c.

Hanc etiam provinciam opum abundantia, & populi frequentia ſpectatiſſimam reddunt, ingentia enim ſubſidia in regni neceſſitatibus ſubminiſtrat, nam neque bellorum cladibus vaſtata, neque ullis calamitatibus jacturam perpeſſa eſt, quemadmodum illæ, quæ in confiniis poſitæ ſunt; illa quippe Franciæ gremio inſidet.

In civilibus cognoſcit Iudex & Magiſtratus Bituricenſis, in criminalibus autem urbis Major cum Conſulibus dijudicat. Extenditur quoque hæc Iuriſdictio ad Septum urbis, ut vocant, Gallicè *Septaine*, quod novemdecim parochias continet. Nemini licet cives Bituricenſes extra muros in judicium vocare, nec illorum bona ob perpetratum ab illis crimen fiſco addici, itáque eorum poſſeſſiones jure hereditario ad ſucceſſores devolvuntur. His, aliiſque privilegiis ſibi à Regibus conceſſis potiuntur. Porro extenditur Baillivi juriſdictio ad omnia fere memorata loca, iis duntaxat exceptis, quæ Baillivatus dignitate exornantur. Tota vero Bituricenſis regio paret Gubernatori à Rege præfecto, atque in judiciis ad Pariſienſem Parlamenti Curiam appellat.

Academia. Academia Bituricenſis, olim & hoc etiam ævo ſpectatiſſima eſt, totâque Europâ celebris ob præſtantiſſima ingenia, quæ ſuo ſinu educavit; hanc illuſtriſſimi Principes adierunt, illique ſeſe imbuendos commiſerunt. Florebat jam illa Dagoberti I, Regis, temporibus; hodieque Theologiæ, Iurisprudentiæ, Philoſophiæ, Eloquentiæ, ac denique ſcientiarum omnium radiis emicat. Illuſtrarunt hanc Academiam innumeri pene doctiſſimi viri, quos inter, Salvator Ferdinandus, Andreas Alciatus, Antoninus, Petrus Loriol, Franciſcus Duarenus, Franciſcus Bauduinus, Hugo Donneau, Iacobus Cujacius, Claudius Ronſardus, Rebuffus, Ioannes Faber, Carolus Girardus, ac plurimi alii, quos brevitatis cauſa prætermitto.

Archiepiſcopi. Porro hanc etiam urbem illuſtrarunt ſanctiſſimi illius Archiepiſcopi; qui autem primus hanc ſedem tenuit, Vrſinus vocabatur, Vir ſanctitate conſpicuus, quem alii longa ſerie iiſdem virtutum veſtigiis proſecuti ſunt, nec ad hanc uſque diem defecerunt.

PICTA-

PICTAVIA, vulgo POICTOV.



Nomen. PIctavia, vulgo *Poictou*, à veteribus populis, *Pictonibus* nempe, seu *Pictavis* nomen sortita, fines habet versus Septentrionem, Britanniam & Andegavenses; versus Ortum, Turones, Bituriges, & Lemovices; versus Meridiem, Sanctones & Engolismenses; versus Occasum denique, Oceanum. Conditores, teste Isidoro, Gallos habuit. Hanc provinciam nonnulli terrestrem Paradisum dixerunt, ac jure merito, *Pictaviam* nominari, quasi herbarum, arborumque viriditate depictam, pulchramque adeo, ut nec usquam similem ars ipsa possit imitari. *Extensio.* Extenditur autem 75 leucis in longitudinem, in latitudinem vero 25 duntaxat; *Divisio.* dividiturque in superiorem & inferiorem.

Oppida. Sunt autem hæc præcipua Pictaviæ Superioris oppida, *Augustoritum*, vel *Pictavium*, aut *Pictavum*, vulgo *Poictiers*, hujus provinciæ caput; *Niort, Chastelleraut, Lusignan, S. Maixant, Thouars, Montmorillon, Civray* Comitatus, *Melle, Chizay, Aunay, Vsson, Charroux, Vivonne, Chauvigny* Baronatus, *Angle, Roche-chouart, Brosse, Bridiers, Oirvau, Bressuire, Argenton*, antiquæ memoriæ Baronatus; *Vivonne, la Motte S. Heraye*, Marchionatus. *Episcopatus.* Complectitur hæc regio 1200 parochias sub tribus Episcopatibus, Pictaviensi, Malleacensi, & Lucionensi.

Subest Episcopatus Pictaviensis Archiepiscopatui Burdigalensi, & Parlamento Parisiensi; cujus Ecclesia Cathedralis in urbe Pictavio S. Petro dicata est, in sua Diœcesi comprehendens parochias 700, aliis 722, viginti quatuor archiparochis gubernatas, Abbatias habet 27, aliis 30. Episcopos numerant 98, quorum primus fuisse memoratur S. Victorinus, aliis Martialis, vel Liberius; ultimus Henricus Lodovicus Castaneus, *Chastanier*. Decimus Episcopus numeratur S. Hilarius, magnus ille SS. Trinitatis assertor. Hinc illud Vandelberti in Martyrologio inter opera venerabilis Bedæ:

Pictavis Hilario multum radiata magistro.

Qualitas. Tota hæc quaquaversum regio est frugum, pecoris, lanæ, linique feracissima; vino frumentoque dives, piscium abundans; avium ferarumque copiosa nutrix. *Sal.* In littore regionis Pictaviensis tanta salis extat congeries, ut montes aureos censeas; lætissimum sane Regum Franciæ proventum. Viperæ confectioni theriacæ utiles in hac regione, & imprimis in rupibus & dumetis circa metropolim inveniuntur; quarum numerum ingentem pharmacopolæ Venetias sæpe ablegare solent. *Amnes.* His autem fluminibus irrigatur, *Vie, Clain, Lay, Sevre, Thoüé, Vandée, Vienne, Dive, Voune, Gartampe, Charente, & Seudre.*

Illud autem in hac provincia singulare, & velut ingens miraculum, quod neque homines, neque ulla omnino animalia naturalem obeant mortem mari huc refluente; quasi Oceanus, tanquam alia quædam anima, vim abstrusam gereret vitæ productricem. Illud vero à pluribus viris fide dignissimis sæpius observatum est.

Mores. Eleganti satis sunt ingenio incolæ, sed maxime Pictones; nam jocos serunt cum quadam dexteritate: ruricolæ autem sunt astuti, &, si verum dicendum est, improbi; quibus qui parum fidit, sapere perhibetur. Nobiles strenui, providi, audentes.

Poictiers. Augustoritum, seu Pictavium, regionis caput, urbs vasto ambitu porrecta, non tamen ubique habitatoribus exculta; nam hortis alicubi, amplissimisque viridariis, pratis & terris arabilibus occupatur; situm est autem partim in amœna planitie, partim in prælonga ad Ortum collis crepidine, & præruptis collibus undiquaque cingitur, intermedia angusta valle, ex quibus intus in urbem despectus est, ita ut sclopetarii ad angulum urbis imo loco citra periculum in urbanum militem jaculari possint. Tantum ad portam, Valli vulgo dictam, versus orientem, planitie spatiosa excipitur. Populosa non est ubique, quia ingentibus hortis, & areis repleta. Antiquitatibus suis superbit, arce valida; palatio Gallieni; vastis Amphitheatri ruderibus, vulgo *Les Arenes*; aquæductuum fornicibus, vulgo *Arceaux de Parigne* dictis. Academiam habet florentissimam, cui secundus post Parisiensem locus solet tribui, institutam à Carolo VII Francorum Rege, anno 1431. Templum hic est cathedrale structuræ magnificæ ex lapide quadrato durissimo, D. Petro sacrum à D. Martiale primum, sed non tam augusto opere excitatum. Huic annexa est sedes Episcopalis. Aliud est B. Virgini dicatum in foro magno, quod vocant, *Nostre Dame la Grande*: uti & illud in superiore urbis parte D. Hilario sacrum, à Rege Roberto conditum, & ad differentiam alterius ejusdem nominis *Majus* dictum, æque ac præcedens. Parochiæ numerantur 25; & 4 templa Religiosorum mendicantium, nempe Cordigerorum, Dominicanorum, Carmelitarum, & Augustinianorum. His accedunt & Minimi, Capucini, & Fueillentini, item Iesuitæ, qui optimum hic possident collegium.

Inter Ortum & Meridiem Clanius, vulgo *le Clain*, è Lemovicibus descendens, pedem clivi al-


PICTAVIÆ DVCATVS DESCRIPTIO, Vulgo LE PAIS DE POICTOV.
PARTIE DE BRETAIGNE
Nantes
Andegauensis Ducatus
POICTOV.
Poictiers
Partie de Berry
Haulte et Basse Marche
Lisle de Noirmonstier
Lisle de Dieu
OCEANVS AQVITANICVS.
Lisle d'Re
Rochelle
L'isle d'Oleron
Partie de Xaintonge.
Angou mois
Scala Miliarium Gallicorum.
1 2 3 4 5 6 7 8
Apud Guiljelmum Blaeu.

32

luit, &, porta Valli ad lævam relicta, per canales divisus, insulas quasdam non minus amœnas, quam oppidanorum usibus utiles, efficit, & infra vallum, ad Cypriani Fanum, rursus funditur, parte alvei secundum muros urbis, longius fluente, quæ tandem ad Ioberti pontem jungitur, & pratum Abbatissæ vulgo dictum prætervectus, inter Rupirolium & arcem triquetra forma olim à Ioanne Biturigum Duce, Caroli V fratre, constructum exit. Dein haud longe à Castro-Eraldi Vigennæ miscetur. Vltra arcem suburbium sancti Lazari porrigitur in imo urbis loco. Inde ad Hilarii fanum Septentrioni & Occasui objectum pars superiore non minor extenditur, cujus muris stagnum, vulgo *Sant* Hilarianum, aliis Lazeranum, dictum, subjacet, ponte, cui Archardo nomen, divisum, ex quo sursum enitendo ad Valli portam ascenditur. Hanc urbem appellavit Carolus V ingentem pagum, æque ac idem Turonum oppidum, Hortum; Aureliam, urbem; & Lutetiam Mundum dixit. Et divinus Scaliger existimabat, quod aliæ urbes nihil aliud, quam membra, & corpus, Pictavium autem animam, & spiritum, cum in meditullio Franciæ sit situm, huic regno concilient. Cæterum antiquitatum scrutatores affirmare nituntur, quod Imperator Clodius, in Angliam proficiscens, in comitatu suo habuerit multitudinem Nobilium Pictaviensium; quibus rediens, ad remunerandam eorum fidelitatem, permiserit, ut urbem suam in illo loco, ubi nunc est, ædificarent, cum antea sita fuerit prope oppidum *Chastelleraud*, ubi adhuc hodie rudera quædam veteris oppidi, quod *vetus Pictavium* appellare solent, videre licet.

Alia oppida. *Nyortium*, munitum oppidum, & nundinis toto Regno maxime famosum, ad Suram amnem situm, qui inde navigabilis, per Almetensem agrum decurrens, supra Maranum in mare exoneratur: alius ab eo, qui ex Gastinensis regionis stagnis ortus, silvam vicinam permeat, & Pomeræi ponte junctus per Mortanium, & Clissonem labens, ad Condivicinum Nannetum Ligeri mergitur.

Fontenæum Comitis, vulgo *Fontenay le Comte*, ad Vandelam amnem situm oppidum cum arce, sed invalida, inferioris Pictaviæ.

Lusinianum, *Lusignum*, vulgo *Lezignan*, quinque ab Augustorito leucis, arcem habet saxo undique prærupto & lato impositam. Hæc qua extra urbem prominet, duplici muro firmissimæ structuræ ac crassitudinis circumdatur, ita ut à tormentorum ictibus nihil aut parum labefactetur; adhæc fossa admodum profunda, ut quanquam ex collibus imminentibus in eam despectus sit, difficillimo tamen accessu adeatur: qua oppidum respicit, triplici muro ac duplici fossa cingitur. Domini ejus aliquoties Reges Hierosolymis, Cypro, & Armeniæ extiterunt; & proditum est Melusinam illam famosam prima arcis hujus sumptuosissimæ fundamenta jecisse; Hugonemque II, cognomento Charum, illam ipsam absolvisse. Hugonis nomen huic familiæ ad miraculum usque familiare. Alia oppida sunt, *Montmorillon*, Baronia, *La Basse Marche, Dorat, Sivray*.

In eadem Pictonum Provincia est Principatus *Talmont*, *Talon du monde* quibusdam dictus, ad illustrem Domum *de la Trimouille* pertinens. Talmundus oppidum (inquit *Masson*) in sublimi collocatum promontorio, mari imminet; qua vero parte tellus continenti adhæret, excisum est promontorium; adeo mare circa id oppidum, ob æstum influentem, & refluentem, locum natura munitum, arte munitissimum reddidit; isque locus portum habet conventu mercatorum celebrem. Quin & hic quoque se offert *Roche-sur-Yon*, Latinis Rupisurionensis, & Ducatus Eraldi-Castrensis, quo nunc fruitur Gastonis, Ducis Aurelianensis, filia unica. Hujus oppidum Castrum-Eraldi, vulgo *Chastelleraut*, in plano jacet, muro debile, nec satis profunda fossa vallatum aut pomœrio firmatum, ad fl. Vigennam, cui & pontem impositum habet, à Regina Catharina de Medicis ædificari cœptum, & postmodum cura Ducis Suillensis, sub Henrico Magno, absolutum. Verum inter murum & domos oppidi spatium, licet vacuum, interjacet.

Antequam autem Vienna fluvius Castrum-Eraldi perluat, multa in Pictonum confinio loca percurrit, nempe *Pierre-Buffiere, Solognac, & Chalucet*, unde miles quidam, cum in subterranea specu Imperatoris, & Imperatricis, ac liberorum, in mensa accumbentium conflatas ex auro solido effigies reperisset, profugus evasit anno 1199. Cum autem rumor tam fortunati eventus, ad Richardi Magnæ Britanniæ regis aures pervenisset, urbem illico obsidione cinxit, ubi & in sinistro brachio inflicta è muris sagitta vulnus accepit, quo neglecto cœptam obsidionem pertinaciter prosecutus, exceptum vulnus in pejus abiit; & quidem Richardus urbem expugnavit, at cum aufugisset miles, spe thesauri frustratus Rex, vitam quoque ex incuria vulneris amisit; vanitatis rerum terrenarum illustre relinquens cunctis mortalibus exemplum.

Exceptis vero *Glavæ* & *Goëræ* aquis Vienna Chabanum profluit, ibique pontibus transmissis, ad Garanæ & Vigennæ Confluentem, vulgo *Confolans*, properat, ubi pontibus quoque sternitur. Ad eundem fluvium extat deinde *Availle*, ubi fons, cujus aquæ colicis, stomachicis aliisque doloribus salutares; hic quoque pons pertransitur, ut & in Iordanis insula, tribus tantum leucis inde dissita. Hoc autem nomen loco est inditum, quod castrum reapse in Insula conditum sit, quam fluvius suo in sinu efformat. Ex hac porro Insula *Lussacum* venitur, ad lævamque linquitur Parochia *de Civeaux*, ubi stupendus adeo saxeorum tumulorum numerus in campo vasto & aperto, ut insitum naturæ potius quam artis opus diceres, ni indigenæ ut rem memoratu dignissimam à majoribus accepissent, in cruenta illa Magni Clodovæi adversus Gothos pugna, qua quidem illos fudit fregitque, quoscunque magni Regis milites tam justa de causa prælio defunctos, Angelorum ministerio hisce tumbis lapideis contumulatos fuisse; ipsi namque Beatissimi spiritus Clodovæi recens ad fidem conversi exercitum ut Tutelares à Deo delegati impense protexerunt. Hic quoque ostenditur cervæ trajectus, ubi Clodovæus duce, quæ ad illum è nemoribus venerat, cervâ, fluvium transvadavit. *Civeaux.*

Separis fluvius è *Surete* Pictaviénsi burgo emanans,

nans, à quo nomen assumpsit, Prioratûs *de Pamprou* aquis auctior, sancti Maxantii oppidum perluit; quod quidem à sanctissimo ejusdem nominis Solitario, seu Eremita, nomen & famam accepit. Hic exiguum duntaxat monasterium Clodovæi Magni temporibus extitit, cui præerat venerandus ille Maxantius miraculorum gloria clarus, & alter sui seculi Moses, qui limpidissimos è cautibus fontes virga quoque percutiens eduxit, qui & insanam militum rabiem coërcuit, eorumque pervicaciam, Deum inclamans, castigavit. Ab illo tempore crevit in oppidum, multis ob spem cœlestium beneficiorum ad illius sepulchrum convolantibus, electo etiam ibidem sibi domicilio. Hodie ergo Tribunali regio exornatur, aliisque spectatissimis Magistratibus.

Pont de Vaux. Ligeure fl.

Porro Separis fluvius huic oppido valedicens sub Vauxensi ponte defluit, suoque alveo Liguram aliosque rivulos admittit, & postmodum ad pontem *de Maillé* properat, urbeculam satis celebrem, ubi Antisæ fluvii aquis cumulatur; huic autem fluvio assidet amplissimus *Maillezais* burgus, Episcopali sede nobilis, qui à Latinis, *Malleacum ad Separim fluvium* nominatur, olim vastissima tantum silva, in cujus gremio Pictavienses Comites, & Aquitaniæ Duces ædes amœnitatis extruxerunt, adjecta etiam Ecclesia D. Hilario sacra. Habet hic Episcopatus sequentes Abbatias sibi subjectas, *Absie*, *Belle-fontaine*, ambas Ordinis Benedictini; *Airvau*, *Niœuil*, & *Mauleon*, Ordinis Augustiniani; *Moureilles*, Ordinis Cisterciensis.

Primus autem Malleacensis Episcopus fuit Godefridus de Pouvrelle, qui hanc sedem suis virtutibus exornavit, cui successerunt insignes pietate & nobilitate viri ab anno 1319.

A loco *de Maillezais* usque ad *Marans*, vastæ adeo jacent paludes, ut amplissimos æquent fluvios; est autem *Marans* ingens burgus, arce munitus, & paludibus undique circumfusus, unde hybernis mensibus inaccessibilis est, & ubi mare suos fluctus illuc impulerit. Hic Separis fluvius priusquam mari absorbeatur Pictaviensem provinciam ab Alnensi dirimit.

Luçon.

Luxonium, vulgo *Lusson*, amplissimus quoque est burgus, qui & Lucionum vocitatur; haud procul à Marantio, ut nec Oceano distat, neque eo loci pascua desunt in pecoris alimentum. Exordium cepit à Lucio Constantii Imperatoris & Helenæ illius consortis filio; ubi nobilissimam Mariæ Deiparæ Abbatiam dedicavit. Illam deinde Abbatiam Ioannes XXII Pontifex summus in sedem commutavit Episcopalem anno 1317, subjecitque huic Diœcesi 233 parochias, nec non & Abbatias *d'Orbestier*, *de Talemond*, *d'Angles*, *du Iard*, *S. Marie*, *de la Granatier*, *de S. Michel de l'Erm*, *de Fontenelles*, *de l'Isle-Chauvet*, *du Brueil*, *Groland du Brueil-Arbaut*, & *de Trizay*. Vltimus Luxonii Abbas, primus illius loci creatus est Episcopus, Petrus de la Voirie appellatus; inter clarissimos autem quos habuit successores, minime reticendus vir ille incomparabilis, Eminentissimusque Cardinalis, Armandus Ioannes *du Plessis de Richelieu*, cujus saluberrimis fretus consiliis Ludovicus XIII, Rex, desideratissimam regni, ac rerum prosperitatem expertus est; egit quippe velut

Gallia

cœlestis quædam Intelligentia in supremum Status regimen à Deo immissa, tantumque de Francia meruit, ut ejus sepulchro hic versus jure fuerit inscriptus:

Gallorum columen, lux alma, & gloria Romæ.

Succedit urbs *Thouars*, quem hodie Tremolii possident. Hic Vicecomitatus in Ducatum erectus est à Carolo IX, anno 1563. Ejus oppidum ad fluvium *Touay* situm castello munitur, in quo est ædicula sacra admodum elegans, sumptibus Gabriellæ Borboniæ, uxoris Ludovici Tremollii, ædificata. Et Baronatus de *Mainlers*, *Partenay*, *Meile*, *Chisay*; *Chauvigny*, *Lussac*, *Chastheneraye*, *S. Mesmin*, *S. Gillis*, &c.

Melle.

Mellensis civitas suis hodie ruinis sepulta est, funestis civilium dissidiorum reliquiis; olim eleganti situ conspicua, negotiatione nundinisque celebris. Hanc cum obsedisset Dux Trimollius, eodem die dedita est, quo ille obiit, solennique pompa, Præfectorum militarium humeris elatus, triumphans, etsi mortuus, urbem ingressus est.

Celle.

Pictaviensi quoque ditioni accensetur Cellensis Abbatia, Ludovici XI, Regis, eximia pietate, effusissimaque liberalitate, extructa.

Lusignan.

Lusignanum, suorum radiis Dynastarum fulgens & notissimum oppidum, amplam elegantemque arcem ostentat, cujus Melusina illa tantopere celebrata jecisse fundamenta perhibetur; illa vero arx nondum exortis civilibus dissidiis adhuc integra visebatur. Vernaculum fere huic insigni familiæ Hugonis nomen fuisse reperitur.

Loca. Valence. Fontevraud.

Reliqua loca sunt, Valentia, hujus tractus urbecula; deinde celeberrima *Fontis Ebraldi* Abbatia, Ordinis caput, 14 à Pictaviensi urbe leucis dissita, ubi nobilissimum assurgit templum magnificentia non vulgari extructum.

Gastine. Partenay.

Gastinia etiam exiguus est in Pictaviensi regione tractus, qui sexaginta parochias numerat, Partenæumque metropolim habet; ac nonnullas ditiones & Castellanias, quas inter computantur *Chandenier*, *Amaillon*, *Freseliere*, nec non Abbatia Lapsiensis; est autem hæc plaga montibus, stagnis, rivulis & silvis obsita, unde & Gastiniæ nomen illi inditum, quod nemus feris offertum indigetat; hic enim copiosissimi pecorum, aliorumque animalium pascuntur greges, & ingentia venatorum spolia. Hic quoque castrum *d'Oiron* insidet.

Fontenayum vero Inferioris Pictaviæ caput, Vandæ fluentis irriguum, populis est frequens, Seneschallatu, Tribunalique regio insigne. Hæc urbecula optimorum genitrix ingeniorum, bina Iurisprudentiæ sidera, Brissonium nempe & Tiraquellum Orbi peperit, multosque alios, qui optimarum litterarum peritia claruerunt: Sunt hic quædam territoria Principatus titulo insignita, *Talmont*, videlicet, *Roche-sur-Yon*, & *Luc*; hic etiam invenitur castellum *de Champigny*; *Mirebeau*, Baronatus; *Marcillac*, Ducatus; *la Fosseliere*, Marchionatus; prout & *Noirmonstier*; *Olonne*, & *Apremont*, Comitatus; plurimæque præterea Baroniæ, scilicet *S. Hermine*, *Mareuil*, *Belle-ville*, *les Essars*, & *Rié*, *Tiffauge*, *Mortagne*, *Coulonges les Royaux*, *Chastaigneray*, *Pouchange*, *Chasteaumur*, *Roche-cerviere*, *Montaigu*, *Montleon*, *Montmorillon*, ac demum ca-

Bbb stella-

ſtellania *de S. Onomoie*, aut *Neomoie* dicta. Extant & plurimæ in regione Pictavienſi Abbatiæ, quarum præcipuas ſuis locis in hac Pictaviæ deſcriptione indigetamus.

Pictavia regni titulo inſignita fuit à Gothis, vel Wiſigothis, quos tota Aquitania expulit Rex Clodovæus. Imperator Ludovicus Pius Aquitaniæ Regnum filio Pipino dedit: cujus filios Pipinum & Carolum cum Carolus Calvus, ipſorum patruus, Aquitania dejectos monaſteriis incluſiſſet, ipſe Principatum invaſit, donoque conſanguineo ſuo Arnulpho dedit: ſed abrogato Regni titulo, Ducatus honore inſignitum. Arnulpho ſucceſſerunt ordine Gulielmus Bonus, Eblo I, & II, Gulielmus II & III, Guido, Gulielmus IV & V, hujus unica filia & hæres Eleonora elocata fuit Ludovico VII Francorum Regi; à quo præter adulterii & proditionis ſuſpicionem repudiatam duxit Henricus Normanniæ Dux, qui defuncto Stephano Angliæ Regi ſucceſſit. Henricum tam in Angliæ Regno, quam in dotalibus paterniſque in Francia ditionibus, ſecuti ſunt ipſius filii Richardus & Ioannes cognomine *Sans-terre*. Quum autem Arthurus filius Godefredi, (qui Regis Ioannis major natu fuerat) præferendum ſe Ioanni diceret, perſuaſus à Francorum Rege Philippo Auguſto, ut Pictones patruo Ioanni eriperet, rem viribus aggreſſus, à Ioanne, qui ex improviſo ſupervenerat, fuſis copiis captus eſt, Rotomagumque raptus temeritatis ſuæ pœnas dedit. Eam ob cauſam Ioannes Rex à Conſtantia Arthuri matre apud Philippum Regem parricidii accuſatus, damnatus fuit: ejuſque bona Philippo, tanquam feudorum Domino, circa annum 1202, ſunt adjudicata, cum alia, tum Pictavia: quam mox ſucceſſor ipſius Lodovicus VIII Alphonſo filio conceſſit: quo improli defuncto in poteſtatem Regis Philippi III venit, peneſque ipſius poſteros manſit, donec regnante Philippo Valeſio, ab Eduardo III Anglorum Rege fuit recuperata, retentaque plenius cum omni Aquitania per ſancitam inter eundem & Ioannem Francorum Regem anno 1360, pacem. Factum mox ex Aquitaniæ Ducatu Principatum Rex Eduardus filio conceſſit, qui cum Aquitanis graviſſimum imperaſſet tributum, magnam partem amiſit, deficientibus ſubditis ad Carolum V Francorum Regem. Cujus filius Carolus VII Anglos tota Aquitania exegit, filioque Ludovico reliquit. Hic eam fratri Carolo largitus eſt, quo mortuo, rurſus Rex Lodovicus receptam ad Carolum VIII tranſmiſit; à quo tempore Aquitania, & Pictavium, ejus pars, Gallorum Regibus paruit.



SANTONIA, vulgò XAINTONGE.



GVIENNA Aquitaniæ pars quatuor sub se habet Seneschallias, *Burdigalensem*, *Vasatensem*, *Lapurdensem*, & *Xantoniam*, vel *Santoniam*. Cis Garumnam vero sunt *Santones*, vel *Xantones* (unde *Santoniæ* nomen, quorum meminit Cæsar, Strabo, Ptolemæus, Plinius; etiam Galenus, qui inde *Santonicam herbam* nomen sortiri vult. Iuvenalis satyra III *Santonium cucullum* nominat. Hodie dicitur *bardocucullus*, & adhuc populis hisce maritimis in usu est. Santonum Provincia (vulgò *Xaintonge*) ad orientem Inculismensibus, & Petracorensibus: ad septentrionem Pictonibus regioneque *Alnesia*, *d'Aulnis* vulgo dicta: ad meridiem Garumna & Bourdelesia: ad occasum Oceano, ubi se offerunt Insulæ *d'Oleron*, & de *Marennes*, clauditur. Olim ampliores fuisse Santonibus terminos, non obscure colligitur ex auctore Ephemeridum de bello Gallico, qui scribit eos non longe à Tolosatium finibus abesse; illisque in magno illo contra Cæsarem bello, concilium Principum Gallorum 12 millia hominum imperasse, cum octo tantum millia Pictonibus, Lemovicibus decem fuerint imperata. Regioni nomen dedit metropolis Santonum, vulgo *Xainctes*, vel *Sainctes*, unde & *Mediolanium Santonum* audit, quod à Carentono fluvio vulgo la *Charente*, alluitur. Vrbs Episcopalis est, in qua plurima Romanarum antiquitatum monumenta se ostentant, ut amphitheatrum, aquæductus Caveæ, ubi bestiæ ad spectacula asservabantur, ponsque lapideus Carentonum sternens, cum Arcu summæ altitudinis, ac vetustatis, cui Cæsaris nomen incisum est, & turris quam vulgo de *Mautrible* vocant. Templum ejus cathedrale S. Petri condidit Carolus Magnus, cujus caput muro extra templum incisum spectatur, cum litera Y, ad denotandum, quod hic pius, & magnanimus Princeps in Gallia tot templa fundaverit, quot literæ in Alphabeto huic Y præcedunt, antequam hoc ipsum condiderit. Primus hic loci Episcopus fuit Sanctus Eutropius Martyr, cui successerunt S. Bibianus, S. Ambrosius, Petrus anno 511, &c. Duobus hinc milliaribus Oppidum S. Ioannis, vulgo S. *Iean d'Angely*, Latine *Angeria*, conspicitur, cui à cœnobio venerandæ antiquitatis nomen. Ante fundationem enim hujus oppidi, Abbatiam hic instituit Rex Pipinus, in Palatio suo Angeriano, in honorem S. Iohannis Baptistæ, & memoriam victoriæ contra Gaiferum, Aquitaniæ Regem, adminiculo ac virtute capitis modo dicti Præcursoris, quod Religiosi quidam ex Terra Sancta huc apportaverant, acquisitæ. Sed succedente tempore populus miraculis harum reliquiarum, vitæque innocentia Religiosorum huc attractus, ac permotus, oppidum ædificavit, quod industria inhabitantium pariter, ac situ suo valde commodo, tam potentia, quam opibus, in tantum crevit, ut obedientiæ claustris perfractis summa sæpe temeritate sese opposuerit Regibus ac Dominis suis. Vnde & tribus obsidionibus cincta est. Vltima, quæ sex hebdomadas duravit, oppidum hoc in potestatem suam, deditione facta, recepit Ludovicus Iustus, Galliæ Rex, anno 1621, eo ipso die in quem S. Iohannis Baptistæ natalis incidere solet, ubi omnia signa civitatis ei adempta, imo ipsum nomen *S. Iean d'Angely*, quod minime mereretur, mutatum, ac aliud, nempe *Bourg-Louys*, inditum fuit, ita ut justis pœnis afficeretur. Est humili loco situm ad Botonam, qui ex Engolismensi agro descendens per Chisæum, & Tonæum, quod ad distinctionem alterius ad Carantonum positi, ad *Botonam*, vulgo cognominatur, alveo angusto, sed profundo, labitur, & fossam urbis majorem partem alluit, ac suburbium S. Crucis ab ea divellit. De cætero turribus ac mœnibus structuræ optimæ firma urbs: & superioribus annis bello civili ardente magis firmata. Tribus milliaribus ab hoc oppido se offert oppidum illud exiguum *Matha*, arce optima munitum, quod familiæ haud ignobili, ac ante annum 1050 notæ, nomen indidit. Sunt præterea hic *Lorgaire*, *Archaut*, *Pont Loubleze*, *Talliaburgum* oppidum, & Castelania olim, jam Comitatus, cum arce egregia. Non longe abest à Santonum metropoli, & Fano S. Ioannis, Tremollianæ ditionis. Arx satis ampla saxo pluribus partibus prærupto insidet, cui circumdatur oppidum minime firmum, ita ut oppidanorum domus ad radices fere rupis sitæ, eam quasi corona cingant: desuper spatiosis à natura complanatis in ipso saxo areis, quæ in oppidum & campos subjectos despiciunt. Ab una parte Carentonio alluitur, cui pons firmus impositus est. *Iarnacium* oppidum est, non cinctum mœnibus. Præterea occurrunt *Barbesieux*, cum arce, sub ditione Comitum de *Rochefoucaut*; *Iosac*, & *Broagium*, quod à fluvio in Santonibus, cui à turri cognomine intra terram 3 circiter leucas retracta nomen, Broagium dictum est, vulgo *Broüage*, municipium paucis ab hinc annis conditum, solo paludoso, & accedente mari fere immerso. quod septentrionalium pupulorum istuc ad salis, cujus

Limites.

Xainctes.

Alia oppida.



XAINTONGE,
avec
LE PAYS D'AVLNIS,
LE BROVAGEAIS,
TERRE D'ARVERT,
&c.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
OCEANVS AQVITANICVS
Pertuis Breton
ISLE DE RE
Pertuis de Antioche
ISLE DE OLERON
Pertuis de Maumusson
Pas des Asnes
Embouchure de la Garonne
Tour de Cordoan
PAIS DE MEDOC
PARTIE DU POICTOU
ANGOUMOIS
PERIGORD
La Rochelle

33

illis locis optimi copia est, subvectionem, commeantium appulsu crevit, saburra, quam in naves vacuas imponebant, eo loco exonerata, ita ut tumulus tractu temporis in mari excitatus sit, forma quadrata XXC circiter passuum amplitudine, qui vallo & palis initio à Iacobo Pontiano, à quo & *Iacopolis* nomen, cinctus est, asseribus abietinis & malis navium introrsum ductis, & cespitibus ac lignorum fascibus firmatus. Dein post Moncontурianam pugnam Hardoinus Villerius Riverius locum Protestantibus ereptum, propter situs commoditatem, firmiore vallo & propugnaculis munivit. Sed Francisco Rupifocaudio Comite superveniente, cum inde Dorienna & Hannibal Coconacius dejecti essent, Mirambellus rursus loco muniendo animum adjecit: & insulanis vicinis illuc commoditate & Domini ipsius humanitate invitatis, loca ad habitandum volentibus distribuit. Ita urbs in eam, quam videmus, magnitudinem excrevit. A Santonica urbe non distat *Broagium* pluribus quam septem leucis: totidem à Marennis in vicinia sitis, ubi campanile altissimum spectatur, in quo pharum noctu prælucentem quotidie collocant in gratiam nautarum, qui procul adhuc ab optato portu absunt. Prope Marennas sita est peninsula *Arvertum*, ceteris salsis paludibus latior, ubi ligna pinea visuntur, ilicesque perpetuo virides, quibus abundat: & quia oleaginosa omnia facile ignem viridia concipiunt, ardentque, idcirco à rei proprietate Santonica lingua peninsula illa *Ardverd*, quasi dicas le *verd ardent*, nuncupatur; in hac peninsula se offert Castellum *Monac.* *Roianum* oppidulum antiquum, & in eo non tam opere quam natura munitissima arx, qua Portus, quo prædita, defenditur. Anno 1622 obsidebatur à rege Ludovico XIII, eo quod parum obediens edicta violaverat regia. In hoc tractu se offert Promontorium Santoniæ Ptolemæo citatum, ac Ausonio *Blavia militaris*, vulgo *Blaye* dictum, sic enim ab Ausonio vocatur, eo quod illius ætate præsidiarius miles, illam occuparet, ut & impræsentiarum; nam regni clavis est, fores exteris occludens. Oppidum item Garumna fluvio fere cinctum. Rolando Palatino, Caroli Magni ex sorore Nepoti olim paruisse fertur; quin & additur illum in Templo S. Romani, cum gladio suo, sepultum esse. Charibertus, Parisiensium Rex, Clotarii I filius natu major, vitam hic una cum sceptro amisit, ac in hoc ipso Templo terræ mandatus est.

Arx Iacopolis.

Broagium.

In Santonum diœcesi numerantur Abbatiæ hæ: Angerianensis, sive S. Ioannis Angeliacensis, *S. Iean d'Angely*: S. Stephani de Vallibus, *des Vallées*: Bassiacum *Bassac*: S. Mariæ de Castris, *Chatres lez Cognac*: *Fontis-dulcis*, *Fontdoulce*: S. Stephani de Beania, *Baigne*: S. Leodegarii *Sainct Leger*, vel *S. Ligaire*: de Sabloncellis, *Sablonceaux*: Gratia Dei, *la Grace-Dieu*: Frenada, *Frenade*: *Mortaignier* fœminarum in urbe; S. Mariæ Insulæ Reæ, *Nostre Dame de l'isle de Ré*. S. Mariæ in urbe, *Nostre Dame*.

Episcopos hujus sedis numerat Claudius Roberti 68, quorum primum facit S. Eutropium, ultimum *Michaëlem Raoul* ex Decano Episcopum anno 1618.

In iisdem Santonum finibus est urbs Pontium, vulgo *Ponts*, à pontium subliciorum ingressu appellata: Fluvius enim *la Seugne* penes hanc urbem in tria dividitur brachia, quatuor pontibus strata. Ipsa urbs, quatuor milliaribus Santono distans, dividitur in superius, & inferius oppidum, & illud quod vulgo de *S. Vivien* dicunt, jam fere desertum est. Toparchæ enim Pontiani Iudæos illud antehac inhabitantes expulerunt, ædibus eorum destructis, eo quod virum Religiosum ex Ordine Crucigerorum vulgo *Croisez* ex odio in Iesum Christum concepto, crudelissime necaverant. Pars oppidi, qua Septentrionem aspicit, dicitur *les Haires*, & tribus Ecclesiis Parochialibus ornatur. Toparchæ Pontiani, quorum insignia tres pontes inauratos ostendunt, in jurisdictione sua quinquaginta duas Parochias, & 250 feuda possident, & nulli præterquam Regi homagium præstare tenentur. Cæterum ortum traxisse dicunt ex Pontiorum antiquissima Romanorum familia, in hisce tractibus olim frequenti. quod ipsum, inter alia vetustissima documenta, apparet ex hac inscriptione, quæ adhuc in marmore quodam incisa legitur: *Ælius Pontius, Nepos Pomp. Magn. Tumul.*

Solbizia quoque (*Zoubize* vulgo) oppidum & arx nobilis, quam Carentonus præterfluit.

Cæterum hic Santonum Comitatus, ut in Diplomatibus legitur regiis, comprehendit *Oppidum Santonum*, vulgo *Xainctes*, *Ardverd*, *Marennes*, *Ters*, *Broüage*, *S. Iean d'Angely*, *Pons*, *Ionsac*, *Archiac*, *Barbezieux*, *Talmont*, *Roffignac*, *Cosnac*, *Mortagne*, *Royan*, *Sangen*, *Cadenac*, *Plassac*, *Soubize*, *Frontenay-l'abbatu*, *Tors*, *Taillebourg*, *S. Savinien*, *Dampierre*, *Pisani*, *Chalais*, & *Coutras*, à Coutracensi pugna celebris.

Denique de Santonum Provincia usurpant Galli:

Si la France estoit un œuf,
Saintonge en seroit le moyeuf.

id est, si Galliam ovum statuas, Santones ovi vitellum sunto. Nam præterquam quod cœli clementia, soli ubertate & aquarum bonitate præstant, non datur in Gallia regio quæ vicinarum dotes minus desideret, sive generosas vites, sive frumentorum leguminumque copiam, sive salem, qui illis magis est peculiaris, sive portus tutissimos & commercia spectes.

TRACTVS ALNISIENSIS.

Ad Santonicam Provinciam pertinet regio, quam Latini *Annedonnacum*, & *Alnisiensem Pagum*, incolæ Alnesium (vulgo *Aulnis*) vocant, vitibus abundans, quæ vinum satis generosum præbent.

Aulnis autem dicta fertur ab *ulna*. Cum enim Rex Galliæ hanc provinciam Anglis armata manu eripere conaretur, ac conatus ejus prorsus infelices viderentur, ita ut nonnulli Regem ab adeo tædiosis laboribus avertere voluerint, hoc responsum dedisse legitur: *je suis content d'en gaigner une aulne chaque jour.* In latitudinem pariter ac longitudinem non ultra sex vel septem milliaria se extendens,

tendens, Pictones aspicit ad Septentrionem, & Orientem, Santoniam vero versus meridiem, & Oceanum versus Occidentem. Haud plures, quam duos, agnoscit fluvios, nempe *Severam*, vulgo *la Severe Niortoise*, versus Septentrionem, & *Carantanum*, versus meridiem.

Rupella. Hujus præcipua urbs est Rupella, à rupibus, quibus insidet, vulgo *Rochelle* dicta, urbs Santonum in agro pingui ad sinum maris sita, portus commoditate & maritima negotiatione dives, adhæc privilegiis & immunitatibus magnis à Principibus donata, in hanc quam videmus opulentiam ac potentiam per hæc bella civilia, quæ fere alias aut afflixerunt, aut penitus desolarunt, excrevit. Guilielmus, Tertius Aquitaniæ Dux, hujus urbis incolis, quæ tunc temporis tantummodo ex ædificiis quibusdam piscatoriis constabat, primum permisit, ut muris locum cingerent; imo eos, ut opus hoc eo melius procederet, ab omnibus vectigalibus & impositionibus immunes reddidit. Anglis postmodum paruit; sed cum illi, obsessa jam urbe & auxilium petente, cistam lapidibus refertam, loco pecuniæ auxiliaris, submiserint, urbs Obsessori Ludovico VIII, Franciæ tunc Delphino, anno 1224, portas statim aperiens, fidelitatis ac obedientiæ sacramentum præstitit. Dehinc Bretoniaca pacificatione, post Ioannis Regis captivitatem, anno 1360, cum Pictonibus, Lemovicibus, Santonibus, Engolismensi agro rursus in Anglorum potestatem concessit. Quam ægre id Ruppellani fecerint, indicium fuit, quod anno duodecimo pôst rebellarunt, & Anglis ejectis rursus in verba Regis jurarunt, antiquis immunitatibus ac privilegiis confirmatis, ac novis additis. Ab eo tempore in fide Regum Galliæ urbs mansit; aliquamdiu tamen cum cætera Aquitania Carolo Ludovici XI fratri paruit. Rempublicam quod attinet, ea ante urbem captam, centum-viris ex Civibus electis administrabatur, nempe 50, quos Pares, & totidem, quos Scabinos vocabant; ex iis quotannis post ferias Paschales Major eligebatur, qui summus secundum regium Præfectum & ejus Legatum magistratus erat, maximaque in urbe potestate pollebat; ideoque statutis antiquis cautum, ne plus anno magistratum gereret. Moris autem erat, ut ex omni numero tres deligerentur, quorum nomina ad Præfectum regium, aut ad Regem ipsum deferebantur, qui quem volebat ex iis sumens, inaugurandum in annum insequentem mandabat. Verum omnia illa anno 1626, capta urbe, abrogata, ac cum omnibus privilegiis extincta sunt. Vrbs in Alnetensi pago, qui ad Santones pertinet, ad Oceanum patenti planicie sita est, quæ paulatim tamen ut vix sentiatur, ad eam partem quæ Orientem & Septentrionem spectat, assurgit. Circuitus ejus est quadrangularis, & complectitur tres mille passus. Mare quod urbem alluit, alveo facto 1000 passuum latitudine porrigitur, & dimidium in longitudinem patens, portum efficit, tutissima ad naves tam longas quam onerarias capiendas statione, in cujus faucibus binæ turres ingentes à Rege Carolo V erectæ sunt, lateritio solidiori opere structæ, & fenestratæ in mare prospicientes, tormentis in latera directis firmatæ, quæ vel minimas scaphas subeuntes portu submovere possunt: atque is locus, quod catena utrimque ducta ingressum à mari prohibeat, Catena vulgo appellatur. Præterea à Rupella duobus milliaribus *Bosium* promontorium *Chef de Boys, ou Bays*, vulgo dictum, assurgit, quod sinu vasto, sed à ventis & omni tempestate tuto, cujusmodi sinus toto illo tractu *Bajas* vocant, imminet, cujusvis classis magnæ capax. Turribus iis, quæ portum claudunt, murus magna crassitudine jungitur, rectoque ductu novo & in orbem exstructo mediocris magnitudinis propugnaculo occurrit, Garrotio vulgo dicto, quod totius alvei imperium obtinere videtur, & pro armamentario urbi est.

Pari distantia ab urbe Rupella Oceanum versus, olim valde vetustum se offerebat oppidum, *Castrum Iulii*, vulgo *Chastel-Aillon*, vocatum, ac plurimis turribus cinctum, ex quibus unica adhuc superstes, cæteris omnibus destructis. Tumulo hujus oppidi incunabula sua prima debet Rupella, arce inibi tum primitus exstructa.

Superioribus annis gravi ac longa obsidione, Religionis imprimis causa, cui addicti erant cives, pressa à Ludovico XIII, Galliarum rege, & plus quam Saguntina fame attrita, absumtis aliquot civium millibus, tandem, frustra liberationem ejus tentantibus Anglis, pristina libertate excidit, & anno 1628, feriis omnium Sanctorum, in regis sui potestatem redacta est, qui reiteratam rebellionem metuens, urbem armis hactenus invictam, propugnaculis, mœnibusque omnibus denudatam, minus Francorum sceptro terribilem fecit. Atque ita unà nomen illud, quo quondam *Ville-Blanche* audiebat, amisit, & propter patrata sua crimina, *ville la plus noire* dici merita est.

Maranum Comitatus 4 à Rupella leucis, locus situ solo munitus (inquit Thuanus) utpote nullis mœnibus cinctus, arce, si tormenta non admoveantur, adversus hominum impetus firma; de cætero vastis & spatiosis paludibus, in quibus hyeme aqua restagnat, omni fere ex parte clauditur, ad Septentrionem à Beraldino canali vallata. ad eam per aggerem silicibus munitum Surgeria & Fano Ioannis ad municipium tendentibus aditus patet.

Ciconia, vulgo *Cigogne*, est insula Marano vicina, ut & *Charon*, ubi se offert Fortalitium *de Braw* dictum; *Surgeres* est Baronia, & municipium apertum. *Benonia* est antiquissimus Comitatus. Hunc sequitur Comitatus *Iarriere, Dampierre, S. Xandre; Laleu, Nievil, Esnandes, Adilly-le-Marois, Bourg-neuf, Thaire, Rochefort*, &c.

TRACTVS ENCOLISMENSIS.



Nomina. Fines.

Ncolismensis tractus ab *Encolisma*, vulgo *Angoulesme*, quæ illius est metropolis, nomen accepit; illa autem varia nomina sortitur, *Inculisma* scilicet, *Iculisma*, *Ecolesma*, *Engolesma*, & *Æquolesina*. A Septentrionibus Pictones conterminos habet; Sanctones ad Vesperum; Petragorenses à Meridie; ac tandem Lemovices, ab Ortu. Illius longitudo à Sole oriente in occidentem 23 leucis porrigitur; latitudo à Meridie in Septentrionem, 17.

Flumina.

Notiora illius flumina his vulgo nominibus indigetantur, *Charente*, *Touvre*, *Droume*, *Tardoire*, *Bandiac*, *le Nè*, *Anguienne*, & quædam alia, de quibus propriis dicemus locis.

La Charente.

Carentelo nil usquam videri clarius aut limpidius potest, nihilque illius excursu jucundius; & sane Ronsardus perperam, nec absque injuria, ab Acheronte derivat, cujus aquæ, palustres, lutulentæ, nigricantes & atræ à Poëtis referuntur; hujus enim fluminis undæ à loco originis, Oceano tenus, perpetui instar fontis scaturiunt; quoscunque irrorat agros, eosdem etiam fœcundat, & maximam, quocunque affluit, profert abundantiam; colles amœni in illius margine, silvis & vitibus consiti. Nascitur aut in finibus Lemovicum, inter Pictones accrescit, decursis vero Encolismensi & Santonensi territoriis, Oceano tandem mergitur.

Occurrit alius deinde fluvius, velut naturæ miraculum, Perusa scilicet, qui statis duntaxat anni mensibus, Aprili nempe, Majo, & 14 Iunii diebus profluit, quibus elapsis consistit, nec ultra progreditur; & quod plus mirabere, ruricolas suo de adventu præmonet, ubi enim puteum quendam ore tenus oppleverit, tunc certissimum illius adventus est indicium. Sunt & alii duo divites rivuli, ni eorum nomen falleret, *Aurum*, scilicet, & *Argentum*, vulgo *Or*, & *Argent*, qui ad locum *de Nantueil* juncti adinvicem, uno postmodum alveo decurrunt, unicoque nomine *Argentor* insigniuntur, qui emensa quadam locorum intercapedine, pretiosis suarum aquarum muneribus tandem Carentelum ditant.

Cavernæ Ranconienses.

Celeberrimæ sunt hoc in tractu Ranconienses caveæ, velut quædam insolita naturæ suos thesauros, imo suam peritiam in specubus occultantis miracula; hìc accenso lumine præclara videas conclavia, proceras hominum statuas effigiesque quasi ad vivum expressas, & quasdam animalium figuras, columnas affabre & audacter exsculptas, altaria erecta, & præclaram variarum rerum supellectilem longa serie, & egregio ordine dispositam, imo & vestes multiplicis generis perite assutas, atque infinita alia, quæ nequaquam ars moliri aut imitari ausa est. Angustissimus est harum cavernarum aditus, nec ulla ex parte ullum vel tenue lumen accipiunt, adeo ut adire volenti faces afferre necesse sit.

Hujus regionis caput & præcipua civitas, ipsa est Engolisma, Ducatus & Episcopatus titulis conspicua; sedet in montis apice, uno solum aditu pervia, quo etiam turribus, fossis & mœnibus, apprime circumvallatur, castro quoque non ignobili munitur. Inter præcipua antiquitatis monumenta, illud non vulgare, & plane insolitum; quod illius mœnia coram maximo Rege Clodovæo, postquam Alaricum Visigothorum regem propria manu interfecisset, sua sponte conciderunt, quemadmodum olim mœnia Iericho coram Iosue; Deo nempe, stupendo hoc miraculo attestante, quantum Christi gloriæ tanto facinore operatus esset Clodovæus. Potest quoque illius vetustas suspici ex amplissimis & vetustissimis illius templis; Cathedrale enim à S. Ausonio primo illius Episcopo fuit extructum ante annum salutis humanæ à Christo restauratæ 549. Sunt & alia priscæ memoriæ templa, S. Andreæ scilicet, S. Vincentii, Virginis Deiparæ, S. Antonini, S. Pauli, S. Ioannis, S. Rochi, S. Yvredi; quibus etiam accensentur Ædes sive Cœnobia Franciscanorum, Dominicanorum, Iesuitarum, ac demum S. Martialis. Extra muros autem visitur Abbatia S. Cibardi, ubi Carentelus amnis insigni ponte sternitur. Hic olim sita Viri sanctissimi Eremus & Solitudo, dum adhuc inter vivos agerent Clodovæi Regis liberi; in suburbiis vero extat monasterium S. Ausonio dicatum.

Ecclesiæ.

Portæ.

Vetustus hujus urbis ambitus octo portis distinguebatur, at recens tribus tantum venientes admittit, porta scilicet Nantonæ, S. Martialis, & Chandæ, quæ à quodam civitatis Gubernatore hoc nomine fuit insignita. Porro hæc civitas viginti ab Oceano milliaribus, totidemque à Pictonibus, Rupella, & Lemovicibus dissita est.

Rochefoucaut.

Rupifucaldum quatuor ab Engolisma leucis, insigne oppidum, Ducatus titulum præfert; quatuor Baronias sibi subjectas habet; superbum ostentat castrum; ipsius autem Castellania novemdecim parochias numerat, unde amplissimus Duci proventus; ad quem etiam spectant Baronatus *de Montignac* & *Touriers*, imo & ducenta feuda inde relevantia, necnon & Baronatus *de Verteuil*, ac perelegans domus *de Vaugay*, Vivarium ac nemus *de Tremblay*, &c. Hujus oppidi castrum summopere commendavit Carolus Quintus Imperator, ac inter Galliarum quædam miracula computavit. Cæterum hæc urbs Collegiatam habet Ecclesiam, & Carmelitarum cœnobium.

Iarnac. Coignac.

Engolismensis ager prætendit pleraque alia non ignobilia loca, nimirum *Chasteau-neuf*; deinde *Iarnac*, locus ob pugnam Regios inter & Fœderatos celebratissimus; & *Coignac*, Francisci I, Regis natalibus insigne.

Silvæ.

Silvæ hoc in tractu passim inveniuntur, Braconnensis scilicet, Marthonensis, & aliæ, quæ lingua vernacula certius indigetantur, *Quatrevaux*, *Ruffec*, & *Iarnac*, queis opima venatio.

Qualitas.

Aëre potitur saluberrimo, & agro rerum omnium feracissimo; frumentis præsertim abundat. Nascuntur hac etiam quaquaversum regione vina laudatissima; commendaturque tota Gallia vinum *de Cognac*, ut inter cætera præstantissimum.

INSV-

INSULÆ S. MARTINI, ET ULIARUS,

vulgo

L'ISLE DE RÉ, & OLERON.



Insula Reta, alias S. Martini.

SANTONIÆ, (regio Aquitaniæ est) objacent ad Occidentem Insulæ majores duæ, *l'Isle de Ré, & Oleron*. Prior *Reta*, aliis *Herus*, vel *Herensis Insula*, item *Reacus*, vel *Rea*, & *Reorum insula* dicta, à continenti unius, à Rupella duarum leucarum spatio dissita, per quinque leucas in longum exporrigitur: leucam & sesqui, qua latior, aliis locis multo minor; salis & vini abundans, & aliarum rerum ad vitam necessariarum. Portum & stationes tutas habet qua parte Septentrionem spectat: ad Meridiem, qua mari inhospitali alluitur, & Insulam *Vliarum* spectat, penitus inaccessa; populo ob commercium, & vicis frequens, sub præfectura Rupellæ comprehensa. Insula ad S. Michaëlis cœnobium pertinet, unde cœnobium ipsum Retense etiam cognominatur. Martini Fanum primarium, & maxime populosum tota insula municipium, nomen quoque insulæ dedit. Pagos præterea habet *S. Mariæ, Heers*, unde nomen totius Insulæ *Herus*, *Bois*, *Abbatiam*, *La Flotte*, *La Couvarde*; & 5 Parochias.

Cæterum huic Insulæ *de Ré* annexæ sunt quasi duæ aliæ Insulæ parvæ, nempe *L' Isle d'Oye*, & *l'Isle de Ars*, quæ unam conjunctim habent jurisdictionem, cujus sedes in insula *d'Ars*, & Abbatem Sancti Michaelis dominum agnoscunt. Insulæ *d'Oye*, hoc est, *Anserina*, cum anseris speciem situ suo repræsentet, in circuitu unicum milliare comprehendit, & quatuor aut quinque pagis frequentatur.

Cautio Navigantibus.

Qui continentem inter Pictaviam, & insulam S. Martini navis cursum tuto dirigere volet, propior continenti naviget oportet, longiusque ab insula dicta recedat: littora enim ejus vadosa sunt, & prærupta. Nec tamen nimis radendum littus continentis, cum & illic brevia sint, & syrtes. Interiora subeuntibus ita porro navigandum, donec templum S. Martini situm sit ad Occasum hibernum, quo cum perveneris, superasse te credas pulvillum maris, qui ad Boreale est insulæ latus. Hic refluo mari, profundus est orgyiam unam, pleno mari quatuor. Circa S. Martini Fanum mare altum est 4, 5, 6 orgyias. Quoties anchoram hic figere voles, hoc observa, uti rectà spectanti pateat & objiciatur portus. Hunc locum prætervectus, si navi onusta pulvillum transire voles, qui ex adverso Abbatiæ, Pictones *Nigrum Monasterium* dicunt, extenditur, exspecta usque dum plusculum intumuerit mare; nam remisso mari, deficientibus aquis, facile erit in scopulum impingere. Si anchoram jacere voles prope Abbatiam, capta profunditatem 6 vel 7 orgyiarum. Quod si præternavigare voles insulam Martini, & ad insulam illam triangularem, quam *Brandeylant* vocant, contendere, oculis locum illum signa, in quo linea recta constitutas videbis turres *Lussou* & insulæ minoris *Vrch*. Hoc enim situ nihil periculi erit à vadis *Lavardin* dictis. Iacent hæc quarta circiter milliaris parte ab insula Martini, inter quam & vada ista, tuta datur navigatio. Portus ostium est patens satis insulam inter & Vliarum, quod qui subire volet, studiose sibi cavere debet à promontorio Boreali insulæ Oleron.

Anglorum in eam expeditio.

Insulam hanc celebrem fecit Anglorum potentissima in eam expeditio. Obsessa enim à Ludovico Decimotertio, Francorum Rege, Rupella, Anglorum Rex tutelam ipsius urbis ob communem religionis causam sibi deberi ratus, eo cum numerosa classe misit Ducem Buckingamum, comite Soubisio, Archithalasso regio, qui cum in insulam, 21 Iulii, anno 1627, appulisset, felici satis Marte Gallos repulit, & in pagum, cui *la Flotte* nomen, se recipere coegit. Ipse successus suos urgens, municipium S. Martini nullis mœnibus cinctum occupavit, ex quo paulo ante discesserat Gallorum Dux fortissimus Dominus *Thoras*, qui in castrum & propugnaculum suum se recepit, una cum præsidiariis 2500. Buckingamus municipium vallo cingi jussit, ita ut nulli ipsius injussu exire permissum fuerit. Etiam propugnaculum corona cinxit & aggere, ex prisco, & usitato hodiernæ militiæ more. Cumque consultum videretur Buckingamo non vi, sed fame expugnare propugnaculum, octoaginta Gallorum fœminas una cum liberis coegit adire propugnaculum, ut, si reciperentur, oneri essent obsessis, sin minus, invidiam Gallorum in Gallos concitaret. Durante obsidione causas ejus edidit prolixiore scripto idem Dux, variis varie hoc ejus factum interpretantibus. Cum autem non nisi re-


INSVLÆ
DIVI MARTINI et VLIARVS,
Vulgo
L'ISLE DE RÉ et OLERON.
LE POICTOV.
PAIS D'AVLNIS
XAINTONGE.
Rochelle
L'ISLE DE RÉ
OLERON
PERTVIS DE BRETON
Hollandis Nautis KILIAETS
La grande Tument
Salines de Brouage
Soubize
Moyse
Marais Sallans
Fort de l'Aiguillon
OCEANVS
OCCIDENTALIS.
1 2 2½
Milliaria Gallica communia

centibus vescerentur cibis, carnibusque, & à salitis essent alieniores Angli, morbis affligi & debilitari cœperunt, plurimis exstinctis siti, dysenteria, uvarum immodico esu. Tormento majore ictus cecidit Præfectus *Burcht*; cujus mortem ut ulcisceretur Buckingamus, plurimos explosis in arcem tormentis hoc effecit, ut frater D. Thoras vulneratus obierit, & cum eo è gregariis viginti quinque. Invalescente intra arcem fame, ob cibi inopiam, rerum quæ ad victum spectabant, precia in immensum excrevere. Et grassans diarrhœa dimidiam fere exercitus Anglicani partem consumpsit. Interea favente vento quindecim myoparones arcem subiere, & à commeatu obsessis prospexere, damnantibus negligentiam Anglorum Batavis, qui istic erant. Angli, ne idem postmodum accideret, molem ligneam ex arboribus catenatim cohærentibus portui objecere, sed hanc aquarum & ventorum vis disjecit. Tandem confugere ad eas artes, quibus aliquando usus fuit in obsidione Gertrudisbergæ Illustrissimus Princeps Mauritius. Nempe navigia minora lunata forma disposita aditum Gallis præclusere. Cum autem recepto intra arcem commeatu animi crescerent obsessis, de discessu cogitare cœperunt Britanni. Quumque in insulam appulissent quatuor aut quinque Gallorum millia, decretum inter Anglos insula re infecta discedere. In postremos impetum fecere Galli, quingentis aut sexcentis cæsis. Angli adversis etiam tempestatibus jactati in Angliam reversi sunt, desideratis è suorum numero tribus millibus. Hac victoria erectiores Galli non leviter Anglis insultarunt, ignaviam, rei militaris imperitiam, aliaque fortissimo aliàs & pugnaci satis populo exprobrantes.

Insula Oleron. Vliarus insula, vulgo *Oleron*, omnium rerum feracissima & fertilissima est parens; ambitus ejus septem, aliis 10 milliaribus circumscribitur, longitudo vero quinque, & latitudo unico. Sub ditione est Pontianorum. Cumque *Vbertas.* Broagium sibi alendo minime sufficiat, ex hac annona, & quæ ad victum necessaria sunt, eo comportantur. Plinius Vliarum vocat. Abest à Broagio secundo vento duabus horis aut circiter; à Rupella vero septem, & 24 ab Hispaniæ regno, castro natura loci egregie munito, Canonicorum collegio & Franciscanorum conspicua: parochiis sex, & opimo Benedictinorum cœnobio distincta est. Locus principalis hujus Insulæ est *Castellum*, vulgo *Chasteau*, cui additum est, post expugnationem Rupellę, juxta Portum Oceani, propugnaculum incomparabile. Ab hoc unica saltem hora distat *Dolus*, cujus Toparcha, qui titulo Baronis Insulæ Vliari utitur, supremum ac absolutum in omnes hujus Insulæ Dominos exercet imperium. In meditullio Insulæ se offerunt Pagi duo, nempe *S. Petri*, & *Bonemie*, qui unicam saltem Parochiam constituunt, S. Petri dictam. Hos sequuntur alia hujus Insulæ feuda, nempe *S. Georgii*, *S. Dionysii*, cum Portu ex opposito Insulæ Reorum, & Rupellæ, item *Chastiron*, *la Gomboudiere*, *Matha*, *Chastelliers*, &c. Quin & satis populosa est hæc Insula, quippe quæ duo millia hominum ad sui defensionem exhibere potest. Incolæ partim commerciis, partim piscatui, partim coctioni salis dediti sunt, & Reformatæ religioni fere omnes addicti. Cæterum frumenti, vini, salisque in hac insula tanta copia est, ut nihil ad vitæ hujus usum desiderari possit, aditumque satis facilem habet. Hinc in Belgium & vicinas regiones magna salis vis navibus transportatur. Arboribus quoque consita est, & silvis, in quibus varia se offerunt animalia, ut lepores, perdices, & alia varii generis volatilia.

ARMOTENSIS INSVLA.

Isle d'Armot. ARmotensis Insula uno tantum milliari ab Vliaro dissita, formam ovalem præfert, duasque leucas cum dimidia tum longitudine, tum latitudine colligit. Continentem ab Oriente pertingit; verum exiguo canali à Mornaco sibi vicino sejungitur; à Royano autem densissima Silva; ab Occasu clauditur Oceano; à Septentrione, Cinereo flumine, vulgo *Centre*, qui suos fontes repetit è loco *de Maumusson*, ubi Salinæ, quarum hoc flumine sales distrahuntur, unde proventus maximi; à Meridie demum mari pulsatur. Ex hac vero parte tres sese offerunt aditus, quorum quisque nomen proprium sortitur.

Primarius hujus Insulæ burgus S. Stephani nomine insignitur, ubi Iudicia peraguntur; *la Tremblade* quoque, & alia duo loca illius sunt ditionis. *Loca.* Frumento & vino ferax est insula, neque lignum deest, in ignis alimentum; invenitur etiam gummi, & sal ibidem conficitur. *Qualitas.*

Regimen. Tota vero Insula Brouagensi Gubernatori subjacet, fuitque olim Eminentissimi Cardinalis Ducis *de Richelieu* possessio, ubi etiam quædam nobilium Prætoria, *Foüilloux*, scilicet, & *Beauregard*, ibique medii & infimi Tribunalis causæ deciduntur; verum appellationes ad S. Stephani burgum, indeque ad Santones devolvuntur.

Religio. Vnica est Parochia; verum sunt aliqui etiam in ipsa Insula Prioratus.

Cum autem subsit hæc insula Ditioni Brouagensi, illud ex occasione non reticendum, hoc oppidum, olim Castellum duntaxat extitisse, *Broue* vocabulo indigetatum; quod tanti momenti extitit, ut omnes Anglorum impetus propulerit, unde vernaculi Indigenarum rythmi:

Fronsac, Cropignac, & Broüe,
Ont fait aux Anglois la moüe.

L E-

LEMOVICIVM.

Fines.



Vrdigalensi Parlamento subsunt *Lemovicium*, *Petrocorium*, *Guienna*. Lemovicio, vulgo *Pays ou Comté de Limosin*, ad Septentrionem & Aquilonem adjacent Bituricenses, *Le Berry* vulgo: ad Ortum Marchia superior, & Borbonii: ad Meridiem & Vulturnum Arverni: ad Africum & Occidentem Petrocorii: ad Caurum denique Pictones. Nomen hoc Regioni inditum ab antiquis suis incolis, qui Ptolemæo *Lemovices*, & *Lemovici* dicuntur. Vlmus visitur, grandioris ætatis, inter vicum, cui à *nova Domo* nomen, *la Maison neufve*, & Argentonium, Bituricense oppidum, Septentrionem versus, quæ quatuor ditionum regit vel indicat fines, nempe Bituricensium, Borboniorum, Arvernorum & Lemovicum; adeo ut aliquando quatuor horum populorum Principes dicantur hic sermones inter se conseruisse, quisque in suo territorio.

Qualitas terræ.

Terra non ejusdem ubique indolis: universim sterilior, præsertim in superiori Lemovicio, quod longe sterilius, quam inferius: producens tamen omnis generis fruges, cum primis siliginem, hordeum, panicum, castaneas item, rapas, vinum, sed ignobilius, quod tamen in inferiore Lemovicio generosius.

Incolæ.

Incolæ cibi potusque sunt parcissimi, parvo contenti, lautitiarumque osores: panis tamen helluones, ut proverbio locum dederint; præsertim illius, quem vulgo *la Gonnesse du Limosin* vocant, nempe *Ayssini*, à loco inter Chaslusium, & Lemovicum sito, sic dicto: vini usum pagi fere ignorant. Industrii sunt, ingeniosi, cauti, catique, non præcipites: egregie sibi suisque rebus consulentes. Vulgus tenax, domique sordidius: nobilitas magnifica, altioris animi, liberalis. Ad provectissimam plerique perveniunt ætatem. Sunt qui in familia sua vident abnepotes. Scribit Belleforestius vidisse se familias, in quibus centum cognatione per nuptias juncti simul vivebant, ut collegia quædam agnoscere quis posset.

Veteres habitatores.

Lemovices quidam indigenas esse volunt, & Aborigenes, eorumque conditorem & Principem faciunt Lemovicem, à Gomoritis oriundum. Subjugarunt eos aliquando Gothi cum tota Aquitania. Scribuntur inde Franci, Gothis exturbatis, Lemovicibus dedisse Gubernatores. Leguntur & constituti ipsis Comites & Duces; hi quidem gerendo bello, illi vero justitiæ administrandæ.

Lemovicium duplex.

Lemovicium aliud Superius, aliud Inferius. Superius inferiore planius est, & ad 19 milliaria in longitudinem se extendit.

Metropolis.

Metropolim habet *Lemovicum*, quæ vulgo *Limoges* dicitur. *Ratiastum* Ptolemæo, in Gallia Aquitanica, Aimonio *Lemovix*, & Gregorio Turonensi *Lemovica prope Vigennam* fluvium. Quicquid sit, urbs est ad Vigennam, partim in valle, partim in monticuli sita fastigio, arce, murisque bene munita, ipsissima di-

Gallia.


ligentiæ officina, desidiæ ergastulum. Castitas hic fœminis in precio, & misericordia, quæ vestitu utuntur non adeo decenti. Cæsaris ævo, ut ipse scribit, valde populosa & ingens fuit hæc urbs, quippe quæ decem millia civium fovebat. Verum ab eo tempore partim à Gothis, partim à Francis Galliam tunc occupantibus, partim à Carolo Martello, & Pipino Regibus, Guiennæ regem armis petentibus, imprimis autem anno 1369, ab Anglis miserum in modum afflicta est. Cæterum Episcopatus gaudet dignitate, quam primus possedit ac illustravit S. Martialis, vulgo Discipulus Iesu Christi creditus; imo primus hos populos ad Christum convertens, prima posuit fundamenta Templi cathedralis, glorioso Martyri S. Stephano, quem sanguine attigisse hunc Martialem ferunt, dicati. Huic successere Aurelianus, Æmilius, Atticus, &c.

Alia hic oppida *Glenic*, *Gueret*, *S. Iulien*, *Aixe*, *Eimotiers*, oppidum parvum ad Vigennam duobus pontibus lapideis hic instratum; *Pierre-Bussiere*, oppidum cum arce, & titulo primæ Baroniæ hujus regionis. Et vici, qui vernacule *La Souterraine*, *Le Boisson*, *Barat*, *Consoulans*, quasi dicas *Confluens duorum fluviorum*, cum Garana, & Vienna fluvii hic conveniant. Inter eos Chaslusio famam conciliant annuæ pecudum equorumque nundinæ, D. Georgii festo. Sunt & hic Abbatiæ, inter quas Solemniacum, vulgo *Solognac*, & *Grandimons*, caput ordinis Grandimontensis; item *Fanum D. Leonardi*, magni nominis, inter Lemovicum & Felletinum, *Nobiliacum* aliàs dictum, ob gestus incolarum nobiles, vel ob id, quod Regio hæc à rege quodam Franciæ nobilitata sit, in honorem Sancti Leonardi, captivorum liberatoris, quorum catenas adhuc suspensas in Templo passim videre licet. Familiis illustres sunt, quæ vulgo *Pierre-Bussiere*, *Chasteau-neuf*, *Carsie*, quæ Vicecomitatus honore fulget, *Roche-Couart*, cui inter antiquissimas Aquitaniæ locus, *Maygnac*, & aliæ.

Inferius superiore montosius, dicitur proprie *La Marche de Limosin*. Primaria hujus urbs est *Tutela*, vel *Tutella*, & *Tullum super Curesiam* fluv. vulgo *Tulle*, in aspero montosoque collocata territorio: sedes non Ballivatus solum, sed & Episcopatus novi, ex monasterio in hunc dignitatis gradum à Papa Iohanne XXII elevati. Primus hic Episcopus fuit Arnoldus *de S. Astier* an. 1318.

Est ibidem *Vsarcha*, *Vsarche*, oppidum non inamœnum, grati aëris, ad flumen Vezeram, quod expugnari non posse fama jactitat. Proverbium sane fertur, *cui Vsarche est domus, arcem eum possidere in Lemovicum ditione*. Communis opinio est, quod Pepinus accinctus ad expeditionem contra Gaiferum, Aquitaniæ regem, hoc oppidum primum condiderit, ac octodecim turribus muniverit, quarum una adhuc hodie dicitur *la tour de Leocaire*, eo quod inibi Leocarum, Præfectum Palatii sui, supplicio affecerit. Non silent virtutem civium historiæ, quibus narrantur, Anglis per to-


Scala Milliarium Gallicorum.
Septentrio
LE BERRY.
LA MARCHE DE LYMOSIN
BOURBONNOIS.
Occidens
Oriens
Lymoges
DUCHE
Tulle
PARTIE D'AUVERGNE.
VISCONTE
Meridies
LEMOVICUM,
Auctore Jo. Faiano M.L.
LYMOSIN.


TOPOGRAPHIA
LIMANIÆ,
Auctore
Gabriele Simeoneo.
Septentrio
Occidens
Oriens
Paludes
Clermont
Beau regard
Meridies
Milliaria Gallica
Amsterdami
Excudebat Guiljelmus Blaeuw.

tam Aquitaniam triumphos agentibus, restitisse: suoque Principi Francorum regi fideles summa constantia perstitisse. Obsidione enim septennali ab Anglis oppugnata, sed haud expugnata est.

Briva oppidum in læta fertilique planitie situm, silvis obsitum, vinetis non destitutum. Sedes est Seneschalli. Sunt & alia: *Treignacum, Donzenacum, Allassacum, Bellus-locus, Meissacum, Vssetum, Bello-Montium*, quibus accensentur & *Vijoles, Terrasson* ad Vezeram, & *S. Angel.* De Lemovicibus ita scribit in Tabulis suis Geographicis Petrus

Fertilitas.

Bertius: Lemovices regionem habent frugibus, vino, melle, pecore, jumentis, croco, nucibus, oleribus, pascuis, nemoribus, fontibus, fluminibus, balneis, bitumine, lacubus, argenti fodinis, locis munitis, mercimoniisque refertam, longitudine viginti leucarum, latitudine decem. Continet in se partem Arverniæ, patriam C. Sollii Appollinaris, uberem, divitem, amœnam, non ipsius solum præconio, sed etiam Theodorici Gothi, quem Gregorius Turonensis sic ait milites allocutum: *Ad Arvernos me sequimini, & ego vos inducam in patriam, ubi aurum & argentum accipiatis, quantum vestra potest desiderare cupiditas, de qua pecora, de qua mancipia, de qua vestimenta in abundantiam accipiatis.* Quod etsi de universa regione intelligi possit, tamen de civitate eorum præcipue capiendum est, cujus Turonensis meminit lib. 2, cap. 20. Iornandes exserte: *Erricus vicerex Wisigothorum Arvernam Galliæ civitatem occupavit.* Et in Notitia Imperii clare distincteque commemoratur *Civitas Arvernorum.* In hac civitate etiam studia aliquando viguisse insinuat Sidonius lib. 15, Epist. 3. *Mitto istic ob gratiam pueritiæ tuæ undique gentium confluxisse studia litterarum: tuæque personæ quoddam debitum, quod sermonis Celtici squamam depositura nobilitas, nunc Oratoris stylo, nunc etiam Camœnalibus modis imbuebatur. Illud in te affectum principaliter universitatis accendit, quod quos olim Latinos fieri exegeras, deinceps esse Barbaros vetuisti.*

Viri illustres.

Inde prodierunt insignes pietate & scientia viri, tres inquam summi Pontifices, nempe Innocentius VI, Vrbanus V, & Gregorius XI; inde Eminentissimi Cardinales, & Illustrissimi magno numero Episcopi, aliique Præsules virtute & sanctitate conspicui; inde facundissimi Oratores, quos inter eloquentissimus, & clarissimus toto orbe Muretus, qui & eloquentiam pristino splendori restituit, & purum antiquæ Romæ idioma Romanos ipsos edocuit. Inde oriundus quoque Doratus, optimarum litterarum director, qui & Gallicorum Poëtarum Principis fuit pædagogus; taceo Mathematicos, aliisque præclaris facultatibus exornatos viros: recte dixeris Palladem apud Lemovicenses præsedisse.

Lemovices Ptolemæus vocat λιμουίκους, eorumque urbem memorat ῥαλίαστον, quæ certissime est *Lýmoges.*

Cæterum ad Lemovicium Superius accensetur Ducatus *Ventadour*, in quo sita sunt oppida *Vsselium, Meymar*, & *Glottons*: item *Donsenacum, Neuvy*, & *Denacourt.* Dordonia fluvius est in finibus; sed *Lusigia*, vulgo *la Lusiege*, Arcem *Ventadour* præterlabitur. Vicecomitatus *Pompadour*, cujus sedes principalis est *Libersac*, etiam comprehenditur in Lemovicio superiore: ut & Baronia *Novum castrum*, vulgo *Chasteau-neuf*; item *Liguria*, vulgo *le pas de Ligoure*, inter *Pierre-Buffiere*, & *Massere*, ad quatuor circiter milliaria se extendens. Hic se offert locus principalis *S. Iean de Ligoure* dictus, cum Parochiis aliquot.

Quod ad Vicecomitatum *Turenne* vel *Tureine* attinet, ille partim in Lemovicio inferiori, partim in regione *Quercy* situs est. Ejus longitudo ad octo milliaria, latitudo vero ad septem se extendit. Vrbs *Turenna* duobus milliaribus Briva distat, in inferiore Lemovicio; & est sedes Seneschallatus. Hanc sequitur *Beaulieu*, oppidulum parvum ad Dordoniam fluv. situm. Cætera loca sunt *Argentac, Servieres, Meissac, Curmonté, Malemort*, Baronia non procul ab oppido Briva, &c.

MARCHIA.

Fines.

Marchia hoc nomen sortita quod in margine vicinarum provinciarum sit constituta, Lemovicum, scilicet, Pictonum, Arvenorum, Bojorum, & Biturigum, longitudine 22 circiter milliaribus, latitudine septem tantum extenditur.

Flumina.

Pluribus irroratur amnibus, qui & ab ea suos fontes repetunt, hi scilicet vulgo nominati, *Le Cher*, Creusa minor, & major, *Petite Creuse*, & *la Grande*, cui insident oppida *Felletin, Aubusson*, & *Ahun*: fluvii quoque *Gartampe, Taurion, Vezere*, &c.

Divisio.

Dividitur autem Marchia in Superiorem, & Inferiorem; Superior quasdam habet civitates, quarum primaria *Gueret* nominatur, quæ regiis quibuscunque jurisdictionibus exornatur, Seneschallatu nempe, sede Præsidiali, Castellaniis, Marescallatu, &c. Sunt alia præterea oppida, scilicet *Agedunum*, vulgo *Ahun, Chenerailles*, & *Larnages.* Prætendit quoque insignem Abbatiam Grandimontensem Ordinis caput, & novem Præceptorias, seu Commendatarias, & quatuor antiquissimos Baronatus, nimirum *S. Iulien, la Borne, Malleval*, & *Chasteau-vert*; adjiciuntur etiam Baronatus *de Courtine, Glenic*, & *Froiselines.*

Inferior duas tantum Vrbes habet, *Dorat* & *Belat.* Tota regio saluberrima est; siligines & avenas profert; equosque optimos, & minoris notæ pecora nutrit, unde & opes accumulat. In spiritualibus Lemovicensi diœcesi subjacet.

Combraille Baronatus Marchiæ collimitaneus, octo leucis longitudine, quatuor autem latitudine protensus, hæc quæ subsequuntur continet loca, *Hevaux, Chambon, S. Valerie, Auzance, Lespau, Salmur*, & *Montaigu*, qui locus munitissimus est.

DVCATVS NIVERNENSIS,
vulgò
DVCHÉ DE NEVERS.



Vrgundiæ Ducatui concenseri solent tres urbes Episcopales, quæ tamen Parlamenti Parisiensis jurisdictionem agnoscunt: vernacule nominantur *Nevers, Auxerre, Mascon.* Prima dignitate nunc gaudet & honore Ducatus, cujus ditio (*Duché de Nivernois*) late patens, tribus navigeris fluviis irrigatur, *Icauna, Elavere, Ligeri.* Versus Occidentem aspicit provinciam Bituricensem; versus Orientem Burgundiam; versus Septentrionem *Gastinois*, & *Sologne*; versus Meridiem autem Borboniam. Incolæ rei pecuariæ sunt dediti. Frumenti producit ager parum, vini fere nihil. Præter ferri, etiam argenti habet venas, circa Fanum Divi Leonardi: Carbonum lapideorum, qui haud procul Decisa oppido effodiuntur, magnus ibi usus. Componitur autem hic Ducatus Nivernensis ex octo tractibus principalibus: quorum primus vocatur vulgo *Vaux de Nevers*; secundus *Alimonia*, vulgo *Amonges*; tertius *Montenoyson*; quartus *Icaunicus*, vulgò *de la vallée d'Yonne*; quintus *Morvan*; sextus *Bazois*; septimus territorium inter *Ligerim*, & *Elaverem*; vulgo *Allier*, fluvios; octavus *Donziois*, Baronia.

Fines.

Flumina.

Divisio.

Vaux de Nevers se extendit cum Parochiis suis, quas plurimas habet, usque ad Portas Nivernii. In hoc tractu funditur ac præparatur ferrum è fodinis recens erutum, ope cujusdam materiæ, vulgo *castine* dictæ, quod est terrra petrosa. Fornacibus enim, & officinis ferrariis, ob commoditatem loci, hic tractus abundat. Massas ferreas, seu ferri fusi, quas ex fornacibus depromunt, vulgo appellant *guises*, & hæ singulæ 1800 circiter pondo continent. In Parochia *Pogues* se offerunt duo fontes, quorum unus vulgo *de S. Ligier*, alter *de S. Marceau* audit; hi per venas quasdam nitrosas decurrentes, nitratum saporem præ se ferunt, & ad curanda apostemata interiora, purgandos renes, aliosque morbos occultos, subtercutaneos, & incurabiles conducunt. Spiritus eorum est adeo subtilis, ut statim exhalet; & uterque saporis est valde acidi, imprimis autem ille, qui *S. Marceau* dicitur. Maxima pollent virtute mense Iulio, Augusto, & Septembri, tempestate imprimis sicca.

Amonges est regio valde fertilis & fructifera, & ob hanc causam Latine scribentibus etiam *Alimonia* dicitur.

Montenoyson est arx valde munita, in summitate montis excelsi, ad Ducem Nivernensem pertinens. Nomen suum traxit à vicino pago *Noison.*

Tractus *Icaunicus*, vulgo *és vallées d'Yonne*, in vallibus Icauni fluvii, partim cis fluvium in diœcesi Nivernensi, partim trans fluvium, in Episcopatu Autunensi, situs est. Quinque comprehendit Castellanias; & aliquot oppida, ut sunt *Clamecy, S. Leonard, Tannay, & Dormecy*, &c.

Morvanus compositus quasi est ex Nivernensis, Chastelchinensis, & Burgundensis territorii partibus. Montosa est hæc regio, & saltibus consita.

Bazois plurimis alluitur fluviis, ut sunt *Arron, Canne, Alesne, Andarge*, alii. Prope Decisam, vulgo *Desize*, effodiuntur carbones lapidei, ut vocant, quibus utuntur fabri ferrarii.

Tractus septimus inter Ligerim & Elaverem fluvios situs, initium sumit à confluente horum duorum fluviorum, unico milliari ab urbe Nivernio, & se extendit usque ad Borboniam. Extat hoc in tractu oppidum S. Petri *le Monstier* dicti, & quædam Castellaniæ, nimirum *Chastelneuf sur Allier, la Ferté-Chauderon, Decise, Ganay, Chevenon, Sermoyse, Chalny, Meaulse, Mars, Magny, S. Parise le Chastel, Lothenay, Livry, Chantenay, Thory, Aury*, &c.

Octavus *de Donziois*, ante multa secula Baroniæ titulo claruit, & mediante conjugio Baronis cujusdam Donsensis cum Agneta, Domus Nivernensis hærede, circa annum 1300, Comitatui Nivernensi annexus est. Comprehendit Castellanias, & oppida *Donzy, Entrain, Dreve, Sainct Sauveur en Puisaye, Corvol l'orgueilleux, Billy*, & *Estaiz*; item *Cosne* ad Ligerim, Castellum.

In Ducatu hoc numerantur oppida portis, murisque clausa 13, quorum *Niversium* est metropolis, jurisdictionem exercens in xxx, ut vocant, Castellanias. *Noviodunum*, Cæsari notum, cujus lib. 7 hæc de eo sunt verba: *Noviodunum erat oppidum Eduorum, ad ripas Ligeris opportuno loco positum, &c.* Et ne quis amplius ambigat, urbem Ligeri appositam, quæ *Nevers* vulgo, esse *Noviodunum* Cæsaris: diserte in quadam Notitia Provinciarum Galliæ, quæ penes IC. Iacobum Cujacium fuit, legitur: *Noviodunum Nivernensium.* Antonino *Nivernium* vocatur in itinere, quod Augustoduno ducitur Lutetiam Parisiorum. Præterea quoque dicitur *Nevidunum Eduorum, Nevidunus, Nivedunus, Niveria*, & recentius *Niverna.* Oppidum est omni ex parte mœnibus cinctum firmissimis, turribusque amplissimis, & fossis pro-fun-

Niversium.

Nivers olim Noviodunum.


NIVERNIVM
DVCATVS,
Gallicè
DVCHE DE NEVERS.
PARTIE DE LA SOVLOGNE.
PARTIE DE L'AVXERROIS
PARTIE DE LA BOVRGOGNE
PARTIE DV BERRY.
PARTIE DV BOVRBONNOIS.
Morvant.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Milliaria Gallica
Amsterdami,
Apud Guiljelmum et Iohannem Blaeuw.

fundissimis probe munitum. Qua meridies est, mœnia Ligeris lambit, pontem habens pulcherrime quadrato lapide constructum, viginti arcuum. *Nivernis* fluvius, vulgo *Nievre*, unde vernaculum oppido nomen, ab Ortu circumfluens, duobus acceptis ponticulis, mox in Ligerim se exonerat. Ad Septentrionem & Occasum fontes sunt, ex quibus etiam aquæ in urbis fossas deduci possunt. Vrbs in circuitu suo complectitur 3000 passus. Arcem habet, & palatium Principum Nivernensium, in medio urbis, juxta primariam Ecclesiam, quæ D. Cyro sacra, cuique Episcopæum adhæret. Nihil, aut certe parum suburbiorum, quod secus in aliis Galliæ oppidis: & hinc Nivernium munitius, minusque insidiis obnoxium.

De ea ita Tomo Vrbium 3. scribit G. Braun: *Noviodunum*, vel, ut plerique, *Nivernia*, vulgo *Nevers*, Nivernensium Ducatus, urbs tam antiqua, eoque loco sita, ut sine errore dici ea possit, cujus in Commentariis suis meminit Cæsar hisce verbis: Oppidum diruit (de Genabo loquitur) atque incendit, prædam militibus donat, exercitum Ligerim transducit, atque in Biturigum fines pervenit. Vercingetorix, ubi de Cæsaris adventu cognovit, oppugnatione desistit, atque obviam Cæsari proficiscitur. Ille oppidum Biturigum, positum in via, *Noviodunum* oppugnare instituerat, &c. Vides, ut Gergobinæ urbi à Gallis obsessæ auxilio proficiscens, Novioduno iter habuerit? quæ urbs non alia censeri potest, quam quæ nunc Nivernia dicitur, ad Ligerim sita, eo prorsus itinere, quo Cæsari eundum erat. Vbi is veritus, ne male ab exercitu Gallico exciperetur, quamvis urbem teneret: videns tamen adversum occurrere Gallorum equitatum, qui prælium deposceret, eam reliquit. Itaque hodie quoque in ipsius urbis mœnibus videas antiquum propugnaculum, magnæ omnino amplitudinis, & altitudine ipsos urbis muros æquans. Et vero *Nivernium* esse *Noviodunum* Cæsaris, docet Aimo ille monachus, historiæ suæ initio, ubi Celticas urbes enumerans, *Noviodunum*, inquit, *esse*, *quam hodie Nivernis esse putant*. Qui eadem etiam sua historia perhibet, urbem hanc (quemadmodum universum Nivernensem Ducatum, cujus Noviodunum caput est) initio Comites habuisse, qui rempub. Regis nomine curarent, sed Comites deinde ejus possessionem ac dominatum usu cepisse; successu deinde temporis Comitatum hunc ad Ducalem dignitatem pervenisse: primumque Nivernix Ducem fuisse Franciscum, filium Caroli Niverni, & Mariæ Atrebatanæ, cui uxor fuerit Margareta Borbonia, Caroli Primi Ducis Vendomii filia.

Regimen. Regimen Civitatis administratur quatuor Scabinis, quos circa Festum S. Michaëlis viginti quatuor Senatores, corpus Civitatis repræsentantes, eligunt. Civitas ipsa distributa est, secundum quatuor urbis portas, in quatuor regiones. Prima vocatur *Nicolaica*, æque ac illius porta; secunda vulgo *de la Barre*; tertia *Ligerina*; & quarta *de Croiie*. Ex his singulis regionibus eliguntur à civibus, ad pulsum campanæ congregatis, sex singuli Senatores, qui electi in universum constituunt numerum viginti quatuor Senatorum, quibus postmodum electio 4 Scabinorum, imo 4 Consulum, aliorumque ejusmodi Magistratuum demandatur. Consules dictis Senatoribus, Scabini vero Ballivo seu Satrapæ Nivernensi, sacramentum præstant.

Episcopatus hic circa annum Christi 600 institutus legitur; & primus Episcopus fuit S. Aregius, vulgo *S. Aire*; licet quidam alios nominent, & inter illos S. Austremonem, Discipulum Apostolorum, qui hunc præcesserint. Episcopo subsunt tres Castellaniæ, nempe *Premery*, *Vrzy*, & *Parzy*, ubi dominium temporale, ut vocant, exercet.

Infra oppidum dimidii fere milliaris itinere, nobilissimus Arvernorum fluvius *Elaver*, vulgo *Allier*, Ligeri commiscetur. Locus *Conflans*, à confluentibus fluviis, dicitur. *Conflans.*

Oppida alia. Inter præcipua Ducatus Nivernensis oppida sunt *Dezisa*, vulgo *Desize*, *Decisæ* apud Antoninum: *Clamecyum*, *Donzyum*, *Molinium* vulgo *Moulins*, *Angilbertsium les Engilberts*, *Corbignium*, *Fanum Divi Leonardi*, *Fanum S. Petri*, *Luyzium*, *Premeryum*, *Drevia*, *Antrain*, & alia.

Decisa, vernacule *Desize*, est oppidum in insula quâdam montosa, Ligeri cincta, situm. Quidam putant, insulam istam non natura, sed arte hominum esse factam, ita ut nomen inde derivare conentur. Itinerarium Antonini *Decidam* vocat. *Clamecyum* situm est ad fluvium Icaunam, eo in loco, ubi *Beuvron* fluvius in Icaunam se exonerat.

Antiquitas. Cæterum in hoc Ducatu Nivernensi adhuc hodie multa observantur vestigia antiquitatis, & splendoris Romanorum, imprimis autem circa nomenclaturas plurimorum locorum, quæ vel ab ipsis Romanis in hisce regionibus quondam degentibus iis impositæ, vel ab eorum nominibus, tam hominum, quam deorum, desumptæ, & temporis successu aliquantisper depravatæ sunt. Atque sic *Niarzy*, vel *Marcy* nihil aliud est, quam villa Martii; *Dienne*, proprie lucus Dianæ; *Polligny*, originaliter Fanum Apollinis; *la Paroisse de Mars*, est incorruptum; *Cezilly*, Villa Cecilii; *Saisy*, Villa Cæsii; *Aubigny*, Albini; *Germancy*, Germanici; *Corbigny*, Corvini; *Domecy*, Domitii; *Chassy*, Cassii; *Milly*, Emilii; *Sauvigny*, Sabini; *Mussy*, Mutii; *Flory*, Flori; *Lentully*, Lentuli; *Marcilly*, Marcelli, *Aurilly*, Aurelii; *Iuigny*, Iunii; *Cunciz*, Quintii; *Poully*, Apuleii; *Gilly*, Gellii; *Anisy*, Anitii; *Donzy*, Dionysii; *Bussy*, Ebutii; *Remilly*, Romuli; *Ratilly*, Rutilii; *Cessy*, Sextii, vel Cæsii; *Cuzy*, Curii; *Flacy*, Flacci; *Tazilly*, Otacilii; *Trangy*, Terentii; *Cossage*, Coccеii; *Saligny*, Sillani per metathesin: *Amary*, Marii; *Oigny*, Ovinii; *Viry*, Virii; *Azy*, Actii; *Trogny*, Petronii; *Tintury*, Tuturii; *Noisy*, Nautii; *Esiguilly*, Aquilii; *Mailly*, Manlii; *Surgy*, Sergii; *Martigny*, Martini; *Chauvigny*, Calvini; *Arcilly*, Acilii; *Varigny*, Veranii; *Grateiz*, Grati; *Lucy*, Lucii; *Clamecy*, Clementii; *Fragny*, Afranii; *Crezancy*, Crescentii; *Germigny*, Gemini; *Chailly*, Salii; *Levanges*, Libanii; *Polligny*, Paulini; *Alligny*, Eliani; *Bizy*, Apitii; *Arcy*, Aritii; *Dornecy*, Andronici; *Lurcy*, Luperci; *Marigny*, Macrini; *Masigny*, Mancini; *Memercy*, Mamerci; *Narcy*, Neratii; *Nourry*, Honorii; *Origny*, Vranii; *Precy*, Prisci; *Passy*, Bassi; *Pozy*, Pontii; *Sevry*,

Sevry, Severi; *Ialigny*, Gallieni; *Maumigny*, Maximini; omnia ſunt nomina antiquorum Romanorum; & ut Romani loca, vel prædia ſua ruri ædificata nominare ſolebant *Tuſculanum*, *Pompejanum*, *Cumanum*, ſc. Prædium; ſic in hoc Ducatu ſunt Parochiæ, & pagi, eodem modo dicti, ut *Lucenay*, Lucianum; *Chaſſenay*, Caſſianum; *Ganay*, Cajanum; &c. *Venille* eſt territorium & ſilva prope Nivernium, à *Venilia*, dea Romanorum. Quin & plurimis in locis, præſertim prope Decilam, numiſmata inventa repræſentant Imperatores Romanorum, & res eorum tempore geſtas. In iis videntur imagines Neronis, Trajani, Adriani, Antonini Pii, & Aurelii Antonini, Philoſophi dicti. In quodam Neronis numiſmate effictum erat Templum Iani, cum hac inſcriptione: *Pace Populo Romano terra marique parta, Ianum clauſit.* Et ſane de hoc Templo Iani per Neronem clauſo loquitur Suetonius in ejus vita. In alio erant Marcus Antoninus Philoſophus, & Lucius Elius Verus, qui nominabantur *Divi Fratres*, & in averſa facie figura duorum hominum manibus invicem conſertis, cum hac inſcriptione: *Concordia Auguſtorum.*

Præterea quoque antiquitatem indicat nomen territorii *de Druy*, à Druidis, antiquis Gallorum Sacerdotibus, ſic dicti. Hoc territorium eſt Baronia, ſub ditione Epiſcopi Nivernenſis principalis, quam Domini de Marion per aliquot ſecula poſſederunt.

Memoratur in annalibus Franciæ *Philippus* Nivernii, Retelli, & Eſtampii Comes, Philippi Valeſii Burgundiæ Ducis filius, qui cum fratre in pugna Azincurtiana cecidit, ſucceſſores nactus filios: in Nivernenſi quidem & Rhetellano Comitatu *Carolum*; in Stampano autem *Ioannem*, qui, fratre ſine liberis defuncto, reliquos quoque Principatus eſt adeptus. Hic ex tribus conjugibus plures ſuſcepit liberos. Sed præmortuis cæteris, unam tantum filiam habuit ſuperſtitem *Carolam*: cujus (nupta enim fuit Ioanni Albretano) filia fuit Maria *Albretana*, uxor Caroli Clivenſis, Ioannis II Cliviæ Ducis filii: qui primus Nivernii dux legitur. Huic filius fuit *Franciſcus* II Dux, cui ex Margareta Borbonia, Caroli I Ducis Vendocinenſis filia, liberi fuerunt *Franciſcus*, Dux III Niverſii, Comes Euſii, qui nulla prole relicta, pugna Dreuſiana periit, an. 1563. *Iacobus*, Ilæ Marchio, Dux Niverſii IV. qui etiam ἄπαις obiit; *Henricus* Niverſii Dux V, qui item, ut fratres, improlis eſt defunctus: quibus omnibus ſuffecta eſt ſoror *Henrica*, Dux Niverſii VI, quæ uxor facta Ludovico Gonzagæ Marchioni Mantuano, Principatum Nivernenſem dotis nomine ad eum attulit. Ex eo conjugio natus *Carolus Conzaga Clivenſis*, Dux Niverſii VII, &c. Quem utiliſſime pereginantem, & magnorum Principum, anteaquam propriis gubernaculis tenendis ſe admoveant, exemplo, noſcendis peritiſſime variorum populorum rerumque publicarum moribus & inſtitutis invigilantem, Magnatum filios ſequi expediet.



BORBONIVM, vulgo LE BOVRBONOIS.



Nomen. *Fines.*

Orbonensis ager, à Borbonio civitate nomen sortitus, Foresiis atque Arvernis à Meridie clauditur; regionem autem Bituricensem habet ab Occasu; Nivernensem à Septentrione; ac denique Burgundiensem ab Ortu.

Fluvii.

Multis regio hæc fœcundatur fluminibus, inter quæ *Sarnetum* amnis celeberrimus est, qui Bordam-Comitis interluit; *Londa* vero fluvius alter illuc adventantes in ipso ingressu excipit; *Beberis* autem seu *Chaberis*, Valæ, Teichæque factus aquis tumidior, transmisso Dalignyensi, & San-Germanensi oppido, ad Septem-fontes cum Ligeri perlabitur; indeque profluit sub pontem *Palissæ*, oppidi castro egregio muniti; quod & æternum est gloriæ monimentum celeberrimi illius Herois Iacobi *de la Palisse*, Galliæ quondam Marescalli, qui Patavienſi in prælio suis cumulatus trophæis generosius occubuit.

Palissiacum oppidum.

Non procul à Septem-fontibus sedet *Borbonium-Lancyum* in adversa Ligeris ripa; istud autem accepit ab antiquitate cognomentum, ut nonnulli existimant; at verius est, ab Ancealmo Borbonici Archobaldi Germano id nominis assumpsisse, qui exortas sibi quascunque controversias nulla ratione, quam districto in adversarium dirimebat gladio, contractusque omnes ensis obsignabat capulo. Porro uterque, Archobaldus nimirum ipseque Ancealmus, è Ioanne Burgundico prognati sunt, qui divisa majorum hæreditate, Borbonium juxta Ligerim, nec non Burgundiæ finibus inclusum unus accepit, cui & nomen *Lancy* imposuit; alter vero Borbonium cognomento Archobaldum, Borbonensis Ducatus oppidum, in convalli quatuor inter montes positum, pro sua hereditatis portione assumpsit. Ceterum utrumque Borbonium à Thermis calidis celeberrimum est. Hoc autem postremum, Archobaldum scilicet, arce validissima defenditur, in qua sacellum visitur, quod multis nominibus Sanctum appellatur, ad Parisiensis hujusmodi Sanctæ etiam Capellæ normam extructum abs Ioanne Borboniæ Duce; ibi quippe pretiosissimæ asservantur reliquiæ, multæque insignes tum pictæ, tum sculptæ ex ligno ac marmore imagines, artis prorsus miracula, conspiciuntur.

Hoc autem singulare est, & quod historiarum monumentis mandetur dignissimum, arma nimirum gentilitia stirpis Borbonicæ, cum ipsa sint Franciæ insignia, baculo duntaxat rubeo distincta; eadem die, qua trucidatus fuit Henricus Tertius Rex, cumque illo extincta Valesiorum regum prosapia, illum ex scuto gentilitio limbum fulmen sustulisse, vitreas sacelli Borbonici fenestras perfringens, intactis tamen omni ex parte Liliis, quæ Superi (felix omen!) amplissimæ, potentissimæque Borboniorum familiæ destinarant.

Borbonio itaque Lanciaco Ligeris fluvius valedicens, procurrit ad urbeculam nomine Decisam, exceptis deinde multis fluminibus & rivulis Nivernensem alluit civitatem; duobusque sub illa milliaribus suas in Ligerim *Elaver* fluvius aquas evomit, eo plane loco, qui *Bec-Allier* indigetatur, ad Confluentiæ Burgum. Hic ille est fluvius, qui Davro sociatus urbis Gergobinæ, vulgo *Molins*, mœnia irrigat, cujus prospectus jucundissimus est, illaque velut Paradisus deliciarum, ipsaque sedes amœnitatis. Civitas hæc Bojorum est Metropolis, undique arboribus consita, eximiis assurgens turribus, castelloque magnifico ac eleganti exornata; exigua quidem est, si illius solùm spectes ambitum, at si suburbia adjeceris, quæ maxima sunt & mœnibus cincta, urbem dices spectatæ amplitudinis, quæ & splendidissimis ubique nitet ædibus, populique honoratissimi frequentia. Fuit autem arx ipsa seu castellum sedes olim Ducum Borboniorum, quorum inibi effigies ad vivum expressæ conspiciuntur. Cum autem inde gloria, splendor & Majestas Franciæ affulserit, quid optes amplius ad arcis illius magnificentiam; sufficiat ad Domum Borboniorum digitum intendisse.

Elaver fl. *Gergobina.*

Nec silentio prætereundum est, hoc super Ducatu, Galliæ Reginarum dotem assignari; celebrarique Borbonium à thermis suis apprimè salutiferis. Gergobina autem seu Molinensis civitas, duabus emicat basilicis primariis, quarum elegantior Virginis Beatissimæ auspiciis inaugurata est; secundas tenet D. Petri Ecclesia; habet binas etiam Parochias, multaque cœnobia Religiosorum; amplissimo gaudet Scabinatu, plurimisque immunitatibus ac privilegiis. Sunt ex plebe omnigeneris artifices, laute satis & commode inibi agentes, officiosissimi omnes atque humanissimi, Gallico idiomate eleganti utentes. Constratus est hac in urbe pons unicus Elavero fluvio, qui & Quesneum amnem obviam arripiens, illo factus locupletior, Nivernensem ingreditur civitatem.

Visitur autem in Bojorum finibus Gergobia, vulgo *Montluçon*, civitas in collis acclivi posita, cujus radices alluit rivulus, cui *Charus* seu *Chara* nomen impositum est, & jure merito, nam suis acco-

Gergobia, sive Montluçon.



PARTIE DE BERRI.

PARTIE DV NIVERNOIS.

Partie d'Autunnois.

PARTIE DE BEAVIOLOIS.

PARTIE DE LA LIMAINE.

Occidens

Oriens

Meridies

Milliaria Gallica communia.

1 2 3 4

AMSTERDAMI
Apud Guiljelmum
et Ioannem Blaeuw.

accolis chariſſimus eſt, utpote qui aquas habeat limpidiſſimas atque ſalutares.

Thermæ Nerianæ. Primo à Gergobia lapide offerunt ſeſe obviam Thermæ Nerianæ, Romanorum opus; quæ inibi ſcaturigo proſilit, in tantum fœcunda eſt, & aquis exundans, ut efformet rivulum, qui circumagendis tredecim molendinis ſufficiens ſit; inde eſt adeo celebris Gergobia ob molendina tredecim aquis ferventia, ſuaque nullo non tempore vernantia nemora; illa quippe buxo longe lateque conſita ſunt.

Donjon. Extat etiam in agro Borbonienſi burgus, qui lingua indigenarum vernacula *Donjon* nominatur. Sunt & plurima alia hac in regione notiſſima loca, Mons-meraudi nimirum, & fanum ſancti Amandi; *Chantelles*, Ducum olim Borboniorum nobilis ſeceſſus; *Gannal, Varennes* ad Elaverum, Mons Monachorum, fanum S. Gerani; Souvigniacum, urbecula pervetuſta; Athenæum Caſtellenſe, Chambo, Ialigniacum, &c.

Qualitas. Ager hujus regionis ampliſſimus eſt, & fœcundiſſimus, triticum, legumina, fruges omnis generis maximâ profert abundantiâ; ſilvæ redundant fructibus, pecoribus, cuniculis ac leporibus. Oleum è nucibus maxima copia exprimitur. Commendatur Gergobienſe territorium à vini fertilitate, quod & finitimis regionibus vinum ſuppeditet. Habet etiam hæc regio nonnullibi ferri fodinas atque officinas. Celebrantur paſſim à Medicis aquæ illius ſaluberrimæ, quæ vim illam ſalutiferam, qua præditæ ſunt, à ſulphure, nitro & alumine concipiunt; quibuſcumque ægritudinibus afflicti, opem hinc efferunt & levamen, quin & ſæpenumero pleniſſimam omni ex parte valetudinem & alacritatem. Laudatur & urbs Molinenſis, à cultellis, forficibus, cæteriſque id genus operis, quæ per totam fere, velut ſingularis excellentiæ, diſtrahuntur Europam. Vrbs denique Monluçonenſis maximum è vino ſuo laudatiſſimo, lanis ovium atque balneis proventum extrahit.


Bourbonenſis ſeu Bojorum regio inter ampliſſimos antiquiſſimosque Galliæ cenſetur Baronatus; qui illum longa ſerie Domini poſſederunt, maximam partem Archobaldi nominati ſunt; alias quoque Dynaſtias, latifundia & opes tum in Burgundia, tum in Campania tenuerunt, Magnatum, Principum, Regumque multorum, imo & Imperatorum affinitate, quin & conſanguinitate decorati.



ARVER-

ARVERNORVM PROVINCIA, ET LIMANIA.

Auvergne.



Rvernia, seu Arvernorum provincia, priscorum olim incolarum etiam hodie nomen retinet; illi quippe Arverni dicebantur, ii sunt, qui communem cum Romanis se habere originem jactitant; tantaque Cæsaris temporibus evecti fuere potentia, ut triginta bellatorum millia conscribere, pro sua expeditionis parte taxati fuerint. Hîc est amœnissima illa regio, inquit Sidonius in laudes patriæ effusus, tam commoda, tamque benigna viatoribus, colonis frugifera, venatoribus delectabilis, montibus consita, in quorum vertice lætissima rident prata, in declivitate velut exultant vineæ, villæ alliciunt in radicibus positæ, planities vero messibus uberrima est; ibi si quæ viarum ambages sunt, silvis inumbrantur, scopuli arcibus exornantur, præsidiisque militaribus, fontibus & rivulis convalles irrigantur. Eapse in provincia generosissimorum acerrimorumque altrice ingeniorum primam hujus lucis usuram acceperunt tot sanctissimi vigilantissimique Ecclesiæ Præsules, tot effulsere Doctores subtilissimi, tot incorrupti Iudices, & viri celebratissimi.

Fines. Provincia hæc, Foresiis ab Ortu cingitur; Velauno & Gevaudano à Meridie; à Septentrione autem tractu Borbonio; ac tandem Lemovicensi Perigordiensique ab Occasu.

Divisio. Arvernensis ager in Superiorem dividitur & Inferiorem; Superior quidem præcelsis assurgit montibus, qui proprie Arvernensis vulgo indigetatur; Inferior in planitiem & campestria diffunditur, & Limania communiter appellatur.

Arvernia Superior. Superior Arvernorum regio, ab Ortu, Limaniâ circumscribitur; à Meridie Gevaudano; ab Occasu, agro Cadurcensi; à Septentrione autem Lemovicensi territorio. Dordona fluvius regionem utramque ab invicem dirimit.

S. Flour. San-Florensis civitas, *Sainct-Flour*, regionis hujusce metropolis est, præcelsæ rupi insidens, burgus olim Montis-plani, *Mont-plan*, nomine; nunc vero Episcopatu nobilis, Audientiâque regiâ.

Aurillac. *Aureliacus*, Præfectura celebris, in qua & pro tribunali Præses assidet, qui jus dicit San-Florensi civitati, & quatuor præfecturis, quæ pertinent ad Muratum, urbem amplam satis & opulentam, Mauriacum, Maursium, & Salersium. Muratum titulo Vicecomitatus exornatum est, castelloque defenditur editissimo; Mauriaci Gymnasium est Societatis Iesu, ex antiquioribus in Gallia excitatis; urbs hæc mercatoribus frequens, ubi pecuariæ nundinæ, præsertim vero equinæ celebrantur. Præter loca jam memorata, Bessa quoque visitur, oppidum elegans, Monti Aureo adædificatum, ob Capellam Beatissimæ Virginis *de la Vassiniere* celeberrimum; *Carlat* deinde, *Chaudesaygues*, locus munitissimus, & possessio Marchionis *de Malause*; *Aubijoux*; Riomum in montibus situm; Fanum S. Martini *de Marmaroux*; Peyra, *Fontanges*, Mons-Salinus; Roquebra; *Pleaux*, titulo Comitatus nobilis; Pongibaltius, & Rora: Turris, *la Tour*, Baronatus; Dei-Portus *le Port-Dieu*, arce insignis; *Murol* Baronatus ad Comitem Estainensem pertinens; *Fenders*, Abbatia; Espencharsium, Turris Lugardensis, Soubrevisa, Fanum S. Agnaci; *Madic*, Domus perelegans Marchionis de Curton, plurimaque alia loca in confiniis Lemovicensium.

Arvernia Inferior. Arvernia Inferior, seu Limania, *Limagne*, fines habet ab Oriente Foresios; Velaunum Superioremque Arverniam à Meridie; ab Occidente autem, Marchiam, tractumque Lemovicensem; ab Aquilone Borbonium: illius longitudo ab ora San-Porsanensi ad Alegrensem, triginta milliaribus; latitudo, à Sellensi ad Roquensem, tres supra viginti leucas protenditur. Perquirunt nonnulli rationem nominis à Limonna flumine, è Superioris Arverniæ montibus deciduo, fanumque S. Fleureti, Nocherum, San-Saturnini, S. Amantii alluente, ac demum in Elaverum amnem ad Fanum S. Martini ingrediente.

Vrbes. Claromontium, *Clermont*, vetusta præclaraque civitas, jam ab ævo Gregorii Turonensis, & Sidonii Apollinaris celebris, & ob præstantiam atque fortitudinem decantata, Inferioris Arverniæ caput, & jam inde *Arvernum oppidum*, *urbs* & *civitas Arverna* vocabatur; *Augustonemetum* à Ptolemæo, juxta Scaligerum; abs Cæsare autem *Gergobia*, ut variorum mens est auctorum; qui enim illic incumbit Gergovius mons, ad Gergobiæ urbis amplitudinem videtur insufficiens: quin & passim per Claromontanæ urbis pomœria, infinita videas antiquitatis monumenta, mœnium firmissimorum rudera, superstites veterum ædificiorum reliquias, antiqua numismata, columnas marmoreas, quæ inibi quot diebus effodiuntur. Vrbs in montis acclivitate posita, fertilibus obsepta collibus, è quibus prolabentia flumina, hortos, viridaria, villas, aliaque deliciarum loca irrigant: duobus interjacet amnibus, *Artier* scilicet, qui è Royaco & Chamalieresio profluit, & juxta Lusatium Elavero mergitur; & *Bedat*, qui Monteferrandum perluens, modico ab *Entraigues* & *Maringues* intervallo, se in Elaverum præcipitat juxta locum à Vinea cognominatum. Exornata est civitas sede Episcopali, Cathedralique Eccle-


AUVERGNE.
Milliaria Gallica communia.
Occidens
Oriens
Septentrio
Meridies
M A R C H E
ROUANNE
TULLE
ORILHAC
FIGEAC
LE PUY en Velay

Ecclesia sub auspiciis Beatissimæ Virginis, quæ & celeberrima est, perelegantis structuræ, tecto plumbeo coopertæ; cui objacet Episcopale palatium, fonsque limpidissimus, cujus scaturigo, ut & aliorum in urbe extantium ex *Royac* proficiscitur. Tres inibi sunt Ecclesiæ Collegiatæ, nimirum B. Mariæ de Portu dictæ, quæ inter hujus Diœcesis Ecclesias primatum antiquitatis possidet; S. Genesii, & S. Petri; præter Franciscanorum & Carmelitarum Conventus, Domosque tres Monialium. Antonius Pratensis, Galliæ Cancellarius, amplissimum ibidem excitavit fundavitque Xenodochium. Abbatia S. Alyri, cujus structura solidissima est, & columnis, mausoleis, altaribus ex marmore & jaspide, artificio veteri exculta; S. Andreæ *de Chantoin*, quæ ab anno 1633 Carmelitis Discalceatis fuit assignata. Cœnobium etiam Clarissarum Monialium eo loci visitur, ut & Capucinorum, Minorum, aliorumque Institutorum asceteria, quæ extra urbem condita sunt; Præsidiali denique Claromontium sede exornatur. E regione Monsferrandus cernitur, urbs præclaro situ, spectabilique fortitudine ad *Bedat* fluvium. Hic favore & auctoritate præstantissimi Viri Cancellarii du Prat, Auxiliorum Curia constituta est, sceptra moderante Francisco Primo Galliarum rege. Collegiata nitet Ecclesia, tribusque cœnobiis religiosorum, uno monialium. Tota hac in circuitu regione jus olim dicebat Montisferrandensis Prætor. *Riomum* Ducatus Arvernensis caput, Sedesque Præsidialis, tenui intersecatur rivulo; ibi in veterum Dynastarum palatio Iudicia celebrantur. Fulget aliis quoque nominibus hæc civitas, Senescallatu nimirum, Ærario regio, Marescallatu, Officina monetaria. Tribus exornatur Ecclesiis Canonicorum, una S. Amabilis, quæ olim Abbatia; alia sub auspiciis B. Mariæ *du Marturet*; tertia, quæ S. Capella nominatur; præter Capucinorum asceterium, aliudque Monialium; sunt & Patres, qui Oratorii nomine insigniuntur, Claromontium, Monsferrandus & Riomum urbes medio duntaxat milliari distant ab invicem ex uno latere; at ex alio duabus à se invicem leucis dissitæ sunt, situ eximiæ, structura elegantes, & opulentæ.

Monsferrand.

Riom.

Chamaliers. Burgi, & Castella.

Chamaliers burgus non ignobilis est, castellum regium, non procul à Claromontio, Collegiatam habet Ecclesiam. Nec longe submota sunt *Sancey*, *Beaurepaire*, & *Durtol* castella perelegantia; quemadmodum & eximii *Nonan*, *Royac*, & *Bellomontium* burgi, frumento vinoque feracissimi; *Lempde*, Episcopi peculium; *Onat* autem, unde optimus Capitulo proventus; sequuntur *Obeyna*, *Pereyniat*, *Romaniat*, & *Chanonat* arces & burgi spectabiles. Modico etiam inde intervallo apparent vetustæ Castelli *de Montrojenon* diruti ruinæ, quod & olim à Iulio Cæsare conditum fuisse perhibetur, dum ipse *Gergoviam* obsideret; esseque *Montem Romanorum*.

Visitur & supra Riomum, seu in adjacenti circumregione, arx vetusta *Chazeron* dicta; *Chasteauguyon* burgus, arces *de Tournelles*; *Sabazat* burgus quoque insignis, arce instructus, Collegiataque Ecclesia; fanum *S. Bonneti*, *Volvic*, *Chastelguy*, *Blansac*, *Marsat* cum præpingui Abbatia, ac Monialium Prioratu ac demum *Enezat* urbecula.

Enezat.

Billon, oppidum est elegans, & lauta Episcopi Claromontani possessio, præcelsis obsepta montibus, qui fœcundissimis undique vitibus consiti sunt: *Ricochet* rivulus urbem hanc perlabitur; quæ quidem Collegiata gaudet Ecclesia, nec non & alia S. Lupi pervetusta; est & inibi asceterium Capucinorum, aliudque Virginum velatarum, atque Patrum Societatis Iesu gymnasium, ab illustrissimo quondam viro Guillielmo du Prat, Claromontensi Episcopo fundatum. Succedunt deinde *Spirat*, *Chars*, & *Choriat* non contemnenda loca; arx postmodum *de Montegat*; *Mousun* castrum munitissimum, nec non & *Montmorin*, castrum etiam perantiquum; *Molliere*, *Aulterat*, *Chier*, *Cornets*, *Rochette*, *Couppet*, *Ieussel*, aliaque huic urbi adjacentia loca.

Yssoire.

Yssora civitas à nuperis bellis notissima, agrum habet frumento vinoque fertilissimum: Cousseus amnis è Pavino lacu profluens, Elavero amni, vulgo *Allier*, permixtus, uno ab Yssora milliari, illius muros alluit; quibusdam exornatur cœnobiis tum virorum, tum Virginum Deo devotarum. Exin *Brog* burgus collegiata Ecclesia exornatus, arcesque plurimæ hoc in tractu conspiciuntur, *Steyran* nimirum, *Villa-nova*, *Nonnetta*, *Vaudable*, *Yboy*, quæ ob singularem elegantiam ac firmitatem laudatissimæ sunt: occurrit postea *Breul* burgus arce munitus, *Milbeau*, *S. Firgues*, *Chelus*, *Bonda*, *Sansat*, *Pertu*, *Chadieu*, *Champeix*, burgus amplus cum Prioratu, quem perluit rapidissimus amnis, qui Elavero exoneratur; *Nichers*, *Plausat*, *Sauvetat*, prægrandis etiam burgus, Abbatiæque Blesensis ac Megemontensis sunt in vicinia Yssoræ.

Brioude.

Brioudense oppidum, ad normam veteris architecturæ extructum, plateas habet inelegantes & incultas; attamen insigne est ob Canonicos illius Comites ac Dominos temporales; quemadmodum & Canonici S. Ioannis Lugdunensis; præterea nullius est Diœcesis Collegiata hæc Ecclesia, verum summo Pontifici immediate subjecta est. Multis decoratur Domibus Religiosorum tam intra muros, quam extra, ubi etiam extat celeberrima S. Ferreoli Basilica; nec procul inde Elaver amnis profluit, cui in burgo Veteris-Briaudæ pons saxeus miræ longitudinis & altitudinis extructus est. Hac etiam in regione sunt quædam Monasteria Virginum Ordinis Fontis-Ebraldi, atque S. Benedicti; Castellum *d'Auberac*; Mottensis burgus *de Canillac*, qui & Vicecomitatus titulo insignitur; *Auzon* urbs & Baronatus, ubi & Collegialis Ecclesia; *Chillac* seu *Sillac* ad flumen Elaverum; *Langeac*, urbecula, castro defensa ad oram amnis Elaveri, in Marchionatus titulum paucis ab annis evecta est. Paulò inferius in parte Orientali situm est *Pulhaquet* oppidum suburbiis amplissimis instructum, modicaque intercapedine exiguus in Elaverum decidens rivulus: nec contemnenda civitas Alegrensis, quæ & Marchionatus splendet dignitate; hæc in montis radicibus posita est, ubi validissimum insidet castrum, quod urbi minatur; mons sane editissimus, in cujus summitate vastissimus conspicitur lacus; ad ima defluit rivulus, qui suas in Bornam fluvium aquas deducit. Duobus ab Alegra milliaribus finitur Arvernia, & à Velayo dirimitur; hocque in confinio extat S. Pauliani oppi-

Auzon.

Langeac.

Alegre.

Cathedra-Dei.

oppidum, & nota satis urbecula *Cathedra-Dei* nomine exornata, quæ & Abbatiâ insignitur, muris propriis ac turribus instructâ, duabus à prædicto monte leucis dissitâ. *Amandy* saltus longe lateque diffusus hanc regionem occupat; cui proximum est celeberrimum illud Sanctissimæ Trinitatis Sacellum, quod statis anni diebus maximo populorum concursu devotissime frequentatur; insidet autem illud velut in immani præcipitio rupibus horridis interjecto. Maximum statim apparet *Clavellier* castrum, moxque urbs ac Burgus Arlenensis, cum arce in modum præsidii militaris, eidem plagæ assident, quà & decurrit Dora fluvius: Castrum & parochialis Ecclesia *de Montravel*; burgus cum castello *de Viveros*; fanum S. Anthemi, quà amnis Ausa delabitur, qui in confiniis Segusianorum & Arvernorum scaturit; *la Roue, S. Germani L'air* dicti, ubi fontes *Doulon* fluvii; fanum S. Verini, *la Val.* Fanum Sancti Didaci, quod immanibus & inaccessis rupibus protegitur, maximamque partem Doulon flumine sepitur; *Enual* denique cum præcelsa turri & quadrata, quæ omnia loca nec à monte jam memorato, nec à Doulon fluentis procul absunt.

Ayguеperse.

Post hæc se ostendit fanum S. Germani *Lambron* appellati; ac *Ayguеperse*, urbs primaria Ducatus Montispenserensis *de Montpensier*, ubi Collegiata est Ecclesia, necnon & Sacellum Sanctum, cujus sacra munera Canonici exequuntur; & monasterium Virginum sub regula S. Claræ degentium. Vetus illud Monspenseriense castrum anno 1634 fuit dirutum; amplissima deinde arx *d'Effiat*, perelegantis structuræ, aliaque loca subsequentibus vocabulis communiter indigetata, *Denone, Biausat, Arbouses, S. Genesii, la Font de Vansac, S. Agolini, la Roche-l'hospital*, in cujus vicinia sunt duo Monialium Prioratus, *Pontratier*, nimirum, & *Escurolles*; *Esbreulle*, ubi insignis Abbatia ad *Sioulle* fluvium, *S. Quintini, Mata, Marsillac, Chastelard, Rochefort & Aiviers, S. Porsani*, à quo non longe *Sioulle* amnis labitur sub ponte saxeo; Virginum Sacrarum Prioratus, *Aubeterre* dictus; arces præclaræ *de Beaulin, Briale*, & *de Morelles* in hac quoque vicinia sunt.

Cusset.

Cusset, oppidum situ & arte munitum, collegiata nitet Ecclesia, & opulento Virginum monasterio;

Vichy.

Vichy etiam urbecula, quam Elaver amnis alluit; *Seresac, Chaussain, Vernet*, castella; *Albret*, & *Busset* Comitatus, hoc quoque tractu conspiciuntur. Porro illa sunt notiora Limaniæ oppida.

Treviri.

Treviri, *Thiers*, populosa civitas, maximique commercii, Ducatûs est Monspenseriensis, cujus alluit mœnia Durolla fluvius, qui exinde sesquimilliari Doræ mergitur: varias amnis hic, Durolla nempe, molas circumagit, papyraceas nimirum, & quæ cudendis, fabricandisque cultellorum laminis inserviunt. Vrbs ipsa Capitulum habet, Collegiatam Ecclesiam, atque insignem Abbatiam Ordinis Benedictini, ac denique cœnobium monialium; modico inde intervallo Dora perfluit, incipitque à ponte Trevirorum esse navigabilis; nec remota sunt, quæ nos impræsentiarum loca recensemus, *la Chassagne* castellum non incultum, *Montgaulié* Baronatus, *Selle, Maubet, la Versiere, les Hors, Genetoux, le Croix-lavort, Noaliart* Prioratus, *Monpeyroux* abbatia, & *Ris*. Elaver amnis leucæ quadrante ab urbe labitur.

Gallia.

Cropiere.

Cropiere, exigua quidem, sed lauta urbecula, ad Claromontanum spectat Episcopum; at Dominatûs quædam portio de jure est cujusdam inibi monialium Prioratûs: hanc quoque Dora fluvius alluit, qui castellis locisque aliis hinc inde consitus est, *Belesme*, scilicet *la Barge, Hauteribe, Laudan, Courtesene*, & *Sauviat* Prioratu, ac burgo pereleganti, *Fredeville, Volaure* Comitatu, arceque amplissima, parochiaque Arvernorum pulcherrima. *Augerolles*, & *Menlhiat*, Prioratibus, Aubusson denique Baronatu castelloque munitissimo.

Lezoux.

Lezoux, urbs est regia, Elaverum inter & Doram sita, in agro fertili & amœno, aëreque temperatissimo, ita ut securus esse possit, dum pestis grassatur, secessus; ejus vetustatem illa, quæ quotidie effodiuntur numismata, urnæ & marmora antiqua loquuntur; Collegiata insignitur Ecclesia, cui subministrant Canonici. Quantum autem ad agri Lezouxensis bonitatem; commendatur ille à fructuum sapidissimorum præstantia, præsertim malopeponum; redimitur aliis præterea burgis atque castellis, *Meul* Vice-Comitatu, *Mojessat, la Garde* Baronatu, *Codeigniac, Crottes, Fontenilles, Lingonne, Beaubost, la Terrasse, la Forest de Buillon, Seschalle*, cui incumbit mons amœnissimus *de Corroure* dictus, qui vinetis undiquaque consitus est; *Beauregard*, perelegans burgus, ubi Domus insignis Episcopi Claromontensis; *Vertayon, Verdonnet, la Borde, Culhiat*; quæ quidem omnia loca frumento & vino celebratissima sunt.

Maringues.

Maringues inter præcipua Arvernorum censetur oppida; portus, quem ad Elaverum amnem possidet, inprimis commendatur, nam frequentissimus est, illoque cum exteris negotiantur habitatores: Murgeum quoque flumen, *Murge*, muros alluit, ac paulopost Elaverum ingreditur; nec procul sunt arces egregiæ *Tosc & Montgascon, Randan* Comitatus dignitate insignis, *Thuret, Sauvaniat, Nusillat, la Veyne* opulentus Virginum velatarum Prioratus, quæ inibi maximo numero sub institutis militant S. Benedicti; *le Pont du Chasteau*, qua etiam decurrit Elaver, *Aynezat, Entragues, Varennes*, fanum S. Ignatii, vulgo *S. Ignat, Palerle, S. Bonnet, Mezet, Dallet, les Marties d'Artiere*, & *Ligniat*:

Cornon.

Cornon urbecula, quæ de jure est Episcopi Claromontensis, quæ & Collegiata nitet Ecclesia: his etiam in circuitu exornatur Nobilium Castellis, ac burgis, *de Goldolle, Dieux-seret, Millesleur, la Roche de Marniac, Orset, le Crest*, cum sacra Æde collegiata, *Monton*, & *Marties de Veyre*. Laudatissimi sunt adeo hujusce regionis fructus, ut Lutetiam Parisiorum, etsi longe dissitam, quotannis asportentur. Quin & S. Amandi fanum vinetis, fructibusque refertissimum est, quemadmodum locus alius *S. Saturnini* nomine insignitus, & *Lalende* burgus.

Vic.

Vic le Comte, primarium olim Arvernensis Comitatus oppidum, sed nunc Coronæ cum ipsa regione annexum; ubi amplissimum conspicitur palatium à Ducibus Albanensibus extructum, Sanctumque Sacellum illi contiguum, cui Canonici inserviunt. Visuntur hoc in tractu Castella *de la Cuelle, d'Arval, la Chaux, Mercurol, Busseau & Crain*, præ senio fatiscentia; Est etiam

Kkk inibi

Olieregues. inibi *du Bouschet*, abbatia non ignobilis. *Oliergues* exiguum oppidum ad Doræ fluenta positum.

Sauxilanges. *Sauxilanges*, urbecula est cum præpingui Prioratu; unoque inde milliari sese ostentat arx insignis *de Vsson*, possessio regia, quæ editissimo totius Arverniæ scopulo insidet, columnis ipso Naturæ genio, nec ulla prorsus arte aut manu incisis. In ipsius autem scopuli summitate limpidissimam cernas scaturiginem, quæ cisternam opplet, modicosque lacus in imis sufficit; atque uno ab urbe milliari conspicua est regia *de Manlieu* abbatia, ubi pretiosissimæ D. Sebastiani reliquiæ asservantur; quæ summa ibidem ab omnibus veneratione coluntur.

Ardes. *Ardes*, præcipua Ducatus Mercœuriensis civitas, hac etiam in regione sita est, necnon *Alenche*, & *Arlenc* modica, sed non ignobilia oppida.

S. Gervais. *S. Gervais*, exiguum oppidum, cui proxime assidet cœnobium Carthusiense, quò perlabitur *Sioule* amnis, vocitaturque inibi portus S. Mariæ; nec procul inde remotus pons Aumurensis, neque arces *de Chalus*, *Maison-neufve*, *Chas*, & *Roche-dagou*. *Chay* fluvius juxta *Chas* scaturit, nomenque proprium Turones usque invariatum servat. Sunt etiam in hoc territorio, quæ subsequuntur, loca; Castella scilicet *de Linieres*, *Groulieres*, *Sallevert*, *Bramont* Vicecomitatus, *Beaufort*, *les Roches*, *Chasteau-neuf* Marchionatus, *Punsac*, *la Chanac*, *Montet de Gelac*, locus stagno celebris, cujus arenæ velut inauratæ, litteris recens exaratis inspersæ, ipsi scripturæ aureum splendorem conciliant: *Blot* Ecclesia, *Blot* Castellum, *Montepon*, fanum *S. Christinæ*, *S. Menatii* Abbatia, ubi & eximiæ Divorum reliquiæ depositæ sunt; hac Sioula fluvius sub ponte labitur; *Artonne* urbs exigua, Collegiali Æde insignis; *Arment* Baronatus & oppidum. Hac in ora sunt arces *du Puy*, *S. Guimier*, *Banson*, *Tessonniers*, *Preschonner* & *Barmontet*, atque monasterium virginum *de l'Esclache*, Prioratus *de Brisons*, *la Celeste*, Franciscanorum cœnobium in solitudine remotum. *Orrival* burgus, ob Ecclesiam Virgini Deiparæ dicatam celebratissimus; *Rochefort* Comitatus, *Cordeis*, *Alaniat*, & *Vareilles*.

Croc. *Croc* tenue oppidum in finibus Marchiæ & Arverniæ: *Ambert* urbecula Segusianis adjacet, duoque habet asceteria, unum monialium, aliud Recollectorum; adsident eidem tractui castella sequentia, *de Champetieres*, *la Roche de Bas-Rieux*, *Roche-Savine*, & Prioratus *de Chaumont*. Extant autem *Polignac* & *Graponne* in Sedunensi territorio.

Livradois. Tractus *Livradensis*, regiuncula est tribus longa milliaribus, lata dimidio. Inter *Boutounargues* & *Tourguyon* mons ducentis extensus orgyis fuit præcisus, quò exundantes aquæ totam operientes regionem præterfluerent, unde *Livradois* nomen accepit, quasi ab aquis liberata, Gallice *delivrée d'eau*: Porro plaga hæc uno tantum milliari ab Arvernorum, Segusianorumque finibus dissita est.

Qualitas. Vt autem amplissimæ hujus regionis innotescat ubertas, attende quot & quantis amnibus perfundatur, & quam perpetuis montium jugis assurgat: unde non mirum si omnia suppeditet, quæ cuilibet communia sunt regioni; at gaudet multis singularibus commodis. De fluminibus quidem obiter mentionem injecimus, dum de

Montes. locis & urbibus egimus, quas alluunt; montes quod attinet, si non ascendere, saltem pertingere aliquatenus aggrediamur. Principio quidem illud in Arverniæ montibus laudatissimum est, quod non, ut aliarum montes regionum, nudi sint, steriles, & vacui, sed feracissimi sunt, & ut plurimum aliquid singulare prætendunt; plantas enim producunt optimas, & simplicia in medicinæ usum saluberrima. Sunt in iis quoque lætissima pascua, tantæque ubertatis, ut propter numerosos, qui inibi pascuntur, animalium greges, passim ab omnibus circumferatur, Superiorem Arverniam plus lactis gignere, quam vini Inferiorem; etsi longius latiusque pateat, amplissimisque & fœcundissimis vinetis consita sit. Quapropter & casei, qui ex Arvernia distrahuntur, etsi optimæ sint notæ, vili tamen coëmuntur pretio, propter regionis abundantiam. Porro celebriores hujus provinciæ montes hi duo sunt, *Cantal*, & *Lyouran*: *Cantal* quidem ceteris altius assurgit, præruptus & asper, nullo non tempore nivibus riget, duabus fere aut tribus leucis protenditur, quo quidem intervallo multas erumpit in scatebras aquarum saluberrimarum, quæ & variis qualitatibus sunt insignes; nam in quadam illius portione, quà montem S. Cosmæ pertingit, in loco *la Cherre* dicto, fons visitur glacie concretus ardente Sirio, solutus vero & limpidus perflante Borea, quin & hibernis temporibus calidum aspirat. *Lyouran* mons etiam editissimus est, & longissimus, procurritque à loco *Murat le Vicomte* appellato, usque ad *Salles*, simplicium medicamentorum, quæ etiam à Medicis longe ex Italia proficiscentibus perquiruntur, feracissimus. *Puy*, seu *Poy de Dome*, mons non procul à Claromontio dissitus, pascuis uberrimis, ac simplicibus exquisitis refertus est. *Duranius* in vertice laticibus scatet; ad radices vero thermis naturaliter aut calidis, aut frigidis, aut tepentibus, variis prout variæ poscunt ægritudines. Huic monti assidet urbecula, *Besse* nomine indigetata, cui mons alter imminet, ubi lacus amplissimus, cui si lapidem injeceris, mox ex eo micant fulgura, mugiunt tonitrua, maximæque exoriuntur procellæ, quas & pluviæ ac grandines excipiunt. Est etiam locus juxta hunc locum concavus, de quo illud idem enarratur; imo quod mensibus æstivis strepitus & tonitrua in eo percipiantur, etsi nil quidquam ullus injecerit. Qui Claromontio incumbunt montes, venis argenti fœcundi sunt. Mons autem aureus inde etiam rationem nominis accepit, quod quæ ex eo aquæ defluunt, stagnaque conficiunt, in fundo velut arenas aut scintillas aureas ostendant; & ob maxima quæ profert emolumenta, nam & pisces gignit inprimis sapidissimos. *Rochedagou*, decem à Claromontio milliaribus, rupem ostentat modicæ altitudinis, è qua lapilli abscinduntur suopte genio rutili, qui & nitore splendidissimorum adæquent pulchritudinem adamantium. Iisdem in jugis fontem reperias Vinosum vulgo dictum, quod illius aquæ vini saporem præ se ferant. Iuxta locum *la Croix-Morant* appellatum, fervent thermæ leprosis, aliisque morbis salutares. In tractu Claromontano versus Abbatiam *de S. Alyre*, profluit rivulus nomine Teretanus, olim *Scateon*, qui è fonte nascitur, cujus aquæ in lapideam duritiem coalescunt, quæ & seipsis pontem effor-

efformarunt, quo subterlabitur ipse amniculus. Porro illius aquæ aluminosæ sunt; at eodem in tractu inveniuntur duo balnea à S. Marco cognominata, illud calcinosarum aquarum, aliud sulphurearum; passimque per Arverniam occurrunt tum calentium, tum mineralium cujuscunque generis aquarum fontes & thermæ, *Medaignes* scilicet, S. Margaritæ, *Nyons* tota Gallia celeberrimæ; *Chaudes-Aygues*. In colle etiam Claromontanæ civitati vicino, scatet velut è fonte bitumen, quod varios in usus adhibent hujus regionis incolæ, præsertim vero ad præstandum nervis robur & firmitudinem eximium est. Picem quoque magna vi producunt abietes in finibus Sedunorum circa *Ambert, Polignac, Alegre*, aliaque maximo numero loca. Ad Montemferrandum fons visitur limpidissimus quidem, cujus tamen aquæ in picem ac bitumen convertuntur tanta spissitudine, ut & montem effingat, qui in tota circumregione Mons picis appellatur: fit autem hæc picis conglutinatio æstivis præcipue mensibus, quibus non ubertim adeo exundant scaturigines; neque hiberna tempestas aquæ coagulationem prohibet: crocus juxta Riomum reperitur; imò venæ quædam fusci ac rutilantis lapidis plane eximii; effodiuntur quoque marmora, & Iaspis non procul à *Brioude* oppido; carbones lapidei ad *Sauxilanges*; aurum, lapisque cyaneus ad fontes Elaveri; lapis Lazuli in montibus *d'Vsson*, atque in monte Aureo; argenti fodinas habet *Pontgibaut*. Sunt & vitriariæ multis in locis officinæ; prope *Menat* monasterium, ager visitur igneas eructans flammas. Limannia vinetis undique consita est; sed & illius vina præstantissima sunt.

Mores. Arverni, comes quidem sunt, sed astuti, augendæ rei familiaris studiosi, laboribus impense dediti, litteris armisque idonei: Nobilium frequentiâ superbit hæc regio, utpote ubi tot familiæ illustres, tot viri strenui atque magnanimi.

Opes. Maximas opes ipsa regionis ubertas suppeditat, quam prolixius supra descripsimus: varia quoque commercia ingentes illis afferunt proventus, negotiantur quippe frumento, vino & aliis; nam frumentum Elavero amne Aurelianum, Nannetes & alibi deducunt; quos vero colligunt fructus, plane exquisitos, Lutetiam Parisiorum evehunt. Papyrum etiam & cartas laudatissimas tota fere Europa distrahunt, quæ quidem in oppidis *Chamaliers*, *Ambert*, *Thiers* &c. conficiuntur; tapetes, pannos, cymatilia, multaque id generis lanificia regionibus finitimis divendunt; equorum, mulorumque armenta è tractu Langeacensi, Mercuriensi, & Bessensi in Italiam, Hispaniamque transmittunt; numerosos autem, quos alunt, ovium, boum, & aliorum animalium greges, Lugdunum adducunt, imo & Parisios, unde maximum quæstum faciunt; demum casei Arvernorum decantatissimi, totâ quaquaversum Galliâ & desiderantur & perquiruntur. Porro nullo non tempore ob suam opulentiam celebrata fuit Arvernia, cum & Theodoricus Gothorum Rex, solo prædæ intuitu, suos milites adversus Arvernos potentissimos, opulentissimosque concitarit.

Vires. Celebrant authores varii priscorum hujusce regionis incolarum potentiam. Strabo inprimis, de prælio ad Iseram commisso locutus, refert, Bituitum istius Gentis regem, è ducentis bellatorum millibus, quos in acie commiserat, 120 millia desiderasse: Gens eadem sub Vercingentorige adversus Iulium Cæsarem strenue decertavit. Arvernorum Dominatus à Narbonnensi tractu Massiliam usque, Oceanum & Rhenum olim diffusus est; quin & non temere iidem se Romanorum fratres asseruerunt, suumque è veteri illa Troja genus ac stemma deducere ausi sunt. Porro ipsi etiamnum bellica laude nitent, ipsaque regio ob montes quibus circumscribitur, omni fere ex parte est inaccessa; quid enumerem tot Equites, tot Nobiles, tot Heroës, Martes ipsissimos?

Regimen. Suos olim Reges, ac Duces habuerunt; verùm suppetias Romano ferente populo, liberi postmodum ac immunes egerunt, nam ideo captivum illorum regem Bituitum detinuit Senatus, ut ab ejus dominatu liberarentur. Deinde Comitibus paruerunt, ac demum Regibus. Spiritualia autem quod attinet, Episcopis subjecti sunt Claromontano & Floropolensi.

Abbatiæ. Ceterum Claromontana Diœcesis has in suo districtu continet Abbatias, *de S. Allyre, S. André, Chaise-Dieu, Esbreule, Mozac, Manlieu, Menat, Issoire, Tiern, Beaulmont, Brageat, Cusset, Rion, Chantoen, Belaique, du Bouschet, Fenieres, Megemont, Montperoux, l'Esclache, Vaissy, S. Gilbert, de Neufontaine.*

Porro nec illud silentio involvendum, quod spectat ad regimen, & nostrum facit ad institutum, tres antiquitus in Arvernia fuisse Comitatus, primus quidem Claromontanus; secundus, is est, qui *Vic le Comte* oppidum Metropolim habet; tertius denique, qui postea in Ducatus dignitatem evectus est.

PETRO-

PETROGORIENSE
TERRITORIVM,
vulgò
PERIGORD.



Nomina. P*Etrogoriensis* tractus nomen à suis olim habitatoribus sortitus est, qui *Petrocorii*, & *Petrogorii*, quandoque etiam *Vesunnici* vocabantur; quorum & meminit Iulius Cæsar Commentariorum libro 7. Regio quidem saxis, rupibus & ericetis aspera, at rebus præstantissimis, ac naturæ velut miraculis dotata; aëre saluberrimo fruitur; fontibus ubique scatet limpidissimis; nuces quoque castaneas alicubi producit; prata habet lætissima, unde & munerosissimos nutrit animalium greges; vina etiam suppeditat, piscesque optimos maxima profert abundantia; nam multis fluminibus irrigua est: oleum è nucibus, queis refertissima est, tanta exprimit copia, ut & finitimis regionibus subministret: indeque maximum quæstum faciat; quippe apud Lemovices, Arvernos, Languedociensesqu d istrahit; sunt plurimæ ferri fodinæ iis quæ subsequuntur locis, *Nortrou*, scilicet, *Essideuil*, *Marveil*, *Chapelle-pomier*, &c. extant & ferri officinæ in plagis *Bernardiers*, *S. Iammes*, *Roche-Cusset*, & *Roquette* dictis; argenteæ etiam crustæ juxta *Nortrou* reperiuntur; nec procul lapis *Lazuli* similis invenitur. Quarto ab urbe Perigordio lapide terra rubea effoditur, paris cum Bolo Armena virtutis & proprietatis. Nec desunt aquæ minerales, sulphureæ, & aluminosæ; thermæ tepentes & calidæ, multiplicis generis simplicia medicamenta, raræ prorsus virtutis & exquisitæ, Capillarium præsertim cujuscumque speciei. At si lubet naturæ ludentis contemplari miraculum, duabus à Perigordio leucis exspatiare, hic fontem videas, cujus aquæ in lapideam concrescunt duritiem, & sæpenumero glacie constringuntur; & quod visum mirifice oblectet, Protheum hic peragit sagax Natura, tot formas in aquis exhibet, tot figuras induit, tot facies & imagines in fonte commutat; & nihilominus aquæ illius saluberrimæ sunt. Nec procul à Miraumontio, *Miraumont*, Specus visitur, quæ *le Cluzeau* vulgo appellatur, subter humum quinque aut sex milliaribus excurrens, ubi aulæ perelegantes, & conclavia tessellato strata lapide olim visa fuerunt, testantibus indigenis, id constantissime à Patribus traditum; quin & ibidem veluti altaria, picturas, atque imagines extitisse, quosdamque fontes & rivulos profluxisse, quorum alter profundissimus erat & rapidissimus, centumque pedes & amplius extendebatur; quem prætergredi nequisquam ausus est, quamvis specus longe ulterius prætendi videretur. Adde & aliud non minus stupendum, quod in circumjacente *Marsana* regione conspicitur, ubi amnis profluit, qui statis temporibus reciprocos patitur æstus in modum Oceani. Sunt & alia plurima, verum ne aberres, & ut certius in hanc progrediare regionem, fines illius accipe:

Qualitas. *Fons.* *Specus.*

Fines. Tractus Petrocorensis Agennensi clauditur à Meridie; Cadurcensi ab Ortu; Lemovicensi à Septentrione; ac tandem Burdegalensi ab Occasu. *Extensio.* Longitudine 33 milliaria, 24 autem latitudine complectitur.

Flumina. Perigordiensis ager multis fluminibus irrigatur, nimirum, Dordonia, vulgò *Dordogne*, *Isle*, *Vesere*, *Droume*, *la Creuse*, *le Loup*, *Ver*, *Lisonne*, *le Seu*, *Zoly*, *le Ceon*, *Belver*, *la Cleuse*, *Bandiat*, *Auvezere*, & *Tardoire*. Amnis *l'Isle* è superiori Lemovicum tractu profluens, à Perigordio ferendis aptus est navigiis, donec pertingas Liburniam, ubi se in mare præcipitat. *Droume* fluvius, *l'Isle* ingreditur juxta Loubardemontium. *Vesere* ex inferiori tractu Lemovicum procurrit in Duranium, aliàs Dordoniam circa *Limenliam*. *Bandiat* autem Droumo immergitur ad Brantomium. *Auvezere* ambos Lemovicum tractus interluens, ad Insulense (*l'Isle*) flumen properat: *Tardoire* ex Roche-foucaudensi oppido initium ducens, & Bandiat ex Vau-guyonensi in Silvam Braconniam confluunt, ibique subterraneis meatibus duas emetiuntur leucas, ac tandem velut unico redivivi sepulcro sociatis ad invicem aquis *Touvre* fluvium juxta Engolismam efformant.

Nitidis splendet ædibus hæc regio, passim videas Magnatum Palatia, Castella Nobilium, villas hinc inde amœnissimas; horumce locorum quædam tibi linguâ vulgari nomina transcribam: *Bourdeille*, *Essideuil*, Marchionatus titulo insignis; *Marveil*, Baronatus; *Hautefort*, etiam Marchionatus; Fanum S. Alvari, *S. Alvaire*; *la Douze* Marchionatus; *les Bories*; *Auberoche* Baronatus, *Neufvic*, *Mont-real*, *Beau regard*, *la Roderie*, *Bernardiere*, *Riberac*, Comitatu nobilis; *S. Aulaye*, *la Roche-Chalais*, *Longa de l'Armandie*, *Longa de Barriere*, *Ronihac*, *Peyraux*, *Miramont*, *Griniol*, *Rastignac*, *Lassieu*, *Puy-Guilhem*, *la Force*, locus inprimis amœnissimus, *Gurçon*, *Trajac*, *la Chapelle-Faucher*, *Aserac*, *Montenseys*, *Montegrier*, *Marouates*, *Boursac*, *Ver*, *Lair*, *Lardimarie*, *Mont-Bassilhac*, *Clarens*, *Fernus*, *Roche-vigneron*, *Boisse-Pardaillan*, *Castelnau*, *Piles*; Quæcunque supersunt, in locorum delineatione afferemus.

Divisio. Tractus Petrogorensis in Superiorem, & Inferio-



PETROCORIVM COMITATVS
Vulgo
LA COMTÉE DE
PERIGORT.
Lieues Françoises
Milliaria Germanica communia
Septentrio
PARTIE D'ANGOULESME.
PARTIE DE LA XAINTONGE
PARTIE DU LIMOSIN.
PARTIE DE GUIENNE.
PARTIE DE QUERCY.
Meridies
Occidens
Oriens
Perigueux
Bergerac
Sarlat
Limeil
Libourne
Fronsac
Marmande
Caumont
Biron
Ville Franche
Brive
Terrason
Beaumont
Montreul
Marquart
Gordon
Ville Real
la Roole
Garonne Fluvius
Dordoigne Fluvius

feriorem dispertitur; Superior, ubi cognominis civitas, & Bergeracense oppidum *Candidus*; Inferior autem *Niger* appellantur. In hoc postremo situs est Sarlatensis Episcopatus.

Civitates.

Perigordiensis civitas, olim *Vesuna Petrocoriorum* à priscis vocitata, idem hodie nomen retinet. Illius antiquitatem superstites Amphitheatri ruinæ loquuntur, quæ trito apud illam Gentem vocabulo *les Rolfies* indigetantur; testatur & turris, quæ *Visone* dicitur, cujus meminit Ptolemæus; in eaque cultum Veneri præstitum existimatio est: Sphæricam illa figuram præfert; muri quibus circumvestitur, ad centum pedum assurgunt altitudinem, spissi & solidi septem pedibus; fenestris ac januis, quibus lucem accipiat, destituitur, duabusque subterraneis specubus subintratur. Perigordius in urbem ac civitatem dispescitur, civitas autem ipsa est, quæ vetusta nominatur, de qua mox præfati sumus; Cathedralis illius Basilica, opus perantiquum, cujus concameratio crucis formam imitatur. Præclaro mœnium ambitu urbs ipsa cingitur, fossis, turribus, ac propugnaculis munita, ad oram Islensis fluminis assidet in planitie montibus ac collibus circumsepta, in ipso quoque regionis umbilico; ac septem portis non inelegantibus adventantes excipit. Isla, inquam, fluvius ibi pulchro ponte sternitur. Aliis etiam Ecclesiis exornatur, Collegiatâ nempe seu Abbatiali, Episcopatui annexa, Parochiali, nonnullis Religiosorum Cœnobiis ac Iesuitarum gymnasio. Armamentarium habet bellico apparatu instructissimum, amplissimoque regitur Majoratu & Consulibus. Plurima extra muros virorum, ac virginum monasteria conspiciuntur; primoque ab urbe lapide extat celebratissima sub auspiciis Deiparæ Virtutum capella, ad quam frequentissimus est populorum concursus, vetusta quoque præsidii militaris à Cæsare extructi rudera, non procul ab urbe supersunt, quæ sub ipsius etiam nomine ostentantur. Suos à priscis temporibus habuit Episcopos, quorum hoc etiam seculo radiis illustratur.

Episcopi.

Bergerac.

Bergeracum Superioris Perigordii civitas, Dordoniæ aquis alluitur; sedet in amœna planitie cui nullus omnino collis dominatur. In tantum olim floruit, ut post Burdegalam secundas teneret viribus & opulentia; hodie quoque non minimi est momenti; cum enim in Agenensium, Perigordiensium, Burdegalensium, atque Cadurcensium finibus posita sit, ad illas omnes provincias aditum præbet. Castillonium urbs quoque est notissima ob commissum Anglos inter & Gallos prælium anno 1452, ibi enim urgente *Talbot* sene octogenario, voceque acriter decertante, cum manu esset impotens, ipse quidem asturconi insidens generosus in acie cecidit; verum Angli fusi sunt, in suamque Insulam repulsi, ac demum à Gallis stetit victoria. Fanum S. Æmiliani, quod & ab indigenis *S. Emilian* vocitatur, modicum quidem, sed non inelegans est oppidum, in colle situm, ubi Canonicorum Ecclesia artificio singulari, in rupe extructa.

Castillon.

S. Emilian.

Tandem Isla fluvius Perigordio valedicens, multis obviam fluminibus intumescit, donec emenso duarum aut trium circiter leucarum spatio, ad sua properans ostia, Dordoniæ jungitur, amboque unico postmodum alveo decurrentes, Girondæ immerguntur.

Alia oppida.

Cetera superioris Perigordii loca sunt, *Bourdeille*, *Brantome*, ubi Abbatia insignis ad radices scopuli posita, cui nemus insidet, & fontes scatent innumeri; *Mussidam*, *Riberac*, antiquo Comitatus titulo nobilis; *Marsac*, fonte reciprocos æstus patiente celebris; *Nontron*, *Limeil*, *Tiviers*, *Essidueil*, *Miramont*, ob fanum Veneris, statuasque Priapéas notissimum; *S. Astier*, urbecula satis elegans, ubi Collegiata Ecclesia; *Roche-Beaucourt*, quæ itidem Collegiata exornatur; *Chancelade*, castellum Abbatia insignitum; *Sauvetat*, *Aymet*, *Linde*, quæ turre quadrangulari defenditur, unde fons profluit duo pistrina circumagens; *la Force*, castrum elegans & peramœnum; *Curson*, castello munitum; *Montravel*, burgus & possessio Archiepiscopi Burdegalensis, *Montegrier*, *Beau-sejour*, *Tour-Blanche*, ubi amœnissimus hortus Dominorum *de la Fueillade*; *Montrou*, urbecula; *Salignac* oppidum perelegans, prævalido castro munitum. Sunt & alia non parvo numero minoris momenti loca, quæ lubens omitto, ut ad inferiorem Perigordii regionem illico gradum faciam.

SAR-

SARLATENSIS EPISCOPATVS, ET DITIO, vulgò SARLAT.



Arlatenſis civitas inferioris Perigordii Caput, Epiſcopi ſede nobilis, cujus inde comprobatur antiquitas, quod cum Druidæ Galliarum genti jus dicerent, hîc erat inſigne templum Æſculapii, & Medicorum Academia celebris. Illa porro civitas nullo non tempore Franciæ Regibus addictiſſima, etiam dum Angli totâ quaquaverſum Galliâ impune graſſarentur; ipſæque Religionariorum factiones acerbius deſævirent. Vrbs ſitu munitiſſima, inteſtinorum tempore diſſidiorum, duas obſidiones ſuſtinuit & ſuperavit. Expanditur illius juriſdictio ad 12, aut 14 ferè milliaria tum longitudine, tum latitudine, ſcilicet uſque ad Seneſchallatum Agenenſem. Hic quoque floret Seneſchallatus celeberrimus; ipſa vero Diœceſis amne Duranio ſeu Dordonia cingitur, nec procul abeſt à fluentis Vezeræ & Droumæ, quibus etiam ex parte clauditur.

Abbatiæ. Tres tantum in Sarlatenſi Diœceſi reperiuntur Abbatiæ, *Teraſſonenſis*, nempe, S. Amantii, & Cadouini. Vigilantiſſimis ac nobiliſſimis omni ævo fulſit Epiſcopis, quorum nomina brevitati conſulens prætermitto.

Oppida. Hæc autem diſtrictus Sarlatenſis oppida, burgi ac caſtella recenſentur, *Tourette*, *Rouſſillac*, *Fenelon*, *Veyrinhac*, *Gauleiac*, *la Gazaille*, *Curſac*, *Montfort*, *Domme*; *Roque-Gajac*, *Caſtelnau*, *Feyrac*, *Beynac*, Fanum S. Cypriani cum ſuo Prioratu; *Goudon*, *Alat de Ferrieres*, *Caſcla*, *Mouſeq*, *Bethon*, *Ciourac*, *Suquet*, *Bigarroque*, Turris *de Buyſſon*, *Cunhac*, *S. Chamaſſii*, *Badefou*, *Lenquais*, *Couſe*, ubi papyrus & cartæ laudatiſſimæ elaborantur; *Terraſſon* burgus & Abbatia, ubi etiam pons eximius ad Vezeram ſternitur; *Condat*, *Fleunie*, *Filoulie*, *Sauvebœuf*, *Felez*, *Montignac*, ſedes olim Comitum Petrogorienſium, hîc quoque commodiſſimo ponte Vezera pertranſitur; *Brueil*, *Loſſe*, *Tonnac*, Burgus ampliſſimus; *Sarjac*, *Clerans*, *la Roque*, S. Chriſtophori fanum portu opportuno inſtructum; *Marzac*, *Sayac*, *Azzies*, *Campauſe*, &c.

Sarlatenſis diſtrictus quinque Iudicaturis exornatur, quæ linguâ Gentis vernaculâ *Baſtilles*, appellantur, *Domme*, ſcilicet, *Ville-franche*, *Montpaſier*, *Beaumont*, *Moulieres*; fulget etiam Dynaſtis, qui ſuâ quiſque regione jus dicunt. Petrocorenſis tractus inferior aliis præterea oppidis, arcibus, ac locis conſitus eſt, quorum hæc ſeries, *Iſſigeac*, *Belver*, cui nemus aſſidet, vulgò *de la Biſſede*; *Biron*, *Cailus*, *Doyſſac*, *Borbieres*, *la Roque-Miral*, fanum S. Geneſii, *la Capelle Albarel*, *Puymartin*, *Puyberon*, *la Faye*, *le Repaire*, *Theobon*, *Cadoinenſis* Abbatia; Fanum S. Aviti, &c. Porro illud territorium, quod à Conquæſtu nomen ſortitum eſt, regiuncula eſt, quatuor longitudine, latitudineque milliaria colligens. *Terre de la Conqueſte, alias, la Double.*

Mores. Accedunt Petrocorenſes ad Vaſconum ſibi finitimorum indolem, ſuo ſunt genio rudes & aſperi. Nobilitas exculta omnino, & ſingulari morum honeſtate prædita eſt. Extollit quidem Merula feminarum Petrocorenſium pulchritudinem; illam tamen dotem eximiam, non ille ſolum, ſed plerique authores alii, ad feminas duntaxat nobiles extendit.

Opes. Tractus Pericordienſis, ex frequentiſſimis quibus alluitur fluviis maxima percipit commoda; nam ope fluminum plurimæ inibi ferri papyrique officinæ excoluntur; ſolus Couſa amnis, 120 molas tum frumentarias, tum papyraceas, unius tantum leucæ decurſu circumagit; quod in maximum cedit incolarum hujuſce regionis emolumentum; etenim ferreis, quæ fabricant, inſtrumentis ad proſcindendam duriſſimam ſuæ terræ glebam utuntur; quin & illa apud Bergeracenſes, Burdegalenſes, aliaſque provincias diſtrahunt; opera quoque cuprea & ærea ope aquarum cudunt, quæ in regiones exteras veaum exportantur. Qui Duranium flumen accolunt, frumento, vino, caſtaneis, rebuſque aliis negotiantur, quas flumine tranſvehunt Burdegalam, & alibi. Nutriunt alii numeroſos porcorum greges, unde etiam maximum proventum faciunt.

Vires. Ipſa Petrocorenſis civitas, caſtellaque innumera, & qua pollent indigenæ armorum peritia; præſertim verò Nobilium ſtrenuitas, inſuperabilem fere conciliant huic regioni fortitudinem.

Porrò non ſolum hunc tractum, ſed totam Galliam illuſtrarunt familiæ inſignes è Petracorenſibus oriundæ, quas inter numerantur Nobiles hæ proſapiæ, *de Bourdeille*, *d'Autefort*, *Talerand*, *Gurſon*, *de Foix*, *de Gontant Biron*, *de Caumon*, *de la Force*, &c.



DIŒCESIS
SARLATENSIS,
Vernacule
LE DIŒCESE DE
SARLAT.
IOANNES TARDO
Canonicus Ecclesiæ Sarlati
delineabat.
Miliaria Gallica communia.
LE DIŒCESE DE PERIGUEUX
LE DIŒCESE DE CAHORS.
LE DIŒCESE D'AGEN
Occidens.
Oriens.
Terrasson
Montignac
Sarlat
Limeul
S. Cyprien
Domme
Beluer
Molieres
Bergerac
Lalinde
Couse
Beaumont
Sigeac
Aymet
Lasaluetat
Lauzun
Castillones
Villereal
Mont Pazier
Ville Franche
Amsterdami
Apud Guilhelmum Blaeu.

41.

Nomen.

Fines.

Fluvii.

Cadenac.

CADVRCIVM, vulgo QVERCY.



Nomen. Cadurci, veteres Narbonensis Galliæ populi, nomen regioni fecerunt, inclyti, fortes, & strenui, ut hocce elogio testatur Mantuanus, *fortesque Cadurci*; ab iis hodie *Cadurcium* nominatur; quod Languedocium habet à Meridie; *Fines.* Agenensem ab Occasu provinciam; Petracorensem à Septentrione; Rovergensem denique ab Ortu. Extenditur leucis octodecim longitudine, totidemque latitudine complectitur.

Fluvii. Celebriora illius flumina sunt Garumna, Duranium, & quæ vulgo *le Tarn*, & Oldum, Gallicè *le Lot* appellantur. Postremus is fluvius Gevaudanensibus è jugis nascitur, Rovergense territorium allabitur, præterfluensque Cadurcium, tandem in Agenensi tractu Garumnæ immergitur. Nullatenus ob scopulos navigabilis est, quod & maximum commercio impedimentum; unde cum sit regio fœcundissima, multisque naturæ dotibus locupletata, ex innata tamen nequaquam prævalet abundantia, pecuniarum sæpe sæpius indiga, cum affatim cuncta suppeditet ad vitam necessaria. Ipse autem fluvius paucissimos pisces nutrit; de quo illud quoque singulare circumfertur, quod cum immanis scopulus, juxta locum *de Puymerol* in ejus alveum proturbatus incidisset, 24 horarum spatio illius aquas repressit ne fluerent, donec postmodum commutato canali inde prolaberentur, tuncque rupis violentia tot pisces enecatos, ut deinceps velut piscibus viduatum flumen videretur. Porro Lot fluvius Trieveram *Adie, Aubene, la Sale*, & aliorum fluminum aquis intumescentem excipit, unde & amplissimi jam amnis nomine insignitur, etiam prius quam Divonam Cadurcorum appulerit, multaque loca prætervectus, quibus aut ponte, aut *Cadenac.* Pontone pertransitur, Cadenacum Cadurcii civitatem advenit, ab ipso Cæsare, sub vocabulo Vxelloduni, ut creditur, memoratam; etenim & hodie fons ille visitur, cujus aquas restrinxit summus Imperator, ne fluerent, ut cives obsessi, sitis pressi molestia, victi urbem dederent, qui armis frangi non potuerant; nam strenuitate ne Cæsaris quidem militibus erant impares; unde, ut illorum deinceps audaciam reprimeret, & suæ velut rebellionis pœnas luerent, cunctorum manus jussit amputari. Existimant alii Vxellodunum in monte *Martel* adjacenti fuisse positum, ubi vetera cujusdam urbis rudera conspiciuntur, & porta etiam, quæ Romana vocitatur.

Cahors. E Cadenaco Divonam, vulgo *Cahors*, Lot suas aquas devehit, ibique ternis sub pontibus labitur. Hæc civitas Cadurcii caput & metropolis exornatur Episcopo, qui spirituali ac temporali potestate præminet, cui splendor hic singularis, ut dum sacris operatur, cassidem mitræ conjungat in altari, ensique pedum pastorale, in signum utriusque potestatis adjiciat. Varia autem apud Latinos auctores nomina sortitur, nam *Divona Cadurcorum, Cadurcum, Cadurx, Caturcum*, & *Caturcium super Oldum*, nominatur. Illius antiquitatem testantur superstites veteris amphitheatri reliquiæ, & quædam thermarum species. Hic floruit omni ævo Iuris civilis Academia, è qua viri doctissimi prodiere, quos inter Iacobus de l'Osse, qui postea Ioannes XXII, summi Pontificatus honorem adeptus est; Cujacius, Benedictus, Ioannes à Costa, & alii.

Abbatiæ. Hasce complectitur Divonensis Diœcesis Abbatias, *de Moyssac*, scilicet, *Figeac, Marcillac, Souillac*, Latine *Sublacum*, Custodiæ-Dei, vulgo *Garde-Dieu*, S. Marcelli, &c.

Divisio. Cadurcensis regio in Superiorem & Inferiorem dividitur; Superior supra Divonam protenditur, vocaturque lingua vernacula *la Causse*, à cautibus nempe, quibus disseminatur: inferior autem ipsa est, quæ eidem urbi subjacet, ac versus Montem Albanum, & Moyssacum procurrit. In finibus hujusce provinciæ *Lot* amnis Agenensem tractum subingrediens, in proprio restringitur alveo, ut aquis adinvicem sociatis vires augeat ad perrumpendos obviam sibi scopulos, quo postmodum superato omni obice liberius effluat; illum deinceps assequi conabimur, postquam aliorum decursus fluminum fuerimus pro- *Flumina.* secuti, qui antea nobis exciderunt.

Le Tarn. Tarnus igitur, *le Tarn*, quem fluvium aureum indigetat Ausonius, Cevennensibus è jugis profluit inter cautes & prærupta Gevodani, tantoque fragore ac impetu volvitur, ut plus detrimenti afferat, quam commodi. E Gevodano ad *Tarnou.* Rutenos prolabitur, tumque incipit *Tarnou* aquis accrescere, modicaque intercapedine, juncto *Dourbie.* sibi *Dourbie* flumine, quod Gevodanum inter & Cevennas effluit, *Millau* oppidum alluit. Sub lo- *Sernou, & Sorgue.* co autem *de Brougnie*, Tarnus exceptis *Sernou* & *Sorgue* fluminum aquis, ad eximium *Alby* pontem proficiscitur; de ipsa autem Allagensium urbe suo loco dicetur; inde Tarnus ad *Gaillac*, & *Rabasteins* territoria præstantissimo vino celebrata properat; interim *Agoust* amnis, qui è Cevennis quoque defluit, è montibus nempe *de la Chaume*, ac pleraque loca prætergreditur, *Castres* scilicet, *Fraisse, Brassac, Rocquecourbe, la Vaur*, & *Damiate*, rapiens


CADVRCIVM
Vernaculé
QVERCI.
PARTIE DV PAIS DAVVERGNE.
Partie du Limosin.
PARTIE DV PERIGORT.
PARTIE DV PAIS DE RODENS.
Partie du pais d'Albigeois.
PARTIE DE LANGVEDOC.
PARTIE DE GVASCOGNE.
Cahors
Montauban
Milliaria Gallica.
Amsterdami
Guiljelmus Janßonius,
&
Johannes Blaeuw
Excudebant.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

rapiens obviam *Caudet, Toret*, *Durenque*, & *Dadon* rivulos, Tarno sociatur, amboque ad Montem-Albanum eodem decurrunt alveo; *Tescon* autem fluvius, qui Cadurcium à Languedocio dirimit, iisdem jungitur.

Montauban. Porro Mons-Albanus est egregia civitas in monte posita, quæ *Mons aureolus* olim dicebatur; initium duxit à S. Martini abbatia, ex arce autem à Tolosæ Comitibus extructâ incrementum accepit; Episcopatus dignitate nobilis, & fœcundissima Medicorum altrix Academia. Prope pontem, quo Tarnis, seu Tarnus sternitur, multæ sunt cellæ vinariæ profundius in terra excavatæ, vinis asservandis supra modum idoneæ. Spectatur & hic fons vivus, per duodecim tubos exiliens. Ceterum urbs est frequens & negotiationi satis opportuna.

Moissacum. Moissacum inter quatuor primarias & antiquissimas Cadurcii civitates computatur; illam Gothi à Romanis extulerunt; ab ipsis vero Gothis eripuit Clodovæus. Hîc Carolus Magnus Imperator opulentam fundavit Abbatiam, ubi pretiosissimæ S. Cypriani Carthaginensis Episcopi exuviæ summa veneratione asservantur; in hac olim abbatia mille monachi contempta seculi vanitate, iis quæ Dei sunt, solummodo intendebant. Vrbem hanc longo tempore Angli occuparunt, cum autem cedere cogerentur, illam incendio deformarunt, cujus etiamnum incendii vestigia extant; nec potuit unquam à tantis exsurgere ruinis, splendorique pristino restitui. Tarni flumine alluitur, qui Garumnæ jungitur modico inde intervallo.

Aveyron fl. Averon nobilissimis tractus Cadurcensis fluminibus accensetur, è fonte Soveracensi oritur, subter Segoduno, vulgo *Rodez*, Rutenorum metropoli; accrescens vero *Biaur*, & *Lezert* fluviorum aquis, oppidi S. Antonini pulsat mœnia; quæ civitas duorum amnium confluenti insidet, Aveyroi nimirum, & Bonettæ; hujus incolæ urbem inexpugnabilem crediderunt; nam tormenta bellica, ad excelsa montium inaccessorum, & undique præruptorum, quibus cingitur, nequaquam posse provehi vix, ac ne vix quidem in mentem inducere poterant; at quantus illis stupor, ac terror incussus est, dum immanes machinas ad nubes usque attolli prospexerunt, seseque horum impetu & fragore horribiliter concuti & conquassari; nam tum natura loci cessit industriæ. At sensim, & quasi aliud cogitantes in fines Rutenorum penetravimus, itaque tantulum iter reducamus, ut omnia hinc inde loca circumspiciamus. Duobus à S. Antonini urbe

Bourniquet. milliaribus reperitur *Bourniquet*, priscæ memoriæ Vicecomitatus, qui arcem prætendit in scopulo positam, & fere inaccessam; Latine *Brunechildum* dicitur, ideoque à Brunechilde fuisse conditum, nonnullorum existimatio est. *Negrepelissa* duabus distat leucis à Vicecomitatu Bourniquetensi, de quo mox sermo habebatur, amœna prorsus urbecula, ædibus & plateis pulcherrimis exculta, quæ occulta quadam dulcedine cunctos alliciat; attamen illa, quam adversus præsidiarios milites atrocitatem exercuit, Regem in ultionem sceleris concitavit; ideo enim expugnata urbs, & militum furori permissa, direpta, ferro & flammis vastata, cunctas perpessa est injurias, quas & victus timere, & victor potest inferre; nam nec sexui aut ætati condonatum est, feminæ & juvenculæ constupratæ, ipsi etiam vagientes in cunis occisi sunt.

Amnes. Ceterum *Aveyron* amnis, ubi *Lere*, & *Cande* rivulos sibi sociavit, jam tumidior factus, in Tarnim sese exonerat, ubi definita sibi periodus. Porro volentes indigenæ, quanta his vecti fluminibus incurrant pericula, suggerere, lingua hujusce regionis inconcinna hos rythmos effutiunt:

Qui passe lo Lot, lo Tar, & l'Aveyron,
Nes pas segur de torna en sa meison.

Quod idem est ac si Latine diceres, quisquis Loto, Tarni, & *Aveyron* fluminibus sese committit, incertus est an domum incolumis unquam sit reversurus. Neque tacitus prætereo amnem alium *Serou* nominatum, is enim hanc etiam regionem alluit, quippe cum in Rutenorum finibus exoriatur, ad loca *de Rosiers, Monestiers* & *Cordes* pertransit, ac tandem in *Aveyron* subtus Milhars circa limites Albigensium sese projicit.

Tarnis ergò tantis auctus divitiis cœptum jam cursum peragit, donec adhuc *Lemboulas*, & *la Lute* amnes obviam rapiat, ac postmodum in Garumnam sese præcipitet; Garumna autem versus Valentiam procurrit, de quo nos postea; nam & in alias Cadurcii urbes saltem digitum intendere proposuimus.

Alia loca. Habet igitur Cadurcium sequentia non contemnenda loca, *Figeac* nimirum, *Lauzerte, Martel*, & *Gourdon, Moncuq, Ville-Real, Albias, Montpesat, Monticous, Caussade* non exiguam civitatem; *Souillac, Mirabel, Molieres, Castelnau de Monratier, Moncibrier, Durand, S. Seré, Salviac*, fanum S. Germani, *Gramat, Malause*, Marchionatum; *Calviniac*, Vicecomitatum; *Caziliac*, Baroniam; *Montbrun* vero domus est elegans & amœna, imo & locus apprime munitus, & priscæ memoriæ Baronatus; *Sieurac, Senevieres*, Marchionatus; *Cadenat*, sive *Capdenat*, aut *Capdenau*, locus etiam firmissimus, non procul à Figeac dissitus, qui olim arx Escriniolensis vocabatur, prout ex veteribus apparet instrumentis; quin & ibi visitur turris pervetusta, nomen istud antiquum præferens; at præsidium militare, seu fortalitium abs Wisigotho Equite circa annum 477 fuit extructum, totus autem ipse burgus monti præalto & sphærico insidet, quo quidem velut muro undique obsepitur; putarunt nonnulli fuisse Cæsaris *Vxellodunum*, quod & ipse obsedit & expugnavit, multis etiam insumptis laboribus in præcidendo fontis alveo, ne ad obsessos difflueret; sed perperam; nam mons ipse, qui loco *de Martel* adjacet, de quo nos supra egimus, in contrarium attestatur. Perelegans quoque assurgit hac in regione domus *Acier* dicta, quæ palmas præfert & pulchritudinis & amœnitatis. Hic etiam non obscuræ notæ *S. Sulpitii* Marchionatus; atque *Piquecos, Roussillon, Millac, Vaillac, Cardaillac*, non ignobilia loca, imo ob suam firmitatem & vetustatem laudatissima, nam & à tempore Anglorum celebrantur. *Monclar* inter omnes regionis Vicecomitatus vetustate præcellit, cui & Marchionatus dignitas attributa. Porro quatuor præcipue & vetustiores Baroniæ sunt, *Castelnau, Puy-Cornet*, Gour-

Quatuor Cadurcii Baronatus.

Gourdon, & *Luzech*; Marchionatus vero ii recensentur, *Themines*, *Montpesat*, *Seneyieres*; Comitatus denique sunt, *Vaillac*, & *de Cabreres*, ac Vicecomitatus *de Peccaluel*, erectionis novissimæ, quibus titulo vetustatis antestat Negrepelissensis Comitatus; *Roquemadurum* in districtu Martellensi, notissimum est ob Rolandi gladium, *Durandal* vocitatum.

Qualitas.

Omnis quaquaversum Cadurcensis regio aëre saluberrimo potitur, præsertim vero tractu superiori; maximam fructuum profert abundantiam, & nusquam vini est indiga: illud vero quod in Divonensi solo nascitur, cæteris laudem præripit; dictitant accolæ, Franciscum I, Regem allatis inde palmitibus vineam Moreti plantasse, illiusque culturam vinitori ejusdem regionis ad longum tempus demandasse, qui postmodum in patriam reversus, communiter ab omnibus Princeps appellatus est, illudque nomen honoratissimum ipsius familiæ denuo fuit attributum. Superior regio numerosissimos alit ovium greges, è quibus lana optima in usum pannorum maximo proventu comparatur; inferior autem pascuis pinguissimis abundat. Crocum maxima copia producit tractus Caussadensis, qui & Hispaniarum præfertur croco; neque ipsa superioris Cadurcii nemora, venatione destituta sunt, nam in iis apri velut agmine facto reperiuntur; quin & aucupium frequens in agro Divonensi; habenturque in deliciis illius oræ perdices, quales nec tota Aquitania invenire est. Quæ olim in Rutenorum agro erant argenti fodinæ, longo tempore perdurarunt, quarum meminere vetera Parisiensis monetarum Curiæ instrumenta. In loco *Mie* dicto, juxta Tegram, in superiori Cadurcorum regione, à paucis annis fons inventus est sulphure scatens & vitriolo; quamobrem ad salutiferas illius aquas morbidi non pauci confugiunt; Encaussensibus quoque lymphis eadem omnino virtus concessa est. Videas etiam in Padiracensi solo puteum à natura excavatum, ducentis aut trecentis altum cubitis.

Cadurcense linum, lineaque ejusdem regionis textilia summopere laudarunt antiqui; verum hodie operæ textilium desierunt. Flavas habet tulipas mons Angeliensis, hæ autem Cadurcenses appellantur, eo quod plurimum ab aliis differant. Nec silentio prætereundum, repertas hic aliquando testas piscium marinorum in lapidem induratas, quæ & spectatæ essent magnitudinis. Specus in agro *de Marsillac* visitur, *de Rouby* vocitata, cujus aquæ in lapideam duritiem concrescunt, evaduntque crystallo persimiles, imo & gratissimas species & figuras efformant, columnamque sui medio præferunt, quæ & contorta est, atque ad specus testudinem pertingit: aqua etiam scaturiginis, seu Fontis Polemii, lignum in se projectum post modicum temporis spatium lapide incrustat. In plaga superiori ad castrum *du Bas*, temporibus Ebrardi Episcopi, à S. Sulpitio cognominati, reperta in rupe fluvio imminenti auri fodina, ubi deinceps ob stupendam altitudinem nequisquam fodere ausus est. Veteris etiam aquæductus vestigia hodieque observantur, qui quidem tres leucas in longitudinem protensus, ubi montes ipsos per medium oportuit dissecari, ut qui ex parte *Vers*, & *Velles* tubus cernitur, ad finem perduceretur; quod inter maximos & difficillimos antiquitatis labores computatur: hoc autem Pontio Polemio Prætorii Præfecto in Galliis attribuitur; quod & unus ex veteribus hujusce tractus Episcopis non sine causa memorat. Conspiciuntur in territorio Sommeriensi, vulgo *de Sommieres*, tantæ lapidum moles, ut vix centena boum paria possint dimovere; sunt autem altaribus persimiles, septemque aut octo ulnas per diametrum colligunt, totidemque pedes spissitudine.

Mores.

Cadurcorum indoles ad benignitatem propensa, illis etiam exterorum benevolentiam conciliat; sunt ad scientias comparandas & ad arma idonei. Ipsa Nobilitas altos spiritus gerit; duces in bellis strenuos, non superioribus tantum sæculis, sed hoc etiam ævo, suppeditavit.

Regio Cadurcensis non est admodum opulenta, aut commerciis frequens; nam fluviis navigabilibus est destituta, si Tarnim exceperis, qui Montem-Albanum & Moissacum alluit, unde excellentissima *de Gaillac* vina distrahuntur, & optima S. Antonini pruna, quæ ad Burdegalenses asportantur. Tres maximæ celebrantur in oppido Gramatensi quotannis equorum nundinæ: apud Varerium autem minorum animalium greges in usum Aquitaniæ divenduntur; è Concotio autem porcos abducunt Languedocii in suæ familiæ sustentationem.

Vires.

Nulla fere hic civitas præsidiario milite custodita. Cadenatium quidem loci natura munitum est; potestque Cadurcium universum tria aut quatuor peditum millia, & equites mille in aciem educere.

Regimen.

Prisci Cadurcorum populi magno in pretio apud Romanos fuere; tantum enim abest ut subjectos crederent; quin potius liberos existimarent; prout ex ipso Cæsare intelligitur, & sub jure *Latii* ipsos omni magistraturæ habiles effecerunt; cujus rei etiamnum vetera extant monumenta. Hujus conquæstor regionis fuit Iulius Cæsar, quæ quidem è Romanis ad Gothos devenit, à Gothis autem ad Clodovæum primum hujusce nominis regem. Impræsentiarum vero sub universali Aquitaniæ ditione comprehenditur, eundemque sibi cum illa Gubernatorem vendicat, nimirum ipsius provinciæ Seneschallum; nam hæc duo munera, Gubernatoris nempe, & Seneschalli invicem annexa sunt.

Quot autem & quantæ sint in hoc tractu Nobilium familiæ, ex tot & tantis dignitatibus & titulis, quos civitatibus & locis assignavimus, colligere nullo negotio quisque poterit; passim enim Baronias, Marchionatus, Comitatus, aliosque titulos locis adjectos reperies.

RVTENORVM REGIO,

vulgo

Le Pays de R O R V E G V E.

Nomina.

HÆc regio, quemadmodum & aliæ, quas supra memoravimus, à suis habitatoribus nomen sortita est, qui à Latinis *Rhuthani*, *Rutheni*, & *Ruteni* nominantur.

Fines. *Rutenium* igitur, ceu Rutenorum regio, ab Occasu quidem Cadurcio clauditur; ab Ortu, jugis Cevennensibus & Gevaudano, habet autem à Meridie Albigense territorium; ac tandem Arvernos à Septentrione. *Extensio.* Triginta leucis panditur in longitudinem; latitudine vero, solum viginti colligit.

Amnes. Præcipuus, quo rigatur, fluvius, est Tarnis, qui subsequentia perluit oppida, *Monstueges*, scilicet, *Compeyre*, *Millaud*, *S. Rome*, *Broquiar*, *Peire*, *Brosse*, & postmodum Albigensium fines ingreditur. *Aveyron*, ut jam annotavimus, è fonte nascitur Severacensis territorii, Segodunum, seu Rutenam, vulgo *Rodez* perlabitur, inde *Villam-Francam*, *Gueprie*, *Boursiquel*, *S. Antonini fanum*, *Montricour*, *Vieule*, *Negrepelisse*, & *Loubejac* properat, ac tandem Tarni mergitur. Ex Arvernorum finibus *Lot* egreditur, Rutenosque subingrediens, S. Givicium pertransit, ac tandem in Garumnam sepelitur. Dourbia vero Gevaudanum inter & Cevennas scaturit, unde proficiscens in Tarnim sese evomit. *Dordou* è monte S. Thomæ ducit originem, indeque procurrens Tarni jungitur. *Viaura* Rutenorum intra limites nascitur, Aveyronæque sociatur circa fines Albigensium. *Lezert* è monte Lerdairollensi defluit, & locum *de Sauve-terre* prætergreditur. *Sarnon* in monte Larsacensi gignitur, ac postea *Dordou* flumini commiscetur.

Divisio. Hæc regio in Superiorem & Inferiorem Marchiam dispescitur, & in Rutenensem Comitatum, qui utrique Marchiæ interjacet. *Millaud* primaria est Marchiæ Superioris civitas; Villa-Franca autem Marchiæ Inferioris.

Millaud. Millaudum quidem urbs est ampla satis & elegans, convenientique situ posita ad Tarnim fluvium, qui binis ibi pontibus sternitur. Ager amygdalarum ferax, unde nomen accepisse, quorundam existimatio est. Sede regia, seu Prætorio civitas hæc exornatur, quin & Seneschallatu, & Sede Præsidiali.

Vabres. Vabra, & Vabrincum, vulgo *Vabres*, ab arce duxit initium, quam & memorat Gregorius Turonensis; accessit postea monasterium Ordinis Benedictini, unde & suos fines dilatavit, & ad hanc evasit amplitudinem, ut sede Episcopi decoraretur. Vabrincensis autem Antistes, Ysseriaci commoratur, duasque solummodo habet Abbatias suæ jurisdictioni subjectas.

Alia loca. Accensentur pleraque alia huic regioni loca, quæ vulgo sic appellantur, *S. Iean d'Auquas*, *Combret*, *Beaumont*, *Roquefueil*, *S. Affrique*, *Compeyre*, *sainct Rome*, *Camares*, *S. Sernin*, *Creyssels*, *Nant*, *Nonenque*, *S. Bauzely*, *Couverteyrade*, *la Cavalarie*, *S. Aulary*, *Brueil*, *Cornus*, *Peyre Brousse*, *Roquefort*, *S. George*, *Salvanez*, *Montlaur*, *Brusque*, &c.

Rodez. *Rodez*, quam veteres *Segodunum Rutenorum*, alii *Rutenum*, & *Rutenam* nominarunt, hujus est regionis caput, venerandæ quidem antiquitatis, sed ob perpessas clades deplorandæ; nam tum à Gothis, tum à Gallis & Sarracenis toties impugnata, expugnata, direpta, incensa, diruta hæc civitas, ut jure merito theatrum totius furoris bellici possit appellari. Colli insidet, montibus undique circumvallata; duasque in partes dispescitur, civitatem scilicet, & burgum. Insignis est illius Ecclesia Cathedralis, quæ etiam turre editissima decoratur; inde tota passim regione tria celebrantur, Segoduni Campanile, Mimatensis Campana, & Ecclesia Albigensis. Exornatur eadem civitas Prætorio Præsidiali.

Abbatiæ. Subjacent autem jurisdictioni Segodunensis Episcopi sequentes Abbatiæ: *S. Germani* monasterium, *de Conques*, *Cogneres*, *Bonnecombe*, *Bonneval*, *Beaulieu*, *Loc-Dieu*, & *Larptenne*.

Loca Marchiæ superioris, Hæc autem sunt notiora Marchiæ superioris loca: *Durenque* & *Caumont* Baronatus; *Tolet*, *Requista*, *Coupiac*, etiam Baronatus; *Pyrebrune*, Vicecomitatus; *Ledergues*, urbecula; *Cap-longue*, *Guiolle*, oppidum; *Aubin*, *Bel-Caire*, *S. Genesii fanum*, *S. Cosme*, *Lodesve*, *Entragues*, *Ville-contat*, *Sallez*, *Lurau*, perexiguum oppidum; *Espaliou*, *Pinet*, *Cyssene*, *Severac*, locus munitissimus, ad Marchionatus dignitatem evectus; *Estain*, Comitatus.

& inferioris. In inferiori vero Marchia numerantur, *Villa-Franca*, in amœnissima totius regionis sede collocata, Seneschallatus dignitate gaudens; & *S. Antonini* civitas, montibus quaquaversum obsita, nam & in profunda valle projecta est; hanc Aveyrona fluvius alluit, qui etiam ibi ponte saxeo sternitur. Hic confinium est regionis, quà Cadurcium respicit. Sunt pleraque alia Rutenii non ignobilia loca; quæ suis præcise regionibus indigetare non potuimus, quæ ne silentio involveremus, operæ pretium duximus suis saltem nominibus recensere, hæc scilicet: *Bournasel*, Vicecomitatus, & Domus elegans; *Bel-Castel*, *Privasac*, *S. Vensa*, *Loc-Dieu*, abbatia; *Nanselle*, *Sauveterre*, *Salvetat*, *Najac*, *Roupeyroux*, *Brezols*, &c.

Scatent variis Rutenii locis metallorum fodinæ, Mercurii nimirum & vitrioli in Najacensi territorio: antimonium autem in Muro-Berrensi, Peyrussensi, & alibi effoditur; in Cransacensi monte carbones lapidei, sulphur & alumen reperiuntur, necnon & Thermæ salutiferæ, quæ veluti Arvernorum balnea celebrantur.


Naturæ prodigia. Duobus à Rutenensi civitate milliaribus, juxta Vaissierum oppidum, gurges sive abyssus hiat, quæ ab indigenis *Tindoul* vocatur, os habens sexaginta passibus apertum, ac ducentis itidem passibus profundum, huic etiam adjacet foramen aliud, cujus est inexhausta profunditas; ipsa autem abyssus in rupe excavata est. Specus vero *Os-Rolandi* dicta, non longe à loco de Marsillac dissita, patet amplius quam urbis janua, murus adædificatus est cum tenui janua, qua quidem subintratur, tamque altum penetrat, ut Rutenam usque septem leucis inde dissitam pertingat.

Opes. Illorum opulentia ex ovium gregibus, majorumque animalium armentis præcipue nascitur, & accrescit; nam in montium jugis pascuntur absque numero. Equos taceo, qui maxima multitudine in nundinis Rutenensibus distrahuntur, ubi affluunt Hispani mercatores illos coëmturi.

Vires. Rutenium multis prævalet oppidis, castellis, locisque aliis munitissimis, *Severac*, nimirum, *Brusque*, *la Roque* ad Durbiam amnem, *Montmejan*, *S. Veran*, *Dalgues*, *S. Ysery*, &c. Suppeditat peditum duo millia, equitum mille.

AQVI-

AQVITANIA,
vulgo
LA GVYENNE.



Quitania, ampla quondam provincia, legibus Romanorum, quadringentos circiter annos paruit; Verum inclinante jam Romano Imperio, plurimi è Germania populi rebellarunt, Rhenumque & Danubium transmiſerunt, ut partem Occidentalis Imperii peſſum euntis & fere diſcerpti ſibi vendicarent. Illo ævo Gallia, Romanorum ſubjecta imperio, primam Germanorum invaſionem ſuſtinuit. Succeſſere Viſigothi, qui duce ſuo rege Atulpho, ſedes in Aquitania poſuerunt. Wallia autem Rex, primus Viſigothorum regnum per Aquitaniam fundavit, quæ à Toloſa metropoli, uſque ad Oceanum porrigebatur. Walliæ ſucceſſerunt quinque alii Reges, Theodoricus ſcilicet, Turſimundus, Theodoricus II, Eoricus, & Alaricus, quibus exactis, ipſi quoque Galli in partem imperii ſubintrarunt, hancque provinciam ſui juris fecerunt, ipſâ etiam inſeparabiliter Coronæ annexâ.

Sub Carolo Magno regnum Aquitaniæ filio Ludovico ibidem nato traditum, & in novem provincias diviſum, quarum ſingulis Gubernator aſſignatus ſive Comes. Hæ autem ſunt, Biturigum regio, Pictavia, Petricorium, Arvernia, Velaunum, Toloza, Burdegala, Albigenſis denique provincia, atque Lemovicenſis. Nupſit filia Guilielmi Ducis Aquitaniæ Richardo II, Angliæ regi, ab eo tempore Angli Aquitania per multos annos potiti ſunt. Sanctiſſimus Rex Ludovicus, decem populos ab Aquitania diremit, nimirum, Bituriges, Arvernos, Velaunenſes, Rutenos, Albigenſes, Gabalos, Pictones, Engoliſmenſes, Santones, & Agennenſes: cætera ad Aquitaniam ſpectantia, adhuc aliquamdiu poſt hæc ad reges Angliæ, fiduciario jure pertinuere, ac tandem ipſis erepta demum Aquitania, ad limites quibus nunc continetur, à Ludovico XI Galliæ rege redacta eſt.

Itaque Aquitania, tertia olim Galliæ pars, nunc eſt duodecima, ſi Galliam pro numero Gubernatorum, ut vocant, dividas. Idem eſt Vaſconia, quod Aquitania nonnullis; alii vero Vaſconiam tanquam partem à toto diſtinguunt, ſicut inſula Franciæ, ut dicitur, à tota Gallia, quæ gaudet eodem nomine, diſtinguitur. Conſtat, olim Vaſcones, cum frequentius rebellarent, nec in officio contineri poſſent, à Cæſare juſſos deſerere Pyrenæum montem, cujus præſidio, Naturæ beneficio, nitebantur, dum incolerent, & in duas partes diſtractos, alios quidem valles quæ trans Pyrenæum montem ad Hiſpaniam pertinent, invaſiſſe, alios, agrum cui nomen modò Vaſconia.

Fines. Aquitania, ut nunc eſt, à Meridie Monte Pyrenæo, ab Ortu Languedocenſi, & Cadurcenſi regione; ab Occaſu, Oceano terminatur; à Septentrione agro Engoliſmenſi, cujus caput eſt Engoliſma.


GOVVERNEMENT
DE
LA GVIENNE
& GASCOGNE.
Milliaria Gallica communia
LA MARCHE
LANGVE DOC
Isle de Oleron
Riviere de la Garonne
ARMAIGNAC
BAZADOIS
Bordeaux
Bayonne
Pamplona
Medoc
Cahors
Rodez
Tarascon
Mirepoix

AGER BVRDIGALENSIS,

vulgo

LE BOVRDELOIS.



B Vrdigala, vulgo *Bordeaux*, recentis Aquitaniæ caput, Parlamento, Archiepiſcopatu, arce ac portu maritimo inſignis. Præter Amphitheatri, & alia nonnulla Romanæ antiquitatis veſtigia; æſtu maris bis quotidie feritur, refluente Garumna is æſtus uſque ad oppidum vulgo *de Langon* aſcendit, & paulo ſuperius. *Bordeaux* vocari putatur à ſitu, quia *bord* Gallice ripam, *eaux* aquas ſignificat. Garumna, Oceano, parte provinciæ cui nomen *la Bigorre*, & hæc pars *la Chaloſſe* vocatur, & agro Agenenſi continetur.

Nomen. *Fines.*

Diœceſis. Archiepiſcopo Burdigalenſi ſuffragantur Epiſcopi novem, Pictavienſis, Engoliſmenſis, Agennenſis, Santonenſis, Petracoricenſis, Condomenſis, Malleacenſis, Lucienſis, Sarlatenſis.

Vrbes. Vrbes ſunt, *Cadillac* caput Comitatus *de Benauges*, ex hæreditate Ducum Candallorum, Caſtro ſplendidiſſimo ad ripam Garumnæ inſignis. *Bazas* epiſcopatus. *Barſac* oppidum paulo ſupra urbem *de Bourc*, eſt promontorium cui nomen Roſtrum Ambeſiacum, vulgo *le Bec d'Ambez*, ubi Girunda flumen Garumnæ jungitur; ita vocatur mutato nomine *la Dordogne* inferior, quæ à duobus fontibus in *Arvenia* oritur à monte *Dordont*. Alter fontium monti cognominis eſt; alter *Dogne* nomen habet, unde Dordogne æſtus maris violentiſſimus & navibus periculoſiſſimus eſt: Salmonibus ab Oceano uſque ad ejus fontem aſcendentibus ſcatet. Sex Provincias peragrat, nimirum, Arvernenſem, Lemovicenſem, Cadurcenſem, Aginnenſem, Petracoricenſem, & Burdigalenſem. Ad ejus ripam ſedent urbes, *Lindre*, *Bergerac*, *S. Foy*, *Caſtillon Libourne* ab Eduardo Angliæ Rege fundata; dicta *Libourne*, quaſi *l'Iſle borne*, quia eſt ad confluentem fluminis *de L'Iſle*, & *de la Dordogne*; *Etalieres*, & *Montandre*, urbes.

Flumina. *Vrbes.*

Fronſac, Ducatus olim, arce in ſummitate montis & natura loci & arte munitiſſima, juſſu regis diruta, & in Ducatum erecta, quo flumen vicinum liberius eſſet. In monte *d'Or*, à quo *Dordogne* fluit, ſunt balnea calida admodum ſalubria. Et non longe hinc abyſſus, quò ſi lapidem etiam ſereno tempore jeceris, ſtatim tonitrua, fulgura & grandines ſubſequuntur.

Balnea. *Lacus.*

Flumina. *L'Iſle* flumen per urbes *Muſidan* & *Monpont* tranſit, prope *Guitres* flumen *Drome* admittit, in quod flumen *la Colle* fluit, non longe à Coutracenſi urbe arce famoſa, & memoranda Henrici IV, pugna.

Portus Cuſacenſis, *Cuſac*, utroque flumine Iſlæ, & Dordoniæ irroratus, quæ circa hæc loca plus quam Garumna prope Burdigalam in latitudinem patet, & ſpeciem maris refert.

Medoc. Infra Burdigalam, ad ſiniſtram Garumnæ ripam, & littus Oceani, eſt ager Medocenſis, vulgo *de Medor*, *Blanquefort* & *Aubin*; in eo continentur aliquæ minoris nominis.

Buchs. Ad maris littus ager Buchenſis agro Medocenſi copulatur: hoc promontorium, quod in portum Arcaconium extenditur, olim Boji incolebant. Ejus loci dominus, vocatur Capitalis de *Buchs*, ex illuſtri Candalorum ſive Foxenſium-Candalorum familia. Mira ventorum vis in iis locis, oppida & ſylvas nonnunquam arena obruit: præter multa minoris famæ oppida ſunt ibi Vicecomitatus Vſa, & Montferratenſis prima Aquitaniæ Baronia.

Bazas. Vaſatium, vulgo *Bazas*, epiſcopatus prope Caſtetum-zelotypi, & montem Marſantii ſitus, ejus incolæ Cæſari ac Plinio *Cocoſates* dicuntur; diei unius itinere Burdigala diſtat, ericetis quidem obſitus ager, nec tamen ſterilis: Præter epiſcopatum curiam præſidialem obtinet. Quatuor fluminibus irroratur, Dordonia nimirum, Garumna, Drota, & Cironio, quod ab Auſcitana diœceſi ortum, ſupra *Cadillac* in Garumnam fluit. In hoc Agro ſunt *la Reole*, *Montſegur*, *Langon*, *Sauveterre*, *Caſtet-jaloux*, *Caſtelmoron*, *Caudrot*, *&c. Blaignac* Comitatus, & recens Marchionatus, *Rozan*, & *Pujols* Baronatus, *Caſtets* Vicecomitatus ad *Garumnam*, cujus arx diruta eſt; accenſetur etiam huic tractui *Caſtelnau* Baronia ad *Cironium* flumen, *Roquetaillade*, *Grignols* Baronia, & minoris nominis permulta.

Flumina. *Vrbes.* *Comitatus.*

Ducatus. Ducatus *d'Albret* late patet: continet urbes, *Albret*, *Tartas*, *Caſtet-jaloux*, *Nirac*, *Millan*, *Caſtelmoron*, *Puy-normant*, &c.

VRBS AQVENSIS,

ET EPISCOPATVS.

Acqs. V Lterius procedenti occurrit Arturus fluvius, cujus ripæ incumbit Aquenſis civitas & Epiſcopatus. Hæc Tarbellorum vetuſti nominis populorum metropolis, comprehenſa quoque in maximi Imperatoris Iulii Cæſaris Novempopulania. Nitet Præſidiali ſede, cum juriſdictione ad quindecim leucas diffuſa; verum plaga hæc ericetis horrida, deportandis potiùs in exilium ſceleratis, quam inſontibus excipiendis idonea eſt.

Qualitas. Solum hoc aſperum, nihil profert præter ericas pinuſque ſilveſtres, è quibus pix & reſina exprimuntur; obſident aërem muſcæ viatoribus infeſtæ. Aures quadantenus offendit aſperitas idio-




Carte du BOURDELOIS, du pais de MEDOC, et de la prevosté de BORN.
PARTIE DU PAYS DE SAINTONGE
BOUCHE DE GARONE
Garone flu.
COSTE DE MEDOC
LE PAYS DE MEDOC
LA COSTE D'ARACHON
Le havre d'Arachon
PREVOSTÉ DE BORN
LES LANDES DE BOURDEAUS
Bourdeaus
Pais d'entre deux Mers
BAZADOIS
Bazas
MARE AQUITANICUM
MARANCIN
Baronnie de la Benne
PAYS D'AURIBAT
Dax
Païs de Marsan
LA CHALOSSE
Bayonne
Basques
PARTIE D'ESPAGNE
Fontarabie
Milliaria Gallica
Lesparre
Blaye
Royan
Cadillac
Tartas
Libourne
S. Sever

Gallia.

44


idiomatis; Barbaros potius, quam Gallos dixeris, ni Francorum humanitas in illorum vultu radiaret. Panem ex milio vulgus sibi conficit; exsucca enim humus frumentum producere non potest.

Vrbs nihilominus spectatissima est, ostendit enim plurima priscæ memoriæ monumenta; fontes habet limpidissimos; illiusque situs & propugnacula passim à bellatoribus commendantur. Olim vocabatur Nobilium civitas, eo quod à duodecim primariis regeretur Proceribus, quorum quotusquisque propriam turrim possideret, familiæ suæ insignibus exornatam: formam præfert triangularem; fortalitiis, mœnibus ac fossis defenditur; quippe inter præcipuas regni claves computatur, fores Hispanis occludens. Intra muros & exterius, balnea fovet. Illud autem præ ceteris singulare, quod fontem salsum habeat, haud procul à mœnibus profluentem; nec non & specum, in qua tres tumuli aqua referti visuntur in plenilunio, decrescente autem Luna, vacui. Sunt & saluberrimæ in loco *de Tercis* thermæ, unico ab urbe milliari, quæ celebritatem quoque illi conciliant.

Episcopatus. Porro Episcopos Aquenses quod attinet, primus sedit S. Vincentius *de Saintes* cognominatus, qui insigne martyrii certamen gloriosus athleta pro Christo subiit, loco *Poy de Saintes* nominato, ubi Conventus est hodie Ordinis Clarissarum. Ipse autem ante annum salutis per Christum reparatæ 500, Cathedralem Ecclesiam fundavit. Successerunt plurimi sanctitate insignes Episcopi. Hæc Diœcesis duas habet Collegiatas, septemdecim Archipresbyteratus, queis subsunt 194 parochiæ: in civitate Aquensi plura numerantur Religiosorum cœnobia, & Abbatiæ *de Cagnotte*, *de Sorde*, *d'Artous*, & *de Dundelle*.


Vrbes autem celebriores præter Metropolim numerantur, *Boyanne*, *S. Severe*, *Tartas*, *Orthe*, *Bastide*, *Vidache*, *Hastingues*, *Cap-breton*, & *Peirehore*. Tandem hic tractus iis quæ sequuntur fluminibus irrigatur, *Adour*, *Douse*, *Gavas*, *Louz*, & *Luys* utroque, *Vidouse*, *Nive*, *les Nivelles*, &c.

Chalosse. S. Severi oppidum agri Chalossensis caput; cui subjacent plurima loca, *Tursan* nimirum, aliàs *Cap de Gascogne*, *Ayre*, & 150 circiter parochiæ, quas inter, sex urbes numerantur. At vero *Geaune*, sive *Geauna*, urbs est primaria Marchionatus *de Castet-nau*, cui accensentur *Pimbo*, *S. Loubover*, *Orgoux*, *Sault de Navailles*, *Hagetmau*, Baronatus; *Lovigner*, Comitatus; ubi etiam *Orsac*, burgus pecuariis nundinis celebris; *Monget*, item burgus, *Samadet*, *Momuy*, *Montgaillard*, &c. Sunt etiam in hac regione Vicecomitatus *de Marsan*; Gavardan, cujus metropolis *Gavarret*; & *Nebousan*, tractus ab aliis sejunctus, eodem Vicecomitatus titulo exornatus, cui nonnullæ subjacent Castellaniæ, scilicet *S. Blancard*, *Mauvesin*, *Sauveterre*, &c. *Castet-nau.*



AYREN-

AYRENSIS EPISCOPATUS.



Edet Ayrensis civitas loco satis fertili, in ipsius fere Vasconiæ gremio; urbs quondam munita & celebris, nempe Visigothorum temporibus, priscæque illius magnificentiæ in vetustis parietinis adhuc monumenta visuntur, & præsertim in Alarici castro. Primus illius Episcopus extitit Marcellus anno 506, cujus inserta mentio in veteribus Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis, in quibus *Vicojuli Antistes* appellatur; nam id nominis olim huic civitati impositum, præterquam quod & *urbs Sociatensis*, *Socia*, *Sociatum*; & ab *Aturo*, sive *Atyro* flumine, quo perfunditur, *Adtorensium Vicojulum* vocabatur. Porro hic Episcopatus Auscitanam sedem Metropolitanam agnoscit, sexque Archipresbyteratus comprehendit, quibus continentur 211 parochiæ, & septem Abbatiæ, nimirum, *S. Sever*, *Pontau*, *S. Iean de la Castelle*, *S. Claire du Mont de Marsan*, *S. Gerons*, *S. Louchover*, Latine *Leborium*; & *Pimbes*.

BAYONENSIS EPISCOPATUS.


Bayona populosa urbs & negotiatoribus frequens, omnique bellico apparatu instructa, tam antiquæ est memoriæ, ut nulla illius nominis ratio assignari possit; affirmant nonnulli, illam esse, quam Ptolemæus *Aquam Augustam* vocat; alii vero, *Lapurdum*, *Vascorum Regionis caput*, indigetant; in veteribus quoque Galliarum Notionibus *Boatium civitas* appellatur. Illius vero antiquitas ex facta Childebertum inter & Guntrandum reges divisione, uberrime comprobatur.

Cantabrorum est metropolis, Franciæ tamen regibus subjecta, usque ad *Iron* fluvium, qui Franciæ ditionem ab Hispania dirimit; ipsa quippe fuit à Carolo VII, Rege, Galliarum Coronæ annexa.

Patronum hæc civitas D. Leonem agnoscit, primumque Episcopum, qui pro Christi fide Martyrii lauream, viriliter adversus pyratarum rabiem decertans, adeptus est; cui successerunt Viri pietate insignes. Ceterum hic Episcopatus quondam longius latiusque suos fines porrigebat, nam in regna Franciæ, Navarræ, & Castellæ protendebatur; sed illius limites restrinxit summus Pontifex. Duas tantum habet Abbatias, unam *de la Honce* dictam; alteram S. Bernardi, haud procul à Bayonensi civitate.



L'EVESCHÉ D'AIRE,
tracé par le
Sr. PIERRE DE VAL
Secretaire de Monseign.r l'Evesque.
Marques de ceste Carte.
Villes Civitates.
Bourgs Pagi.
Paroisses Parochiæ.
Chasteaux Castella.
Maisons Nobles Domus Nobilium.
Milliaria Gallica communia.
Vasconensia milliaria.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
PARTIE DV DIOCESE DE DAX.
Dax
Tartas
Aire
Mont de Marsan
S. Sever



TERRITORIVM AGENNENSE.

Fines.



Ic ager habet à Septentrione tractum Petracorensem; à Meridie Armaniacum & Bigerrones; ab Oriente Cadurcensem, & ab Occasu Vasatium, vulgo *le Basadois*, & arenas, quas vocant *les Landes*, quod sonat vernacula voce *deserta*. In longitudinem duodecim leucis, in latitudinem, totidem patet. Quatuor fluminibus nec contemnendis irrigatur, Garumna, Dordonia, Drota, & Loto, quorum ope commoda multa urbi Aginnensi accedunt. Hæc ad radices montis ad Aquilonem imminentis sita, olim ad ripam fluminis, ut ex antiquis fracti pontis arcubus conjicere licet, modo spatium peramœnum, & arboribus consitum, urbem & flumen interjacet. *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas*, ut flumen, sive arte & aggere pulsum, sive natura sua, antiquum alveum à longe deseruerit.

Port S. Mariæ. Secundo ab urbe lapide Portus S. Mariæ nomine insignitus reperitur; postmodum ad ostium fluminis *Lot* in Garumnam fluentis occurrit Ducatus *d'Aiguillon*, optime munitus, cujus incolæ olim obsidione 14 mensium contra Ioannem, tum Normanniæ Ducem, ac postea Regem Galliæ, restitere. (Aiguillon.)

Cassenueil. *Cassenueil* oppidum castro firmum, & olim palatio Caroli Magni, in quo *Hildegarda*, Regina, peperit Ludovicum cognomento Pium, anno 777.

Mompesat. *Montpesat*, urbs olim non ignobilis, sed à Rege diruta, quod Anglorum partes tueretur, ejus loci dominus, præ mœrore urbe diruta mortuus est; eadem variis bellis sæpius extincta, sæpius resurrexit.

Tonneins. Ex urbe Tonninsensi, igne ferroque vastata, funestis ob religionem dissidiis, vix ulla vestigia supersunt, imo vetitum urbem restaurare. Huic vulgo *Tonneins le Grand* nomen fuit, ad Comitemque *de Vauguyon* pertinuit.

Est aliud ejusdem nominis oppidum, ad Ducem *de la Force* pertinens. Sequuntur quædam alia oppida, nempe *Marmande*, ad ripam Garumnæ, S. Fidei, ad littus fluminis Dordoniæ. Ad ripam vero fluminis *Lot*, ascendenti ab ostio primum occurrunt *Lusets*, ubi flumina *le Vert*, & *la Masse* excipit; inde vestigia urbis *Pennes* ante bella civilia amœnissimæ, sed modo dirutæ; *Villeneuve*, *Casseneuil*, *Saincte Livrade*, & *Clerac*, urbs non ampla, sed magnæ famæ, quod prima Lutheranam religionem amplexa, authore Abbate, nomine *Gerardo Roussel* natione Picardo, Parisiensi Professore, postmodum Calvini dogmata; demum rebellis veniam à rege obtinuit. Quatuor in Episcopatu Aginnensi Abbatiæ sunt, *Eyslez*, *S. Maurin*, *Gondon*, & *Perignac*. (Vrbes. Flumina. Vrbes. Abbatiæ.)

AIGVILLONNENSIS DVCATVS.

Cætera Agennensis agri loca sunt, *Eguillon*, *Monheur*, *le Temple*, *la Fit*, *la Parade*, *Villereal*, *Castillonés*, *la Sauvetat*, *les Allemands*, *Duras*, *Castel-Sagrat*, *Clermont*, *d'Entragues*, *Puy-merol*, *Preissas*, *Beauville*, *Pujols*, *Bajaumont*, *Doulmeirac*, *Mont S. Prou*, *Cuzols*, *Nerac*, locus Henrici Magni educatione celeberrimus; &c. Reliqua autem hujus tractus flumina sunt, *Baise*, *Losse*, *Gelisse*, &c.

DE AGRO CONDOMIO, vulgo LE CONDOMOIS.

Nomen. Agri hujus caput vulgo *Condom*, Latinis *Condomium*, quasi *Condominium*, quod duos condominos agnoscat, Regem & Episcopum, in longitudinem duodecim milliaribus, in latitudinem duobus patet. Ager urbis ad confluentem fluminum, *Baise* & *Gele* sita, fœcundis collibus cingitur: præcipuæ urbes & oppida sunt, *Caumont* ad Garumnam, ubi castrum in arduo monte situm; *Montreal*, urbs olim ampla & dives, nunc diruta; *Montrejan*, *Francescas*, *Moncrabeau*, *Damazan*, *la Gruere*, *la Romiou*, *Ressingle*, *la Cassagne*, &c. Vrbs autem ortum duxit ab Abbatia S. Benedicti, ab Algasio Aquitaniæ Duce fundata, & in Episcopatum à Ioanne XXII, Papa erecta. (Vrbes & oppida. Ortus urbis.)

Est in eo agro Marchionatus *de Fiumarcon*, *Tursan*, *Marsan*, *Gavardan*, &c.


LE DVCHÉ
D'AIGVILLON
Par le S.r PIERRE DU VAL, domestique
de Monseigneur le Marquis de S.t Sorlin, Abbe
de S.t Remy de Rheims.
MARQVISAT DE
TONNEINS
Tonneins
TERRE
DE CLAIRAC.
Clairac
Monheurt
Damasan
Aiguillon
DU
CHE D'AIGVILLON.
Castel moron
Monteclar
Gratcloup
S.t Gairan
S.te Livrade
Buzet
Montgailhart
Port de S.t Marie
PARTIE D'AGENOIS.
TERRES DU MARQUIS DE LUSIGNAN.
Mompezat
TERRES
AU COMTE
DE LAUGNAC
Preschas
Riviere de Garonne
Riviere de Loth
Riviere de Baïse
Eschelle d'une lieue du pays.

46.

VASCONIA.



Vascones olim montem Pyrenæum incoluere, ne ferociam gentis situs habitationis juvaret, Cæsar domitos ad planities compulit, in duas partes divisit; partem, trans Pyrenæum, partem citra montem habitare jussit; inde hodiernæ Vasconiæ nomen, apud multos nomen Aquitaniæ toti synonymum; apud nonnullos altera tantum Aquitaniæ pars de qua hic agimus, olim *Novempopulania*, apud Cæsarem. Clauditur Garumna flumine, Aquitania inferiori, & Monte Pyrenæo. Armaniacum Comitatus, & Senescalli sedes, patet sicut & Belsia, in longitudinem 25 milliaribus; 17 aut 18 in latitudinem.

Fines.

Vallis, cui vulgo nomen, *la Vallée d'Aure*, olim ad Dominium Navarræ spectavit; geminas urbes non magni nominis continet, *Sarancolia* & *Arra*. Sunt etiam in hoc tractu plurimi Burgi; hanc vallem *Nesle* fluvius præterit, & in Garumnam exoneratur, ad urbem *Montreal*; circumdatur altis & asperrimis montibus; ex sola occidentis parte patet ingressus, nisi quis aggrediatur anfractus montium admodum arduos superare, quos incolæ Portus vocant. Mons Agella prope vallem è regione Hispaniæ, tribus in circuitu milliaribus extenditur, duobus in altum assurgit; ex cacumine spectatur Hispania dimidio inde distans milliari, quo patet aditus per angustias montis, quibus vulgo nomen *le Port d'Angelle*. Ibidem minæ ferri, plumbi, argenti, cupri, & ignes subterranei, crystallum non longe adamantibus absimile, lapides pretiosi, topasios & sapphiros referentes: ornantur montes floribus, ac præsertim liliis diversi coloris à communibus. Habent etiam aquas calidas ad morbos curandos mirabiles in oppido cui nomen *Banieres*; & in valle, ac fere supremo monte vicino sunt balnea quam plurima, usque adeo calida, ut sine gravi incommodo sensus etiam frigidissimo tempore ferri non possint; ita ut ovum in illis momento temporis durescat, frigidis nervis & morbis à frigore remedium præsentissimum, biliosis & quibus fervet jecur, certa pernicies, & pauci vitæ dies superstites. Quia utroque calore fervent, Elementari qui sensum percellit; & virtuali, ut Piper & Sulphur. Sunt alia Balnea in Pyrenæo, in loco cui nomen *Barege*, mitiora & salubriora, aqua instar olei glutinosa, vulnera & ulcera brevi tempore curat; beneficium naturæ mirandum à Geographis vix notatum, & post inutilem Medicorum & Chirurgorum curam, eo nec currus nec equus accedere potest. Auscorum civitas apud authores, *Augusta Auscorum* apud Ptolemæum, vulgo *Ausch*, Vasconiæ caput, rivulo *le Gers* dicto alluitur; miror, quod à Poëta Fortunato, Pictaviensi Episcopo, qui nunquam viderat, tanquam Fluvius celebretur, cum sæpius æstate omnino deficiat, nec unquam nisi Vere, Pyrenæi montis nivibus intumescat. Archiepiscopatus post excidium urbis *Elusæ*, vulgo *Eausse*, ab hæreticis dirutæ, eo translatus est. Sedes hæc opulentissima est, nam centum mille libras annui proventus colligit. Vrbs amœnissimo loco sita, Orientem respicit. Est in illa civitate templum Virgini Mariæ sacrum, ædes in Geographia notatu digna; inter multas reliquias, ajunt se habere phialam plenam lacte Mariæ Virginis, & brachium S. Taurini Archiepiscopi, ante mille & quadringentos annos extincti, adeo solidum & integrum, ac si viveret, sive id à Deo, sive à Balsamo, sive ab alio arcano naturæ. Ibidem Collegium, in quo studium Philosophiæ, reliquæ Aquitaniæ fertur antecellere. Vina robusta; plebs supra modum pauper & arrogans.

La Vallée d'Aure. *Nesle fluvius.* *Balnea.* *Banieres.* *Barege.* *Auch.*

Diœcesis 1256 parochias subjectas habet, & has, quæ sequuntur Abbatias, *Simorre*, *Pessan*, *Saramon*, *Bendoues*, *Gimont*, *Flarant*, *Bouillas*, & *la Case-Dieu*.

Abbatia.

LECTORATENSIS EPISCOPATVS.

Oritur rivus *de Giers* à Pyrenæo, Auscos præterit, *Lectoram* præterlabitur, ac tandem in Garumnam influit. Hæc civitas supra rupem sita, natura loci munitissima est; ipsa quidem procul distat à flumine, sed in ea scaturit fons uberrimus, in tam edito loco, & octuaginta putei.

Decoratur hæc civitas Senescallatu, Sede Præsidiali, & Episcopatu. Varia apud Latinos nomina sortitur, quibus apud auctores innotescit, nempe *Lectora*, *Lactora*, *Lectorium*, *Civitas Lactoratium*, imo & *Tauripolium apud Ægiricum flumen*.

Comitatus Armagnacensis, multis ex Comitatibus, Vicecomitatibus, Baroniis, aliisque amplissimis ditionibus coalescit, nempe *Fezensac*, *Vic-Fezensac*, *Iegun*, *Larepax*, *Lupiac*, &c. Horum præcipuus fuit *Fezensac* Comitatus, qui plusquam trecentas ditiones sibi clientelari fide obstrictas habuit. *Fezensaquet* Vicecomitatus, est etiam aliqua portio Comitatus Armagnacensis, olimque triginta nobiles Vasallos habuit. Tertia ditio est inferior Armagnacensis Comitatus, cujus caput est Nogarense oppidum ad *Mondou* rivulum situm; inde relevant *Aignan*, *le Feuget*, *Riscle*, *Barcinona*, *Placentia*, & maxima Nobilium multitudo.

Armagnac, Comitatus, & Ditiones subjectæ.

Bassus-rivulus, vulgo *Riviere-Basse*, hujus quoque est Comitatus membrum, ex quo relevant *Castel-nau*, *Deuese*, & *Mauburguet*; ibi quoque sitæ sunt *Tasque*, & *Casades* Abbatiæ.

Pertinet ad eundem Comitatum *Euzan* Dominatus, cujus Elusa est caput; olim Novempopulaniæ Metropolis; Vocabantur autem indigenæ Elusates; à Vandalis pridem aut Gothis vastata, anno circiter 870. Hujus appendices sequentes urbeculæ, *la Bastide*, & *Casaubon*, mœnibus sunt discinctæ, quæ tamen Baronatus dignitate fulgent; *Mauciet*, & *Bretagne*, ubi arces & fortalitia. Visitur ibi exiguus terræ tractus, *Cieutat* appellatus, ubi Eleusa quondam fuerat extructa.

Pardiac Comitatus, Armaniacum quoque respicit.

spicit. Ibi regia peraguntur judicia; urbes habet *Montlezun, Ville-Condal*, & *Tillac*.

Vicecomitatus & Baillivatus *du Bruillois*, ejusdem est ditionis, primaria Iustitiæ sedes *la Plume*, urbs non ignobilis, muris cingitur, subjectaque sibi numerat oppida, *Leyrac* ad Garumnam, *Cauderot*, & *Serignac*.

Vicecomitatus Auvilarensis, Armaniaco etiam Comitatui annexus est; nonnullos habet Nobiles fide clientelari devinctos.

Lomagne Vicecomitatus, exornatur judicatura regia, & quatuor locis, ac quinquaginta feudis sibi subjectis. Porro hæc sunt dependentia ab illo loca, *la Vit, S. Clar, Miradous*, & *Gardonville*.

Iordanis Insula feudum est pervetustum, de jure Comitum Armagnacensium; illius civitas muris viduata, & castrum fuit solo coæquatum. Collegiata decoratur, multosque nobiles clientelari jure obstrictos tenet. Hæc urbs quatuor tantum à Tolosa leucis dissita est.

Mores. Agrestes sunt hujus tractus incolæ, & linguæ impeditioris; Nobilium ibi est maxima multitudo, quorum præcipui sunt, Comes de Peguillain; Vicecomes *de Sere*, Barones *de Beaurepeau* & *de Fontanilles*, &c.

Gavre. Comitatus Gavrensis Armaniaco clauditur, & à Lugduno Convenarum, vulgo *Cominge*, interfluente rivulo disterminatur. Exiguus quidem est iste Comitatus; attamen ob illius limites ortæ sunt frequentes controversiæ, suos inter & Tolosatum Comites. Hic Comitatus has quæ sequuntur urbes comprehendit, *Lavignac, Fleurance, S. Puy, la Sauvetat*. Iurisdictio *de Verdun* sex in tribunalibus exercetur, *Verdun*, scilicet, *le Mas de Verdun, Grenade sur la Garonne, Beaumont, Gimont*, & *Cologne*. Iurisdictio *de Riviere* constat oppidis *de Marsiac, Beau-marché, Trie, Bologne, S. Foy, Galan*, & Monte-regali, qui ad Garumnam positus est. Vtraque hæc jurisdictio unicum efficit territorium, *Riviere-Verdun* appellatum, quod & olim unico Iudici subjacebat.

Verdun. *Riviere.*

Astarac. Comitatus Astaracensis, seu Estracensis, ab Ortu, Lugduno Convenarum clauditur; à Meridie, *Magnoat* collimitaneum habet; ab Occasu & Septentrione *Amagnac* & *Rivier-Verdun*. Protenditur in longitudinem septem Vasconiæ leucis, in latitudinem, octo; hæc regio partim collibus assurgit; partim in planities diffunditur. Vrbes sunt *Mirande, Maseube*, Iustitiæ sedes; *Lechan* & *Pavie*, Gersii fluminis ripæ imminens; *Simorre, Suntelix, Saramon*, &c. Ager frumento ferax, siligine etiam, millio, ac fœno abundat; imo & vina profert. Hic porro Comitatus Ducum Candallorum possessio est.

Itaque Comitatus Armagnacensis plusquam 1800 feuda sibi subjecta habuit, quorum nobilissimi fuere quatuor supremi hujusce regionis Barones, scilicet *de Moutaut*, *de Montesguyon* (alias Comes *de Monluc*,) *de Pardaillan*, & *de l'Isle*. Sunt præterea quatuor Vice-Barones, qui in supremorum Baronum absentia primas obtinent, ubi Nobilitatis comitia celebrantur.

COMITATUS BIGERRENSIS.

Bigorre. Regio Bigerrensis, quædam tertiæ Aquitaniæ portio est, cujus populi ab Iulio Cæsare *Bigerriones*, à Paulino *Bigerri*, ab aliis denique *Tarbeli* & *Tarbelli* nominantur. *Fines.* Auriensi valle ab Ortu clauditur, & Nebuzensi Vicecomitatu, Rivo-Verdunensi, & Pardiacensi; ab Occasu, agro Benearnensi; ad Austrum vero habet Arragoniam, Vallesque *Drotou*, & *Teva*; ad Septentrionem denique Rivum-Bassum, vulgo *Riviere-Basse*, in Armagnacensi Comitatu.

Flumina. Non paucis fluminibus irrigatur, *Ladour*, nempe, *Leschez, Larros*, &c. Is autem Bigerrensis tractus, qui juxta *Larros* amnem porrigitur, *Rustan* communiter appellatur.

Divisio. Dividitur hæc regio in planam & montosam; tractus vero Rustanensis, quasi tertia quædam illius portio numeratur. Illius juga montibus Vallis Aurensis, Arragonensibus ac Benearnensibus includuntur; quod autem interjacet spatium, *Lavedan* & *Barege* valles occupant; plurimas continet Parochias, quarum præcipua *Luz* nomine insignitur. Vallis Lavedanensis ad duo milliaria porrigitur, quatuorque minoribus aliis vallibus sociatur, scilicet *Davantaigues, Azun, Estreme de Salles*, & *Batsoriguere*, quibus accensetur vallis quinta, *Cauteres* dicta, quæ juris est abbatiæ S. Savini. Vicecomitatus Lavedanensis inferiori in regione sedet, atque castrum *de Beaucens*; unoque inde milliari *S. Pé de Generes* cum cognomine sibi abbatia. Haud procul est *Capan*, burgus non inelegans, qui à Tolosatibus usque ad Burdigalenses butyrum affatim subministrat: Extat & in valle Lavedanensi *Argeles* burgus, & vetera quædam castella. Vallis & Comitatus Lavedanensis, anno 1300, ædium quinque millia numeravit.

Plaine de Bigorre. Planities Bigerrensis ovalem figuram præfert, acceditque ad figuram Amphitheatri; plurimos etiam nutrit animalium greges, multis irrigatur rivulis, lætissimis abundat pratis, ac vinetis optimis; silvis quoque inumbratur, & uberrimis messibus fœcunda, & populo frequentissima est.

Bagnieres. *Bagnieres*, urbs ægris notissima ob thermas salutares, queis referta, à Romanorum temporibus celebratur; ipsi eam vicum Aquensem nominarunt, velut Burgum aquarum dixissent, multaque illi decora contulerunt, quorum vestigia frequentissime in veteribus ædificiorum ruinis inventa sunt, quemadmodum & numismata Cæsarum effigies præferentia. Præter istas autem thermas, aliæ in locis *de Bareges*, & *de Cauteres* inveniuntur, ex aquis scilicet mineralibus, sulphureis, aluminosis, aliisque venis metallicis, quæ potui saluberrimæ sunt.

Tarbe. Tarba regionis est caput, & Episcopalis civitas, cujus tamen Cæsar, etsi Gallicarum provinciarum solertissimus indagator, singulares velut populos, Tarbellorum nomine indigetat, quos Aquenses accolas nonnulli existimant. Hæc civitas in Galliarum Notitia, *Turka, Tursa*, & quandoque Tursambica nuncupatur, sed perperam; Gregorius vero Turonensis, *Begoriam*, & *Beorritanam*,

nam, alii *Bigerronum civitatem*, ac denique moderni, *Tarbam Bigerronum Caput*, vel *Castrum Begorræ ad Aturum fluvium in Novempopulania*, sub Metropolitano Auscitano, & Tolozatum Parlamento, appellarunt. Sedet igitur ad Aturum fluvium, vulgo *Adour*, qui illuc per planitiem suas deducit aquas, & quinos in alveos dispescitur, qui totidem in partes ipsam quoque urbem dividunt, pontibus nempe, portis, & aliis id generis clausuris, quæ illam interrupto opere, distinctisque temporibus ædificatam fuisse demonstrant. Hîc sedet impræsentiarum Senescallus, qui in superstitibus veteris castri reliquiis judicia celebrat. Decoratur ipsa civitas octo Consulibus. Est etiam in criminalibus Iudex. Præter Ecclesiam Cathedralem, binas habet Parochias, & Franciscanorum ac Carmelitarum cœnobia. Palatium quoque Episcopi, & illius Ecclesia quamvis exigua, decus civitatis plurimum adaugent.

Has autem Abbatias sibi subjectas habent Episcopi, *S. Sever*, *S. Pé de Generes*, *S. Pierre de Caste*, *la Reole*, *S. Savin*, *S. Savin de Lavedan*, *l'Escole-Dieu*, &c. Primus sedit Tarbæ Episcopus ante annum 506, Antomarius; eandem vero sedem plurimi sanctitate insignes Episcopi postmodum illustrarunt.

Tribus ab hac metropoli milliaribus *Vic-Bigorre* burgus invenitur. Huc Tarbæ valedicens properat Aturus amnis, ut *Isle*, *Leschez*, & *Larros*, aquas velut justum sibi tributum excipiat; *l'Isle* autem amnis *Rabastens* perluit, oppidum elegans & vetustum; at persensit quam sit immanis & funesta civilium rabies dissidiorum, quæ nec pulchrioribus ædificiis abstinent, & horrendè cuncta devastant; ea lege tempora decurrunt, has clades secum volvit temporum vicissitudo! Hujus urbis castrum quondam firmissimum terræ visceribus est velut absorptum.

Lourde. *Lapurdum*, seu *Lampurdium*, Gallice *Lourde*, in Bigerronum quoque finibus visitur, estque postrema Tolosatum jurisdictionis civitas, cujus & meminit Sidonius, celeberrimamque olim fuisse affirmat, & castro munitam; ubi etiamnum crassa turris extat, veterum Romanorum opus, quæ non semel indigenas ab hostium assultibus defendit.

S. Pé. *S. Pé*, urbecula est Gabaro insidens; in circumjacente planitie sequentia conspiciuntur loca, *Ybos*, *Goudon*, *Tostat*, *Benac*, *Paraberc*, *Luc*, & plurima itidem castella, ac munimenta, quæ totidem nobilibus familiis nomen imposuere.

Hujusce regionis Comitia expresso Regis edicto convocantur; componunturque, quantum ad Ecclesiasticum spectat Ordinem, Tarbensi Antistite; Abbatibus *de S. Pé*, *S. Savin*, *l'Escole-Dieu*, *& de Reole*; Prioribus *de S. Lecer*, *S. Orens*, Commendatario *de Borderes*, Ordinis Melitensis: quantum vero ad Nobiles, Vicecomite Lavedanensi; Baronibus *de Barbasan*, *Antin*, *Castet-bajac*, *Baceillac*, *des Angles*, *de Benac*, Vicecomite Asterensi, &c. ex urbium denique ac vallium delegatis. Regi tanquam Bigerronum Comiti 8000 Librarum munus deferunt; hanc autem summam, tribus postmodum librarum millibus cumularunt.

Duché d'Albret. Albretensis Ducatus limites habet ab Ortu Comitatum Armagnacensem Garumnamque fluvium, qui Agennensem agrum ab Albretensi dirimit; à Meridie, Condomum & Senescallatum *des Lanes*; ab Occasu, Oceanum; ac demum à Septentrione, territorium Burdegalense, ac Petracorense. Triginta leucis varias continet terras; Senescallatus quoque Vasatensis, & quædam Condomensis ac Marsanensis portio illius gremio concluduntur. *Flumina.* Multis perfunditur amnibus; & quidem Garumna ad leucas duodecim hanc regionem percurrit; Dordonia illam septem milliaribus perfluit. Aliis etiam irroratur fluminibus, *Adour*, scilicet, *la Bayse*, *la Gelise*, *Lavance*, *la Douse*, &c.

Hic Senescallatus quatuor constat tribunalibus, nimirum *Nerac*, *Tartas*, *Castet-jaloux*, & *Castelmoron*, quorum jurisdictioni triginta circiter urbes subjacent.

Barbaste uno à *Nerac* milliari, venustum ostentat ædificium quaternis turribus nitens, & pontem octo fornicibus subnixum. Dimidio inde milliari, amplissima videas Duranciæ vivaria, queis cervi, apri, phasiani, ardeæ, &c. Computatur inter amœnissima Franciæ loca; fuitque olim Henrico IV, Regi Maximo, in deliciis.

Castet-jaloux Garumnæ insidet, arce exornatur, ubi contumulati quondam prisci familiæ Albretensis Dynastæ. Huic quoque regioni accensetur *Tartas*, cujus munitissimum castrum anno 1621 solo fuit coæquatum. Sunt & quædam abbatiæ, quas inter celeberrima est *de Paravis*, Ordinis Fontis Ebraldi; ubi Virgines, è nobilissimis totius Vasconiæ familiis selectæ, vitam religiosam profitentur.

CONVENARVM COMITATVS.

Comenges. Nomina. Convenarum Comitatus, hodie S. Bertrandi nomen sortitur; equidem nomen Convenarum olim indigenis inditum, qui cum diu variis sedibus dispersi egissent, tandem in unum populum Romanis suggerentibus coaluerunt, extructaque civitate sedibus certis convenerunt; illam autem Plinius, & antiquioris memoriæ Historiographi *Lugdunum Convenarum* appellarunt, quæ in edito montis posita, & loci natura & arte munita, adeo ut inexpugnabilis censeretur, nihilominus capta fuit & diruta; sed postmodum restaurata, prisco nomine *Convenarum* ablegato, S. Bertrandi tutelaris sui nomen sibi imposuit; illi quippe Cathedralis Ecclesia dedicata est.

Illa civitas diu ante Francorum in Gallias adventum Episcopali sede claruit, nam in ea sedit Alorius ante annum 360; ac postmodum in Concilio Agathensi memoratur Suavis anno 506; unde illius præstantia & vetustas comprobantur.

Fines. Limitatur hæc regio, ad Ortum, agro Languedociensi; valle Aranensi, & terris Aragonensibus ad Meridiem; Nebousensi campo & Barthensi Baronatu, ad Occasum; Comitatu Gaurensi, & Riviere-Verdunensi ad Septentrionem. Octodecim longitudine leucas; sex latitudine colligit.

Salat, fl. Oritur Sala fluvius è monte Salantio, qui frequentissimus est in Hispaniam portus & trajectus.

ctus. Mons & amnis à salsis in adjacenti regione puteis nomen assumpserunt. Scaturit Sava ad radices montium Pyrenæorum, loco *Lannes de Bouc* vocitato, tribusque à Tolosa leucis Garumnæ miscetur. Inde quoque erumpit Girona, qui Boloniam pertransit, Convenarum urbem, ac demum in Garumnam exoneratur.

Quæ impræsentiarum S. Bertrandi nomine urbs insignitur, ex ruinis Convenarum fuit extructa; inferius est *Braccavere* vicus, ubi Franciscanorum cœnobium. Quinis à S. Bertrandi oppido leucis assurgit Alanense castrum, præclara Episcopi possessio. Numerat hic tractus octo Castellanias, nimirum *Muret, Samathan, Cazeres, Aurignac, S. Iulien, Salies, Castillon*, & *l'Isle en Dodon*.

L O M B E R I V M.

Lombers. Lomberium, vulgo *Lombers*, civitas Savæ fluentis insidet, octo à Tolosatibus leucis dissita, herbida planitie vinetis consita, & frumentis feraci. Illam Ioannes XXII, Sede Episcopi decoravit; & Abbatia Deiparæ dicata, in Antistitum Lomberiensium sedem erecta est, quorum primus fuit Arnoldus Rogerius Convenensis. *Episcopatus.*

Samathan. Haud procul à Lomberio in subjecta valle jacet urbs *Samathan*, quam perluit Sava fluvius, qui urbem à foro segregat; ita ut triplex civitas videatur, ex burgo, mercatu, & castro coalescens. Castrum vero ob altissimas, quibus cingitur fossas in modum fere præcipitiorum, censetur inexpugnabile & inaccessum. Superstites Montis Oliveti, & loci *de Motassé* reliquiæ, priscum illius splendorem loquuntur. Apparet adhuc vetustissimum superbæ structuræ castrum, at præalto aggere opertum; nec non & spatiosissima quædam conclavia pulchris fornicibus exornata, nonnullæque ædium contignationes, quæ aggere impervio proteguntur.

Pluribus Ecclesiis illustratur; intra muros quidem egregium D. Mariæ templum, deinde S. Michaëlis, Beguinarum Franciscanarum; extra muros autem est Ecclesia Varennensis cum amplissimo cœmiterio; S. Mariæ ad Nives, & S. Mariæ Magdalenæ, præter cœnobia fratrum Minorum, atque Minimorum.

Regimen. Quantum ad civile regimen, urbs à Consulibus gubernatur; in iis autem, quæ regiæ sunt jurisdictionis, Prætorem habet Iudici Majori substitutum, aliosque justitiæ Officiarios, à quibus ad Tolosatem Parlamenti Curiam provocat.

Muret. Quinis à *Samathan* leucis *Muret* urbs celebris reperitur, in Garumnæ margine sita, cui & amœnus collis dominatur, illamque variis bellorum tempestate insidiis exponit. Hic cruentum quondam prælium atque æterna memoria dignum commissum est, in quo fusi Comites Tolosæ, Foxensis, & Convennensis, obtruncatusque fuit Rex Aragoniæ à Simone Montfortio. Stupenda prorsus victoria, ubi exiguus victorum numerus, scilicet mille quingenti, viginti millia peremerunt; & plane miraculosa, nam centum mille hæretici unum duntaxat cataphractum equitem, & octo milites occiderunt.

C O N S E R A N V M.

Coseran. Conseranum urbs vetusta, & Vicecomitatus perantiquus, prædicante olim S. Valerio, primo illius Episcopo, Euangelium suscepit. Egregio murorum ambitu cingitur civitas, in cujus parte superiori Cathedralis assurgit; & ab urbe S. Lyceri dicta, sejungitur. Ibi Sala fluvius, vulgo *Salat*, ponte saxeo pertransitur; in cujus medio extat validissima turris sedulo custodita; pons autem noctu clauditur; in extremitate vero est Capella Deiparæ sacra, quæ vernacula Hispanorum lingua, *Nuestra Señora del Cap del Pon* nominatur.

Nomina. Variis quondam nominibus fuit indigetata, nempe *Civitas Consorranorum*, & *Vrbs S. Lyceri*, deinde *Austria*, ac tandem hodie *Conseranum* nominatur.

Conserano egressus mox *S. Fregeou* urbem conspicis in colle tam edito, ut nec perspicacissima oculorum acies illuc pertingat; unde & accessu difficillima est, attamen vinetis disseminatur, ipsaque collis crepido silvis obsita: inter silvas amœnissime sedet opulenta nobilium Virginum abbatia; valles tritico feraces, prata lætissima, quibus circumjacent diruta quædam loca, quæ inter, *Cochiles* priscæ magnificentiæ reliquias ostendit. In hac etiam regione fuerunt centum alia non minoris momenti loca; at quia suis ruinis sepulta jacent, illa nos etiam silentio involvemus.

Cagots. Est in Vasconia quædam species hominum *Cagots* vocatorum, quorum etiam nonnulli in Bearnensi provincia reperiuntur; hi quamvis facie venusti, halitum tamen & carnem graveolentem habent, censenturque hac quaquaversum regione velut leprosi, ac illorum vitatur contubernium, & in civitatum suburbia sequestrantur, atque in Ecclesiis clausura quadam ab aliis divelluntur. Sunt quidem inopes, sed singulari industria prædıti, qui suis è laboribus victitant, omnes fere fabri lignarii. Hoc velut maledictum à suis parentibus Gothis, Wisigothis aut Sarracenis, quasi ex traduce pertraxerunt, ut plurimi censent auctores.

Vallée d'Arboust. Inter Pyrenæos montes jacet vallis *d'Arboust* appellata, quæ octodecim circiter vicos continet; huic autem valli imminet Mons Liliorum, ob maximam liliorum ibi verna tempestate germinantium copiam; nascuntur & alii flores speciei anonymæ, nedum cognitæ. Mons ille sex leucas ambitu colligit, habetque densissimas, & amœnissimas silvas.

F O X E N S I S C O M I T A T V S.

Comté de Foix. Qui hujusce Gentis incunabula, primosque illius Dynastas perquisierunt, varie rationem nominis assignarunt, involuta etiam figmentis Poëticis veritate; nos autem ablegatis fabulis, sinceris auctoribus inhærentes, dicimus hos populos à Iulio Cæsare *Flussates* appellatos fuisse; ab aliis vero *Fuxenses*, qui quidem, ut cæteri Aqui-

Aquitaniæ populi, Romanorum legibus paruerunt usque ad Gothorum imperium; verum Alaricus Wisigothorum rex à Clodovæo expulsus, postmodum devicta Hispania, suas prosecutus victorias, agros Burdegalensem, Agennensem, Cadurcensem, Languedocensem, Arvernensem, Rutenensem, & Foxensem sibi comparavit; qui deinde à Theodorico rege profligatus est; ipse vero Theodoricus amplissimas hasce provincias Coronæ annexuit.

Habet autem Comitatus Foxensis Languedocium ab Ortu, Convenas ab Occasu; tractum *de la Riviere* à Septentrione; ac montes denique Pyrenæos à Meridie.

Flumina. Maximus hujus regionis fluvius vocatur vulgo *Auriege*, Latine *Aurigera*; hoc enim ab aureis arenis nomen sortitur, quibus in fundo & in marginibus inauratur. Amnis ille à Foxensibus jugis fontes suos repetit, inde ad urbem hujus Comitatus Metropolim properat, productoque postea cursu Sedem Apamensem obiter salutat, ac modica post intercapedine, *Saverdun*, *S. Gavele*, & *Hauterive* oppida perluit; ac tandem in Garumnam sese exonerat.

Bellestat, fons mirabilis. Singulare est hujus regionis miraculum fons *Bellestat*, qui certius diei noctisque horas notat, quam quodvis solare horologium; hic enim fons vividissimus, duodecies quot diebus, & quot noctibus scaturit; totiesque arescit, justis adeo intervallis ac tam ordinate recurrentibus, ut clepsidram dixeris inenarrabili solertia à natura fabricatam, quo suorum maximi ponderis negotiorum exactissime tempus metiri possit. *Argentigera* vulgo *l'Arget*, ab argenteis arenis hoc nomine insignita, Aurigeræ miscetur juxta Foxensem civitatem.

Castellaniæ. Dividitur Foxensis Comitatus in 16 Castellanias, quarum hæc vulgo nomina, *Foix*, *Merens*, *Aqs*, *Montalir*, *Lordat*, *Castel-Verdum*, *Quier*, *Tarascon*, *Mont-gaillard*, *la Bastide*, *Camerade*, *du Carlar*. *S. Ibars*, *Saverdun*, & *Bareilles*.

Vrbes. Quatuor sunt hujus regionis urbes præcipuæ, *Foix*, *Mazeres*, *Tarascon*, & *Saverdun*.

Baronatus. Quatuor primarii Baronatus sunt, *Rabat*, *S. Paul*, *Arniac*, & *du Fort*. Vicecomitatus autem *de Leran* specialis est ditio ad Foxensem administrationem spectans. Porro *Miglos* est antiquissima in hoc Comitatu familia, quæ primum post quatuor Barones locum obtinuit.

Pamiers. Appamiæ, aut potius Pamia, vulgo *Pamiers*, urbs elegans ad Aurigeram sita, quondam à Latinis auctoribus *Fredelacum* vocabatur, ut perhibent, qui exiguum fuisse regnum putant, ubi Fredelas è Gothis oriundus, ac Regis Theodorici germanus, solium posuisset, unde & à Carcassonnensi Comite fuit expulsus.

Divisio. Sex in partes dividitur, queis etiam sex Consules assignantur; prima vocatur *Mercadat*; 2, *Villenave*; 3, *la Place*; 4, *Romengous*; 5, *Les trois Barris*; 6, *Lolmet*.


Episcopatus. Sedem hîc Episcopalem, invito etiam Rege, erexit Bonifacius VIII, Pontifex summus; ubi etiam duo sunt Capitula, quorum unum subest Antistiti, Divique Augustini profitetur institutum; agit vero alterum sub sæculari Decano. Multa exhibet cœnobia, Dominicanorum, Augustinensium, Franciscanorum, Carmelitarum, Bernardinorum, Iesuitarum, Clarissarum, Vrselinarum, &c. Vrbis tutelaris est S. Antoninus, cujus honori dedicata est insignis Abbatia, quæ impræsentiarum in Cathedralem conversa est. Diœcesis autem centum duntaxat parochias continet. Primus Apamensem Episcopatum rexit Bernardus *Saisset*, ex Abbate S. Antonini ad hanc dignitatem evectus anno 1296; huic successit S. Ludovicus Siculus, Caroli II, Siciliæ Regis, filius, &c.

Haud procul à Foxensi civitate visitur Ecclesia *de Montgaucy* à Carolo Magno fundata, & dotata, ubi pretiosissimæ S. Volusiani, Vasconum Apostoli reliquiæ summa cum veneratione asservantur.

Pays de Doumezan. *Doumezan*, tractus est exiguus, sub Gubernatore & Senescallo Foxensi, oppida plurima & castella continens, quæ inter *Quericut* cum suo castro computatur. *Andorre* vallis est insignis ejusdem Foxensis Comitatus; cui etiam accensentur sequentia loca, *Sabarat*, *Montaut*, *Hauterive*, Baronatus; *les Bordes*, *Saurat*, *Vic-de-Sos*, *Siguer*, *les Cabanes*, *Amplan*, *Verdun*, *Loubens*, &c.

Qualitas. Cœlo purissimo optimoque fruitur, & ad calidum magis accedenti. Hic maxima limpidissimarum aquarum abundantia, fontes in urbibus passim, & campestribus frequentissimi. Solum satis pingue, frumentum, siliginem, avenam & milium producit. Præcellunt ceteris vina Apamensia; Vineta autem Foxensia, *de Bareils*, *du Mas d'Azil*, *Sabarat*, & *des Bordes*, vinum affatim toti regioni suppeditant; mons Tarasconensis vino destitutus, è planitie distrahit; carnes sapidissimæ sunt ob pascua optima queis pecora nutriuntur; omnibus aperta venationi nemora, nec tamen inde venationis copia minuitur, aut rarescit, & quidem omnigeneris prædæ affluunt, cervi, damæ, apri, &c. Viget quoque aucupium; reperiuntur falcones & ursi, qui locis propriis, seu areis sibi fabricatis eripiuntur. Porro Montes Foxenses tum ob metallorum fodinas, tum ob aquas minerales, multaque alia ob nomina summopere commendantur.

BENEARNENSIS PRINCIPATVS.



Le Bearn. Enearnensis regio, abs *Bearno* vetusta civitate nomen accepit; illam Antoninus memorat sub *Bearnensium civitatis* vocabulo; censetque P. Marca populos olim à Plinio *Venamos*, seu *Venarnos* dictos, fuisse Benearnenses.

Fines. Insidet radicibus Montium Pyrenæorum, atque ab Ortu Bigerrones conterminos habet; ab Occasu, Aquensem Præposituram, & aliquam inferioris Navarræ portionem; ad Austrum montes Arragoniæ, & Roncaliæ in Navarra superiori; ac denique ad Septentrionem, inferiorem Armagnaci regionem. Longitudine 18, latitudine *Extensio.* sex circiter leucas protenditur. Figuræ est fere triangularis; quinto climati subjacet, & ad 43 & ½ grad. procurrit, versus extremitatem, ubi prolixior æstatis dies horas quindecim cum quadrante perseverat.

Flumina. Bearnensis ager binis amnibus irroratur; uterque vero *Gabarus* appellatur, vulgo *le Gave*; nascitur unus è præruptis Bigerronum montibus, in Arragoniæ finibus, de altero dicetur inferius.

Lascar. *Lascar*, vel *Lescar*, quam Latini *Bearnensium* civitatem, & *Benarnum* nominant, à modernis *Lascurra* vocitatur, ob aquarum illuc concurrentium copiam, in maximum indigenis emolumentum; inde etenim planities fertiliores evadunt, & amœniores. Hæc civitas collis dorso imminet, centenisque gaudet fontibus: Exornatur Episcopatu, ac nobilissimum habet templum D. Mariæ sacrum, ubi Navarræ Reges, ac Benearnensium Principes sibi Mausolæa extruxerunt; ibi quoque Margareta Valesia contumulata est, aliique Heroes, & Feminæ insignes.

Episcopi. Primus hunc Episcopatum rexit S. Iulianus, anno 506, quem subsequutus est S. Galactorius, & alii, quorum seriem texere, aliorum est; nos quippe regiones solum, & quædam obvia non adeo prolixi laboris exhibemus; cætera Historiographorum messis uberrima sunt.

Vno duntaxat à Lascurra milliari visitur Pavensis civitas, Gallice *Pau*, in crepidine posita, cui etiam castrum assidet, è qua jucundissimus in subterfluentem amnem prospectus; Locus hic, maximi omnium Regis, Henrici nimirum IV, ortu celeberrimus est. Quinis inde leucis sita est *Ortez* in collis acclivi; cernuntur in crepidine veteris castri *de Moncade* vestigia, cum turre vetusta, in qua Gasto Phœbus suos asservasse thesauros creditur, Caroli VI Regis ætate, quæ quidem ad oram fluminis pertingit, ubi pons egregius sternitur. Emensis postmodum duobus hinc milliaribus, *Belloc* conspicitur, cum superstitibus veteris Benearni reliquiis.

Porro Gabarus alter, cui cognomen *d'Ossau*, ut à Gabaro *d'Oleron*, qui ex Ossaviensi, & Aspensi coalescit, discerni possit; è Pyrenæis montibus scaturit, ubi Benearnensis regio ab Hispania separatur juxta *Saillen* pagum Arragonensem. Binæ scaturigines in montis crepidine visuntur, invicem contiguæ. Hic Gabarus rapidissimus est, tribusque ab Ossaviensi monte milliaribus *Gabas* Xenedochium in hospitium peregrinorum extructum offendit, illi quippe impeditissimis hisce itineribus maxima è nivibus incommoda perpetiuntur. Relicto *Gabas* hospitio, & producto duarum leucarum itinere, pertingis ad montes sulphureos *d'Aigues-cautes*; unoque inferius milliari Gabarus amnis vallem *Ossau* ingreditur duobus protensam milliaribus; hic locus *de Laruns* monti objacet; *Bielle* autem illius gremium occupat, ubi Vallis generalia Comitia celebrantur; & *Arudy* uno inferius milliari, ubi perelegans mercatus. Gabarus igitur valle egressus ad Iluronam urbem, vulgo *Oloron*, properat, sic enim in Itinerario Antonini vocatur; oppidum hoc cum præcelsa turre in eminente aggere positum est, à lævaque flumine perluitur, & à præclaro suburbio ponte saxeo disterminatur. Sedes est Episcopalis.

Gabarus autem Aspensis, qui in arduis Pyrenæorum jugis oritur, loco *Summus portus*, in itinere Antonini dicto, vallem Aspensem, vulgo *d'Aspe*, binis inferius leucis subintrat. Ceterum ipsa vallis angusta quidem est, sed quinque leucis protenditur, complectiturque Baroniam *de Lescun*, in confinio Navarræ & Arragoniæ positam; & *Acous*, ubi generalis Ordinum Conventus convocatur. Adit deinde Gabarus celeberrimam D. Mariæ de Sarrancia Ædem; ex ipsa postmodum valle egressus *Pene d'Escot* petit, ubi Iulius Cæsar contis & ferro per cautes invias, & durissima saxa viam sibi aperuit, prout insculpta in scopuli apice monumenta testantur. D. Mariæ burgus ab Ilurona, *Oloron*, ponte separatur, ubi Gabarus Aspensis Ossaviensi jungitur. Tribus inde leucis *Navarrens* oppidum reperitur; emensoque pari spatio, *Sauve-terre*, cum castro veteri, & diruto; hîc campus angustus, at septem leucis oblongus terminatur. Binis quoque hinc milliaribus, uterque Gabarus, uno jam decurrentes alveo, in Bayonæ pelagus immerguntur.

Isti fluvii non sunt hac in regione navigabiles, sed piscosissimi, truttasque, lucios & salmones magna proferunt copia. Notantur alii quatuor rivuli truttis quoque fœcundi, *Loson*, *le Nez*, *du Vert*, & *Lourdios*.

Qualitas. Vtroque Gabaro conclusus hic ager, quatuor leucis in colles vitibus consitos, arvis pascuisque oppletos dilatatur. Quatuor numerantur burgi immunes & liberi, *Asson*, *Bruges*, *Gan*, *Monein*, queis adjiciuntur *Luc*, *Lagor*, *Viele-Segure*, *Saobalade* & *Maslac*. *Salies* oppidum, in illo terræ angulo, qui



Fontes.

Metalla.

47

qui *Belloc* & *Caſſaver* interjacet, poſitum eſt. Hîc aquæ ſalſæ ſcaturigo, unde ſal album conficitur in uſum ipſius regionis, & tractuum illi adjacentium. Hic Bearnenſis quinas latitudine leucas implet, treſque in portiones dividitur, ſuperiorem nimirum, mediam & infimam. *Lembeye* urbecula, cenſetur hujuſce tractus caput, in cujus laudes ſic effunduntur indigenæ, ut quaſi præcipuam Benearnenſium deprædicent.

Benearnenſis regio aëre ſalubri gaudet, à contagio morbiſque epidemiis immunis, etſi hujuſmodi ægritudinibus vicini conflictentur; non eſt ubique ſibi ſimilis, alicubi enim montibus attollitur, alibi in planities valleſque diffunditur, adeoque varium eſt ſoli ingenium pro tractuum varietate; grandinibus frequens percellitur, præterquam quod ager naturâ ſuâ ſterileſcit, niſi fimo lætificetur. Tractus Iuranſonius vina exquiſitiſſima profert, quæ etiam Burdegalenſibus laudem præripiunt; nec deſciſcunt quæ in vinetis *de Gan*, *Gelos*, *S. Hauſt*, & *Artigueloube* enaſcuntur. Copioſiſſima inibi cervorum, damarum, aprorum & cuniculorum venatio, & maxima perdicum quam alibi craſſiorum multitudo. Solum montibus proximum fructibus ac vinetis deſtitutum eſt: hordeum abunde producit; ſilvas habet & paſcua, queis plurimos nutrit animalium greges, è quibus lac, butyrum atque caſeum tanta copia extrahit, ut & populis circumvicinis ſuppeditet. Valles amœnæ ſunt & fertiles, hîc fontes limpidiſſimi magno numero ſcaturiunt, molæ plurimæ circumaguntur, prata lætiſſima vernant. Vallis *Iosbaige* horreum & deliciæ Benearnenſis quaqua verſum regionis exiſtimatur.

Fontes. Fons *d'Aigues-cautes*, qui in monte Oſſavienſi naſcitur, diverſas ægritudines ſanat; ſulphur quippe, nitrum, & alumen ſapit. Fons Ogevenſis, *Ogeu*, dotes habet ſingulares. Aquæ fontis *Aas* inflictis ſclopeto, aliiſve igniariis machinis vulneribus ſaluberrimæ ſunt; unde & talium vulnerum Aqua vocitatur, vulgo *Eau des Arquebuſades*; prædictis fontibus accenſentur & alii morbis ſalutares, *Aſpe* nimirum, *Aygues-bonnes*, & *Baure*.

Metalla. Sunt quoque hoc in tractu ferri fodinæ atque officinæ, quin & plumbi, æris, argenti, & marmoris, quæ necdum ſunt apertæ.

Benearnenſes incolæ, optimæ ſunt indolis, ſuapte natura hilares, ingenio acri, & bonis artibus idoneo; in bello ſtrenui; domi, rebus ſuis intenti, homines frugi & ſobrii; attamen in excipiendis exteris profuſi. Qui autem ruri degunt, laboribus ſunt indefeſſi, abſque diſſimulatione & fuco; ſeduli rei familiaris adminiſtratores, qui etiam ex juris apicibus lites ſerere norunt. Porro Nobiles ſunt magnanimi, officioſiſſimi, liberales, magnifici; mulieres quidem veſtium elegantiam ſectantur, attamen ſingulari pudicitia ac modeſtia præditæ, & virorum ſuorum ſincere amantes. Vernacula ſibi lingua complacent Benearnenſes, eamque cujuſlibet gentis idiomati præferunt; neque in actibus publicis aut concionibus alia utebanrur lingua, uſque dum Edicto Vnionis, Gallicum idioma in actibus Iuſtitiæ fuit introductum. Varii varie loquuntur, & unaquæque civitas propriam dialectum, & ſingulares terminos ſibi vendicat.

Opes. Benearnenſis ager ſufficientem ſuis habitatoribus frumenti aut vini non profert annonam, adeo ut à vicinis perquirere opus habeat; hanc tamen inopiam ſolatur aliarum rerum copia, lini, ſcilicet, panni, gregum & armentorum, quæ Cæſarauguſtæ divendunt & alibi; unde non modicum quæſtum faciunt.

Vires. Tota fere hæc regio inſitis à natura munimentis vallata eſt; nam Pyrenæis montibus adverſus exterorum incurſiones defenditur; & Navarrenx civitas, quantumvis exigua, validiſſima eſt, quinis enim propugnaculis obarmatur, præclaroque muro circumveſtitur, ſitu optimo collocata; unde & totius regionis cenſetur armamentarium, omni apparatu bellico, & præſidiario milite inſtructum. Sunt & alia munitiſſima loca, præter quæ ſtrenuos, ut diximus, habet incolas, & quidem numeroſiſſimos; etenim 6000 bellatores poteſt in aciem educere.

BASCORVM REGIO, Biſcaya, Navarra, Principatus de Bidache, &c.

Pays des Baſques. FOrſan à Vaſconibus nomen accepit hæc regio; ipſi enim illam inſederunt ante ſtabilitam Novempopulaniam, cui etiam nomen impoſuerunt.

Incipit à Bayonnæ pelago uſque ad Fontarabiam, indeque in Ortum procurrit ſecus montes Pyrenæos, qui & Hiſpaniam circunſcribunt. Quindecim leucis protenditur in longitudinem, ſeptem vero aut circiter in latitudinem.

Diviſio. Tres in provincias dividitur, ſcilicet in *Lapurdenſem tractum*, vulgo *Pays de Labourd*, inferiorem Navarram, & Vicecomitatum *de Soule*; Biſcaya quoque & Guipuſcoa huic etiam regioni poſſunt accenſeri; nam & priſcorum Cantabrorum nomine comprehenduntur.

Lapurdenſis tractus 23 ampliſſimis conſtat burgis, quorum præcipui ſunt, *S. Ioannis de Luz* dicti, & *Sibouré*. Pons duntaxat utrique burgo interjacet, qui Niveo amni ſternitur, quo etiam quotidie reciprocus perfluit maris æſtus. Hic quoque eximius eſt portus. *Nive fl.*

Ab Occaſu clauditur Oceano; Bidaſſo flumine, *Iron* diſtrictu in Guipuſcoa provincia, & tribus ſuperioris Navarræ vallibus à Meridie; ab Ortu, Navarra inferiori; ac demum *Bidouſe* & *Adour* amnibus, ab Aquilone.

Irroratur aquis Nivei fluminis, quod lingua Gentis *Errobi* nominatur, profluitque ex inferioris Navarræ montibus, atque piſcoſiſſimus eſt.

Tractui Lapurdenſi contigua eſt inferior Navarra, hoſque fines habet, nimirum Valles *de Baſtan*, *de Valderro*, *de Roncevaux*, & *d'Aheſcoa*, verſus Meridiem; Tractum Soulenſem ad Ortum; Benearnum, Aquenſe territorium, & Principatum *de Bidache*, à Septentrione; neque longius aut latius expanditur, quam tractus ipſe Lapurdenſis; ſex circiter leucas tum longitudine, tum latitudine colligit.

Diverſas ſortitur juriſdictiones, *Cize*, nempe, *Mixe*, *Oſtabarez*, *Arberonne*, *Baigorry*, & *Armendarits*.

Voca-

Vocatur autem *Imus Pyrenæus*, in Itinerario Antonini.

S. Palais, sive S. Pelagii oppidum, aquis Bidousæ cingitur, editissimoque loco constitutum est, ac quibusdam clauditur mœnibus, duabusque fossis obvallatur. *Bastida-Clarentia* veteres murorum ruinas exhibet. *Ostabat*, urbecula est, & possessio Dynastarum Luxensium. *Garris* patet absque mœnibus. *Larzabeau*, urbs ditionis regiæ, insigni mœnium ambitu, & fossa duplici vallatur. Huic quoque tractui insidet Baronatus *de Lantabat*, & alia loca variis feudorum titulis insignita, nempe *Gramont* & *Luxe*, ambo Comitatus, *Meherin* & *Chaux*, Vicecomitatus, aliæque magno numero ditiones Nobilium, qui locum & suffragium in Comitiis generalibus habent.


Bidache. Bidachensis Principatus, inter Lapurdensem tractum & Navarram inferiorem positus est, elegans & amœnus satis burgus, cujus territorium tribus aut quatuor leucis porrigitur; Bidousæ amni adjacet. Illius ager è possessione est Comitum Grandimontensium, qui & Principatum prætendunt, regiis officiariis in contrarium abeuntibus. Munitissimam habet arcem, quæ Caroli V armis restitit.

Qualitas. Navarra inferior montuosa est, & aspera, populis frequens: solum, quod ibi maximo labore colitur, amplam satis frumentorum annonam profert, necnon panicum, atque milium. Paucissimæ quidem sunt vineæ, sed quæ delicatissimum vinum præstent. Siceram quoque maxima conficiunt abundantia habitatores, quam lingua vernacula *Sagarnova* vocitant; atque in hunc usum frequentissima pometa excolunt; hic autem potus gratissimus est, & plebi ordinarius. Aquæ minerales Laccaræ inveniuntur.

Mores. Navarræ inferioris incolæ eleganti corporis habitu præditi sunt, exercitiis omnibus habiles, urbani, Litterarum artibus, & armis idonei; suo idiomate diserti. Venationis oblectamenta sectatur Nobilitas, strenua, affabilis, supellectile, vestitu & equis splendidissima; cultus feminarum nobilium nitidissimus, Franciæ morem in omnibus imitatur.

Opes. Maximæ regionem hanc silvæ occupant, & amplissima pascua, ubi numerosissimos animalium greges nutriunt, quæ postmodum non vili pretio distrahunt; equi quamvis exigui, attamen ab exteris perquiruntur. Ex lanis quoque pecuniam colligunt; porcos & sues apud Hispanos divendunt. Qui autem in limitibus degunt, textilia linea, atque volatilia in superiorem Navarram transmittunt.


Divisio. Totum quacunque patet Navarræ regnum sex Baillivatibus dispertitur, scilicet, *Pampelune*, Regum secessus; *Estella*, ubi Vianensis Principatus, & primogenitorum Navarræ titulus; *Tudelle*; *Olite*; *Sanguœssa*; & *S. Iean-de-Pied-de-Port*, quem Hispani *Terra de Bascos*, vel *Vltrapuertos* vocitant; nam ultra Pyrenæos Hispanæ est ditionis. Quare neque nos impræsentiarum ultra progrediemur, neque enim in Gallia agentibus præscriptos transgredi terminos licet.



PRO-

PROVINCIA LANGVEDOCIENSIS.

Languedoc. Limites.



OMnium Galliæ Provinciarum præstantissima est Languedociensis. Ea limites habet, ab ortu Solis quidem, Rodanum; à meridie mare mediterraneum, montesque Pyrenæos; ab occasu Garumnam; à Septentrione fluvios *du Tarn, de Tescou, de l'Aveirou, de Biaur*, cum montibus *de Rovergue, & de Auvergne.*

Divitiæ. Copiam habet tritici, quod longe lateque sufficit, & in Italiam & Hispaniam distrahitur. *Galbiac, Rabasteins, Nismes, Beaucaire*, habent nobilissima vina; *Limoux* alba; *Frontignan* apiana. Olivæ proveniunt in inferiori Languedocio. Salia fiunt in salinis *de Pequais.* Aves *benarris & ortolans* capiuntur in planitie camporum *de Tholouse*, & Parisiis in regia mensa ferculis apponuntur. Fruges, poma, pruna, fici, Armeniaca, illæ quæ *pavies* vocantur, granata, hæc, & alia, nascuntur in dumetis. In *Cemennes* castanearum est luxuries. Promptuaria glasti, vel isatidis, sunt in *Lauraguez*, unde tinctores & ars baphica colores depromunt sibi. Crocum præstant Albigenses. Paludes & margines pelagi suppeditant id quod *salicor* vocatur, quæ materia est vitro faciendo nativa. Ex ea vitra conficiuntur admirando artificio, inter illos qui stemmatis sui nobilitatem hoc illustrem reddunt. Sabula complurium fluminum sibi mixtam habent auri argentique arenam. Ad valetudinis sanitatem conservandam, augendam, aut recuperandam, famosæ sunt thermæ, & balneæ, *de Baigneux* in territorio *Gevodan*, & *de Balaruc* in diœcesi *de Montpelier.* Recte dicunt ergo, qui dicunt, terram Languedociensem terrestrem esse Galliarum Paradisum: quippe quum nil in ea desideretur, quod vel integritas naturæ, vel artium fastigium, vel amœnitas vitæ, societasque postulare queant.

Fluvii. Eximium decorem huic provinciæ confert maximus numerus fluviorum, qui illam alluunt pelluuntque.

Garumna. Rex fluviorum est Garumna; qui fluvius alluit metropolim Tholosam, Volcarum Tectosagum, mœnia nempe illius. Cognomentum habet *la Grande*; quod magnus sit in omnibus dimensionibus suis. Ejus cursus, procedens ab extremitate unius regni, centum sexaginta leucas Gallicas exantlat, priusquam perveniat ad alius regni extremitatem. Alveus ejus tam latus est, ut instar pelagi referat inde à Burdegala ad Rotomagum usque. Aquæ tam profundæ sunt illi, ut non nisi in perpaucis locis vadum haberi queat, ne quidem in extremis siccitatibus æstatis, idque maxime procul ab ostio ejus. *La Grande* vocatur ob maxima commoda, quæ quaquaversum confert, ad mercaturam tritici, vinorum, lignorum, variarumque mercium, quæ quotidie ex ejus portubus in portis transferuntur; & ob alia commoda quæ annuatim in litora appellantur. *La Grande* vocatur, ob exundationes suas, quales ab incolis vocantur *Suberne*, quando videlicet è limitibus suis evagatur, ac se longe lateque, in hyeme turgidus à pluviis, quemadmodum in æstate à nivalibus aquis, expandit; depopulatione sua non minores terrores incutiens undiquaque, atque hostiles copiæ solent. *La Grande* vocatur, & ob suas prosperitates: dum habet in marginibus suis duo suprema Parlamenta, quæ jus dicunt populis: duos Archiepiscopatus, Episcopatus quatuor, cum duabus Vniversitatibus: & ob numerum pulcherrimarum urbium, quarum protectionem hic fluvius sustinet non tantum, sed & nutritionem. *La Grande* vocatur, ob suas adversitates & calamitates; quando compluries vidit in marginibus suis & bella civilia, & Gallos Anglosque se invicem trucidantes, ut amborum sanguine fluctus aquarum cruentarentur. Denique *la Grande* vocatur, quod aquas plurium quam quadraginta amnium absorbet, novemque vel decem provincias aluit. Garumna, post primordia sua, non est exilis. Quæ primordia nanciscitur ille in montibus Pyrenæis, è fonte prope Arragoniam scaturiente, qui meat per vallem *de S. Beat.* Vbi augetur quibusdam rivis & torrentibus; qui ex his salebrosis collibus decidunt cum impetu. Posthæc irrigat mœnia oppidi *de S. Beat*; pergit ad S. Bertrandi, ubi est Episcopatus *de Cominges.* Ibi recipit aquas *de la Creste & de la Neste*: pergit ad *Coserans* sedem Episcopatus: inde præterlegit terram Cazeres cum Episcopatu *de Rieux & Muret.* Vix hinc digressus, assumit sibi, ab uno latere, *la Loigné*, quod provenit è valle *d'Aure*; ab altero, *l'Auriege*, duas leucas ante Tolosam. Hinc illi se jungunt *la Larget, le Lers, la Leze*, & complura alia fluenta; donec se objiciat portis Tolosæ; ubi ingressum facit sub pontem, qui unus est è superbis Franciæ. Garumnam heic relinquemus, quod postea opportunius illum abhinc ad ostia sua usque deducemus.

Rodanus. Rhodanus, *le Rosne*, nomen trahit, secundum eruditum Petrarcham, à Latino *rodere*; eo quod, secus longitudinem alvei sui, terram suffodiat & erodat, ad instar militum prædatorum, qui depopulantur omnia quaqua vagantur, & perditum veniunt eos apud quos diversorium quærunt. Atqui Eusebius autumat, quando incolis *Rhodi* insulæ territorium angustius esset, quam ut ferretur alereturque tanta multitudo, eos misisse colonias in Galliam: quæ, venientes in oras Rhodani, terræque bonitatem cognoscentes, ibi de-


LANGVEDOC
LIMOSIN.
Milliaria Gallica
PARTIE D'AVVERGNE.
PARTIE DE QVERCY.
Amsterdami Guilhelmus Blaeuw excudit.
PARTIE DV GVASCOGNE.
Roverg ne.
Albi geois
Auragez
Givauldan
Ve lay
La Haulte Forest.
Vi va rais
Valence
PARTIE DE DAVPHINE.
Comptat de Venaissin
PRINCIPAVTE D'ORANGE.
Avignon
Arles
PROVENCE.
MARIS MEDITERRANEI PARS.
Les Tignes.

desederint, ipsique fluvio *Rhodani* dederint nomen. Vt adeo nomen habeat Rhodanus ab externis, originem autem è monte *de la Fourche*, qui pars est montis *Godan*, in regione *de Vallais*. Ipso jure nominatur hic mons mater fontium. Nam Danubius, Rhenus, Rus, & Tesis, Rhodanusque, hic ortus habent suos, primosque fontes. Hic Rhodanus aliquandiu provolvit sese inter rupes *de Vallais*, donec mœnia abluat *de Sion*, quæ regionis caput, præterfluatque locum *de S. Maurice*, ut illabatur lacui *de Geneve*, sive *de Losanne*. Quem medium à primo extremo ad alterum ita secat, ut neque fluvii aquæ cum lacûs misceantur, neque lacus nigricantes & torpentes puritatem Rhodani clarissimam rapidissimamque confundant. Regio *du Vallais* à vallibus nomen habet, quas montes rupesque circundant. Ceterum, torrentibus rivisque, qui se tradunt Rhodano, priusquam perveniat ad *d'Yvorne*, non par erit numerandis, nisi qui stellis numerandis par est: nominatim vero nuncupandis nemo par est, qui non est Helvetius. Inter tales numerantur, *Elin, Egin, Buun, Saltina, Vesp, Vsents, Born,* & *Drance*, ab uno latere: *Viesch, Massa, Lanz, Dala, Sitta, Moissa, Lisserna*, aliique, ab latere altero. Rhodanum hi procul dubio sic roborant, ut ille vi cursuque puritati suæ conservandæ sufficiat. Inde pervenit Genevam usque, indeque Lugdunum: ubi Rhodanus & Araris confluunt, postea quam ille tam longo cursu plura grandiora flumina susceperit. Exinde vadit secus Vivarezium ad usque *S. Pierre des Bœufs*, circum initia Languedocii, usque ad *Serleire, Peraud, Andance, Tournon*, & secus *de Crussol*, usque ad *Soyon, Charmes, Beau-chastel, la Voulte, au Poisin*, ad *Bays, Rochemaure*, ad *Teils, Viviers, au Bourg, au Pont-saint-Esprit, Roquemaure, au Lers*; (quod est castellum in insula;) à *S. André, Aramont, Vallebregue, Ville-neufve* apud *Avignon, Beaucaire, Fourques, S. Gilles, Becais*. Hoc prolixo cursu separat Delphinatum & Provinciam à *Languedoc* secus *Vivarez*, & diœceses *d'Vzez* & *de Nismes*; recipitque illo ipso latere *du Languedoc* flumina, rivum *de Limonin*, provenientem in ejusdem nominis pago, facientem discerniculum inter *Lyonnois* & *Vivarez*; (à quibusdam *Chavanay* vocatur;) post hunc *Canse*, qui, juxta nonnullos, pervenit usque ad *Annonay*; *le Doux*, qui venit à *Vellay*, vadit ad *Sainte Agreve*, & se projicit in Rhodanum ad *Tournon*; *Erieu*, venientem à *Boutieres*, quæ regio est terræ *Vivarez*, ac separantem superius *Vivarez* ab inferiori, & ad *Beau-chastel* in Rhodanum intrantem; *Ardeche*, qui post suum ortum, pone ostium de *Chassezat*, separationem facit inter *Vzeige* & *Vivarez*, & vadit ad *Vogvéer* & ad *Aubenas*, pergitque usque *aux Vaux*; *Ceze*, qui provenit ex *Cevennes d'Vzez*, & abit ad *S. Ambrois*, ad *Bagnols*, intratque in Rhodanum apud *Codelet*: denique duplex *Gardon* & ipse prodit è *Cevennes*; alter vadit ad *Alez*, & vocatur *Gardon d'Alez*; & alter ad *Anduse*, & *Gardon d'Anduse* nominatur: qui duplex *Gardon* deinde se jungit sibi in unum apud *Ners*: exinde progreditur *Gardon* integer usque *Bocoyran*, & usque *sainct Anastasiers*: infra pontem *de S. Nicolas*, unam leucam ab *Vzez*, *Gardon* recipit illum qui *Alzon* dicitur, nascentem supra dictam urbem; at infra illam idem *Alzon* in se recipit illum qui *Eyssene* nomen habet, seseque perdit *Alzon* in *Gardon* quem dixi: qui *Gardon* continuat cursum secus *de S. Privat*, usque subter pontem *du Gard*, vel pontem *du Gardon* dictum; qui pons inter eximias antiquitates Europæ numeratur, habens treis fornices, humilem, altiorem, & sublimem; quorum hic pertinebat ad aquas *d'Vzez* usque *Nismes* conducendas; cujus rei vestigia adhuc extant: *Gardon* tandem, apud *Coms*, Rhodano sese insinuat. Hactenus detenti sumus à fluminibus quæ Rhodano se tradunt. Ipse Rhodanus in vallibus Helvetiorum tam arctus est, ut de monte in montem super longa trajecticia tabula transeatur. Hic, circa *Vienne* & *Lyon*, circaque *la Camargue*, quæ sunt Aquæ mortuæ, *Aigues-mortes* dictæ, tres leucas infra *d'Arles*, suis eluvionibus anniversariis perquàm formidabilem sese reddit. Hic idem, qui tot nobilissimas provincias alluit, perluit; multasque civitates, per commercia ditat; qui Sabaudiam à Brixia discernit, limites dat Delfinatui, Provinciamque à *Languedoc*, id est, Galliâ Narbonensi, separat; qui pontibus quindecim sedecimve transitur; hic tres leucas infra *d'Arles* in mare Mediterraneum immittit sese; dulceisque suas aquas, magno processu in altum facto, incorruptas conservat.

Vidourle fl. Flumen *Vidourle* oritur infra castellum *de S. Romanez*, in *Cevennes*; tendit ad *S. Hippolyte*, ad *Sauve, Quissac*, & *Sommieres*; &, receptis in se fluminibus, *le Vistre*, (quod à *Nismes* venit, & tendit ad *Bernis*,) & *la Iante*, (quod tendit ad *Mayrveys*,) & *l'Arre*, (quod pelluit *le Vigan*,) facit stagnum *de Taur*.

Berangé fl. *Berangé* oritur supra de *Castries*; tendit ad *Fontmagne*, ad *S. Brez*; & facit stagnum *de Perots*.

Salazon fl. *Salazon* tendit ad castellum *de Salazon*; &, infra *du Crez*, intrat in stagnum.

Le Lez, fl. *Le Lez*, id est, Ledum, originem habet in valle *de Montferrand*; procedit ad *Bades* infra *Montferrier*, ad *Castelnau*, secus *Montpellier*, subter pontem *Iunevau*; intrans in stagnum à *Lates*; postquam assumsit *l'Arrieyre* sive *Merdanson*, exiguum rivum, qui vadit versus *Montpellier*.

L'Amousson. *L'Amousson* oritur supra *de Grabele* in diœcesi *de Montpellier*: pergit ad pontem *de l'Amousson*; intratque in stagnum *de Perots*.

Erhaud. *Erhaud*, Latine Rauraris, originem sumit è *Mont-aygual* in *Cevennes*: procedit secus *de S. Guilhem* desertum, secus *d'Agnane*, *de Gignac, Montagnac*, & *Pesenas*, usque ad *Castelnau de Guers*, prope *S. Tebery*, prope *Florensac*, usque ad *Agde*. Dehinc in itinere suo hic *Erhaud* assumit *Arré de Vigan*, *Vis du Larsac*, *Buege de S. Iean*, *Lergue de Lodeve*, *Boïne de Lezignan, Peyne de Pesenas*, & *Tougue de Valros*. *Lergue* admittit ad se amnem *de Soulondre*, infra urbem & castellum *de Monbrun*: qui *Soulondre* nascitur duabus leucis à *Lodeve*. Idem *Lergue* admittit quoque amneis, *de Gourgas*, *de Laurous*, *de Salagou*, & *de la Marguerite*: qui proveniunt in eadem diœcesi *de Lodeve*. Hos omneis ille *Lergue* secum vehit in amnem *Erhaud*. Hic *Erhaud* tandem in mare mediterraneum se, cum omnibus assumptis fluminibus, exonerat. Totus hic tractus *d'Erhaud*, una cum tot vivis fontibus enumeratis, tam fertilis est omnigenum frugum, ut revera flos & coronamentum dici possit ipsius Languedo-

guedocii seu Galliæ Narbonensis, amœnissimumque solum Franciæ paradisi, immo altera Arabia Felix, & deliciarum locus.

Orb fluv. Flumen *Orb* exit è montosis S. Pontii Tommeriarum; pergit secus *Bedarrieus, Cessanon*: ad *Besiers* subit lapideum pontem; ubi Liron se dedit illi: dehinc venit ad *Ville-neufve* prope *Besiers*; amittit se in mare, infra *Serignan*; ubi canalem facit. Recipit in se *Verne*, supra *S. Chignan*; item *la Iau de S. Pons*, & *Vicoussan*.

Aude, duplex. Flumen *Aude*, id est, *Atax*, exit è Pyrenæis, nempe de montosis *du Saule*, prope Catalauniam: pergit ad *Angles, Puech-Valadon, Querigut, Mijanes*, & *Sou* in terra *de Donesan*; petit *Axar, Balbianes, Quilhan, Covisa, Alet, Limous, Coffolens, Carcassonne, Trebés, Marseillete, Pechairic*, & *Narbonne*: dehinc est canalis manufactus à *Salleles* usque ad mare. Canalis *de Narbonne* vadit in stagnum *de Bages*, vel *de Periac*, apud *Nouvelle*. Hic canalis recipit *la Bolsone*, que petit *Caudies* & *S. Paul de Fenouilledes* in diœcesi *d'Allet*. Apud *Carcassone* recipit fluvius *Aude* in se *l'Hicie*, qui jam auctus est illo *du Fresqueil*. *Hicie* vadit ad *Villepinte*, ad *Alsonne*, & versus *Carcassone*. Porro, *l'Aude* recipit etiam in se omneis hic sequenteis: *Argent double*, qui pergit ad *Caunes, Rieux*, & *Liran*: recipit & *Cesse*, qui petit *Cabesac* & *Bisan*: item *Orbieu*, qui petit *la Grasse*, & se jungit ipsi *Taur* prope *Lezignan*.

Alterum *Aude*, quod *le vray Aude* vocatur, *Aude* Germanum propriumque, petit *Coursan*, & præceps labitur in stagnum *de Vaudres du Loup*, ubi est transitus Lupi.

Berre amnis. Flumen *Berre* amittit se in stagno *de Bages*, postquam transivit *Sijan*.

Latet, Amnis *de Latet* pertinet ad territorium & Comitatum *de Roussillon*, qui est ipsi Languedocio vicinus, & ad Galliam, Franciamque ipsam pertinet. Qua de re alibi. Amnis provenit è Pyrenæis; pergit ad *Olire, Ioncet, Ville-Franque, Vinsa, Rodes, Ilha, Perpignan*, & *Canet*. Vbi in mare se immergit.

Tarn, & alii. Amnem *Tarn* Cæsar ceu terminum locat inter Languedocium & priscos *Perigordins*, tametsi interjacet omnis regio Cadurcii, quæ per hunc *Tarn* separatur à Languedocio, inde ab ostio fluminis usque ad *Tescon*, & nonnihil altius per *l'Aveyron*, quod *Aveyron* consequenter discernit inter *Languedoc* & *Rovergue*. Ausonius hunc *Tarn* nominat fl. auri. Ille descendit è montosis *Cevennes* per medium rupium & præcipitiorum *du Gevodan*. Vnde pergit ad *Florac, Espagnac, Quesac, S. Eremie*, & *S. Chely*: & per *le Rouvergue* venit ad *Compeyre, Millaud, Creissels*, & *S. Rome*: deinde per *l'Albigeois* ad *Ambilet, Albi, Galhac*, ad insulam *d'Albigeois*, ad *Rabastens*: tandem per *Ville-longue* venit ad *Ville-Mur* & *Ville-Bourbon*, quæ pars est de *Mont-auban*, seque agit in Garumnam. Ipse *Tarn* recipit in se *Tarnou* amniculum. Recipit & *Dourbie* prope *Millud*: *Sernou* prope *la Sorgue*. Recipit amnem *Agout*, amniculum *Tascou*, (fortasse *Tescon*, de quo paullo ante.) Recipit *l'Aveyron*. *Dourbie* oritur inter *le Gevodan* & *les Cevennes*. *Sernou* exit è S. Eulalia in *Lodeves*; pergit ad *Sainct Rome de Sernou*. *La Sorgue* provenit in propinquo castri *de Sorgue*, & vadit versum *Cornus*. *Agout* exit è montosis *de la Chaume*; trajicit *le Castrés*; pergit ad *Frayssе, Brassac, Roquecourbe, Castres, la Vaur, S. Paul* & *Damiate*: in itinere recipiens *Caulet, Toret, Durenque, Dadou*, &c. *Tascou*, (*Tescon*) separat *Quercy* à *Languedoc*, ut & ipse *Tarn*, ut dictum: quem *Tarn* intrat ipse *Tascou* ad *Montauban*. Amnis *l'Aveyron* profluit è territorio *Rovergue*; pergit ad *Rodés, Villefranque*, & *Najac*, in eadem regione; pergit ad castrum *de la Guepie* in *Languedoc*. Ibi assumit *le Biaur*, ad S. Antoninum in *Rovergue*; assumit & *Negrepelisse* in *Quercy*. *Le Biaur* venit è *Rovergue*; quod discernit ille ab Albigensibus; pergit ad *Segur, Bonnecombe, Tanus, Pampelone*, ad pontes *de Sirou* & *de la Guepie*. *Le Biaur* assumit amnem *Lezert*, venientem è *Rovergue*, pergentem ad *Sauveterre* & ad *Castelmary*: ubi *Lezert* orditur discerniculum inter *le Rovergue* & *Languedoc*: circa vero portum *de Mirandol* à *Biaur* assumitur. *Le Serou* (*Sirou*) venit è *Rovergue*, vadit ad *Rosieres, Monestiers*, & *Cordes*: projicit se in *Aveyron* infra *Milhars* in Albigensem fl.

Loire fl. Ligeris, Gallice *Loire*, fluvius, appellatur pater fluviorum Franciæ. Hic originem habet in monte *du Gerbier le Iouy*, inter treis colleis, *Mesinc, Lambre*, & *Clergeac* circa *Concourin* in *Vivarez*. Tendit versus *Goudet*, & inde ad *Velay* circa *Puy*, ad *Ministrol*, ad *S. Rambert*, & versus alia complura loca ejusdem regionis: penetrat in saltus, aliasque Franciæ provincias. De quibus singulatim dicetur.

Allier, amnis. Amnis *Allier* oritur in *Gevaudam*, in saltu *de Mercoure*, vel, ut alii, *de la Verune en Vivarez*: transfluit per *les Conccules, Lengoigne*, aliasque civitates & loca dictæ regionis: facit discerniculum inter *Velay* & *Gevaudan*: pergit ad *Pont-de-chasteau*, ad *Marengre* in *Auvergne*, ad *Moulins* in *Bourbonnois*: inde continuat, juncturus sese cum Ligeri inter *Moulins*, & *Nevers*, quando nomen illi perivit. Tantum est, & quidem satis prolixe, de fluviis & amnibus.

Montes. Montes Pyrenæi pertinent ad *Languedoc*, (licet *le Foix* ab illis est abscissus,) quod montes *de Sault* separant diœcesim *de Narbonne* à Comitatu *de Roussillon*, quod item mons *Gebenna*, vel Cemmenus, *les Cevennes*, penitus pertinent ad *Languedoc*. Quod alibi indicatum; cujus & in descriptione Provinciæ mentio, & eorum quæ ad montosa spectant. *Le Foix* abscissus est à Pyrenæis tantum autoritate suorum Comitum; neque tributum solvit Ordinibus Regni, quoniam est exemptus.

Saltus. Saltuum est multitudo. At in inferiori *Languedoc* sunt pauciores. In superiori ille *de la Gresigne* in *Albigeois* fert primas, non tantum in hac provincia, sed etiam longe lateque circumcirca.

Domus. Paucæ sunt insignes superbæque domus; propter amplitudinem terræ vastissimam. Quales annotandæ; ut *Pregnes* in diœcesi *de Besiers*; *Lavagnac* in diœcesi *d'Agde*, circa *Montagnac*; *Canet* circa *Clermont*; *Ceyras S. Felix*, circa *Gignac*, in diœcesi *de Lodeve*; *Salleles*, circa *Narbonne*; *Villaliers*, circa *Carcassonne*; *la Grange des Prez*, circa *Pesenas*; *Graullet* & *Castel-fadese* in *Albigeois*, in Comitatu *d'Aubyous*; *Gay* circa *Castres*, in Comitatu *de Bieule*; duo *Espinets, la Cipierre*, & *Fontaine l'estang*, circiter *Toulouse*; *S. Privat* circa *d'Vsez*; *la Verune* circa *Montpellier* & *Montpeyroux*.

Portus. Omnis ora maris, à Rhodano usque ad Comitatum *de Roussillon*, est stipata stagnis, quæ habent

bent canales, qui à fluctibus marinis aperiuntur, iterumque, cum tempore mutantur ac transferuntur: per quos canales è transverso vasti sinus, vel æstuarii mare jungitur stagnis: ita ut naves, ex Italia, Hispania, Barbaria, appellant locis qui stagnis adjacent: quales sunt, *Aiguesmortes*, *Perots*, *Latet*, *Frontignan*, *Marseillan*, *Serignan*, *Vendres*, *Narbonne*, *la Nouvelle*, *Laffranquit*, & alii. Sola civitas *d'Agde* appulsum habet commodissimum per ostium fluvii *d'Erhaud*, prope promontorium *d'Agde*, & insulam *de Brescou*. Fluvii Garumna Rhodanusque, qui sunt & grandes & profundi, tam commodos habent portus, ut secus longitudinem cursus sui, in locis adjacentibus civitates colantur.

Diversa nomina.

Provincia hæc primum, idque tempore Augusti, appellata fuit Provincia *Narbonnoise*, propter Coloniam quæ ab Romanis sub Narbone Duce missa huc fuit. Quæ una *Narbonnoise* tunc comprehendebat *Languedocium* & *la Provence*. Anno trecentesimo octogesimo primo ex hac *Narbonnensi* una factæ sunt duæ. Prima Narbonnensis comprehendebat *le Languedoc*. Secunda Narbonnensis, *la Provence*. Quædam Noticiæ sunt vetustæ, quæ referunt *le Languedoc* sub Provinciam Viennensem secundam. Deinde appellata fuit Provincia *du Languedoc*, *Septimanie*, quando Visigothi Galliam tenerent. Verum istæc longe majorem districtum habebat, quam Narbonnensis prima. Traditur, Septimaniam sic vocatam fuisse propter diuturnam commorationem, quam Legio Romanorum septima ibi morabatur. Aliis hoc potius habetur; eo quod septem fuerint unitæ Provinciæ; Viennensis, duæ Narbonnenses, duæ Aquitanicæ, Novempopulanica, & Alpium maritimarum; quorum collegium erat in *Arles*; inde Septimaniæ nomen universis unitis Provinciis datum fuisse; inprimis etiam, quod septem his Provinciis Archiepiscopatus septem subjecti essent, *de Narbonne*, *d'Aix*, *de Tarentaise*, *d'Ambrun*, *d'Arles*, *d'Auch*, & *de Bourdeaux*. Sidonius Apollinaris, qui vixit anno 480, epist. 1, l. 3, sic scribit: *Gothis credite, qui sæpe etiam Septimaniam suam fastidiunt.* Gregorius Turonensis, qui vixit anno 600, lib. 8, mandat ut Regi Gontrano hæc fiant verba: *Prius Septimaniam Provinciam ditioni nostræ subdite, quæ Gallis est propinqua. Indignum est, ut horrendorum Gothorum terminus usque in Gallias sit extensus.* Tertium nomen, quod erat ipsi *Languedoc*, fuit Gothia; eo quod Gothi per suum Astaulfum ibi stabiliverant regnum, qui se regem fecit anno 413. Novissimum nomen est *Languedoc*. Galliarum antiquitus duæ linguæ erant; *la langue d'Ouy*, cujus mt ropolis Parisii, & *la langue d'Oc*; cujus Tolosa metropolis. Hinc *Languedoc* nomen; item, Occitania, sive *Occitaine*.

Partitio.

Ordinatior partitio hujus Provinciæ illa est, quâ fit per duas & viginti diœceses, & totidem Episcopatus. Ex quibus confiunt tres juridicatus vel præfecturæ veteres, *Tolouse*, *Carcassonne*, *Beaucaire* & *Nismes*: & duæ Generalitates, *Tolouse*, & *Mompellier*: ipsiusque Provinciæ in superiorem & inferiorem divisio: Superior undecim has diœceseis habet: *Tolouse*, *Carcassonne*, *Albi*, *Castres*, *Mirepoix*, *la Vaur*, *S. Papoul*, *Alet*, & *Limous*, *Rieux*, *le petit Cominges*, & *le bas Mont-Auban*. Quæ sunt Generalitatis Tolosanæ. Inferior consistit in reliquis diœcesibus, quæ & ipsæ sunt undecim, *Narbonne*, *Besiers*, *S. Pons*, *Lodeve*, *Agde*, *Montpellier*, *Nismes*, *Vsez*, *Viviers*, *le Puy*, & *Mende*. Hæ sunt Generalitatis *de Montpellier*. Sub hac partitione commemoranda quoque hujus Provinciæ territoria, Ducatus, Comitatus, Vicecomitatus, Baronatus, aliaque dominatus tam veteres quam novi, ut & novæ præfecturæ, aliæque jurisdictiones minores. Ipsi Ordines Provinciæ generales desumpti sunt ex his viginti duabus diœcesibus. Superior & inferior Provincia *du Languedoc* collimitantur inter *Carcassonne* & *Narbonne*, in loco de *Trebes*.

Tolosa metropolis.

Tolosa, Volcarum Tectosagum, est metropolis *Languedocii*, quæ sedes regum Gothorum fuit, nomenque regni, civitas antiquissima & Colonia Romanorum. Quæ habuit Senatum, & capitolium; ubi senatores capitolini conventus agebant per longum tempus. Est & amphitheatrum, cujus rudera lustrantur prope urbem è regione castri *S. Michaël*, in territorio *des Ardenes*, vel *Arenes*. Vbi extant vestigia aquæductus. Et prope *la Cypiere* campus arcuum vel fornicum. Extant & alia monumenta vetustatis in templis certis, quæ creduntur fuisse Iovis, Apollinis, Palladisque. Hæc urbs hodieque secunda est Franciæ post Lutetiam, tum quod ad circuitum, tum quod ad emolumenta. Veteres eam tradunt adhuc majorem fuisse, & ex quatuor vel quinque urbibus compositam. Non est dubium, quin diversæ incursiones, quas sustinuit à Gothis, Saracenis, Anglis, aliisque, eam permultum labefactarint. Aliàs illa divisa fuit in burgum & civitatem, per distincta mœnia, distinctos magistratus, satellites & reditus. In urbe sunt capitolini Senatores duodecim; totidem in burgo. Anno 1346 burgum & civitas in unam urbem sunt contracta, ut adeo ab illo tempore nulla differentia inter burgum & urbem in posterum remanserit. Numerus senatorum capitolii, & regionum urbis, subinde multum variavit. Anno tandem 1438 redactus fuit ad octo regiones & capitolatus: *la Daurade*, *S. Estienne*, *le Pont-vieil*, *la Pierre*, *la Dalbade*, *S. Pierre de Cuisine*, *S. Barthelemi*, & *S. Sernin*.

Pont-vieil.

La Pierre.

La Daurade.

Primus capitolatus, vel regio *de la Daurade*, comprehendit domus 868, in corpore civitatis, sive in suburbio *S. Cypriani*. Cujus templum est cathedrale, perque vetustum, quemadmodum & templum *de S. Nicolas* in eodem *S. Cyprien*, vel templum *S. Subra*. In hoc tractu sunt: Conventus religiosorum S. Dominici, templum S. Ignatii, vel domus professa patrum Iesuitarum; duo conventus religiosarum, S. Claræ *de S. Subra*, & *des Vrsulines*; hospitale *de la Grave* pro peste percussis; hospitale magnum S. Iacobi *à S. Subra*; Collegium S. Nicolai, vel *de Mirepoix*; Collegium Iesuitarum cum eorum *Novitiat*; *la Viguerie*; *la Foraine*; *le pont de S. Subra*, vel *de la Daurade*, vel *Pont-neuf*, ad differentiam *du Pont-vieil*, tametsi ille *Pont-neuf* sit pervetustus; area *de la Daurade*; & forum nundinarum publicarum, quod ante hac pratum fuit vel viridarium; cappella vel area *Redonde*, & illa *des Beyrolieres*; portæ item *Pinte* vel *Peinte*, *Taillefer*, (quæ pervetusta,) & porta *de l'Isle*.

La Dalbade.

S. Pierre des Cuisines.

S. Estienne.

Capitolatus S. Stephani sumsit nomen à templo

plo cathedrali & metropolitano. Extendit se usque ad suburbia, & continet domus 1300: templum S. Stephani vastissimum est, & egregie structum, habens circa chorum cappellas testudinatas. Ædificium chori templi, quod deflagravit anno 1609, reædificatum est magnificentius, quam fuit ante. Monasterium templi vetustius est quam omnia alia templa. Etiam alia templa cernuntur, ut, S. Iacobi, S. Servatoris, (quod perquam vetustum,) cum magno cœmeterio; S. Georgii, *de S. Rome*, *de S. Albin*; conventus religiosarum *de S. Pantaleon*; capellæ pœnitentium alborum, nigrorum, cæruleorum; collegium S. Martialis, fundatum per Papam Innocentium VI, anno 1359; domus Collegialis *de Bolbonne*, pertinens ad abbatem *de Bolbonne* in Comitatu *de Foix*; domus Archiepiscopatus; domus communis, vel hospitalis, civitatis, cum majori minorique consistorio, splendidisque cœnaculis; & armamentarium. Domui Archiepiscopatus adjacet domus officialatus, id est, Curia justitiæ Episcopi metropolitani, vel aula Archiepiscopi; item apotheca decimarum; & carcer Ecclesiasticus, *l'escarlate* dictus. Videre est ibidem aream S. Stephani, cum fonte S. Georgii *Grifoul* dicto, cumque pegmate executionis damnatorum maleficorum; areas, *des Clotes*, *de sainctes Carbes*, *de Montolieu*, *& de Roaux*; cum portis *de S. Estienne*, *de Montolieu*, *& la porte neuve*.

Pont-vieil. Capitolatus *Pontis veteris* habet tantum 175 domos. Hic pons est è structura Romana, vel Gothica, eaque sat imperita. Ad hunc districtum pertinent templum *de S. Benoist des Feuillans*; Conventus religiosarum *de saincte Scholastique*, *des Repenties*, *des Hospitalieres de S. Iean de Ierusalem*; *la Bourse*, vel area justitiæ Prioris & Consulum mercatorum, cum pulchro ponte lapideo latericioque, qui de novo ædificatus est ab anno 1544 usque ad aliquod sequenteis; *la Cage*, ubi prisca consuetudine in Garumna merguntur blasphemi; *la Halle*; *le Chay Redon*, sive *Cave ronde*, cella rotunda; porta *de Muret*; equitatus, id est, domus pro equitibus Maltesiis.

La Pierre. Capitolatus *de la Pierre*, qui sic nuncupatur ab area quadam, vel hujus nominis foro, prorsum intra civitatem est, habetque domus 414 tantum. Templum S. Gerardi, alias S. Petri, *de S. Pierre*, conventus Augustinianorum, & area *Mage*, cum cruce, nil aliud, ibi lustratur.

La Dalbade. *La Dalbade* 748 habet domus, intra civitatem, in insula *de Tonis*, vel intra suburbia. Habet & templum *de la Dalbade*, templum *de S. Iean*; conventum parvæ observantiæ, fundatum à Ludovico XI; conventum S. Claræ, templum Dominæ nostræ, sive divæ Virginis, *du Feretra*, vel *Feretral*; Inquisitionem; templum S. Antonii, *l'Isle de Tounois* dictum, id est, insulam Antonii, quæ est in fluvio Garumna, populum habens opificum; cum ponte latericio, ab urbe ad insulam usque. Molendina castri *Narbonnensis*, & portus *Garaut*, pertinent ad hunc capitulatum.

S. Pierre des Cuisines. *S. Pierre de Cuisines* nomen est adeptus à templo & parochia hujusce nominis: habens intra ambitum mœniorum domus 838, templa & prioratus *de S. Quentin*, & *de S. Iulian*, capellam *Saincte Radegonde*, Franciscanos, vel magnam Observantiam: conventus *Mercedis*, tertii ordinis S. Francisci, Minimorum, Capucinorum, *Charthusianorum*; (qui ordo introductus anno 1612:) religiosarum tertii ordinis, qui de novo institutus: cum Pœnitentibus *Gris*: collegium *de Foix*, erectum per Petrum Cardinalem *de Foix*, anno 1454, cum duabus eximiis Bibliothecis, quarum una manuscriptorum, altera typis excusorum: Collegium *de S. Raymond*: Collegium *de Narbonne*, erectum per Ganbertum Archiepiscopum *d'Arles* & de *Narbonne*, anno 1342: Collegium *de Papillon*, *de Secondat*: tum & Collegium *de l'Equille*, quod cœptum ædificari anno 1561, continuari annis 1583, 1590, & 1608, sumptibus urbis, cura Senatorum Capitolinorum, pro linguis Hebraïca, Græca, & Latina, cum auditorio Theologiæ, (quod extructum anno 1327,) & auditoriis pro Iure canonico & Civili, (extructis anno 1518,) & scholis Medicinæ, excitatis à Capitolinis senatoribus anno 1600. Molendina *du Basacle*, quæ erant prope castellum *de Badaclo*, cum porta cognomine, alteraque *de las Croses*, cumque portu *de Vidou*, & hæc ipsa huic capitolatui cohærent.

S. Barthelemy. Capitolatus *S. Bartholemæi* & in urbem sese, inque suburbium, extendit. Si ædeis aulicas excipias, juridicasque Provinciæ, numerantur domus 914, inter quas sunt 38 metæ fœniles. Hic visere est templum S. Bartholomæi, in antiquis tabulis vocatum capella regalis; templum S. Michaëlis; capellam divæ Virginis *de Nazareth*; alia: cum conventibus Carmelitarum, Trinitatis, & Carmelitarum Discalceatorum. Ædes aulicæ, sitæ ubi olim erat castrum *Narbonnense*, sunt munimentum totius provinciæ validissimum. In his inclusa, cœnaculum audientiæ, carceres, cancellaria, tabula vel mensa marmorea. Ædes juridicæ translatæ sunt in *Mirabel*. In his sedet Parlamentum. In his est ærarium. Heic vexilla regia. Heic sedent Thesaurarii vel Quæstores Franciæ. Heic fabrica monetaria. Portæ hujus castri, sunt duæ: una, dicta porta castri; altera, porta *Montgaillard*.

S. Sernin. Octavus & ultimus capitolatus est *de S. Sernin*. Qui & in urbem, & suburbia, se extendit, habetque domus 580. Heic visuntur templum *de S. Sernin*, perpulchrum & vetustum; ubi sepulti jacent Episcopi, viri illustres; ubi veteres Comites habent sua monumenta. Heic templum *du Taur* vel *Taureau*: conventus *S. Crucis* vel *S. Orens*; conventus Benedictinorum reformatorum, de novo fundatus; conventus religiosorum *de S. Sernin*, *S. Catharinæ Senensis*; Carmelitarum, de novo fundatus. Sunt & capitolatus hujus, Collegia *de S. Bernard*, *de Perigord*, (hoc fundatum est per Cardinalem *de Talairan*, qui fuit oriundus è domo Comitum *de Perigord*,) & *de Magalone*: item curia præfecti juridici, & curia judicis provocationum: portæ, *d'Arnaud-Bernard*, *de Pesonville*, *de Villeneuve*, & *de Matebiou*.

Capitolini Senatores. Capitolini Senatores æqualem potestatem habent, sed unusquisque in suo districtu. Illustres sunt, non tantum in anno functionis, sed & post illustres manent. Tenent claves & custodiam urbis, justitiam sanguinariam, curiam, & carceres, cum privilegiis aliis. Imagines illorum, anno decurso,

curso, in domo civica servantur: quemadmodum Lutetiæ mos est Præfecto mercatorum, & duumviris, consulibus item *de Montpellier*. Iuridicatus Tholosanus quam ampliter extendat sese, vix dici potest.

Alia loca diœceseos Tholosanæ.

Mille passus circiter à Garumna occurrit locus qui *Castelnau de Strettefons* vocatur, qui est diœceseos Tholosanæ; locus peramœnus, propter planiciem camporum. Alius est, *Grisolles* dictus, satis propinquus Garumnæ; ubi fiunt egregia scalpra, forfices, cultrique. Oppidulum *Hauterive* situm ad amnem *l'Ariege*, ad quartam leucam à Tholosa distans, & propinquum Comitatui *de Foix*; cum *Buset* supra *le Tarn*, ubi est magistratus judicialis regis. *Carmaing*, *Montjoyre*, *Mons Iovis*, burgum & castrum: hæc duo in eadem sunt distantia. In hac eadem diœcesi comprehenduntur plura alia: ad unam leucam à Tholosa, oppida & burga *de Bresveil*, (sub Archiepiscopo Tholosano;) *Castenet*, *Pompignan*, *Fronton*, (sub commendatoribus Melitensibus;) *S. Sulpice* supra confluentem *de l'Agout* & *du Tarn*; *Montastruc*, *Auriac*, *S. Iulian*, *Grepiac*, *Miramont*, *Fourquevaux*, *Belpuech de Garnaguez*, *Aussone*, *Quint*, *Toulouse* vetus, *S. Iory*, *les Vigueries de Villelongue*, *de Rieux*, sunt de jure Archiepiscopi. Hæc diœcesis longius quam ipse ager (qui vocari possit *Pays le Toulosan*, ager Tholosanus) se extendit.

De Episcopatu & Comitatu CARCASSONNENSI.

Territorium Carcassez.

Territorium *de Carcassez* non est permagnæ amplitudinis, sed magnos proventus habet, propter amœnos feraceisque campos quos illud complectitur. Vetustus comitatus est. Qui nunquam non complexus fuit celebreis urbes, *d'Alet* & *de l'Imous*. Confinis est Comitatibus *de Redez* & *Razetz*.

Carcassonne metropolis, & Episcopatus.

Metropolis regionis est *Carcassonne*, Carcasio Volcarum Latinis, præclara Tectosagum civitas; Gregorio Turonensi Carcassona super Akacem fluvium, civitas supra amnem de *l'Aude*. Vetustis temporibus gubernata fuit per suos Comites particulareis, donec *Carcassonne*, Comitatus de *Carcassez*, *Redez*, *Razez*, &c. additi sunt patrimonio Coronæ. *Carcassonne* pervetustum municipium est Tectosagum, ab amne *d'Aude* in duas partes divisa, civitatem, & urbem; quæ mœnibus separatæ sunt, & politia uniuscujusque communitatis, distinctis legibus suis, sua jurisdictione, suisque consuetudinibus utentis. Amnis *d'Aude* egregium lapideum pontem habet, & in utraque ripa suburbia. Vrbs est inferior, secus amnem, bene exædificata, habens plateas oppidoquam directas, cum planicie quadrata, in cujus medio cernere datur quatuor portas urbis. Munita est propugnaculis, & validis mœnibus circumvallata, ut quæ sit limitanea, ac proinde magni momenti. Civitas urbi dominatur, ac circumdata est duplicatis mœnibus, cum fossis lacus instar profundis. Castrum habet Gubernatorem vice regis, & præsidium; cum archivis, ad custodiam tabularum, non tantum urbis & præfecturæ juridicatus, sed etiam aliorum regni negotiorum. In iis ostenduntur tabulæ vetertimæ, quarum scriptura permultum à nostra hodierna variat; ut quæ cernitur scripta in corticibus arborum, in subtili lino, similibusque aliis materiebus. Ostenduntur & omnigena vetusta arma, thoraces chalybei, machinæque bellicæ. Quæ testantur, quanti momenti fuerit Principibus gloriæque nobilitatis, hic locus, qui eum pro vallo limitum suorum, & pro gaza divitiarum, elegerunt. Hic est sedes Seneschalli, sedes Præsidis, & Episcopi. Diœcesis ipsa jacet inter diœceseis, *de Narbonne*, *Mirepoix*, *S. Papoul*, & *Toulouse*. Prætorianus judex, Præfectus equitum, sustinent Iustitiam ordinariam regis. Intra urbem vel burgum est *le Viguier* (Consul) urbis, & Consulatus, *la Viguierie*.

Municipia & burgi.

Municipia & burgi *du Carcassez*, vel ipsius diœceseos, sunt: *la Grasse*, oppidulum & Abbatia *en Corbiere*, exadversum amnem *Orbieou*. Abbatia divæ Virginis prope Carcassonnam. *Campendut*, una è Viginti duabus Baroniis Ordinum Provinciæ, in domo *de Pordiac* in Gasconia, *Montolieu*, oppidulum & Abbatia exadversum amnem Alsau. *Villelongue*, Abbatia. *Marseillette* exadversum stagnum, quod inde nomen habet *Puecheric*, oppidulum & Baronia. *Trebes au Roy*, supra *Aude*. *S. Hilaire*, Abbatia. *Ville-Moustusson*, regalis dominatus. *Le Mas de Cobardez*. *Ceissac*, novus Marchionatus domus *de Guilhelms de Clermont*. *Montreal*, oppidulum & castellania regalis, cum templo collegiali. *Villalier*, burgus & egregia domus Episcopi *de Carcassonne*. *Coffolens*, una viginti duarum Baroniarum Ordinum. *Conques*, burgus pro rege, ex adversum *le Fresquel*. *Dousens*, commendatorium Maltesium. *Marmorieres*, quod à marmoribus, si forte, quæ in hoc tractu habentur, nomen habet. *Cabaret*. *Alsonne*, oppidulum, exadversum *le Fresquel*. *Alayrac*. *Salleles*, burgus, & egregia domus, supra Ataxem, (*sur Aude*.) *La Caunete*, burgus. ubi argentifodina reperta. *Preyssan*, Baronia domus *de Mirepoix*. Iurisdictio satrapæ (*du Seneschal*) peramplam habet extensionem, complectens totam diœcesin Carcassonnæ, partemque illius *d'Alby*, totamque *de Castres*. Episcopatus *de Carcassonne* hodie non ampliter extendit se; habens tantum quatuor Abbatias.


Comitatus & Episcopatus ALBIGENSIS.

Albigez.

Alby, urbs Albigensis, vulgariter à Latinis nominatur Albia, & urbs Albigensium. A Gregorio Turonensi Albiga, & à Matthæo Parisio Alba. Quod distinguendum ab Alba Helviorum. Hæc civitas sita est supra *le Tarn*. Habetur pro metropoli Albigensium. Vbi & sedes Episcopalis. Vnum consulem (*Viguier*) heic habet rex; unum judicem inferioris subsellii; unum negotiorum regalium. Episcopus se dignatur titulo Domini urbis.

Templum cathedrale.

Ecclesia cathedralis, dedicata S. Cæciliæ, perelegans est, & egregie exædificata. Præsto sunt illi regulares viginti, pluresque, & quinquaginta pres-



EPISCOPATVS ALBIENSIS,

EVESCHÉ D'ALBY.




Scala Milliarium.

Les grandes Villes. Les Annexes.
Les Eglises Matrices. Les Chapelles.
Les Chateaux. Les Hameaux.

PARS SENESCALLATVS RVTHENORVM
EPISCOPATVS SEGODVNENSIS
EPISCOPATVS CASTRENSIS PARS
PARS COMITATVS LAVRAGVESENSIS
PARS DIOECESIS THOLOSANÆ
MONTIS ALBANI DIOECESIS PARS
PARS DIOECESIS MONRICOUS
CADVRCENSIS

ALBY · Cordes · Gaillac · Rabasteins · Lombers · Realmont · Ville Neuve · Puycelly · L'Isle · Capdeloing · Valance · Pampelone · Denat · Castelnau de Montmirail · S. Sulpice · Briteste · Graulliet · Mondragon · La Guespie · S. Antonin · La Vaur

Amstelædami exc. Joannes Blaeu



presbyteri & sacellani. Est præterea Ecclesia collegialis S. Michaëlis; aliæque & complures conventus. Reditus Ecclesiæ heic sunt permagni: Episcopus ipse amplius quinquaginta vel sexaginta millia librarum habet in annuo proventu. Civitas est clausa bonis vallis fossisque. Amnis, qui subter pulchrum pontem prope mœnia transfluit, commodus est ad commercia, eamque opulentam & mercatoriam reddit; præter fertilitatem territorii, in tritico, vinis, & glasto, vel isatide.

Diœceses. *Ville d'Albigeois* complexa fuit diœceseis *d'Albi* & *de Castres*, cum pluribus judicialibus magistratibus, sine mutatione nominis: nam ante erectionem Episcopatus *de Castres*, una sola fuit horum locorum diœcesis. Nos ordinem sequimur Episcopatuum, & de diœcesi *d'Albi* loquimur exclusive, separantes eam ab illa *de Castres*. Vtraque habet duodecim leucas in longitudine; in latitudine octo vel novem, à *Senasse* usque ad *S. Antonin* in *Rouergue*. Diœcesis *d'Albi* est inter *Castres*, *S. Pons*, & inferius *Montauban*, & inter *le Quercy* & *le Rouergue*, media. Habet suos Ordines specialeis; quibus principales Ecclesiastici, Barones, & Consules civitatum, assistunt: antea provinciæ Generaleis habuit. Idem actitatur in *Vellay*, *Gevaudan*, & *Vivarez*.

Civitates & oppida. Civitates & oppida sunt: *Lescure*, oppidulum clausum, una ex Baronatibus Ordinum diœceseos. *Ville-franque*, mœnibus vallatum, pro Comite *d'Aubyous*, cognomine *d'Amboise*. *Castel-vieil*, oppidulum clausum, supra *Tarn*. *Girossens*, oppidum & castellum Capitaneatus & sedes Prætoris *de Terrebasse*, pro Rege. *Orbaing*, burgus firmus. *Bonne-combe*, Abbatia. *Trevas*, Baronatus. *Milhars*, domus Comitis de *Cessac*, nomine *de Casilhac* in *Quercy*. *Cestairols*, Baronatus Ordinum diœceseos. *Riviere*, Baronatus domus *de Cheverry*. *Galhac*, unum è duodecim summis oppidis diœceseos, sita è regione *du Tarn*, sedes principalis Prætoris *d'Albigez*, Abbatia, sub nomine S. Michaëlis *de Galhac*, & Commendatura, locus celebris ob præstantia vina. *Valence*, oppidulum cum mœnibus & fossis; unum è duodecim summis oppidis, unde archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis *de Montpellier* beneficium suum accipit; una è sedibus prætoris *d'Albigez*, sedesque clavariæ dignitatis. *Ambilet*, Vicecomitatus, & munitus locus, è regione *du Tarn*, sub Barone *du Pujol* in *Guyenne*. *Paulin*, Vicecomitatus, & munitum castrum. *Realmont*, unum è duodecim supremis oppidis, prope amnem *d'Adou*, cum regali præpositura. *Clavairie*, oppidulum, mercaturâ florens, & munitum, habens quatuor portas. *Lombers*, castrum & civitas eversa, vetus Baronatus pro rege, (sicut & Comitatus *de Castres*,) habens prætorem regalem; quæ & ipsa est unum duodecim supremorum oppidorum. In hujus eversæ civitatis locum substituta est inter duodecim civitas *Denat*. *Artez*, est burgus supra *Tarn*, pro rege; antiqua sedes prætoris Albigensis; hodierna sedes illi est ad extremum pontem *d'Albi*. *Cahusac de Vere*, una duodecim summarum civitatum. *Denat*, oppidulum, clausum, pro Episcopo *d'Albi*. *Berens*, burgus, cum portu. Ibi Vicarius est prætoris Comitatus Castelensis. *La Grave*, oppidulum & castrum supra Tarnum. *La Guepre*, è regione amnis *Biaur*; ubi hic *Biaur* se amittit in *Aveyron*; hic *Aveyron* autem dat castrum Albigensibus, & burgum ipsi *Rouerge*. *Pechbegon* burgus, ac sedes clavariæ dignitatis. *Candeh*, Abbatia. *Curvale*, exiguus burgus, & titulus magni Baronatus pro rege. *Cossolens*, burgus pro rege, secus ostium *d'Agout*, intra Tarnum. *Florentin*, firmum oppidulum, pro Marchione *de Mirepoix*. *Cadalen*, unum è dictis duodecim supremis, & una sedum Prætoris *de Terrebasse*, pro rege. Insula Albigensium, è regione Tarni, unum è duodecim summis, & una sedum prætoris *d'Albigez*. *Rabastens* supra Tarnum, civitas suprema diœceseos, sedes clavariæ dignitatis, una sedum prætoris *d'Albigez*. *Salvagnac*, castellum vetus, & oppidulum, pro domo *d'Arpajou*. *Montmiral*, oppidum pro rege, cum castello, dicto *Castelnau de Montmiral*, una duodecim supremarum civitatum diœceseos. *Pene*, civitas & castrum satellitii, pro rege, è regione amnis *de Vere*, una è duodecim. *Cordes*, oppidum, situm supra collem instar arcis, muro triplici circundatum, in propinquo amnis *Serou*; una è summis, & una sedum prætoris *d'Albigez*. *Monesties*, oppidulum & Baronatus, pro Episcopo, è regione amnis *Serou*; cum castello vicino *Combefa* dicto, pro Episcopo; una è duodecim. *Chastelnau de Levis*, firmatum oppidulum prope Tarnum; Baronatus Ordinum Albigensium, & Ordinum provinciæ; cum pulchro castello. *Pampelonne*, oppidulum pro rege, una sedum prætoris *d'Albigez*. *Pont de Sirou*, *Alban*, *Ville-neuve*, *S. André*, firmata muris; cum bono firmoque castro. Et nonnulla alia.

Episcopi. Episcoporum vetustas altior est quam ut describatur. Martyrologium Albigensium refert, quod anno circiter trecentesimo præsederit S. Clarus. Post quem omnes successores ad usque nostrum tempus leguntur annotati.

Episcopatus & Comitatus CASTRENSIS.

Castres, civitas. Civitas *de Castres* à Latinis auctoribus vocatur Castra, & *Castra supra Aguthum amnem*; nam hujus aquis alluitur; quæ profluunt è Gebennicis montibus. Rivi *de Durenque* & *de Toret* muros ejus irrigant. Temporibus Caroli Magni satis hæc celebris fuit. Nam ille hic pulcherrimum & opulentum monasterium ordinis S. Benedicti, firmatum privilegiis maximis, erexit. Primum suos dominos; post, Comites habuit. Anno 1521, consulto Parlamenti regii, Comitatus hic fuit declaratus unitus dominationi regiæ. Aguthus amnis hanc civitatem dirimit bifariam. Pars, quæ spectat meridiem, nominatur civitas *Goudou*, estque metropolis diœceseos, & sedes Seneschalli regii, prætoris item appellationum, quæ provocant ad Seneschallum Carcassonæ. Hîc & Camera est edicti, ex Præside & consiliariis, è curia Parlamenti Tolosani, & Præside & Consiliariis religionis quæ dicitur Reformatæ conflata; qui consiliarii, & illinc, atque hinc, numero sunt decem.

Oppida.

Oppida, & loca, sunt hæc : *S. Amans de Valtozet* ; quod hinc transfluit amnis *de Toret*, secus domos *de Boyßeron*, & *Castelnau de Braßac*, prope Aguthum. *Roquecourbe*, oppidulum & castellum supra Aguthum. *Vielmur*, oppidulum, & Abbatia virginum. *Graulhet*, Baronia, & amœna domus, pro Comite *d'Aubyous*, nomine *d'Amboise*. Oppidulum *Braßac*, & *Briateste*, castellum custodiæ, pro rege ; ubi sedes Prætoris *de Terrebaße*. *Damiate*, altera sedes ejusdem Prætoris. *Burlats*, templum collegiale. *Ambrez*, Baronatus vetustus; ubi aditus datur ad Ordines Languedocii, qui sunt in præsens Marchionatus. *Venez*, Baronatus. S. Gervasii, Vicecomitatus, è domo Tholosana *de Lautrec*. *La Cabarede*, burgus in valle *de Toret*. *Val Durenque*. (Est & rivus *Durenque*.) *Serviez*, pro domo *de Castelnau*. *Viane*, burgus & castellum pro rege, in Comitatu *de Castres*. *La Cone*, oppidulum *Montfa*, Vicecomitatus domus Tholosanæ. *Villemagnie*, Abbatia, &c.

Papa Ioannes XXII erexit Episcopatum hunc anno 1317 ; primumque nominavit Adeodatum.

In hac diœcesi est & Vicecomitatus *de Lautrec*. Civitas *Lautrec*, pervetusta est. Anno 1072, dominus erat Bertrandus Vicecomes *de Lautrec*. Deinde, anno 1222, alius ejusdem nominis, pater Sicardi.

Episcopatus, & Marchionatus MIRAPICENSIS.

Mirepoix.

Civitas Mirapicensis, vulgo *de Mirepoix*, sita est in tractu perquam amœno, perfusa aquis *du Lers*, qui Latinè Lertius. *Mirapicum* vero, & *Mirapicium*, inter Occitaniæ Baronatus computatur. Eadem comprehensa est inter viginti duas Ordinum Provinciæ. Ea pertinuit ab omni vetustate ad domum *de Levis*. Antiqua fragmenta ostendunt familiam ex hac domo, quæ habuit absolutum titulum Mareschalli *de Mirepoix*. Ex hac domo prognatus est *Guy de Levis*, Eques, dominus Mirapicensis, *de Florensac* & *Montsegur*, Mareschallus *de la Foy*, qui vixit anno circiter 1240. Fœcunda hæc & gloriosa familia dedit nostro sæculo Alexandrum *de Levis*, Marchionem Mirapicensem ; qui anno 1620 in uxorem duxit Ludovicam Bethunensem, filiam Maximiliani *de Bethune*, Ducis *de Sully*. Pater ejus fuit Antonius Guilielmus *de Levis*, Marchio Mirapicensis, Mareschallus *de la Foy*, Vicecomes *de Montsegur*, *de Perilhe*, & *de Gimois*, Baro *de la Garde*, *de Teride*, *du Velavet*, &c.

Ecclesia Mirapicensis, dedicata S. Mauricio, olim simplex parochia fuit ; sed anno 1318 Papa Ioannes Vigesimus secundus erexit eam in cathedralem. Primus Episcopus fuit Raimondus *Athon*.

Diœcesis Mirapicensis circunscribitur diœcesibus, Aletensi, Apamensi, Carcassonnensi, & S. Papuli.

Civitates.

Civitates, & loca dependentia, sunt : *Cinte-gabelle*, oppidulum supra Aurigeram. *Gibel*, Baronatus, in præsens Coronæ ; quem nonnulli annectunt Comitatui *de Foix*. Custodia Mirapicensis, vulgo *la Garde de Mirepoix*, sedes ordinaria dominorum Mirapicensium. Lauracum majus, est burgus perelegans, munitus castro vetusto. Qui burgus antiquitus pertinebat ad Comitem Lauragensem. Ager, in quo situs hic burgus, inter feracissimos Franciæ numeratur. Hic burgus nomen dedit regioni & Comitatui cognomini ; de quo infra dicetur. Discernendus est hic burgus, qui Lauracum majus dicitur ab Lauraco Bucensi, in diœcesi S. Papuli. *Leran* est Baronatus domus *de Levis*, qui postea pertinuit ad natu minorem domus Mirapicensis. Aliqui hunc inserunt in Comitatum Foxensem. *Fanjaux*, (fanum Iovis, fanum Iovis Idæi,) civitas est, optimo castro munita ; ubi celebratur sessio & conventus diœceseos. Pertinet autem ad Comitatum Lauraguensem. *Montsegur* est Vicecomitatus domus *de Levis*. *La Rocque d'Olm* una est supremarum civitatum diœceseos. *Chalable*, oppidulum, & Baronatus. *Bellesta* ; hic est fons mirabilis, de quo alibi plenius. *Le Carla*. In hac diœcesi duo sunt hujus nominis loca ; tertiusque in diœcesi *de Rieux*. *Les Allemans*, oppidulum ; ubi Consulatus regalis est. (*Viguerie Royale*) *Puy-verd*, Baronatus. Petrus Monachus vocat *Viride podium*. Burgus *Peyrat* percelebris est propter fodinas lapidis gagatis. Est & in hac diœcesi Abbatia *de Bolbonne*, Comitatus Foxensis ; & alia.

DIOECESIS VAVRENSIS.

La Vaur.

La Vaur erat nobile & amplum castrum, situm supra amnem Aguthum, distans Tholosa leucas quinque. Cui adjacebat templum S. Elani, quod erat vastatum. Hoc Isarnus, Episcopus Tholosanus, donavit Flotardo, Abbati S. Pontii Thommeriensis anno 1098, cum hac commissione, ut illud instauraret, adderetque burgum. Qui postea burgus, nomine castri, Vaurum, ejusque Episcopi Vaurenses fuere appellati. In hac Ecclesia fuit Prioratus, qui dependebat à dicta Abbatia S. Pontii. Hunc Papa Ioannes XXII in Episcopatum erexit, eique sexaginta novem parochias, cum Abbatia de Sorese, subjecit. Robertus Armagnacensis Episcoporum fuit primus, anno 1318. Hæc civitas est dominii regalis. In qua rex Præfectum habet Prætori Villæ-longæ substitutum. Diœcesis oppida & loca sunt : *La Gardiole*, Baronatus pervetustus. Nam est unus è viginti duobus Ordinum Occitaniæ. Pertinetque ad Domum Foxensem *de Rabat*. Soricinium, vulgo *Soreze*, oppidulum in tractu Lauraguensi situm supra amnem *de Sor*, qui nomen illi dedit. Hic Abbatia à Pipino fundata, ut repertum est superiori sæculo in veteribus fundamentis Abbatiæ, quando hæc à funestis factionibus fuit demolita. *S. Verdal*, *Haupoul*, *S. Germer*, hæc tria, pertinent ad domum *de Toulouse de Lautrec*. *Revel* erat olim burgus, nominatus *la bastide de Lavaur*. Hunc Philippus Pulcher, Franciæ Rex, muris inclusit. Vnde illi nomen *Revel*, quasi à rege Bello clausus. Hæc confirmantur illo disticho quod repertum est supraportam oppidi :

Nunc

Nunc nova, quæ quondam Vauri Bastida vocabar,
Dicta Re-Bellus ero, regis honore mei.

S. Amans, minoris momenti locus. *Puy-Laurens*, civitas, tribus leucis à *Vauro*, Podium Laurentii Latine. Heic Ecclesia collegialis est. Heic prætor Villæ longæ, sedem suam principalem habet, S. Pauli Cadajoucensis oppidum, ubi Ecclesia collegialis est; *Mazamet*, & *la Bruguiere*, & ipsa oppidula sunt. *Anxillon* celeber pagus est. *La Creisille* fert titulum Vicecomitatus; *Engarravaques* in Comitatu de *Lauraguez*, spectat ad domum *de Vesines*. *Auriac, Durfort, Cahusac, Gaudele, Montespieu, Lugan, Marsens, Servaing, Cambourg, Escaupon, Cambounet, Soal, Lesta, S. Avy, Massaguel, Prades, Belleserre, Mouseur, Flamarens, Lichaudier, Algans, Montlong*, & quædam alia, in hac Diœcesi loca sunt satis considerabilia.

EPISCOPATVS S. PAPVLI,
& Comitatus LAVRAGVESENSIS.

Civitas *S. Papuli*, vulgo *S. Papoul*, sita est in Comitatu *Lauraguezensi*, & in vetere Diœcesi Episcopatus Tolosani, ad exiguam leucam à Castello *Naudariensi*. Carolus Magnus ibi fundavit abbatiam, eo quod sanctus hic, qui fuerat commilito S. Saturnini martyrium heic subiit: quæ abbatia, vel potius, qui sanctus, huic oppido nomen reliquit. In huic oppido cernuntur adhuc rudera quædam inveterati castri, quod in vetustis chartis nominatur castrum S. Papuli. Hæc Abbatia ordinis est S. Benedicti, & erecta in Episcopatum à Papa Ioanne XXII, anno 1317, (de quo heic ante jam aliquoties,) qui illi subjecit quadraginta quinque Parochias, cum Monasterio religiosarum ordinis S. Dominici. Diœcesis hæc inclusa est Tolozati, Mirepexensi, & Carcassonnensi; & complectitur loca complura satis considerabilia; inprimis Castel-Naudariense, metropolin territorii & Comitatus Lauraguezensis, in qua est Senescallatus, (juridicatus Provinciæ,) & sedes præsidialis, quæ Senescallo Tolosano adempta est. Heic habitat quoque Prætor *Lauraguezensis*. Territorium & Comitatus *Lauraguezensis* extendit se usque in Diœceseis, *Tolosatensem, Lapurdensem, & Mirepixensem*.

Alia loca in Diœcesi S. Papuli sunt: *Bram*, hodie castrum *Brom* dictum, olim arce firma munitum. Besseda, urbecula est castro munita.

Bram, Castrum. Bessede.

Le Mas Sainctes Puelles, erat olim clausum oppidum, distans leuca à Castelnaudario; quod solo æquatum est turbis & rebellione incolarum. Priscis temporibus illi nomen erat *Recaudum*; postea, *Monasterium puellare*; hodieque noscitur sub nomine *Ecclesiæ sanctarum puellarum*. *Ville-pinte*, oppidulum clausum, è regione ipsius *Fresqueil*. *Avignonnet*, oppidulum dominii regalis. *Pomarede* castrum; quod titulum Baronatus habet. *Lauracum Ducense*, & *Villar-Savarii*, duo sunt optimi burgi: *Lauracum Maius*, id est inter civitates Mirepixenses heic ante. *Fendelle*, insignis Baronia. *Proulhe*, Abbatia prædives, ordinis S. Dominici. Sunt & alia complura loca in hac Diœcesi, satis considerabilia, quæ totidem præstantibus familiis nomen dederunt; Iudicatura Comitis Lauraguezensis perampli districtus est, & sub se plusquam septuaginta loca bene magni momenti complectitur.

Mas Sainctes Puelles. Ville-pinte. Avignonnet. Pamarede. Laurac le Duc. Fendelle. Proulhe. Iugerie de Lauraguez.

COMITATVS RHEDENSIS,
Episcopatus Electensis, Territoria de Sault, de Fenoulledes, & de Limous.

Comitatus Rhedensis, vulgo *de Razez*, ab omni antiquitate gessit titulum Comitatus, qui semper adhibebatur in hæredium vel alimentum vitæ pro natu minoribus Comitum Carcassonnensium; in testamento Rogerii Comitis Carcassonnensis facto anno 1062, appellatur castrum Rhedæ. *Donat castrum Rhedas.* Reges Aragoniæ jus aliquod in hoc castrum Rhedas pretendebant, donec inter reges, S. Ludovicum Franciæ, & Iacobum Aragoniæ, transactione conventum est, regionem hanc, Carcassonnensem, & *Carcassez*, & quidquid in *Rhedis*, & *Rhedez*, mansuram apud Coronam Galliæ. Archiepiscopi Narbonnenses quandoque seipsos Archiepiscopos Narbonnenses & Rhedenses qualificant. Nam Territorium Rhedense per concilium Narbonnense fuit ipsis adjudicatum, tempore Caroli Magni, anno 788. Dicti Archiepiscopi adhuc Officialem exterum habent in *Limoux*, amœna civitate, Episcopatu quondam insignita, cujus sedes postmodum in urbem Electensem, vulgo *Alet*, translata est. Ibidem est quoque sedes regalis, obnoxia Seneschallo Carcassonnensi, perinde ac tota Diœcesis Electensis.

Limoux.

Electum priscis temporibus, nil erat quam Abbatia. Vnde *Abbas Electensis* dictus, vel Abbas *de Electo*. Hodie Papyrio Massoni nominatus Electa. Nam Aletum est civitas communiter *de S. Malo* dicta, in Britannia. Abbatia hæc S. Benedicti evecta fuit in Episcopatum à Papa Ioanne XXII, anno 1317, de quo jam pluries actum; ubi constituit Episcopum, Archiepiscopo Narbonnensi suffraganeum. Cathedralis Ecclesia dedicata est divæ Virgini.

Alet.

Hæc Diœcesis clauditur Narbonnensi, Mirapicensi, & Comitatibus Foxensi, & Russilionensi, & quibusdam terris Hispano subjectis.

Præcipua loca sunt: *Arques*, unus ex antiquis & primis Baronatibus Ordinum Languedocii: qui olim pertinebat ad domum *de Ioyeuse*, deinde illapsus est in eam *de Guyse*, nomine *de Lorraine*. *Covisa*, Baronatus, qui pertinet ad Archiepiscopum Narbonnensem, supra amnem *d'Aube*. *Quilhan*, oppidulum & Baronatus, sub eodem Archiepiscopo, supra *l'Aude*. *Caudies*, supra *la Bolsane*, oppidulum; ubi judicatura regalis, in Territorio *de Fenoulledes*; quod, cum Territorio *de Sault*, hac in Diœcesi quoque comprehenditur. *S. Paul de Fenoulledes*, itidem oppidulum, aquis adspersa *de la Bossane*, decorata Collegiali Ecclesia. *La Serpent*, est Patrimonium domus *d'Arx*, *Montferrand*

Arques, Baronatus. Covisa, Baronatus. Quilhan, Baronatus. Caudies, oppidulum. S. Paul, oppidulum. La Serpent.

Montferrand. *ferrand* celebris est ob balneas. *Querigut*, & *Castelfisel*, sunt duo firma castella ad limites, quæ cum cura custodiuntur. *Rennes*, celebres balneæ sunt. *Querigut.* *Castel-fisel.* *Rennes.* *Sault.*

Territorium *de Sault* & id in hac comprehensum Diœcesi; sic &, *Coustassa*, *Vendemies*, *Cornavel*, *Roquetaillade*, *Conilhac*, *Bonge*, *S. Cernin*, *S. Cogal*, *Tournebois*, *Feste*, *Leon*, *Rovenas*, *Fa*, *Antisac*, *Crocz*, *Montazels*, *Esperasa*, *Campagne*, *Brenac*, *Quilla*, *Ginolfez*, *Cabirac*, *S. Iulia*, *S. Ferrol*, *le Besu*, *Gravez*, *Parou*, *Serres*, *Terrolles*, *Pontils*, *Corisa*, & plurima alia non ignobilia loca. Hoc territorium *de Sault* includit *Belcaire*, *Camuzat*, *Comus*, *Niort*, *Roquefel*, *Espezel*, *Belvis*, *Quierebajou*, *Marsan*, *Codous*, *Alelad*, *Bessede*, *Honat*, *Iacon*, *Rodome*, *Mus*, *Galinhagues*, *Masubi*, *Campagna*, & *Escolobre*.

Fenoulledes. Supradictum territorium *de Fenoulledes* includit quadraginta loca satis jucunda. Principalia: ut *S. Paul*, *Lesguerde*, *Alanzac*, *S. Arnac*, *la Tour*, *Cassagnes*, *Caladraë*, *Planeses*, *Caramamy*, *Trinillac*, *Montalba*, *Trilha*, *Pesilha*, *Felmis*, *le Vivier*, *Teissac*, *Perles*, *Fosse*, *Vira*, *Castel-fizel*, *Rabolhet*, *Sorvia*, *Salvagnies*, *Artigues*, *Laprade*, *Touzel*, *Roquefort*, &c.

Limoux. Civitas & jurisdictio *de Limoux*, de qua jam aliquid dictum, plusquam quinquaginta continet non contemnenda loca. Notabiliora: *Pieussa*, *S. Polycarpe*, *le Villa*, *Belcastel*, *Agreffel*, *Clermont*, *Villar le belle*, *Missegre*, *Sepia*, *S. Martin*, *Malvies*, *Cambieure*, *Tonens*, *Brazillac*, *Ferram*, *la Cortete*, *Maseroles*, *Laures*, *Montgradal*, *Bellegarde*, *S. Iret*, *Montaut*, *Pomy*, *Loupia*, *Damasac*, *Rantier*, *Malras*, *Caja*, *Castelrem*, *Ajac*, *Magrie*, &c.

EPISCOPATVS RIVENSIS.

Rivense oppidulum amni Rhedensis assidet; qui profluit è montibus Pyrenæis; pergit ad *Durban*; è transverso permeat aliquem montem, ac tandem huc approperat. Hoc in Episcopatum erectum est per Papam Ioannem XXII. *Rieux*, Latini vocant Riva, & Rivense oppidum, à rivis, ob rivorum & fluentorum heic oberrantium multitudinem. Olim & regio, civitasque, noscebatur sub nomine *Volvestria*. Quod nomen haud dubie fluxit ab amne *Volp*, qui alluit maximam partem Diœceseos, & apud *Tersac* se præcipitat in Garumnam. In hac civitate regalis judicatura celebratur.

Diœcesis. Diœcesis hæc Tolosati, & Apamensi finitima est, urbs Comitatus *de Foix* in Gasconiam, & quidem trans Garumnam, protendit sese. Hæc plusquam sexaginta loca complectitur. Principalia: Toulsa, oppidulum dominii regii, de sede Prætoris Rivensis decoratum. *Montesquieu de Volvestre*, ejusdem sedes prætoris, S. Sulpitii Lezadensis, tertia dicti prætoris sedes. *Le Fossaret*, quarta illius ipsius. *Marquefave*, oppidulum. *Castagnac*, *Caseres* & *Carbonnes*, loci præclari & notia quos Garumna alluit. *Calhers*, *Feuillans*, *Lesat* supra *la Leze*, item *Sales*, quatuor sunt Abbatiæ opipare fundatæ. Reliqui loci notantur hi: *Palemeni*, *Canjac*, *Capens*, *Noë*, *Montagut*, *S. Michel*, *Montaut*, *Gresac*, *S. Felix*, *Mausan*, *Massebrac*, *Maressac*, *Montaudet*, *Auribal*, *S. Croix*, *Bezat*, *Gratens*, *la Fite*, *Artigat*, *Magrin*, *Sperre*, *Favas*, *Seix*, *Madiere*, *Pis*, *Cavens*, *Larboust*, *Marinhac*, *Caladeze*, *Paillez*, *la Tracque*, *Tortouse*, *Serifols*, *Prax*, *la Caugne*, *Montardu*, *Gabre*, *Lavols*, *Casteras*, *Montroy*, *Rieumont*, *Aigue-jontes*, *Orias*, *Alzerit*, *Praderes*, *Lanstronques*, *Nothac*, &c. *Toulse.* *Montesquieu.* *S. Sulpice.* *Fossaret*, &c.

De Comitatu *de Commenges*, sito in Gasconia, deque oppido & Episcopatu S. Bertrandi, è ruderibus exstructo veteris Lugduni, *Lugdunum* Convenarum dicti, dictum est in loco. *Commenges* parvum, pars præsentis diœceseos, extat in *Languedoc*, in undecim oppidis locisve subsistens. *Valentine*, suprema civitas supra Garumnam, ex altera ripa habens *S. Gaudens*, in Gasconia, & in Vicecomitatu *de Nebousan*. Heic locum tenet Vicarius prætoris *de Riviere S. Beat*, oppidulum. Quod à Garumna secatur in duo. Vbi alius Vices-gerens prætoris *de Riviere*. Hæc civitas firma est, sedens inter duos monteis, qui serviunt ei claustrorum instar. Mercatus ejus frequentantur à limitaneis Hispanis. Cetera loca sunt: *Poëntis*, *Huos*, *Cier*, *Martres*, *S. Pé*, *Argut*, *Melles*, *Mont-Savez*, & *Mazerettes*. *Commenges parvum.*

Bas Mont-Auban. *Tarnis* & *Tescoua* fluvii, Cadurcium à Languedocio dirimit; ipseque Tarnis, Montalbanum & multa illius Diœcesis loca in Cadurcensi regione collocat, ut & burgum *Ville-Bourbon* dictum, & alia oppida, quæ Iurisdictionis sunt Villælongæ, & Montis-Albani inferioris Diœcesim constituunt: unde quamvis Mons-albanus, & quædam adjacentia hujus Diœcesis loca in Cadurcensi regione sita sint, attamen Episcopus locum & suffragium habet in Comitiis Languedociensibus, cum Consulibus urbium, competenti unicuique ordine servato, nimirum *Castel-Sarrasin*, *Monteich*, *Montbeton*, *Reyniés*, *Villemur*, *Dieu-Pantale*, *Beauvais*.

Sunt & alia non contemnenda hujusce Diœcesis loca, scilicet, *les Catalens*, *Finham*, *Montbequi*, *Bessens*, *Canssals*, *Bressos*, &c.

NARBONNENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Narbonne. Nomen. Narbona quondam à Romanis *Narbo Martius* appellata, in extremis Languedocii & Catalauniæ finibus apparet, ubi se Auda fluvius in pelagus Orientale præcipitat, in opulenta regione posita, omnibusque vitæ commodis referta; fuit olim in valle condita ab antiquo Gallorum rege Narbone, seu Hardone, qui ei quoque suum nomen imposuit: aut, quemadmodum alii putant, ab Aracinis fluvii Narbonis accolis; hunc autem fluvium Audam hodie nominamus, qui totam hanc regionem ab Hispania montibusque Pyrenæis dirimit. Hanc provinciam Romani cum suæ potestati subjecissent, primariam suorum militum Coloniam Narbonæ collocarunt: at vero cum Martius, nobilissimæ istius Coloniæ Dux extitisset; eapropter Martii cognomentum sortita est, quod & alio titulo promeruit, scilicet quod amplissimum Martis, generositatisque theatrum fuerit. Quanto autem Augustum prosecuti sint affectu cives Narbonenses,

nenſes, conſtat ex ara illi erecta, quæ juxta palatium Archiepiſcopale viſitur, cum tabula marmorea exſculptum illorum votum præferente.

Hæc tamen civitas, etſi magno à Romanis in pretio habita, nihilominus multis cladibus fatigata, fortunæ viciſſitudines experta eſt; funeſto prorſus incendio ſub Antonino Pio Imperatore fuit conſumpta. Obſederunt Gothi, & expugnarunt, ferroque & flamma vaſtarunt, ætate Theodorici regis; Hunni poſtmodum ſupervenere, qui ſuis illam ruinis ſepultam reliquerunt; cumque Sarraceni illam occupaſſent, Carolus Martellus, transmiſſo cum potenti exercitu Rhodano, eos expulit. Sileo alia venerandæ antiquitatis geſta; etenim illa nunquam adeo extincta, quin ſuis in cineribus fodicans priſtinum ſplendorem redaccenderit.

Impræſentiarum igitur, foſſis altiſſimis, & præclaro mœnium ambitu cingitur; quinque propugnacula offert, turreſque totidem; inſignem habet Eccleſiam ſub auſpiciis S. Iuſti, cujus præcelſum campanile quadringentos gradus numerat; ubi etiam Organa ſingulari artificio duobus tantum muris innixa, unico duntaxat egent flabello; ipſa quoque Lazari à morte per Chriſtum ſuſcitati pictura, præclarum ſane artis miraculum; & id genus alia non vulgaris induſtriæ, quæ magnum huic templo ſplendorem conciliant.

Quod vero Narbonnenſis Capitolii eſt, à Sidonio memorati, juxta portam à Rege denominatam, vulgo *Porte du Roy*, viſebatur; ubi quondam ſuperbum & vaſtum palatium, quod indigenæ uſitato illorum vocabulo *Cap-Dueil*, id eſt Capitolium, vocitabant; cujus ruinæ ſuperſtites, ut & marmora, Romanorum opus fuiſſe teſtantur. Hoc autem palatium deinceps Regum Viſigothorum ſeceſſus extitit; poſtea vero cum Galli urbem ſubjeciſſent, illud Archiepiſcopis aſſignarunt, ut conſtat ex actis in archivio hujus Archiepiſcopatus aſſervatis ab anno 1066, ubi dicitur, quod de jure Archiepiſcopi erit *Capitolium, quod eſt in civitate Narboniæ*; illo quippe ad annum uſque 1451 potiti ſunt; hac enim tempeſtate Ioannes *de Harencourt*, Narbonnenſis Archiepiſcopus, illud dirui, exque ruinis Collegiatam S. Sebaſtiani ædem extrui præcepit, nec non & maximam mœnium urbis partem. At vero palatium, quod impræſentiarum Archiepiſcopi occupant, non ita pridem extructum, magnificentiſſimum eſt; illiuſque gradus rari adeo operis, ut nec Vitruvius exquiſitiſſimis ſuæ architecturæ delineationibus, ſimile quid expreſſerit.

Habet quoque Narbonna amphitheatrum, thermas, & aquæductus. Haud procul ab urbe mediis in pratis, putei, aut verius abyſſi, reperiuntur, ſub undis in fundo variis floribus conſiti; vocantur autem iſti putei lingua Gentis, *uillas*, id eſt *oculi*, qui ſæpeſæpius obſtruuntur, aliiſque in locis novi aperiuntur; horum pratorum humus adeo tremula eſt, ut alienigenæ eam premere reformident.

Fuerunt etiam hac in urbe magnifica templa, arcus, porticus, theatra, aliaque ædificia publica, quorum meminit Sidonius, quæ impræſentiarum ſepulta nullatenus apparent, nec ulla eorum veſtigia extant, præter quaſdam inſcriptiones, marmora, columnas, petraſque inſculptas, quæ etiamnum reperiuntur. Viſitur & in lapide marmoreo inciſum urbis Narbonnenſis votum factum Auguſto Cæſari ipſiſſimis, quæ ſequuntur, verbis:

QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIXQVE. SIT. IMP. CÆSARI. DIVI. F. AVGVSTO. P. P. PONTIFICI. MAXIMO. TRIB. POTEST. XXXIV. CONIVGI. LIBERIS. GENTIQVE. EIVS. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. ET. COLONIS. INCOLISQVE. C. I. P. N. M. QVI. SE. NVMINI. EIVS. IN. PERPETVVM. COLENDO. OBLIGAVERVNT. PLEBS. NARBONENSIVM. ARAM. NARBONE. IN. FORO. POSVIT. AD. QVAM. QVOT. ANNIS. VIIII. K. OCTOBR. QVA. DIE. CVM. SECVLI. FELICITAS. ORBI. TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT. TRES. EQVITES. ROMANI. A. PLEBE. ET. TRES. LIBERTINI. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. COLONIS. ET. INCOLIS. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS. THVS. ET. VINVM. DE. SVO. EA. DIE. PRESTENT. ET. VIII. K. OCTOBR. THVS. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. ITEM. PRESTENT. K. QVOQVE. IANVAR. THVS. ET. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. PRESTENT. VII. QVOQVE. IDVS. IANVAR. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPPLICENT. ET. HOSTIAS. SINGVL. IMMOLENT. ET. COLONIS. INCOLISQVE. THVS. VINVM. EA. DIE. PRESTENT.

ET. PRIDIE. K. IVNIAS. QVOD. EA. DIE. T. STATILIO. TAVRO. M. ÆMILIO. LEPIDO. COSS. IVDICIA. PLEBIS. DECVRIONIBVS. CONIVNXIT. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. THVS. ET. VINVM. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS. COLONIS. ET. INCOLIS. PRESTENT. EXQVE. IIS. TRIBVS. EQVITIBVS. ROM. LIBERTINIS.... NARBONENSIS. ARAM. NVMIN. AVGVSTI. D... CAVIT.

Extant præterea inſignes aliæ magno numero inſcriptiones, marmoribus inciſæ, in memoriam multorum Imperatorum, & Proconſulum Romanorum, quorum nonnulli hac etiam in urbe primam lucis uſuram acceperunt, ut teſtantur Euſebius, Sextus Victor, Oroſius, & alii.

Genuit Narbonna Cæſares, Carum ſcilicet, Carinum, & Numerianum; genuit & clariſſimos omni eruditione viros, quos inter, Publius Terentius Varro, & Votienus Montanus, de quo Martialis lib. 8 Epigrammatum, *Docti patria Narbo Votieni*: Apruncułus & Conſentius, celeberri-

mi Oratores; Leo insignis Iureconsultus ætate Alarici Gothorum regis; & plures alii.

Nec silentio prætereundum, hic olim monetariam fuisse officinam; illius quippe mentionem injicit Sidonius,& inter vetusta antiquariorum cimelia, Recaredi Narbonæ regis numismata reperiuntur; quin & ex Caroli Calvi Capitularibus eruitur, anno 864, signatas fuisse Narbonnæ monetas: quod & diu postea perseveravit.

Archiepiscopatus. Hæc civitas ab ipsis fere nascentis Ecclesiæ incunabulis sede Archiepiscopali decorata est, & prærogativis Primatus Galliarum potitur. *Loca.* Alia autem hujusce Diœcesis oppida, & celebriora loca sunt: S. Polycarpi abbatia; *Capestang*, urbecula & Baronatus, atque Archiepiscopi Narbonnensis possessio; *Carante*, abbatia; *Fontfroide*, monasterium in solitudine positum; *Cauves*, itidem abbatia; *Perchsferguier*: *Azilhe*, sive *Azilhan*, urbs exigua: *Perignan*, *Peyriac de Mer*, *Gineslas*, *Lusignan*, &c. Regiuncula *de la Corbiere*, quæ intra montem excurrit, Sejanum Metropolim habens; & tractus *de Termenes* hâc Diœcesi includuntur.

Aër Narbonnensis insaluberrimus est,circumjacent enim stagna plurima, quæ densiores vapores emittunt, unde incolæ quadam velut humorum gravitate laborant, ac sæpenumero apostemata & abscessus perpetiuntur bubonibus contagiosis simillimos.

BITERRENSIS EPISCOPATVS.

Bezieres. Biterrensis civitas, tertia sequitur in ordine urbium Galliæ Narbonnensis. Varie illam nominant prisci auctores, *Bliteram* Mela; Plinius *Bliteres*; Itinerarium Antonini *Beteras*; Festus Avienus, *Besaram*; Benjamin Tudelensis, *Bidras*; quidam etiam *Orbipolim* dictam fuisse, eo quod Orbæ fluentis ejus solum irriguum sit; postmodum vero *Biterrim*, seu *Bisterrim* dictam fuisse scripserunt; ut significetur, terras adeo inibi esse fertiles, ut bis quotannis ferant.

Et quidem Orba fluvio perluitur,& sane vetustissima est, nam & una fuit ex Coloniis militum Romanorum septimæ Legionis; unde & Colonia Septimanorum vocitata est, eo quod illam septimæ Legionis milites insedissent; quemadmodum & Narbonna *Decumanorum*,Arelate, Sextanorum, Auriacum *Secundanorum*. Extat etiamnum in hac civitate vetus inscriptio, quæ illam olim *Iuliam Bæterrensem* dictam fuisse indigetat; illius tibi fragmentum exhibemus:

..EAIVI. IV....
PRÆFECTO. EQVIT. TR...
ET. LEG. XXII. PRÆCT. C...
PRIMO. VRBI. IVL. BÆTERR.
PRÆFECTO. PRO.....

Plures aliæ sunt raræ admodum inscriptiones, lapidibus incisæ, quas Historiographis demandamus suis inserendas monumentis. Exornarant civitatem prisci Romani ædificiis splendidissimis, quorum adhuc ruinæ visuntur, queis etiam amplissimum suspicitur amphitheatrum in Gladiatorum, & ferarum certamen, ordinaria Martialis populi oblectamenta. Fuit quondam hæc civitas populosa & opulenta, habuitque Academiam Iudæis Scholasticis refertam.

Cathedralis S. Nazario sacra, eximia est, Episcopaleque palatium pulchritudine adæquat, unde amœnissimus in circumjacentes campos prospectus. Ager autem frumento & vino feracissimus est. Hæc porro Diœcesis Oceanum pertingit, & plagam Rutenorum. Iam aliquot ab annis arx fuit diruta. Patres Societatis perelegans ibi gymnasium habent, ubi in aula quadam egregium artis specimen visitur, perspectivæ nimirum tanta subtilitate expressæ, ut cautissimi quoque decipiantur.

Ratio nominis. Primus Biterrensium Antistes asseritur Aphrodisius Ægyptius, in Gallias ad opus Euangelii à S. Petro delegatus; quò cum pervenisset, S.Paulo primo Narbonnensium Episcopo adjunctus est, qui illum postea in Biterrensem emisit civitatem, cujus factus est Episcopus. Aliquot postea seculis, anno nimirum 326, Agritius ejusdem civitatis Episcopus Concilio Arelatensi subscripsit his verbis: *Agritius apud Septimaniam. Civitat. Biterr. Episcopus.*

Loca. Cætera hujus Diœcesis digna memoratu loca sunt, *Boujan*, *Serignan*, Villa-nova, quæ Biterrensi urbi adjacet; *Espondeilan*, *Magalas*, *Aumelas*, Baronatus; *Cabrieres*, Castellania quidem regia, sed nunc diruta; *Casouls*, locus gratissimus; *Tezan*, burgus elegans, muris cinctus; Villa-magna, seu Vallis-magna, non ignobilis Abbatia; *Cassan*, pinguis Prioratus, &c.

EPISCOPATVS S. PONTII TOMERIARVM.

Evesché de S. Pons de Tomieres. Sancti Pontii civitas, in valle juxta Iauram flumen posita, olim fuit Abbatia celebris, & crescente fama sanctitatis, excipere meruit Ramirum Sancii Regis filium, sui instituti sectatorem. Fertur autem illius Abbatiæ fundator extitisse Pontius Tolosæ Comes,quem & nomen ei indidisse versimile est. Vulgus ut plurimum S. Pontium Tomeriarum vocitat, notat vero Papyrius Masso, quod *Thomeriæ dictæ sunt ab exscindendis marmoribus, quorum ibi magna est copia.*

Fines. Primus sedit Episcopus nomine Raimundus, cui plurimi successere. Equidem ipsi Episcopi, temporaria urbis ditione potiuntur. Limitatur autem hæc Diœcesis, Narbonnensi, Castrensi, Biterrensi, & Albigensi, ducentasque circiter Parochias habet, præter Abbatias S. Signani, & *de Fonchaud*, *Loca.* Præcipua vero illius loca sunt, *Cessenon*, urbecula, regiaque Castellania, Orbæ fluentis rigua; *Ferrals*, *S. Chignan*, urbs quoque exigua, ubi præpinguis est Abbatia; *Olonsac*, *Siran*, ubi Iudicis sedes; *Menerbe*, cum arce & præsidio militari; *Anglez*, Baillivatus; *la Salverat* burgus opulentus; *Olargues*, *Crussy*, *Ventajou*, *Felines*, *Oppian*, *Cadirac*, &c.

LO-

Lodeve. Lergue fl. *Clermont.*

LODEVENSIS EPISCOPATVS.

Lodeve. Lergue fl.

VRbs Lodevensis Lerguæ amni adsidet, qui excepto Soulondra fluvio, uberius Monbruni muros rigat. Paret illa legibus Antistitis, qui absoluto illius Dominio potitur, ubi supremum jus, Curia, carceresque teterrimi, queis creditores obtentis ab Episcopo litteris, suos debitores coërcent. Tota autem diœcesis 54 tantum parochias numerat; ipseque Pastor sive Episcopus nullo prorsus negotio commissis sibi ovibus invigilare potest, nemine illius notitiam fugiente. Mœnia Instrumenti cujusdam musici figuram præferunt; domos insignes habet, castella potius diceres; turribus quippe unaquæque domus exornatur. Primo quidem *Luteva* vocabatur, quo etiam vocabulo cum Lutetia Parisiorum communicat, quemadmodum & similia participat incommoda; at ob peracta facinora splendidius nomen meruit; cum etenim Ludovicus VIII, Albigenses fudisset, fregissetque, suppetias ferente Lodevensi Nobilitate, nec non & strenuis ejusdem urbis Præsulibus, qui data occasione, caput casside pro mitra Episcopali protexerant, Lodevam, quasi Ludovici urbem, non urbem Luti, seu Lutevam deinceps appellari voluit.

Ratio nominis.

Loca.

Præclaro mœnium ambitu, gratissimisque arvis cingitur, quæ irrorant amnes plurimi. Duabus illa civitas parochiis exornatur, S. Petri nimirum, & S. Andreæ; sunt & Conventus Franciscanorum, Recollectorum, Carmelitarum Discalceatorum strictioris Observantiæ, Vrsulinarum, ac tandem gymnasium Clericorum Regularium Doctrinæ Christianæ.

Terminatur hæc diœcesis, Agathensi, Montepessulensi, Biterrensi, ac Vabrensi, tresque tantum abbatias suo districtu includit, nimirum S. Salvatoris Lodevensis, Ordinis S. Benedicti, S. Guillelmi, & Claromontanam Virginum Benedictinarum.

Evesché de S. Pons de Tomieres.

Clermont.

Claromontium primaria hujus diœcesis civitas, est populo frequens & opulenta; æquivalet illius mercatus celeberrimis nundinis, ubi omnigeneris animalia distrahuntur in totius Occitaniæ adjacentiumque regionum annonam. Computatur inter viginti duos Ordinum Baronatus, ac titulo Comitatus insignitur. Alia vero loca sunt, S. Guilielmi Abbatia, *Montpeyroux*, *S. Guiraud*, *Lozieres*, *Ceyras*, *Arbozas* Virginum Abbatia, & plurima mœnibus discincta loca. Castella, Monbrunense, Claromontanum, *de Mallevieille*, *de Morese*, *de S. Michel*, *& de Lozieres*, munitissima sunt loca, velut armamentaria bellica; quæ à Cardinali Claromontano præclara Italorum arte sunt extructa, ubi ædes commodissimæ, adscitis etiam limpidissimis fontibus, eximia Marescallorum Teminensium possessio. Qui Lodevam montes circumscribunt, binos habent impeditissimos trajectus, *Pertus*, nimirum, ubi Præsidium militare ab Anglis excitatum, & Escaletensis ipse trajectus. Hic octocenta circiter feuda ab Episcopo relevantia.

Fines.

Loca.

AGATHENSIS EPISCOPATVS.

AGDE.

AGathensis civitas tum à Latinis, tum à Græcis nomen accepit, quod illius dotes abunde exprimit; Agatha namque lapillus est exquisitissimus, & ipsa urbs cognominis, inter Gallos præstantissima & vetustissima est, priscorumque Massiliensium Colonia, quæ Romanorum arma incredibili magnanimitate coërcuit; illorumque animos optimis litterarum artibus sibi subjecit; illam memorant historiæ & sacræ & prophanæ; hic quippe celebratum fuit Concilium, *Agathense* vulgo dictum.

Est de jure ipsius Episcopi, qui & Comitis exornatur titulo, quemadmodum & Lodevensis; ad *Araurim*, & *Arauram* positus est; ipsiusque facillimus est per amnis ostium accessus; idoneus etiam admodum locus demonstrante Ludovico XIII, Rege, dirigenteque Cardinali Richelæo, repertus est, qui excipiendis pluribus navigiis capacissimus esset, modo cœptus jam murus fluctuum violentiæ resistere possit, qui ventis Orientalibus & marinis propelluntur; nam à ventis meridionalibus tutissimus est ob scopulorum vicinitatem; & ab Occidentalibus protegitur montibus Pyrenæis, quamquam dissitis; à Septentrionalibus vero, quia debiles sunt, nec vehementer perflant juxta portum; & collibus quibus amicitur.

Primus Agathensis Episcopus fuit Beticus, qui Concilio Agathensi anno 506 interfuit, cui Præsedit Cæsar Arelatensis Episcopus; successit Sophronius, qui eidem Concilio, quasi Coëpiscopus adfuit; hæc autem Diœcesis limites habet Montpeliensem, Lodevensem, Biterrensem, & littus pelagi; non quidem longe protenditur; at gratissima est, & maximi proventus. Porro celebriora hujus Diœcesis loca sunt *Pezenas*, Latinè, *Castrum Pesanacum*, & *Pissenium* confluenti utriusque fluminis *Peyne*, & *l'Eraud*, positum, apud priscos magni nominis; annotat enim Plinius lib. 3 naturalis Historiæ, lanam, quæ ex Pesenacensi extrahitur regione, pilo subtilissimo esse persimilem, & quæ ex illa texuntur indumenta, si post diuturnum usum denuo inficiantur, nova apparere, quasi nunquam finem habitura. Castrum autem Pesenacum quod attinet, nihil aliud ostendit præter ruinas; exornatur autem ipsa civitas Æde collegiata. *Cesero*, vulgo *S. Tibery*, urbecula insignem habet Abbatiam; *Marseillan*, *Meze*, *Florensac*, Baronatus; *Loupian* burgus, olim castro optimo munitus; *Montagnac*, oppidulum S. Pontii *de Mascas*, *Villevariac*, seu *Villemanne*, exigua quidem sed amœna loca. *Brescou* tenuis Insula ad ripam maris sita; hic terni montes conspiciuntur, quorum primus *Mons lupi*; secundus, *Viridarii* seu *paradisi Dei*; tertius denique cete promontorium, eo quod cete figuram apprime referat; adjacet autem puteus Dei-Viridario, quem nequaquam accesseris, nam arcebit populus, ne fulgura, procellas, & fulmina commoveas, si lapidem injeceris. Decipiunt quo-

Pezenas. Loca.

quoque incautos nonnulli fontes, quorum aquæ in candidos lapides diaphanos commutantur, adeo ut pro ſaccharo Candiaco poſſent accipi. Viſitur in eadem ora, burgo *Peru* dicto, fons prorſus mirabilis, qui & infirmis valetudinem, ſanis infirmitatem, ac pecoribus ex eo potantibus mortem conciliat.

EPISCOPATVS MONSPESSVLENSIS.

Montpelier. VRbs Montiſpeſſulenſis in vertice montis poſita, ad *Ledum* flumen, in ſuorum ſcrutatione primordiorum, doctorum ingenia plurimum fatigat; quidam enim *Agatham* putant, cujus ipſe Plinius honorifice meminit, & quæ poſtmodum *Agathopolis* vocitata eſt, quaſi Bonorum civitas; alii vero recentiorem credunt, atque à ſitus loco nomen accepiſſe, quem Latini *Montem-Pelium* appellant, aut potius *Montem-puellarum*; duarum quippe ſororum patrimonium extitit, quæ fratris ſui Folcrandi Lodevenſis Epiſcopi inſiſtentes veſtigiis, ſe ipſas quidem Deo, ſuas autem opes Eccleſiæ voverunt; præcipua autem bonorum portio erat burgus Monſpelienſis, qui in veteribus urbis archiviis, quandoque *Donum Puellarum*, alias etiam *Donatio Montis-Puellarum*, vocitatur.

Sedes Epiſcopi Montiſpelienſis fuit olim in Inſula Magalona, at Carolus Magnus ob continuas Sarracenorum incurſiones, Eccleſiam inſulæ cunctaque ædificia juſſit dirui; ipſi vero Inſulani novam urbem in Continenti extruxerunt loco burgi Montiſpelienſis; unde & Epiſcopus, Montiſpelienſis nomen accepit.

Hæc autem civitas amœniſſima eſt, præclaro ſitu, uno circiter à pelago milliari, ſufficienti magnitudine, ſuperbe extructa, validiſque mœnibus præcincta, cœlo ſalubri gaudet, ſoloque rerum omnium feraciſſimo, ibique ſimplicia felicius quam alibi progerminant; unde & Medici primarium ſuæ Facultatis Gymnaſium ibi elegerunt.

Vniverſitas hæc ſeu Academia anno 1220 initium accepit fundatore Alexandro IV, ſummo Pontifice; Maximum vero à Sarracenis incrementum accepit, qui omnes fere erant Arabes, Avicennæ & Averrois, aliorumque famoſiſſimorum Africæ Medicorum diſcipuli; cum enim ipſi plurima ſuis à Doctoribus artis ſecreta excepiſſent, ea illi communicarunt; unde & tantum nomen apud exteros meruit, ut nullo non tempore illuc affluant, ob maxima quæ percipiunt ſuis in ſtudiis emolumenta, & abſolutiſſimam perfectionem. Carolus Pulcher inibi Legum Facultatem inſtituit, in qua Placentinus celebris Iureconſultus ſuas Iuris prælectiones habuit, ubi & diem clauſit ſupremum anno 1192; unde & Scholæ Monſpeſſulanæ adhuc Placentinarum titulo decorantur. In idem opus incubuit celebratiſſimus Azo. Porro horum inſignium virorum memoria tantam in ſcholis venerationem meruit, ut Maſſarii Vniverſitatis, illorum effigies in maſſis argenteis præferant.

Eſt extra muros Hortus regius, ubi congeſta videas duodecim millia diverſi generis nativa ſimplicia, quæ nullibi videas niſi penicillo aut arte expreſſa; unaquæque vero ſpecies exiguo terræ quadrangulo à cæteris ſecernitur, ſuo cuique nomine adſcripto, in eruditionem ignorantium.

Hic præclaræ fulgent omnium fere civium domus ex quadrato lapide; Eccleſiæ & Cœnobia, magno quoque hic numero fuerunt, ſed funeſta pro religione diſſidia anni 1561 omnia deformarunt; ipſoque eodem anno ſex & triginta Eccleſiæ ſeu Conventus diruti ſunt, queis Rex, illiuſque ſimul Curia commodiſſime poſſet excipi, ut præferunt ſchedulæ celeberrimo cuidam noſtri temporis Hiſtoriographo traditæ. Neque vero ſuperba hæc ædificia, neque ampliſſima amœniſſimaque viridaria ab illo ævo potuere reſtaurari; unde & civitas hac ex parte deformata eſt. S. Petri Baſilica, quæ & Cathedralis, olim inſignis erat, & magnifica; cum vero jaceret ſuis quaſi ruinis ſepulta, illam reſtauravit Eminentiſſimus Cardinalis *de Richelieu*. Extant hodie plurimi Conventus eximii, Capucinorum, Dominicanorum, Patrum Trinitatis, Pœnitentium, Obſervantinorum, &c.

Diœceſis Monſpelienſis, collimitaneas habet Agathenſem, Lodevenſem, & Nemauſenſem: propinquiora loca ſunt *Magalona*, vulgo *Maguelonne*, ſic dicta abs Magdo illius fundatore, aut à ſitu proprio; ante tempora Caroli Martelli celeberrima fuit opulentiſſimaque, illam autem ipſe Rex ſolo coæquavit, eo quod eſſet perfugium & portus Sarracenorum. Illic quondam Epiſcopi ſuam ſepulturam delegerunt, at munimento, temporum viciſſitudine diruto, ſupereſt tantum Eccleſia, ſtagnum inter & pelagus poſita, quæ ad Eccleſiam Monſpelienſem ſpectat. Vt autem illius Sedis vetuſtatem conſectari poſſis, diſce ex primo illius Epiſcopo Ætherio, qui ſedit circa annum 451. *Fines.*

Cetera hujuſce Diœceſis loca ſunt *Lates*, ubi caſtrum ſtagno imminens; *Agnane*, urbs & Abbatia; *Caravete*, Baronatus; Montferrandum; *Vignogoul*, ſacrarum Virginum monaſterium; *Barave*, urbecula, de jure Epiſcopi Montiſpelienſis; *le Terrail*, Pegayeroles Baronatus: *Frontignan*, Latinè, *Forum Domitii*, regia caſtellania; *les Matelles*, urbecula; *la Roquete*, Baronatus, *Ganges*, *Murviel*, *Mirevaux*, Caſtellania: *Pouſſan*, *Pignan*, &c.

EPISCOPATVS NEMAVSENSIS.

NEmauſus, ſecunda Galliarum Roma, à Nemauſo Herculis filio fuit condita, prout ex veteri Geographo diſcitur, duobuſque ex ſemibobus in ipſo ingreſſu amphitheatri depictis, qui iſtius Tyrannorum & Monſtrorum domitoris inſignia fuerunt; à ſtrenuiſſimis Auguſti militibus frequentata, qui cum Ægyptum ſibi comparaſſet, ſelectos è toto exercitu milites huc tranſmiſit; uti præferunt numiſmata, generoſiſſimi, & ſapientiſſimi iſtius Principis, ubi Crocodili effigies palmæ alligata, adjecta etiam *Niſmes.*

etiam hac inſcriptione, *Col. Nem. Colonia Nemauſus*, quamvis aliqui alio ſenſu exprimant, nempe *Colligavit nemo*, quod ſcilicet nemo præter Auguſtum victoriarum palmis alligare Ægyptum, Romanoque ſubdere imperio potuiſſet.

Quis autem hujus civitatis fundator extiterit, certò colligitur è duobus Inſcriptionum fragmentis, quæ impræſentiarum etiam conſpiciuntur; queis annotatur priſcos illius habitatores Nemauſum coluiſſe quaſi Deum ſibi Tutelarem; Illarum inſcriptionum altera, hæc præferebat verba:

DEO. NEMAVS. X. VTVLLIVS. PERSEVS. HOROLOGIVM. ET. CERVLAS. II. ARGENTEAS.
T. P.

Altera vero:

..... EO SILVANO ET LIBERO
PATRI ET NEMAVSO
..... RCHVS. SINODI.........

Statua cui id inſcriptum, tribus conſtat corporibus, taurique in ea effigiati docent, Ludos eò loci in honorem Herculis fuiſſe celebratos.

Eadem ipſa colonia abs cæteris Imperatoribus culta fuit & ditata; quorum itidem temporibus extitit velut Roma Secunda, ſeptem habens colles quemadmodum Prima, ut abunde colligi poteſt ex tot veteribus venerandæ antiquitatis monumentis, ædificiis, pontibus, amphitheatris, fontibus, aquæductibus, ſepulchris, arcubus, canalibus, pavimentis teſſelatis, quæ nullis bellorum cladibus ex toto deleri potuerunt.

Amphitheatrum. At nihil rarius in antiquitatibus videas, quam illius amphitheatrum, quod vulgo *Arenæ*, id eſt, *les Arenes*, nominatur, ovalis figuræ, 470 paſſus ambitu colligens; ibi rara plurima videntur; illa nimirum Lupa, quæ Remo & Romulo ubera præbuit, nec non & qui iiſdem apparuere vultures, in fauſtum felixque rerum ſuarum augurium. Specus vero obſtructæ ſunt, Campuſque Martis alios in uſus converſus eſt.

Capitolium. Quadrata domus fuit olim Capitolium, quod indigenæ lingua vernacula *Cap Duel* vocitant; & plane figuræ eſt triangularis, etſi paulo plus protenſa, quam lata, ſenis in frontiſpicio exornata columnis, ac denis unoquoque ex latere. Viſitur & cujuſdam fornicis aditus, qui exinde ad Arelatenſem uſque civitatem porrigitur; in proximoque eſt Pegaſus, adjecta etiam hac inſcriptione, *Procul eſte profani*, bonarum ſcilicet incapaces litterarum, quæ quidem hic eodem tempore floruerunt, quo apud Maſſilienſes. Extant quoque extra muros priſci Veſtæ aut Dianæ templi ruinæ, ubi etiam idolorum loculamenta, & victimarum locus, necnon & camini, queis ſacrificiorum fumus evaporaretur. Nec ſuus huic ſecundæ Romæ defuit Senatus, veteribus monumentis id atteſtantibus, imo & Sextumviros hic fuiſſe, quibus commiſſa eſſet urbis adminiſtratio.

Plinius cap. 8, libri noni hiſtoriæ naturalis operæ pretium duxit, velut ex profeſſo enarrare jucundiſſimam quæ fit in ſtagno Laternæ piſcaturam, Delphinum ope, quaſi delphines ipſi ſecretam cum piſcatoribus intelligentiam haberent, quo maximam piſcium copiam eorum capturæ adigerent; ubi enim piſcatores Simonem inclamantes audiverint, tanto impetu agitant piſces alios, ut in piſcatorum retia ſeſe immittere cogant.

Sunt & alia urbis hujus decora, nimirum ædes magnificæ, caſtellum regium, inſignis illa columna in adventu Franciſci Primi regis erecta, cui mira omnino Salamandra imminet. Turris Vinataria, inde dicta, quod ex oneribus vino impoſitis fuerit extructa. Turris horologii; Porta Coronæ, validiſſimumque illi adjacens propugnaculum, ac tandem Palatium Præſidiale.

Hic præſidet Seneſcallus Beaucarienſis, & Nemauſenſis; eſt auguſtus quoque à rege Magiſtratus. Olim munita fuit caſtro egregie extructo; quod etiam illius Vicecomitum ac Dominorum Arx & munimentum extitit. Viſuntur etiam hic quædam ſpecus atque fontes, miræ artis & induſtriæ, ſpeciatim vero ædes pulchræ, & amœna viridaria S. Privati, ubi omnigeneris topiaria, & innumera hortorum oblectamenta.

Epiſcopos quod attinet, Sidonius Apollinaris inſignem quemdam virum memorat, Crocum nomine, qui ſuo Nemauſenſi Epiſcopatu fuit expulſus ab Euvarige Wiſigothorum rege circa annum 474. Sedatus quoque ejuſdem urbis Epiſcopus Concilio Agathenſi interfuit anno 506. Alius quoque mox inibi ſedit nomine Pelagius. His porro Epiſcopis, illius Sedis antiquitas abunde comprobari poteſt.

Nemauſenſis Diœceſis, Monſpelienſi, Vceticenſi, & Mimatenſi circumſcribitur; longe lateque ſeſe diffundit, pluraque celeberrima loca continet, quorum præcipua ſunt quæ hic vulgari ſermone recenſemus, *Alez*, Latine *Aleſtum*, urbs & Comitatus; *Anduze*, quæ impræſentiarum urbs eſt perelegans, in Gebennicis montibus ſita; *Salvia* etiam urbecula eſt, & Baronia de jure Ducis Engoliſmenſis, ubi Archipresbyteratus, & Abbatia, haud procul à Vidourla flumine diſſita, quod quidem ſub caſtro S. Romani ſcaturit in Gebennicis jugis. *Sala* exigua etiam urbs, de jure Baronis *de la Fare*; *Valerangue* amœniſſimus quoque eſt locus; *Sumene*, Baronatus titulo inſignita. *Meirveys*, urbs, caſtro olim munita; *Aimargues*, urbs firmiſſima, abs Latinis *Armaſanicæ* nominatur, ibi Alphonſus II, Tolozæ Comes quondam ſeceſſit; hæc etiam Baronia eſt, de jure Ducum Vceticenſium; S. Ægidii fanum egregium eſt oppidum ad Rhodani oſtia; inſigni decoratur Eccleſia, ut & Abbatia. Quo vero nomine priuſquam S. Ægidii, fuerit inſignita, facile comperiri non poteſt; variæ enim ſunt hac de re opiniones; illud tamen certiſſimum eſt, quod & ad noſtrum apprime facit inſtitutum, hanc ſcilicet urbeculam, tanti ſeculis remotioribus fuiſſe nominis, ut provincia adjacens ab illa denominata fuerit; quin & Toloſates Comites, noviſſimis temporibus S. Ægidii Comites dicti fuerint; & ſane à quibuſdam auctoribus *Palatium Gothorum* indigetatur. Remundus Quartus, Toloſæ Comes, primus titulum Co-

Fines. *Saulve.* *La Sale.*

Comitis S. Ægidii prætulit. *Massillargues* oppidulum est ad Vidourlam. *Aigues-mortes* civitas, ob inertes paludum aquas ita nominata, non est priscæ adeo memoriæ locus; nam in Bibliotheca Collegii Foxensis apud Tolosates, reperitur, quod cum S. Rex Ludovicus, quanta regnum hoc perpeti cogeretur detrimenta ex defectu portus tuti & securi in mare mediterraneum, percepisset; operæ pretium duxit, Turrim, quæ Constantiæ dicitur, in mœnibus urbis tunc recèns erectis extruere. Extat hac in urbe Abbatia, cujus Præsul Psalmodiensis Abbas dicitur, ob priorem hujus nominis Abbatiæ locum, quæ huc translata fuit, hodieque in Collegiatam commutata, & illius Monachi in Canonicos sæculares.

Sommieres. *Sumerium*, tribus à Nemauso leucis dissitum est, qua Gebennicos ad montes contendis; Viturli aquis insidet, Gallice, *Vidourle*; urbs arce munita, & optimis nundinis celebris; sequuntur deinde *Montredon*, & *Ville-vieille*, munitissima juxta Summerium loca.

Beaucaire. *Bellicadri-Castrum*, urbs perelegans ad Rhodanum; olim castrum habuit, sed anno 1632 dirutum fuit; & quidem urbs est optima, & commercio frequens, ob Rhodani fluminis opportunitatem. Famosissimæ sunt, quæ quotannis 22 Iulii inibi celebrantur nundinæ. *Nundinæ.* Illi quoque summam sua Collegiata gloriam conciliat.

Gardon. Hac profluit *Gardon* amnis, qui Gebennicis è montibus scaturit. Huic autem amniculo imposuere quondam Romani superbum illum Pontem *du Gard* dictum, *Pont du Gard.* opus omnino magnificum, quod & populi omnium victoris effusam quasi magnificentiam indicat; Arcus triumphalis speciem præfert pons ille insignis, maximam plane dexteritatem, & peritiam ostendit; adeo ut nec antiquæ pyramides, neque colossi, in comparationem veniant. Fatentur quicunque attentius considerarunt, nusquam Romanos tam augusta suæ magnitudinis vestigia reliquisse, tum ob profusos sumptus, tum ob industrios operarios.

Peccais. Est etiam hoc in tractu Peccaisium, in Salinarum custodiam munimentum. Reliqua hujus tractus loca sunt: *S. Hippolyte*, *Quissac*, *Vauvert*, *Vissec*, *Ierle*, *Aubays*, *Ledenon*, *Serignac*, *Cauvisson*, *Gaillargues*, *Calvissou*, *Limerou*, *Mus*, *Codoignan*, *Vergezes*, *Colorgues*, *S. Cosme*, *Pannargues*, *Caveyrac*, *Langlade*, *Vrhau*, *Milhau*, *Beonis*, *Vestric*, *Generac*, *Marguerites*, *Cabrieres*, &c.

EPISCOPATVS VSETIENSIS.

Vzez. Vsetia, priscis Cosmographis ignota fuit civitas; illius tamen meminit Notitia Provinciarum atque civitatum Galliæ, speciatim vero *Castri Vsetiensis*. Gregorius vero Turonensis hanc urbem *Vceticam* & *Vceticense oppidum* nominat. Sedet loco fertili & amœno; Comitis titulo insignitur illius Episcopus, estque Regi Condominus. Illius Cathedralis S. Theodorico, Presbytero & Martyri dedicata est; Primus autem illius Antistes fuit S. Constantius, qui sedit anno 451.

Loca autem hujus Diœcesis sunt, *S. Ambrois*, urbecula de jure Episcopi; *les Vans*; *Sabran*, antiquus Baronatus; *Vallabregue*, exigua etiam urbs ad Rhodanum, qui eam velut insulam circumfundit; *Salindre*, *Teyrargues*, ubi & amœna domus; *S. Iean de Marvajols*, *Montclus*, *Ville-neufve*, juxta Avenionem, urbs tenuis ad Rhodanum; *Genoulhac*, *Chambourigaud*, *Roquemaure*, *Barjac*, *Pont du S. Esprit*, & *le Marquisat des Portes*, &c.

EPISCOPATVS VIVARIENSIS.

Vivaretz. Vivaresium, ab Ortu, Rhodano clauditur, qui quidem illud à Delphinatu dirimit; tractu Lugdunensi aut Foresio, à Septentrione; Velauno, ab Occasu; à Meridie tandem Ardechio amne, vulgo *Ardeche*, haud procul ab oppido, S. Spiritus nomine insignito. Patet viginti duabus leucis in longitudinem; in latitudinem vero alicubi 17, alibi 10 tantum leucas continet.

Divisio. Erieu fl. Dividitur in Superius & Inferius, nam Erieva flumine bipartitur; binos constituit Baillivatus, seu tribunalia; alterum Annonayo oppido, ubi *Annonay.* Vivarezii superioris judicia peraguntur; alterum Villænovæ Bergensi, ubi inferioris. *Villeneuve de Berg.* Reliqua autem, quæ Vivaresium flumina perfundunt, his vulgo nominibus indigetantur, *Canse*, *Deom*, *le Doux*, *la Seize*, qui è jugis Gevaudanensibus prolabitur, *la Teve*, &c.

Viviers. Vivarium est hujus territorii caput; urbs hæc in scopulo sedet, cujus radices Rhodanus alluit; dispescitur autem in superiorem & inferiorem; superior, quæ arx dicitur, rupi insidet; inferior vero subjacet; ipsa est, quæ urbs nominatur. Aubenatensis sedes huc translata est post cladem à Vandalis acceptam; Ecclesia quoque Vivariensis fuit à Religionariis diruta, cum urbem sibi subjecissent; equidem Catholici postea restaurarunt, eamque splendidiorem & auctiorem reddiderunt; neque enim augustum adeo templum debuit suis ruinis jacere sepultum; nam illud quondam Gallorum Reges atque Imperatores suis favoribus exornarant; Ludovicus Pius, Imperator, Aquilas Imperii insigne concesserat, urbem ipsam inter Imperiales numerans civitates, Rex vero Ioannes, Aquilas postmodum in Lilia commutavit.

Est autem hæc civitas, juris Episcopalis, ipse vero Episcopus Comitis titulum præfert, ut & Principis Douserensis, & Castri-novi ad Rhodanum, &c. Illa quidem fulgebat olim insignibus Ecclesiis, S. Laurentii nimirum, S. Ioannis, S. Mariæ ad Rhodanum, S. Auli, S. Martini, S. Victoris, S. Albani, pluribusque aliis, quarum aliquæ duntaxat hodie superstites sunt. Cathedralis sancti Vincentii, pridem quadraginta Canonicis decorabatur, qui quidem Caroli Magni, Caroli Calvi, & aliorum regum munificentiâ amplissimis reditibus erant dotati. Porro ipsi Episcopi quondam *Albenses* & *Helvii* vocabantur, ab Alba scilicet Helviorum civitate, olim quidem opulenta, impræsentiarum vero, in tenuem viculum redacta,

redacta, nec procul à Vivario urbe dissita; quo postmodum ab Auxonio Episcopo Sedes Episcopalis translata est. Hæc Diœcesis Albæ nomen diu retinuit, sed temporum vicissitudine tandem Vivariensis Sedes fuit appellata.

Episcopatus Vivariensis non adeo longe lateque diffunditur, ac ipsa jurisdictio, quæ nonnulla cis Rhodanum habet loca Diœcesis Viennensis, & maxima pars Superioris Vivaresii Sedi Viennensi subest; Turnonium partim ad Viennensem Archiepiscopatum, partim ad Valentinum Antistitem pertinet.

Episcopi. In Archiviis Ecclesiæ Vivariensis primus invenitur veteris *Albæ Helviorum* Episcopus Ianuarius, cui successit Septimius, deinde Maspicianus, & S. Melanus; Beatus vero Auxonius, ob assiduas Croci Vandalorum Regis persecutiones, urbem deserere coactus fuit, Vivariumque civitatem transmigrare, quam postea Albaricum nominavit, ipsiusque successores, modo Albenses, modo Vivarienses Episcopi fuere appellati.

Cætera quod attinet, hujusce Diœceseos loca, Rhodani ripis adjacentia, vix commemorare auderem, cum fuerint rebellionis, impietatisque perfugia; quæ tamen Rex sapientissimus debitæ sibi obedientiæ, optatæque religioni reduxit.

Annonay. *Annonæum*, ad Cansam flumen situm, primos funestæ factionis impetus tulit, cum enim sub Carolo IX, Rege, illam occupassent fœderati, eandem cum suis omnibus Ecclesiis deformarunt. Hic sedet hujusce regionis Baillivus. Ceterum hoc ex loco titulum Marchionatus sibi vendicat nobilissima Domus *de Vantadour*, quæ totius fere orbis antiquissima est, ex Levi enim stemma deducit, unde & Beatissima Virgo Deipara; quapropter & ipsi Marchiones eandem Deiparam, suam cognatam vocitant. Ex hac autem illustrissima familia prodierunt Duces, Franciæque Pares, Provinciarum Gubernatores, nec non & Equites Ordinis S. Spiritus.

Soyon. Soyona, urbs ad Rhodanum, funesta quoque civilium dissidiorum incendia pertulit; loci Dominus in ea castrum possidet; habent etiam inibi Virgines religiosæ Abbatiam. Sæpius capta fuit & diruta; ac postmodum à Religionariis apprime munita, ut ex navigantibus Rhodano contributiones extorquerent; verum à Catholicis vastata, ne commercio illac frequenti obicem poneret. Fert hæc civitas titulum Principatus.

Le Pousin. Pousinum eidem amni insidens, bellorum, jure merito, ludibrium vocari potest, & cruentarum Martis tragœdiarum theatrum; tres enim obsidiones sustinuit, primam sub Carolo IX, secundam sub Henrico III, ultimam denique sub Ludovico XIII, Regibus; qui illud idem oppidum dirui; cremarique mandavit, ut sic civium illius immanis perfidia flammis atrocibus expiaretur.

Chaumerac. Chaumeracum quoque, sive *Chemeras*, per vim fuit capta, illiusque Præsidiarii milites obtruncati; qui vero armorum impetum evaserant, patibulum subiere; condigna quippe illorum rebellionis pœna, ut carnificis potius manu, quam militis, de medio tollerentur. Idem fatum subiit Mirabellense castrum, quod Chameraci vestigiis, rebellionique inhæserat.

Privas. *Privas*, perelegans olim oppidum, duabus à Rhodano leucis rivulo insidet. Hæc civitas prima omnium signa rebellionis extulit; visa quasi illudere Regi Alpium domitori, strenuoque illius exercitui, qui palmas ibi collegerat, ubi nil nisi scopulos & nives quondam invenit Hannibal; qui rumor regias ut aures perculit, mox imperat Majestas regia, rebellionem suis in initiis opprimi. Venit, Vidit, Vicit; nam statim ut adfuit, velut consternati Duces, suorumque conscientia criminum perciti, in Tolonense munimentum urbe relicta perfugêre, cujus & portas aperiri jusserunt, nondum cœpta impugnatione; urbem ergo desertam invasere milites, & quidem invito Rege domum unam incenderunt, unde mox tota quaquaversum civitas cum suis habitatoribus in favillam redacta est.

Turnonium urbs exigua secus Rhodanum, quæ à Gregorio Turonensi lib. 4. historiæ Franciçæ *Tauredunum* vocitatur; illius vero situm describens idem Gregorius, rem stupendam ibi contigisse refert; nam sexaginta dierum intervallo exauditus est intra montem, cui urbs insidet, horribilis mugitus, qui non, nisi aperto monte, destitit, qui seque ab alio monte separavit; homines vero, Ecclesiæ, domus, & quæcunque supellex, in Rhodanum præcipites ruerunt. Visitur ibi castrum sua ab antiquitate laudatum; est & gymnasium Patrum Societatis Iesu, à Cardinali Turnonio fundatum anno 1561. Censetur autem urbs inter undecim Vivarezii Baronias.

Alia Vivaresii loca sunt, *Andance*, *S. Agreve*, *Abs*, sive *Alba* Helviorum, *S. Andeole*, *Ville-neufve de Berg*, *l'Argentiere*, *la Gorce*, *Iohannas*, *Pradelles*, *Bays sur Bays*, *la Voute*, *Chalençon*, *le Cheylar*, *Brion*, *Aubenas*, *Montlor*, *Ioyeuse*, *Crussol*, *Boulogne*, *de l'Estrange*, *Balasuc*, *Mons*, *Plantade*, *la Gorée*, *Vzers*, *Beozens*, *Vinassac*, *Prunet*, *Fraissinet*, *Ribes*, *S. Sauny*, *Vagueres*, *Larnas*, *Chassieres*, *Rocles*, *Valgorge*, *Sampson*, *Salavas*, *Gandoulet*, *Vaiquas*, *le Mas de Fons*, *Grapiere*, *Malbosc*, *S. Heulaye*, *Corlin*, *Subres*, *Mazerrac*, *Bonnafez*, *Livet*, *Bajor*, *Surbayer*, *S. Lagierée*, *Durfort*, *Montbrun*, *Vessaux*, *Ageux*, *Aillon*, *Devals*, *Burget*, *d'Astrejoc*, *Megle*, *Fabiau*, *Lavernie*, *S. Melaucy*, *Arssens*, *Thuo*, *Malars*, *Lavat*, *Daurelle*, *du Plan*, *Arcous*, *Leperrou*, *la Fare*, *Villatelle*, *Coucoulles*, *Graillouze*, *S. Clement*, *Cros de Gerran*, *Bourres*, *Contagnet*, *S. Agrinier*, *Machevìlle*, *Roman*, *le Mastic*, *Lefat*, *S. Fatimat*, *Sagines*, *Mouvieres*, *Salamou*, *Labrousset*, *Hambre*, *Ruis*, *Gilloc*, *Granjou*, *Rioman*, *le Rout*, *Bauffre*, *Plats*, *Arric*, *Roure*, *Retrutrier*, *Serlebosc*, *Gelmel*, *Boujan*, *Dardois*, *Limpts*, *de Quintenats*, *S. Auban*, *Satilieu*, *Macabeuf*, *Preaux*, *Meuvernus*, *Plangie*, *Valcanes*, *Nonay*, *Torrenc*, *Verraesc*, *Talaucet*, *Siron*, *Sercers*, *Nemonas*, *Vivon*, *Monniez*, *Glin*, *Chasteau-bouc*, *Comas*, *Toullaud*, *Charman*, *Pierre Gourde*, &c.

Flumina. *Erieu*, *Cance*, & *le Doux*, amnes, in Rhodanum sese exonerant; *Deom* autem & ipse fluvius, juxta Annonæum in Canciam ingreditur. Porro illa *Botieres.* regiuncula, quæ *des Botieres* vocitatur, sex circiter leucas longitudine, duas vero latitudine complectitur, excurritque secundum montes, difficillimis aditibus, & itineribus impedita. Tractus *Borne.* Bornensis, vulgo *Borne*, quatuor, aut quinque circiter milliaribus tum longitudine, tum latitudine extensus, situm sortitur in confiniis Diœcesum Vze-

Vzetensis, Vivariensis, & Mimatensis. Id autem nominis accepit, vel quia limitat has Diœceses, vel quia limitatur ab ipsis; tribuitur tamen Vivarezio, quamvis Parochiæ maximam partem ad Diœcesin Vzetensem pertineant; montibus obsepitur, fereque inaccessibilis est; *Chassesac* fluvio per medium irrigatur. Exiguus hic ager neque frumentum neque vinum producit, aut saltem utrumque pejoris notæ; numerosissimas oves nutrit; castaneasque magna profert copia; fœcundus est etiam argenti, æris, & plumbi metallis.

Plurimæ sunt hac in regione abbatiæ, nimirum, *Cruas*, *les Chambons*, *Bonnefez*, *Masan*, & nonnulli sacrarum Virginum Conventus; *Ville-Dieu*, &c.

ANICIENSIS EPISCOPATVS,

vulgo, *l'Evesché du Puy*.

VElaunensis regio, Vivariensi ab Ortu collimitanea est; Gevaudanensi, à Meridie; Arvernis ab Occasu; Segusianis, à Septentrione. Tredecim leucas longitudine panditur; latitudine vero decem. Duas autem in regiunculas dividitur; unam, quæ cis nemora vocitatur, qua nempe Podium insidet; aliam pone nemora, ubi districtus Montisfalconensis Baillivatus. Præcelsi montes Mezerei, nemoribus opaci, utramque hanc regiunculam ab invicem dirimunt. Hic *Ligeris*, vere pater fluminum Franciæ, suos fontes sortitur, qui postmodum plusquam duodecim Provincias suis locupletat aquis; vix natus, mox hominibus beneficentissimus est; nam vastissimum pratum, *Loiret* dictum, irrigat, ac virescere facit. Alia hujus tractus flumina sunt, *Lignon*, *Salize*, *Furan*, *la Canse*, *la Canise*, *la Donne*, *le Doux*, *Riotor*, *Dumiere*, *Retournac*, *Vorey*, &c.

Le Loire.

Podium Velauni caput, & primaria civitas, sedet in montis apice; *Anicium* olim vocabatur, desumpto à monte *Anis* vocabulo, cui cœpit urbs inædificari, (distat autem duobus à Ruessio, antiquissima Velauni civitate milliaribus) ubi & S. Euvodius insignem extruxit Ecclesiam, quæ tanto populorum concursu fuit frequentata, ut non solum ipse Episcopatus ad montem Anicium translatus fuerit, sed etiam Ruessii habitatores, sui sequentes Episcopi vestigia, suas quoque ibi sedes posuerint; paulatimque is locus, in tantam, quæ nunc cernitur, amplitudinem evasit.

Anicium exinde, *Podium*, seu *Podium sanctæ Mariæ*, nuncupatum est, vulgo, *le Puy du Mont Nostre-Dame*; *Podii* autem vocabulum montem seu collem indigetat. Veteres populi vocarunt hunc locum *civitatem Velaunorum*, *Velanam civitatem*, & *Valagiam*; unde Velaunensis regio nomen accepit; populi autem, *Velauni*, *Vellates*, & *Vallagienses* dicti sunt, quorum & Cæsar meminit. Est igitur ampla urbs illa & populo frequens; illiusque Antistes, Comes Velaunensis appellatur, neque ullius Archiepiscopi suffraganeus est, immediateque summo Pontifici subest. Podium haud procul à Ligeris alveo dissitum est. Hic sedet Seneschallus, Baillivus à Rege; alius vero ab ipso Episcopo urbis Condomino, qui indivisim judicia peragunt. Cathedralis nomen Deiparæ præfert, ubi & initium cepit ipsa civitas; binis exornatur Choris, quorum primarius, Beatissimæ Virginis imagine in altari decoratur, ubi nemo celebrat nisi Canonicus Podiensis, aut ipsi Episcopi, vel Abbates; habet Podium præterea plures Collegiatas & Parochiales Ecclesias, nec non & Cœnobia tum virorum, tum mulierum; gaudet etiam gymnasio Patrum Societatis. Porro sanctus Georgius à S. Petro delegatus, primus hanc Sedem exornavit, cui successerunt plurimi longa serie, nec indeflexa sanctitate insignes Episcopi.

Oppida autem & loca hujusce Diœcesis sunt, *S. Pierre de la Tour*, *S. Curdu*, *Seauve*, *Clavas*, *Bellecombe*, *S. Chaffie*, quæ quidem ob suas præpingues Abbatias apprime celebrantur: *Montfalcon*, urbs non ignobilis, ubi & castrum situ edito assurgit, quod mœnibus, fossa, & turribus, quemadmodum & ipsa urbs circumvallatur: *Polignac*, Vicecomitatus, ubi etiam castrum perantiquum in monte præalto extructum, quod & à suo situ inexpugnabile est. Savo suis in commentariis, hunc locum asserit esse *Domum Apollinarium*, unde etiam genus ducit celeberrimus toto orbe Sidonius Apollinaris: *Rochebaron*, Baronatus; *Monistrol*, urbs arce munita, quæ etiam æde Collegiata decoratur: *S. Poulan* (à Latinis *Sampulium* dicitur) urbecula est duabus ab Aniciensi civitate milliaribus dissita, quam esse vetus *Ruessium* nonnulli affirmant; *S. Didier* oppidulum & Baronatus; *Servieres*, *Yssingheaux*, *Auret*, *Bausac*, *la Brousse*, *Solignac*, urbecula quoque & Baronatus; *Tense*, urbs est mœnibus viduata; *Craponna* autem pulchro mœnium ambitu cingitur. Alia autem præcipua Velaunensis regionis loca sunt, *Bausic Prat*, *Lavy*, *l'Harantus*, *du Leson*, *Cambou*, *Bruce*, *Ours*, *Diecrane*, *Faict*, *Lautenas*, *le Chariot*, *le Chailon*, *Maurimiac*, *S. Vincens*, *Amblannes*, *Musnier*, *S. Vidal*, &c.

MIMATENSIS EPISCOPATVS.

Mende.

MImatensis civitas Gevaudani caput est, hujusque Diœcesis metropolis; nominibus variis à veteribus vocabatur, nimirum, *Gabalum civitas*, *Mimata urbs*, *Mimatum Gabalorum*; imo & *Mimas*, *Gabalis*, & *Gabalus*; illius vero populi *Gabalici* nominantur à Cæsare; à Gregorio vero Turonensi, & Sidonio, *Gabalitani*; ac tandem *Gabales* à Plinio. Vrbe Gevaudanensi (quæ à Latinis *Gabalum*, & à Ptolemæo *Anderetum* vocabatur) in cinerem ac favillas à nationibus barbaris redactâ, Sedes illius Episcopalis in Mimatensem civitatem translata est; *Mimatum* vero tunc erat tantum viculus, qui à monte proximo nomen acceperat; sed paulatim ad hunc, quo nunc cernitur, urbis splendorem, pervenit, tum industria & indole civium, tum suorum residentia Episcoporum.

Hæc civitas in superiori Gabalorum regione insi-

insidet, (haud procul ab *Ol* flumine, quod Latine *Oltus* appellatur) valle amœnissima, aëre clementi & temperato, solo frumentis, fœno ac frugibus feraci, quod vinum etiam & crocum profert. Basilica Princeps venerando Canonicorum collegio in sacris deservitur; præter autem Canonicos, numerantur centum, & amplius eadem in Ecclesia Beneficiarii. Tria sunt in urbe cœnobia, Franciscanorum nempe, Carmelitarum, & Capucinorum.

Gevaudan. Gabalorum regio à priscis incolis nomen sortita est, qui *Gavali*, & *Gabali* dicebantur; ab Ortu limites habet Vivarezium, & Velaunum; à Meridie, Nemausensem & Vzetensem Diœceses; ab Occasu, tractum Rutenorum; ac tandem à Septentrione, superiorem Arvernorum regionem. Porro Diœcesis ad viginti leucas protenditur; dividiturque in Superius & Inferius Gevaudanum; primus Mimatensis Episcopus fuit S. Severianus. S. autem Privatus martyrium subiit sub Galieno & Valeriano Imperatoribus.

Præcipua hujusce Diœcesis loca sunt, *Apchier*, *Roure*, *Barré*, amplissimus burgus, frequentibus nundinis celebratus; *Chirac*, urbecula; *Canillac*, Marchionatus; *Florac*, urbs quidem tenuis, sed mœnibus cincta; *Grese* priscæ memoriæ Vicecomitatus, cum castro diruto; *Grisac*, *Espagnac*, *la Canourgue*, *S. Colombe*, *Almond*, *Paliere*, *Permejols*, *Thoras*, *Vazeilles*, *Valdas*, *Autrenas*, *Chase*, *le Blacon*, *Blaignac*, *Albaret*, *Montmernoux*, *S. Viveraut*, *Gillaret*, *Grandval*, *Recoulés*, *S. Amant*, *Montbrun*, *Lavals*, *S. Gellis de Tarn*, *le Rosier*, *Dolant*, *Severet*, *S. Frezal*, *Arzene*, *Chastanier*, *Balines*, *Rousse*, *Stables*, *S. Amans*, *S. Denis*, *Ribens*, *Chapieu de la Panousse*, *S. Iean de Gabriac*, *Rochebel*, *Randou*, *Bedoves*, *Nogaret*, *Vanassac*, *Rocles*, *Vis*, *Demos*, *Cubelles*, *Vebron*, *les Plantats*, *Cultures*, *Berdesin*, *Cassamas*, *Laras*, *Dacher*, *S. Croix*, *Lamelouze*, *Larcis*, *Hermas*, *Salgues*, &c.

Qualitas. Indigetatis igitur fere sigillatim omnibus Languedocii locis, nunc regionis dotes, quasi per recapitulationem recensebimus. Languedocium igitur omnia vitæ humanæ necessaria abunde suppeditat, cunctaque tum ad commodum, tum ad sanitatem conducentia abunde profert. *Frumentum.* Planities Tolosanæ frumentum ubertim ferunt, quod ipsi indigenæ ad Burdigalenses per Garumnam transmittunt; territorium autem Narbonnense, Albigense, Biterrense, Lodevense, Agathense, Nemausense, suis etiam vicinis, imo Hispanis & Italis subministrant. *Vinum.* *Gailhac*, *Rabestens*, *Nismes*, *Beaucaire*, *Laudun*, vina proferunt laudatissima; Muscata vero gignunt *Frontignan*, *Vic*, *Mirevaux*, & *Balaruc*, in Diœcesi Montepessulensi. Vina Galiacensia, præter suam bonitatem, etiam ætatem ferunt, unde & facilius in exteras Provincias exportantur. Porro toti huic regioni hoc à natura insitum, ut omni ex parte vinum proferat. *Oleum.* Inferioris Languedocii oleum, Hispanico, suavitate præcellit; *Salinæ.* Salinarum quoque ferax est eadem regiuncula; concrescit enim sal in stagnis & paludibus *de Pecais*, Diœcesis Nemausensis, & alibi variis in locis, tantaque copia, ut totâ etiam Europâ abunde suppeditare posset: *Animalia.* Superius Languedocium copiosos pascit animalium greges, boum scilicet, vaccarum, & vitulorum: inferius vero oves quam plurimas suis in *Pascua suaveolentia.* pascuis thymo, roremarino, lentisco, serpyllo, lavendula, aliisque plantis suaveolentibus consitis, nutrit, quæ quidem eorum carnes sapidiores reddunt, & delicatiores; quin & æstate suas oves ad montes Gebennicos, & Gevaudanenses transmittit, qui ad senos menses centum mille animalibus abunde pastum sufficere possunt; taceo equos & mulos optimos, qui magno numero in Velaunensi regione reperiuntur. *Pisces.* Pisces mediterranei maris Tolosam usque deferuntur, thunni scilicet, soleæ, rhombi, ostrea, cancri marini, sardiniæ, &c. Non immoror piscibus fluviatilibus, queis lacus, piscinæ, frequentiaque hujusce regionis flumina passim referta sunt; *Aves.* nec deest aucupium, & opima venatio: *Fructus.* fructus etiam exquisitissimos tota quaquaversum regio, maxima profert abundantia, melones, mala persica, granata, Armeniaca, castaneas, &c. *Lapides.* Scatet quoque gypso, structili lapide, & cujuscunque coloris marmore; *Metalla.* præsertim vero in Diœcesi Montepessulensi sunt ferri, argentique fodinæ, imo & cupri; & quorundam fluminum è Pyrenæis profluentum arenæ aureæ sunt & argenteæ. *Simplicia. Plantæ.* Simplicia & plantæ præstantissimæ in montibus Gebennicis, & Gevaudanensibus inveniuntur, quorum unus *Dei-hortus* appellatur.

Mores. Languedocienses ad omnia sunt idonei, ad arma, bonas litteras, mercaturam, terræque excolendæ labores. *Opes.* Opes hujus regionis ex prædictis colligere facillimum est; *Vires.* vires quoque ex locorum ipsius provinciæ descriptione, incolentiumque frequentia & strenuitate.

Regimen. Quod autem regiminis est; illa quidem olim Romanis paruit, necnon & Gothis, Wisigothis, barbarisque aliis nationibus, qui longis temporibus illam infestarunt; Vicit porro Sarracenos Carolus Martellus, quasdamque inferioris Languedocii civitates, quæ ab illis steterant, multavit. Agit nunc hæc provincia sub Gubernatore à Rege constituto; fuit autem antea solummodo Præfectus Regis vices-gerens, verum ab anno 1632 tres statuti fuerunt. Tolozatum civitas augustissima Parlamenti Curia decoratur, cujus amplitudinem splendoremque hic describere, nostri superat metas instituti. Et hæc pauca de tam amœna, felici, spectatissimaque regione delibasse sufficiat; modò in Provinciam transeamus.

PROVINCIA, vulgo PROVENCE.



Rovinciæ nunc juſtas laudes allaturi, Rhodanum quidem toto nixu ſequeremur, quo florentem tot præclaris oppidis illius ripam mente ſereniori conſpiceremus; at vocat pelagus, imo imperat, ſuas primo Inſulas perluſtrari, ne ſi forte malaciam contemnamus, poſtmodum procellis involvamur. **Inſulæ oræ mediterraneæ.** Hanc igitur viam inſecutis mox ſeſe offerunt ſequentes Inſulæ, *le Chaſteau d'If*, *Ratoneau*, & *Pomegue*, ſuis cum fortalitiis, ſub Gubernatore, qui ſedulò portui invigilat; tenuis inſula *de Panies*, ubi turris, nullis defenſa excubiis; Inſulæ *d'Teres*, quæ à priſcis *Stœchades* vocitantur; *Ribandon*, & *Ribandas*, nuperis diſſidiis munitæ, ubi etiam Seneſchallus, & Salinæ, *Poqueiroles* inſula, de jure eſt nobiliſſimæ familiæ *d'Ornano*; Inſula Crucigera, quæ potius meruit mala aurantia gerens nominari; cum illius horti malis aurantiis ubique ſint conſiti; Titanis inſula longe lateque ſeſe diffundit, hocque nomen ſortitur, quia quot diebus mane Solem orientem videat, perſimilis Rhodenſi, quæ mare Carpathium occupat. Iſtæ Inſulæ à Continenti duabus leucis ſunt diſſitæ, nuncupanturque Inſulæ aureæ, propter venas auri, quibus ſcatent; aut quia tellus auro nitet, auroque reſperſa ubique videtur. Exigua eſt *Bregançon* inſula, & jam enumeratis proxima, probe munita, protectaque Gubernatore ſpeciali. Porro ſpectatiſſimæ ſunt Inſula S. Honorati, aliàs Lirinenſis; & S. Margaritæ, tot Sanctorum fœcundæ nutrices; quin & Campi Martii, ubi generoſiſſimus Comes Harcurtius, invictiſſimus Franciæ Mars, tot lauros colligere meruit, potiuſque obtutu, quam viribus hoſtes fudit.

Hoc in tractu Rhodanus duos in ramos diſpeſcitur; quorum alter in mare profluit inter campum *de Crau*, & Inſulam *Camarguenſem*; alter vero uſque ad Motham excurrit, ubi adhuc duas in partes dividitur; pars, Layenſis alveus appellatur, Camargamque præterit; pars vero, Robina dicitur, pluresque in ramuſculos diſſipatur, qui Inſulas *de Pecay* efformant; alius Camarguam Trium-Mariarum includit, hocque pacto cunctæ ſuis velut ulnis, Rhodanum in mediterraneum pelagus deferunt, quaſi ſummum Negotiationis, nec non & Francicæ navigationis in Orientis maria Præfectum; porro ipſe Rhodanus tanto apparatu in mare excipitur, quanto Nilus, ſeptem ſcilicet oſtiis.

La Crau. *La Crau*, vaſta planities, & ſaxoſa, jam multis à ſeculis innotuit; illius etenim priſci meminerunt ſub agri Petroſi vocabulo, quem & lapidoſam ripam indigetant; ad ſex aut ſeptem leucas protenditur, quæ Francicas duodecim, longitudine adæquant; ventis æſtiviſque pulſatur caloribus; attamen frumento & vino fœcundiſſima eſt, mannaque & ſtybium affatim ſuppeditat.

La Camargue. Camargua Inſula à Cajo Mario nomen accepit; ibi enim caſtra poſuit, ut Cimbris Italiam cogitantibus, viam præcluderet: optimos equos nutrit hæc Inſula; boves autem & tauri illius, genii ſunt quodammodo ferocioris; attamen hæc animalia, cum in ipſa inſula fere intractabilia ſint; ubi cœlum, ſeu clima commutarint, voci obaudiunt, manuque ad nutum facillime aguntur; aſperam quippe indolem illis ingerit alimentum inter petroſa depaſtum.

Aigues-mortes. Haud procul hinc diſſitæ ſunt *Foſſæ Marianæ*, vulgo *Aigues-mortes*, à Romanis olim conditæ, quorum Dux Marius, dum bellum in *Provincia* gereret, à quo & nomen ſortitæ ſunt, eo quod inibi foſſas effodi ſuáve caſtra locari mandarat, alveumque, prius limo offertum, expurgari, navigiiſque ferendis idoneum reddi præceperat; Aquas-vero mortuas Galli vocitarunt, eo quod paluſtres illius loci aquæ, velut inertes, & emortuæ videantur. At hunc locum in Occitaniæ confinio poſitum obiter tantum attigimus, rapiente nos Rhodano, cujus in poſterum ripas conſectamur.

Fines. *Provincia* mediterraneo mari circumſcribitur à Meridie; Alpibus Varoque flumine ab Ortu; Delphinatu, monteque Velaunenſi, à Septentrione; Occitania & Rhodano ab Occaſu; **Extenſio.** 36 leucas longitudine numerat, latitudine vero 30.

Crapone fl. Crapona fl. Inſulam cordi ſimilem efformat, in petroſa illa, quam diximus, planitie, multiſque peractis ambagibus, ſuarum partem aquarum in Durantiam, partem aliam in pelagus devehit, duobus ſibi invicem oppoſitis motibus, quorum unus in Septentrionem vergit, alter ad Meridiem. **Tolebre fl.** Tolebra autem amnis, ponte ſternitur, cujus in unaquaque extremitate triumphalis extat arcus, adjecta etiam Latina Inſcriptione pervetuſta. In vaſtum Berræ ſtagnum, ſeu Martiguenſe pelagus rectà defluit, juxta S. Chamaſii oppidum, quod in ſummitate montis eminet. Hac etiam regione decurrunt, *Arc*, & *Barret*, flumina, quorum poſtremum uſque in Berram procurrit, quæ quidem urbecula ſalinis eſt opulenta, piratiſque impervia; unico enim aditu venientes admittit, is autem binis pontibus, qui illius oſtium protegunt, clauditur, defenditurque Turre

re de Bouc dicta, & arce Insulensi. *Colonia Maritima*, vulgo *Martigues*, seu *Martegues,* titulo Principatus gloriatur; condita est in cognomine sibi Insula.

ARCHIEPISCOPATVS AQVENSIS.

Aix.

AQuensis civitas, etsi cæterarum *Provinciæ* urbium non sit antiquissima, illis tamen palmam dignitatis præripit, suamque gloriam Cajo Sextio acceptam refert; qui cum Salios Cimbrosque Romano subdidisset Imperio, urbis conditæ anno 631, prima hujusce civitatis fundamenta jecit, ibique calidarum thermas aquarum erexit, unde postmodum *Aquarum Sextiarum* nomen sortita est, quasi diceres *Sextii Aquas*; Galli autem corrupto vocabulo *Aix* vocitant. Sidonius *Aquas Bajas*, Plutarchus *Sextilias Aquas*, alii vero *Coloniam Iuliam Augustam* nominarunt. Porro nomen istud ultimum prætulit, quod Romani veteres Coloniam inibi collocassent. Visuntur hodieque nonnulla priscorum ædificiorum rudera, ubi aquæ tepidæ, aluminosæ, sulphureæ, &c. necnon & plurima antiquitatis monumenta, nimirum sepulchra, inscriptiones, columnæ, & numismata.

Aquæ Sextiæ.

Verùm pulchriora illius ornamenta sunt Ecclesiæ, quarum Princeps est Basilica S. Salvatoris, Sedes Archiepiscopi, ubi Carolus Andegavensis Comes, Rexque Neapolis & Siciliæ, tumulo marmoreo conditus est; ubi & Baptisterium, octo columnis immensi valoris suffultum, quod fuisse Baalis altare creditur, cui Provinciales sacrificia offerrent, priusquam Religionem Christianam amplecterentur. Aliæ vero Ecclesiæ sunt, D. Mariæ de Consolatione, S. Laurentii, S. Sebastiani, D. Magdalenæ, &c. Cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium, Carmelitarum, Minimorum, S. Claræ, &c.

Parlamentum.

Ludovicus XII, Rex, urbem hanc augusta Parlamenti Curia exornavit anno 1501, ad quam provocant Baillivatus Aquensis, Arelatensis, Massiliensis, & Digniensis. Palatium, in quo convenit Parlamenti curia, summam præfert magnificentiam, egregiamque in prospectu aream exhibet, ac in frontispicio Henrici IV, Regis, effigiem. Conspicitur & in Æde Franciscanorum Aquensium, *Nostradami* insignis *Medici*, & celeberrimi Astrologi sepulchrum. Primus Aquensis Episcopus sedit S. Maximinus, unus è 72 Christi Discipulis.

EPISCOPATVS MASSILIENSIS.

Marseille.

SVam antiquitatem jactat Massilia, & jure quidem merito, Phocensium enim colonia est, qui illam in maris litore condiderunt, loco amœno, situque optimo, spe etiam concepta exorientis tum primum Romæ sistendi progressus; nam Massilia Tarquinii Superbi Regis temporibus fuit condita, illoque ævo, quo Ierusalem, Iudææ Metropolis, à Nabuchodonozore funditus jacuit eversa; & quo etiam Harpalus Græcos compulit Asia egredi, & in Galliam sibi quærere perfugium, ubi primum tantæ civitatis fundamenra jecerunt. Gloriatur quoque florentissimam olim habuisse Academiam, quæ trium sapientissimorum Europæ populorum, Græcorum, scilicet, Romanorum, & Gallorum nutrix extitit; ubi tres illæ nationes, scientias vernaculâ linguâ possent ediscere; unde à Græcis *Triglossos*, à Latinis vero *Trilinguis* vocitata est. Verum cum rescisset Tiberius Imperator, execranda, quæ noctu peragebantur, Druidarum sacrificia, queis post inspecta hominum exta, sua faciebant præsagia, eam ob rem scholas eorum sustulit.

Divisio.

Quatuor in regiones seu partes dividitur, nimirum, S. Ioannis, Blancariæ, Domus Publicæ, & Cavaillionis, quibus olim quatuor supremi Comites præfuere; imo & insignis familia *de Vintimille* adhuc Massiliensis Comitis titulum præfert. Amplissimo Magistratu exornatur; suos tum in civilibus, tum in criminalibus Prætores habet, Senatores, aliosque à Rege Officiarios, Admiralitatis Iudices, &c.

Hæc civitas mari insidet in colle amœno: qua autem sese portus aperit, Turris assurgit, quæ S. Ioannis nomine insignitur, ubi vigil excubat Præsidiarius miles sub Gubernatore.

Valido quoque mœnium ambitu, sexque portis, turribus, & propugnaculis obarmatur, & laudatissimo tutissimoque portu gaudet, ubi ne una quidem navis unquam naufragium passa est; ibi à Piratarum deprædationibus, procellarumque vorticibus tutæ triremes; figuram enim ovalem præfert, & duos inter scopulos panditur, qui quidem ventorum impetus aut frangunt, aut sistunt omnino; ferrea etiam catena obtenditur, qua navigiis hostilibus aditum præcludit; præterquam quod ingenti turre, fortalitioque D. Mariæ, in monte posito, defenditur; jugesque in ora excubiæ discurrentia pelago navigia observant, civesque accensis supra montes ignibus commonent; quod autem mirere amplius, ad sexaginta leucas ignes accenduntur, à loco scilicet *de Mourgues*, adusque Massiliam. Arx Ifensis, & fortalitium Ratonæum augent securitatem. Hoc ex portu solvunt quot diebus onerariæ, hæ quidem vela facturæ in Syriam; aliæ Tunetum, Algerum, & ad Magnum Cairum navigaturæ, ibique commercia inituræ; unde & magni momenti merces advehunt.

Quæ etsi hujusce civitatis in commendationem sufficere possent, majus tamen decus suis ab Ecclesiis accipit, præsertim vero à Cathedrali, S. Lazari, Marthæ & Magdalenæ fratris memoriæ dicata, qui primus illius civitatis fuit Episcopus; illius enim prædicatione Gens Massiliensis ad Christum conversa, superbum Minervæ scientiarum Tutelaris templum destruxit; quæ, ut refert Iustinus, tantis favoribus Massilienses cumularat, ut Regem Caramundum in lectulo quiescentem, in somnis terruerit, adeo, ut pacem cum hac Gente bello, quo sibi illam subjicere cogitarat, præoptarit, ad hoc enim numerosissi-


PROVINCIA
Auctore Petro Joanne Bompario.
PROVENCE.
PARTIE DE DAUPHINE.
COMTAT
VENAISSIN
LAN-
GUEDOC.
LA CAMAR GUE
CRAU
MER DE MARTIGUE
COMTE DE SAULT
LOU LE BERON MONT
COMTE DE BUEIL
COMTE DE NICE
PARTE DI PIEMONTE
DES POMEGUES
GOLFE DE GRIMAULT
ISLES D'OR STECADES
PORQUEROLLES
L'ISLE DU TITAN
LES TIGNES
MARIS MEDITERRANEI PARS.
Amsterdami
Apud Guiljelmum Jansonium
et Johannem Blaeu.
Scala Milliarium
Provincialium
Gallicorum
Italicorum

mum instruxerat exercitum, quem in oris Massiliensibus collocarat.

Alia civitatis templa sunt, Abbatia S. Victoris, & S. Salvatoris, Trinitariorum Conventus, anno 1203 fundatus; Dominicanorum, anno 1224; Virginum Cistercienſium, an. 1242; Augustinenſium an. 1261; Carmelitarum anno 1300; Clarissarum an. 1330; Observantinorum anno 1432; Servitarum an. 1555; Capucinorum an. 1579; Minimorum an. 1575; Vrsulinarum an. 1612; Iesuitarum anno 1621; multaque alia utriusque sexus asceteria novissimis temporibus erecta, quæ summum huic urbi splendorem conciliant. Sunt præterea quatuor Ecclesiæ parochiales, plures Prioratus, Xenodochia, & Capellæ. Nostro quoque ævo visebantur adhuc in ipsa Cathedrali, multæ Dorici & Corinthii operis columnæ, quæ quondam sumptuosissimo illi Minervæ templo decori fuerant. Inter pulchriora urbis ædificia censentur Ædes magnificentissimæ Ducis Guiciacensis, qui superiori ætate Provinciæ Gubernator extitit; Palatium, quo Themidos sacra celebrantur; florentissima extra muros prata, horti amœnissimi, fructiferis etiam arboribus consiti, restagnantes limpidissimis fontibus convalles, Campi villis elegantissimis disseminati, quas *Bastides* vocant, quæque urbi proxime assident tanto numero, ut alteram quasi urbem componere videantur; utpote ad quindecim millia numerantur.

Porro, quod singulari laude dignissimum est, perseveravit nullo non tempore hæc civitas Francorum Ditioni addicta, quanquam variis Imperatorum Regumque exterorum lenociniis fuerit sollicitata: Carolus Quintus Imperator omnem operam posuit, quo sibi eam subderet; Philippus II, ejusdem Caroli filius, omnem artem atque industriam adhibuit, ut Hispano adjiceret imperio.

Verum omissis sæcularibus hisce encomiis, hoc unum, sed spirituale superstruamus; Massiliam scilicet sanctissimos semper habuisse Episcopos, quorum primus fuit S. Lazarus à Christo è mortuis suscitatus, qui statim à morte & Passione Servatoris, cum Celidonio cæco, Maria Magdalena, & Martha in Galliam vela faciens, Massiliam appulit, ubi Christum crucifixum annunciavit; S. Lazaro successerunt Oresius, deinde Proculus, Venerius, Eustachius, &c.

Aran fl. Aran fluvius oritur ad radices montis Sanctæ Balmæ, ipse vero mons totius Provinciæ editissimus est. Locus autem Balmæ Massiliam Aquas Sextias interjacet: illuc Magdalena appulsis Provinciæ finibus secessit, ut altissimas solitudinis delicias pleniori mente degustaret, Christique unice dilecti toto corde vacaret amoribus. Hujus sanctæ Eremi Ecclesia in rupe condita est, quinque altaribus conspicua; à latere vero principis Altaris, Sanctissimæ Pœnitentis lectulus, in eadem rupe incisus, visitur, ubi & fons perennis: in montis apice sacellum eminet, vulgo *le S. Pilon*, seu, *Pilier*, dictum; *S. Pilon.* juxtaque Cavernam assidet Conventiculus in ipsa rupe collocatus, qui unâ duntaxat ferreâ portâ venientes excipit. Ipsius autem Ecclesiæ ministeria abs Religiosis S. Maximini peraguntur; Conventus vero S. Maximini tribus inde leucis sub monte positus est.

TOLONENSIS EPISCOPATVS.

Toulon. *Gapeau fl.* HAc regione perfluit Gapæus amnis, qui duobus è locis scaturit, è *Mondriou*, nimirum, & *Pignans*, indeque in mare procurrit à latere portus Hierensis, qui antiquissimus *Hieres.* est, Stœchadesque è regione aspicit. De iis apud Historiographos frequens est mentio. Hac plaga sedet Tolonensis civitas, quæ à Latinis auctoribus *Tolonium*, seu *Telonium*, non *Taurentum*, sive *Tauroetum* appellatur. Nomen accepit à *Telo Martio*, qui Romanam Coloniam illuc deduxit; aut forte à Tolumno Gothorum Rege, illius restauratore. Arelatensi Archiepiscopo subest; egregioque ac commodo portu gloriatur, qui numerosissimæ navium expeditioni idoneus est, regiarumque triremum navale ordinarium. Vrbs est munitissima, præsidiario milite instructa, quæ & ingenti Turre in ipso portus aditu defenditur, censeturque inter antiquissimos totius regionis Episcopatus, quem erexit Gratianus S. Cleti Romani Pontificis discipulus; memorantur inter priscæ memoriæ hujus urbis Episcopos Honoratus anno 451; Cyprianus circa annum 541; Palladius, qui interfuit Concilio Arelatensi anno 554. Desiderius, 585; Leo, 804; Eustorgius, 879; Adeodatus, cujus inserta mentio in legatis piis Guilielmi Crassi; quos quidem Episcopos recensere operæ pretium duximus, quo liquidius pateret antiquitas hujusce Episcopatus.

Olieoules, sive *Oliars*, burgus muris cinctus, non *Oliars.* procul à Telonio sejungitur, neque à mari, portumque suum sortitur apud S. Nazarium. *Cenari*, *Six-fours*, *la Valette*, *Evenon*, *Soulis*, sive *Soliers*, & *la Garde*, hinc non longe distant. Porro *Sixfours*, aut *Cifour*, optimus quoque est burgus, mœnium ambitu conclusus, præalto situ; at portum loco depresso sortitur, vulgo *la Sayne*, qui quidem viculus est adjacens, & de jure Abbatis S. Victoris.

FORO-IVLIENSIS, sive PACENSIS Episcopatus, vulgo FREJVLS.

Flumina. *Verne.* TErritorium Forojulienſe variis fluminibus irrigatur, nempe *la Bataillere*, quod Vernam irrorat urbem non ignobilem; juxta est sinus Grimaldus, necnon & promontoria *de Talliat*, *de Lardier*, *de l'Elbe*, & *Teste de Can*. Vltra Sinum Grimaldum apparent Sardinariæ, dein promontorium S. Vincentii & Leonum: huc affluunt latices amnis Argentei, qui duobus conflatur è rivulis, S. Martini scilicet, & S. Maximini, qui ad invicem sociati, *Chalilon* quoque amnem excipiunt, postmodumque duobus aliis locupletantur fluminibus, Charamio, nempe, quod è Brignolla (celebri à prunis urbecula) defluit; & amne Candemia; tandemque admisso Lendala,

pleno

pleno alveo in mare sese præcipitant, haud procul à Foro-Iuliensi civitate.

Draguignan, solo fertili & amœno sedet, mœnibus cingitur egregiis, & Senescalli sede exornatur.

Frejuls. Forojuliensis autem civitas, quæ varia etiam tum Gallice, tum Latine nomina sortitur, nimirum *Frejuls, Frejus*, imo & *Frieus*, eos, qui nominum etymologias rimantur, apprime fatigat; Plinius *Pacensem* nominat; Strabo *Navale Cæsaris*; Tacitus verò, *Forum Iulium inter Olbim & Antipolim conditum, cujus regio Argentio flumine irrigatur in planitie fœcundissima Saliorum maritimorum.* Sed omissa tot nominum ratione, sufficiat urbis antiquitatem asseruisse; nam Iulius Imperator, aut illam jussit extrui, aut saltem amplificari, elegitque in penum militarem. Octavam igitur huc legionem demisere Imperatores (unde ab auctore pervetusto nuncupatur *Iul-forum Octavianorum Colonia*) qui urbem pluribus superbis ædibus exornarunt, Amphitheatro nempe figuræ ovalis, illoque amplissimo ac multorum millium hominum capaci, thermis, & Aquæductibus, qui decem extra civitatem leucas ducerent, quorum nonnulla solum vestigia supersunt. Visuntur etiam plurimæ inscriptiones Lapidibus incisæ, nec non & sepulchra ab hisce populis erecta.

Fines. Vrbs Forojuliensis contigua est pelago à latere Meridionali; cingitur autem valle fertilissima, qua Septentrionem respicit; altissimis ab Ortu jugis; ac demum Estereollis, quæ Alpibus finitimæ sunt, ab Occasu; illius portus olim commodissimus, assumptâ jam lacus formâ, nautis fere inutilis evasit. Gothicis procellis splendorem amisit, quibus accessit Sarracenorum, aliarumque nationum exterarum rabies, quæ pluries illam discerpsit. Quod autem impræsentiarum illam commendat amplius, Sedes est Episcopalis, nam & Episcopus urbis dominium possidet, quod illi dono contulit Ildefonsus Provinciæ Comes. Potitur etiam idem Episcopus dynastiâ *de Fayance*, à vasis fictilibus mira arte elaboratis celebrata, quæ & mensis procerum ad aliqualem splendorem & venustatem adhibentur, præsertim ubi fructus & bellaria apponuntur. Possidet etiam Forojuliensis Episcopus territoria *de Baignoles*, *de S. Rapheau*, seu, *Raphael, d'Agay, de Pujet*, seu *Pogeton*; quæ sunt optima satis loca, ad oram maris sita. Ejusdem juris Episcopalis sunt ex parte *Roquelrune*, *Revest*, *Fagnac*, *Bourigaille*; estque ipse Fayanciæ Prior, *de Montauron-Bagnols, du Muy*, *de Flajost*, *d'Esoragnole*, *de Chasteau-vieux*, & *d'Agay*. Ius etiam habet nominationis omnium fere beneficiorum suæ Diœcesis. Hic Episcopatus, quemadmodum & alia Collegia hujusce Diœcesis, immunis est à jure Regalium. Ecclesia Cathedralis Deiparæ auspiciis dedicata est; ipsi autem indigenæ S. Leonem hujusce urbis Episcopum tutelarem agnoscunt. Primus autem Episcopus fuit Acceptus an. 374; deinde Cyllenius, Leontius, Theodorus, cujus inserta mentio in Actis Concilii Arelatensis anno 455, &c.

Toulon. Gapeau fl. Hieres. Oliars. Flumina. Verne.

Sunt alia quædam, præter ea, quæ supra jam enumeravimus, hujusce tractus flumina, *Agat*; *Rairan*, quod rupes tantum alluit, ad nihilque aliud conducit, quam ut dulcium aquarum copiam nautis suppeditet. *Bençon* suos fontes repetit haud procul à Fayancia; suasque postmodum in mare aquas evomit juxta Lanapolim.

GRASSENSIS EPISCOPATVS,

vulgo,

GRASSE.

Siagna fluvius hunc Episcopatum maximam partem perfundit; Nascitur è Provinciæ montibus, necnon & ex Grassa civitate, quam nonnulli dicunt esse *Grimnicum ad fluviolum, qui Varum ingreditur.* Dirimitur hic Episcopatus à Venciensi, aquis Lupi fluminis; à Forojuliensi autem, Siagnæ laticibus. Hanc in urbem translatus fuit Episcopatus Antipolitanus, disponente Innocentio IV, summo Pontifice; eo quod Antipolis sæpius à Pyratis diriperetur.

Primus Antistes Antipolitanus fuit Armamentarius; S. autem Valerius persequente Eurico Gothorum rege martyrium subiit anno 473, &c. Situm est in hac Diœcesi Monasterium S. Honorati Lerinensis, in insula nempe contigua insulæ D. Margaretæ, cujus supra mentionem injecimus; locus plane multis nominibus insignis, inde enim prodiere Hilarii, Eucherii, Vincentii, aliaque sidera Ecclesiæ.

Porro Antipolis, urbs fuit olim elegans, & *Antibes.* apud antiquos celebris, illius enim honorifice meminerunt optimi Historiographi, & curiosissimi Cosmographi; primique Galliæ Christiani illam sede Episcopali dignam judicarunt, quæ postmodum Grassam translata est.

Grassenses Episcopi jus olim prætenderunt in territorium Antipolense; verum Clemens Sextus, anno 1384, Pontificio diplomate, hanc ditionem à mensis Episcoporum separavit, cavens ne in posterum, jus ullum sibi vendicarent. Ceterum Tractus Antipolitanus juris est Comitum Provinciæ.

Tota Grassensis Diœcesis in regiuncula Callianensi clauditur, quæ præter Grassam sequentia comprehendit loca, *Callian, Montauroux*, *Tourette*, *Gardon*, sive *Gourdon*, *Mont*, *S.Cesary*, *Clapon*, *la Marthe*, *Serenon*, *S. Vallier*, aliasque urbes & oppidula, quorum incolæ lingua utuntur à communi idiomate dissita.

EPISCOPATVS VENCIENSIS,

vulgo,

VANCE.

Venciam inter & Antipolim Bargua & Lupus amnes in pelagus se exonerant; juxta autem horum alveos urbs Episcopalis Venciensis reperitur, quæ varia apud auctores nomina sortitur, *Ventium*, scilicet, seu *Vencia*, *Vinciensium in Notitia Provinciæ Galliæ*, & alias *Vinscien-*

sium urbs, & *Vidantiorum.* Vrbs mediam partem juris est Episcopalis; mediam, Baronis Vinciensis. Cathedralis, in honorem Apostoli Pauli consecrata est, ubi pretiosissimæ SS. Verani & Lamberti reliquiæ summa veneratione asservantur. Hæc Diœcesis separatur à Niciensi, Varo flumine; à Grassensi, amne Lupo; à Glandevensi, rivo *Esteron*; à Forojuliensi tandem, Callianensi territorio: vigintiquinque solum parochias habet, quarum tres, Sabaudi Ducis dominio subjacent. Primus Venciæ Episcopus sedit S. Eusebius circa annum 374, cui successerunt S. Iuvinius, Arcadius, S. Veranus, filius Eucherii Lugdunensis Archiepiscopi, Prosper, Firminus, &c.

Perfundunt Venciense territorium sequentia flumina, Varus, nempe, qui oritur juxta Argenteriam, in Collo Tarundæ, sic enim ille locus appellatur; properat deinde ad pontem Villænovæ, sub quo Tubiam quoque amnem excipit: inde petit Glandevam urbem Episcopalem, sociato sibi Vairo priusquam ipsam urbem alluat; ubi vero Glandevam prætervectus est, accelerat ad pontem Pogetium: peractisque rupes inter variis flexibus, rapit obiter Lineam fluvium, qui in Bueilensi Comitatu scaturit; pauloque inferius, Blondam fluvium etiam alterum, qui è Niciæ partibus advenit. Ex adverso se offert *Esteron*, qui è loco *de Briançon* profluens, & multis postea cumulatus amnibus, in mare tandem horrendo cum fragore sese præcipitat.

Nec possum consistere in ora hujus fluminis, nam invitat Magnanimus Illustrissimusque Monachii Princeps, qui intima cum Liliis amicitiæ fœdera junxit, ut Principatus illius fines subeamus; neque Niciam Principi Pedemontano antehac subjectam, nunc vero sub protectione hujus Coronæ positam, absque injuria pertransire possumus; itaque *Palion* flumen transibimus, quod quidem Niciæ propugnacula allambit; inde Monachii Navale superabimus, quo nostra relegentes vestigia, in regnum Arelatense, Comitatum Avenionensem, & Venaissinum revertamur, indeque expeditior nobis pateat aditus in Principatum Auriacum, Saltuensem Comitatum, aliosque Provinciæ tractus, longius ab ora maritima dissitos.

NICIENSIS
EPISCOPATVS,
MONACHIIQVE PRINCIPATVS.

Nice. Nicia, seu *Nicea*, suo satis nomine, quod Græcè Victoriam præfert, indicat, se veterum Græcorum Coloniam extitisse; qui cum hujus oræ maritimæ victores evasissent, Massiliam, Agatham & Niciam civitates condiderunt, velut sua ponentes hoc in littore trophæa, mandantesque indelebilia, posteritati, suæ memoriæ monumenta. Assignarunt quidam hanc urbem Italiæ; sed veteres tituli, Scriptoresque accuratiores collocant in Provincia, unde aliàs dependebat, quasi feudum ex ipso Comitatu relevans.

Situs. Sedet hæc civitas ad radices editissimæ terrarum linguæ, quæ ab Alpibus in Mediterraneum mare prominet; urbem quasi duplicem exhibet, *Palion* flumine bipartitam, qui ponte utramque urbem jungente sternitur. Quam autem apud veteres celebris fuerit hæc civitas, testantur Arenæ, Amphitheatrum, burgus quoque *Aracha* silvis obsitus, Templa, Plutonis, Neptuni, Iunonis, & Charontis Infernorum Naucleri, necnon & indigenarum superstitiones à Strabone notatæ. Quo autem honore apud Massilienses eorum fratres aut Patres potius, censerentur, ex hoc apparet, quod Ptolemæus, Antoninus, Plinius, & alii asserant ipsos Massilienses hanc civitatem condidisse, Prætoremque inibi constituisse. Vocarunt porro prædicti auctores *Bellandam*; hodie vero *Nicea*, & *Nicia* nominatur, intra pomœria antiquæ civitatis Cemeliæ sita, quæ quidem sedes erat Episcopi; cujus habitatores, cum Lombardorum incursionibus infestarentur, suam transmiserunt, imo miscuerunt cum Niceensibus Coloniam, ut hac demum ratione à Barbarorum infestatione tuti degerent; unde Historiographi primam sæpenumero Niciæ laudem detulere, quæ Cemeliæ jure debebatur.

Qualitas. Arx Niciensis, quæ nullo conatu videtur expugnabilis, cum nullis belli machinis possit impeti ob sublimitatem, neque cuniculis subverti, cum rupi insideat; est velut Italiæ munimentum. Sub rupe extat fons uberrimus, haud procul à littore, qui nautas ad aquandum invitat.

Extensio. *Loca.* Portus Villæ-Francæ, duabus abhinc leucis, qui portus Herculis creditur, Augustique trophæa, à Ptolemæo memorata, binæque arces, quarum una in montis vertice, altera in littore assurgit, Portusque Molensis, ubi Dux Sabaudus suas triremes collocat, omnia hæc vice clavis sunt Principi, quo suorum Statuum aditum hostibus præcludat, pandatque mercatoribus & fœderatis, qui quotannis plusquam triginta quinque mille aureos pensitant.

Primus sedem Niciensem rexit S. Bassus, Decio Imperatore, quo jubente gloriosum pro Christo martyrium pertulit; successerunt Amantius anno 381, S. Valerius, anno 439; S. Auxianus, 458; Magnus, 549; Catulinus, 585; B. Siacrius, è Caroli Magni stirpe oriundus, anno 777, &c.

Monaco. Monachium in Alpium extremitate situm, tribus à Nicia leucis, qua Genuam divergit, in maris littore; civitas in tantum naturâ munita, ut nec arte opus habeat, nam rupi insidet, quæ eam reddit inaccessam, scalisque imperviam, quæque pro muris, stupendis tum ex latere maris, tum Continentis abyssis cingitur.

Si quos autem recessus natura videtur neglexisse, ars incredibili industriâ protexit; adeo, ut nisi deficiente annonâ, fameque urgente, aut forte ex insidiis, nil vel potentissimus exercitus in eam prætendere possit. Portus quoque illius præstantissimus est; nec perperam dictitant Hispani, maximam sibi illatam à Fortuna injuriam, cum ab isto portu penitus propulsati sunt: hic quadraginta triremium exercitus in tuto locari potest.

Palatium. Palatium, Principis ipsius præfert magnificentiam;

centiam; symmetriam proportionemque mirabilem servat, superbis enim conclavibus & ornamentis exquisitissimis constat; Armamentarium miri est operis, & singulari arte dispositum. Bellicarum machinarum impetus sustinuit illabefactatus hic locus. Ambitu duo milliaria Italica colligit; equidem non omni ex parte æqualiter inhabitatur; quà enim longius in mare procurrit, magno intervallo habitatoribus destituitur, nec nisi hortis privatorum disseminatur.

Qualitas. Regiuncula hæc, totius fere orbis amœnissima est, nam Monachio descendens, progrederis secundum littus pelagi, adusque *Mentonam*, urbeculam de jure ipsius Principis, inter jasminos, mala aurantia, atque citronia, quæ miram per aëra suaveolentiam aspergunt; tantaque affluunt abundantia, ut Gebennicorum montium castaneas, & mala Normanniæ adæquent.

Vno duntaxat à Nicia milliari, Mantiga cernitur, amœna domus, quò sub umbra malorum aurantiorum perpetuò proficisceris Nicia egressus.

Extensio. Totus Niciensis Comitatus duorum dierum iter longitudine continet; unius vero, latitudine, præterque urbes, vicos centum optimos, seu ditiones comprehendit. Excurrit in Provinciam, pelagus Mediterraneum, oram Savonensem versus Vintimigliam, Collum Tendæ, Collum Agnelli, & usque ad Alpes.

Loca. Porro alia hujusce Comitatus loca sunt, Fanum S. Albani, quod vice phari nautis inservit; Portus-Mauricius, ubi validissimum castrum; *S. Sospir*, & *Sospel*, loca mœnibus clausa; *Breglio*, urbecula; Briga & Lescarena, veræ sedes amœnitatis; Tenda castro munita, atque cognominis Comitatus metropolis; S. Martini oppidum; *Lantosco Vtello*; Blora cum valle viculis disseminata; *Boglio*, sive *Bueil*, urbs insignis, castro conspicua, & Comitatus, ubi quatuor aut quinque arces validissimæ reperiuntur; *Casours*, urbs castro obarmata; *Dolce-aqua*, vallis ampla & populosa, plurimaque alia non contemnenda loca. Sed sufficiat in alieno territorio vel gradum posuisse; nunc quantocyus in Franciam revertamur.

GLANDEVENSIS EPISCOPATVS.

GLandeva variis nominibus apud auctores demonstratur; quandoque enim *Glannatica*, aliàs *Glannata*, & *Glandata* dicitur; in valle posita est, in confinio Alpium maritimarum, ubi & Palatium Episcopi, qui & illius dominio potitur. Venerantur indigenæ S. Iustum urbis suæ Tutelarem, cui inaugurata est ipsa Cathedralis. Qui primus resedit hujus civitatis Episcopus, Fraternus vocabatur; ipse sedem hanc gubernavit anno 451.

SANICIENSIS EPISCOPATVS

SAnesium, *Sanitium*, & *Sanicienſis civitas*, vulgo *Senez*, (his enim nominibus ab Historiographis vocitatur) amœnissimo sedet loco, duobus ab urbe Castellana milliaribus. Illius Cathedralis in honorem D. Mariæ dedicata est, non autem D. Augustino, ut nonnulli asserunt perperam; non adeo numerosus ut olim Canonicorum cœtus; illam enim Religionarii diripuerunt.

Primus Saniciensium Episcoporum fuit Vrsus anno 451; cui suffectus est Marcellus anno 529; deinde Simplicius anno 554; Vigilius 585; &c.

REJENSIS EPISCOPATVS, vulgo RIEZ.

REjense territorium alluit Verdonius amnis; exoritur autem ille juxta *Allosam*, insignem Comitatus Bueilensis civitatem, deinde juxta desertum S. Martini procurrit, duabus à Rejo leucis, ubi specus videas, queis Naturam suum extruxisse palatium dixeris; equidem ipsa solitudo horrorem quodammodo incutit, eo quod inter scopulos sita sit; sed variis dotibus Cartusiâ præcellit; nam cœlo fruitur puro & salubri, & limpidissimis fontibus, quorum prodigiosa est origo; deinde Verdonius amnis suo coarctatus alveo, frementium fragore aquarum hanc solitudinem occultis quasi lenociniis aspergit, quibus horrorem suavitate temperet. In specubus innumera sunt ludentis naturæ miracula, lapides nempe in genus omne figurarum effictos, avium scilicet, serpentum, arborum, caracterum perfectissime depictorum, rerumque aliarum quas phantasia, quantumvis imaginationum ferax, potest effingere.

Riez. Rejensis civitas multa sortitur nomina apud veteres; nam Plinius *Albecum Rejorum*, & *Coloniam Reginsencium*; Gregorius vero Turonensis, *Vrbem Reginsem* nominant: at moderni *Rejum* illi nomen imposuerunt: sedet in agro fertili & amœno, in gremio Provinciæ, sexque Diœcesibus limitatur; ab Ortu Saniciensi; Aquensi, ab Occasu; Forojuliensi, à Meridie; Cisteronensi, Digniensi, & Gapensi, ab Aquilone. Cathedralis titulo D. Mariæ decoratur. Hac in urbe fulgent cœnobia Capucinorum, Franciscanorum, atque Vrsulinarum; sunt etiam piæ Pœnitentium, tum Candidorum, tum Fuscorum, tum & Cærulæorum Congregationes; plurimaque Xenodochia, & passim hinc inde Oratoria.

Episcopatus. In Episcopatum evecta est anno restauratæ Salutis 400, antiqua etenim monumenta testantur, sedisse illo ævo S. Prosperum hujusce urbis Episcopum, qui successorem habuit S. Maximinum, quem Rejenses indigenæ Patronum suspiciunt; Faustus deinde, prius Abbas Lirinensis; Contumeliosus, &c.

Alia hujusce Diœcesis loca sunt, *Manosque* oppidum ad Durantiam positum, è regione Assæ, quæ quidem de jure est Equitum Melitensium, illorumque alter Baillivi munere fungitur; hic validissimum extat castellum: *Cavaillon* in insula Duranciæ, spectat ad Comitatum Avenionensem, terrasque Pontificiæ ditionis à Francia dirimit;

mit; *Ourgnon* quoque Durancia perfunditur, urbs & castro munita, & possessio Ducum Guisiacensium; *Malemort* super Durantiam ad Episcopum Massiliensem pertinet; *Senas* est Baronatus; *Salon*, *Castellano*, & *Bargeols*, urbs mœnibus clausa, sub qua scatet fons aquæ salsæ, & tenuis rivulus.

Durancia. Porro Durancia inter difficillimos Franciæ amnes computatur, sæpius enim præfixos sibi à natura terminos transgreditur, etiam scopulos evolvit, arvaque circumvicina depopulatur, neque ob suam rapiditatem, & brevia, negotiationi, aut navigationi idoneus est, neque quidquam constantius habet sua inconstantia, suisque exundationibus. E monte Genevrensi proficiscitur; ubi etiam Doucra suos fontes habet, qui in Padum suas deducit aquas, acceptis prius hisce fluminibus, nimirum, *Hubaye*, *Bene*, *la Sasse*, *Buelch*, *Bleon*, *Larque*, *Asse*, *Verdon*, *Issolet*, *Nartube*, *Riez*, *Lez*, *Crapone*, & Amnis ipse Durantia juxta locum *de Malemort*, duos in ramos dispescitur; major, Durianciæ nomen retinet; minor, Duransola nominatur; sed unico postmodum recurrunt alveo juxta Cavallonium, ubi admisso flumine Calenonio, quod Aptensi ponte pertransitur, in Rhodanum sese exonerat, uno sub Avenione milliari.

ARELATENSIS
ARCHIEPISCOPATVS.

Arelate. Civitas Arelatensis, Massiliam, veluti soror, origine contingit; nam Phocenses utriusque fundamenta posuerunt; fuit etiam colonia Romanorum, sextæque Legionis domicilium, quæ illuc transmissa est, ut Romano subjectam Imperio manuteneret. Illam memorant summa cum laude Historiographi; alii civitatum gloriam, alii Romam Gallicam, seu Romam Galliarum nominant. Iussit Constantinus Imperator Constantinam vocari. Venantur illius notitiam nonnulli ex veteribus inscriptionibus, sub nomine *Mamillaris*, quod nempe solum ipsius uberrimum sit: at vulgarius nomen, est *Arelas*, quasi diceres, *Ara lata*; natum est autem vocabulum à duabus columnis veteribus, Romanorum opere extructis, ac superposito latitudinis non vulgaris lapide; quæ in urbis gymnasio hodieque conspiciuntur, creditque vulgus Columnas & Altare Herculis: ni potius dixeris, illam esse ingentem pyramidem sexaginta pedes altam, ubi Dianæ sacrificabatur.

Potest impræsentiarum hæc civitas Sol Provinciæ vocitari, & antiquæ Romæ æmula, ob eximia nimirum opera, quæ suis mœnibus claudit, Templum scilicet Dianæ, & Amphitheatrum, quod cæteris Europæ antecellit, quidquid dicat eruditissimus aliàs Lipsius, qui non nisi ex relationibus aliorum locutus est; constat illud quidem sexaginta fornicibus, quorum quisque quindecim pedibus panditur, tantæque molis sunt illorum lapides, ut suopte pondere absque calce & cœmento fulciantur. Locus Arenarum, seu certaminis Gladiatorum atque ferarum, ædificiis quaquaversum obsitus est; Specus autem, quarum una subter Rhodanum medio aquæductu excurrit Nemausum usque, pro textrinis cellisque vinariis inserviunt. Insidet urbs Rhodano, qui ubi eam per medium dissecuit, duasque in urbes, navali ponte ad invicem connexas, divisit, seipsum duos aperit in ramos, queis insulam Camarguam efformat.

Fuit olim hîc regni Arelatensis solium, & metropolis, cujus adhuc Cæsarei jus & proprietatem sibi tribuunt, quam tamen Galli possident; ibique Senescallum collocarunt cum Prætore, Subprætore aliisque Magistratibus. Et quidem regnum Arelatense, quod Burgundiam, Delphinatum, & Sabaudiam complectebatur, fuit quædam olim Imperii portio, nam & ipsa regio adhuc Imperium vocitatur.

Ecclesiæ. Basilica Princeps S. Stephano Protomartyri dedicata est; alia est Ecclesia S. Trophimi Apostolorum Discipuli, qui primus extitit Arelatensis Episcopus, aque inter illustrissimos Christianismi in Galliis fundatores computatur; Ecclesia S. Antonii, in qua nonnulla hujus sanctissimi Anachoretæ sacra pignora honorificentissime asservantur. Est & Præceptoria Melitensis, & Xenodochium à Carolo Nono fundatum & dotatum. Visitur & specus S. Trophimi, qua infidelium persecutionem fugiens latuit. Ecclesia vero S. Honorati, vestigia funestorum pro religione dissidiorum suis in ruinis præfert; superbis olim nitebat ædificiis hæc Ecclesia, ut relictæ ingentes columnæ marmoreæ testantur. Extant plusquam sexcenta in cœmeterio sepulcra, præclaris etiam inscriptionibus insignita; cernitur inter alia vetustus Ducis Sabaudiæ tumulus, quem Dux Carolus Emanuel jussit aperiri, verum præter cinerem, ossa, & corruptionem, nil reperit: in ipsius vero Ecclesiæ cavea ostenditur sepulchrum Rolandi, Caroli Magni nepotis; sepulchrum quoque S. Hilarii, Arelatensis Archiepiscopi, ubi quodam velut miraculo aqua est in eadem semper copia, nulla anni tempestate crescens aut decrescens.

Trophimus ergo hujusce tractus incolas, Christi fide, & Evangelii prædicatione imbuit, unde & primus fuit Arelatæ Episcopus. Hæc autem urbs cum facta esset Metropolis regni Burgundionum sub nomine regni Arelatensis, facta quoque est Metropolis Episcopatuum in eo inclusorum; unde & Archiepiscopus Arelatensis etiamnum se Galliæ Primatem dictitat. Ius olim horum Archiepiscoporum adeo excreverat, ut semel quotannis Concilium celebrarent, quod septem Provinciarum dicebatur, quo tum Galli, tum Hispani convenire tenebantur, & si quid illis in fide ambiguum, proponere: Dimissorias dabant indifferenter omnibus Galliæ Episcopis, sine quibus abesse non poterant à sua Diœcesi; jusque nominandi ad Episcopatus Galliæ Narbonnensis & Viennensis possidebant, ac demum de cunctis disponebant tum personis, tum rebus Ecclesiasticis in quantum Galliarum Primates sanctæque Sedis Apostolicæ vicarii; verum aliqua pars horum privilegiorum sublata est sub Carolo Calvo, neque alios hodie suffraganeos habent præter Episcopum Massiliensem, Tricastinum, Tolonensem, & Auriacum.

Diœcesis Arelatensis parum omnino nunc extendi-

tenditur, binasque tantum abbatias sibi subjectas habet, nimirum S. Petri Montismajoris, Ordinis Benedictini, & S. Cæsarii Arelatensis, ejusdem Instituti. Tria, aut forte sex Concilia, urbem hanc celeberrimam reddiderunt, unum sub Constantino Imperatore, & Silvestro summo Pontifice; secundum sub eodem Pontifice, anno 326; tertium anno 461.

Secundus Arelatensis Episcopus fuit S. Regulus, qui S. Trophimo successit. Porro sedente Heroe S. Martini Turonensis discipulo, urbem hanc Gothi occuparunt, quæ mox singulari Ducis Aëtii strenuitate recuperata fuit. Hanc sedem exornavit etiam S. Hilarius Lerinensis Abbas, qui floruit anno 439; quem subsecuti sunt plurimi Præsules Sanctitate insignes. Ipsa autem urbs deinceps à Sarracenis direpta fuit anno 738, quemadmodum & plurima alia Galliæ celeberrima loca; ipsi quippe ope freti aliarum barbararum nationum, ab anno 670, usque ad annum 743 cuncta longe lateque depopulati sunt. Innumeras præterea clades perpessa est, quas enumerare, nimis prolixum. Hanc illustres familiæ exornant, quarum præcipuæ sunt Porcelletorum Domus, seu *de Foz, Mailhaine, Vbaye, Nogaret, Eguieres, Roque-martine, de Bodiol, Galbert, Arlatan*, &c.

Haud procul ab Arelate dissitus est præpinguis S. Ægidii Prioratus. Quæ vero paludes à Bellocadro, aliàs *Beaucaire*, ad Fossas Marianas excurrunt, septem aut octo leucas occupant; quæ quidem etsi in Provincia non comprehendantur, attamen hujusce regionis terræ censentur. Camargua feracior indies evadit irrorante Rhodano, binis enim illius ramis in Insulam efformatur juxta urbem Arelatensem, in eaque maximam boum, atque equorum multitudinem cives nutriunt.

Vrbs & Prioratus S. Ægidii.

Prioratus S. Ægidii urbi cognomini nomen imposuit, quæ portio quædam est Domus Tolosanæ in Comitatum evecta. Visitur singulare remotioris antiquitatis vestigium in proximo nemore, *Istagel* dicto, Arelatem inter, & Nemausum, Cathedra nempe lapidea, quam vulgus asserit Druydis inservisse, quò res sacras populos edocerent.

E Diœcesi Arelatensi Tarasconem proficiscimur, quæ sedet in ripis Rhodani è latere Provinciæ, castrumque habet firmissimum, à Renato Siciliæ rege, & Provinciæ Comite extructum, cujus effigies in area cernitur, Reginæque uxoris, cum Latina inscriptione. Tectum quidem non habet; sed in parte superiori in planum expanditur, ubi tormentariæ machinæ; indeque amœnissimus in subjectam urbem prospectus.

Primaria urbis Basilica, Marthæ Virgini, Christi servatoris hospitæ, dedicata est, quæ inibi contumulata, illiusque reliquiæ vase pretiosissimo asservantur; & victoria, quam de dracone regionem infestante extulit, in columna depicta monstratur.

Iam aliquot ab annis reperta est in medio Rhodani alveo insula Bellicadrum inter atque Tarasconem, quò vetus proverbium perperam circumferri censeatur, ipso quippe inter ista duo oppida, neque oves, neque pecus cujuscunque

Gallia.

generis pasci, vulgo decantatur; quod falsum experientia demonstrat.

Rhodani ductum prosecuti, Avenionem pertingemus, indeque Auriacum Principatum; quia autem hi tractus, speciales tabulas habent, eas idcirco illis subjiciemus; interimque alia quædam spectatissima Provinciæ loca perspiciemus.

Berbentane.

Berbentana, firmissimus olim hujusce regionis locus juxta Durantiam amnem, castro defenditur apprime munito; *Boulbon* quoque ad aquas Rhodani situm, oppidum est insigne; *Forcalquier*, & antiquitate & viribus gloriatur; nomen fecit nobilissimæ familiæ, quæ Comitatus titulo possidet. Devolutus est hic Comitatus in clarissimam Provinciæ Domum; seculisque remotioribus, Imperii nobile feudum extitit; Fredericus enim Imperator anno 1152, Guilielmum Comitem Forcalquierium, clientelarem sibi fidem præstare mandavit ob territoria ditionesque quas in Provincia possideret; cum autem recusasset Guilielmus, Comitatu suo exturbatus est; qui Berengario Provinciæ Comite, ejusque in perpetuum successoribus, ab Imperatore assignatus est; verum hæc donatio nullum sortita est effectum; nam Guilielmus tandem resipuit, atque cum Alphonso I, Provinciæ Comite, è quo fide Clientelari Comitatum tenere debebat, res composuit. Ceterum hæc civitas Sedem habet Senescallatus; Arcensi amni insidet, qui quidem Ollieresii intra Provinciæ montes oritur. Cis paululum versus Avenionem respiciens, Aptam Iuliam videbis, cujux mox tibi descriptionem subjiciemus.

APTENSIS EPISCOPATVS,

vulgo

APT.

Aptensis civitas, ad unum Duransolæ ramum sita, inter Durantiam & Rhodanum, à Plinio *Apta Iulia Vulgiensium* nominatur; hoc enim nomine abs Iulio Cæsare, qui eam condidit, Coloniamque in ea statuit, donata est; Sanctæ Annæ dicata est Cathedralis. Habet autem hæc Diœcesis quinque Abbatias, scilicet S. Eusebii, & Vaucellensem, Ordinis Benedictini; Vallis-Sanctæ, S. Catharinæ Aptensis, & S. Crucis itidem Aptensis.

Principis titulum præfert hujus loci Episcopus, estque primus Aquensis Metropolitani Suffraganeus, Fredericus, & Carolus IV, Imperatores, maximis Aptensem Ecclesiam privilegiis exornarunt, Consules instituendi, signandi monetas, &c. Arces S. Martini, Turritesii, Claromontana, & Auribelensis ex parte ad hunc Episcopatum pertinent; Superioribus vero sæculis Castella *de Savion, de Rochefure, de Chastillon*, ipsaque S. Martini Baronia de mensa Episcopi censebantur.

Primus, qui hac in urbe sedit Episcopus, fuit S. Auspicius, anno 314; deinde S. Quintinus, S. Castor, Sillucius, Asclepius, S. Prætextatus, Eusebius, Clementinus, Pappus, & Magnericus,

quo sedem hanc moderante, anno 792, inventum fuit in urbe Aptensi sacrum Corpus S. Annæ, Virginis Deiparæ parentis, cujus miraculosæ inventionis festum quotannis celebratur. In finibus hujus Diœcesis spectatur urbs Forcalquierensis, deinde urbs Episcopalis Sisteronensis, de qua proxime dicemus.

SISTERONENSIS EPISCOPATVS, vulgo, SISTERON, aut CISTERON.

Sisteronem Latini auctores varie nominarunt, *Sistaricum* nempe, *Sistero*, *Sequestero*, *Segesterica urbs*, & *Segesterorum*, & *Segestericorum civitas*. Vrbs optima est ad Durantiam sita, quæ sede gaudet Episcopali, cujus Antistes, Aquensis Archiepiscopi suffraganeus est, quemadmodum & Episcopi Aptensis, Rejensis, Forojuliensis, & Gapensis.

Princeps Basilica hujusce civitatis, titulo D. Mariæ decoratur; in ea sacris operantur Præpositus & undecim Canonici, à Carolo Magno Imperatore fundati. Continet hæc Diœcesis duas Abbatias, *Lure*, & *Crueys*, Ecclesiam Collegiatam Forcalquierensem, monasterium S. Claræ civitatis Cisteronensis, Archipresbyteratum Vallis Bodonæ in ipso Delphinatu, pluresque Prioratus, & Parochias.

Primum habuit Episcopum nomine Valerium anno 517, quem piissimi nobilissimique longa serie in hanc usque diem subsecuti sunt Episcopi. Ceterum urbs Sisteronensis firmissimo castro munitur, ubi præsidiarius à Rege miles.

DIGNIENSIS EPISCOPATVS.

Haud procul ab urbe Sisterone Digniensis civitas reperitur, quam Ptolemæus & Plinius *Diniam*, *Dinam*, *Diniensium*, *Dineam*, *Digniam*; moderni vero *Dignam* appellant; hanc perluit *Bledona*, seu *Bloduna* fluvius, vulgo *Bleoce*, seu *Bleons*, qui multis peractis ambagibus, in Durantiam tandem evolvitur, quatuor ab hac urbe milliaribus. Asserit Plinius Digniam olim fuisse tractus Ebredunensis caput; hæc sunt illius verba: *Tam Avanticos, quam Ebroduntios, quorum oppidum Dinia, à Galba Imperatore, formulæ adjectos*, id est, *Narbonnensi Provinciæ aggregatos*. Nam prius Alpium populis accensebantur. Ptolemæus autem hujusce regionis incolas *Sentios* vocat: *Vocontiis, & Mimenis magis Orientales sunt Sentii, quorum civitas mediterranea est Dinia*. Equidem persuasissimum mihi est, *Sentii* vocabulo Diœcesis Seneziensis populos Digniensium finitimos indigetasse.

Hæc civitas ante octingentos annos divisa fuit in burgum atque civitatem, civitas quidem ad radices montis posita, figuram ovalem sortita est; in montis autem vertice visuntur etiamnum rudera veteris Episcoporum castelli: tribus portis decoratur. At vero burgus in valle jacet, aquis Mardarici riguus; gloriatur Ecclesia Cathedrali sacra Deiparæ; illam fundavit, dotavitque Carolus Magnus Imperator; unde & Præposito, aliisque Dignitatibus & Canonicis illustratur. Est præterea in urbe Ecclesia S. Hieronymi, Conventus FF. Minorum, SS. Trinitatis, Redemptionis Captivorum, Recollectorum, & quædam cœnobia Virginum.

Princeps & Episcopus urbis quondam dominatum insimul possederunt, communique eorum nomine fiebant publicæ proclamationes. Hîc Sedes est Senescalli. Burgus directe ad Præposituram Ecclesiæ pertinet, donatione facta abs Remundo Berengario anno 1221. Vrbs autem regitur Magistratibus municipalibus, quos Consules vocant. Extant in suburbiis thermæ salutares.

Primus, qui resedit hac in urbe Episcopus, fuit S. Domninus, circa annum 313; successit S. Vincentius, qui & Concilio Valentinensi interfuit; ceteros illustrissimos Antistites, propositæ brevitati consulens, omitto.

Alia Provinciæ loca sunt *Anot*, seu *Allos*, *Colmars*, urbs firma, Verdonii fluentis insidens; *Antrevaux*, burgus muro vallatus, cum Præsidiario milite: *Seyne*, locus ob editam turrim celebris; apparent deinde valles *Chanan* & *Barreme*, quibus insident loca *de Barreme*, fanum S. Iacobi, *Clumans*, *Chandon*, *Lambruysse*, & *Tartonne*, *Marignagne*, *Lourgues*, *S. Paul*, *Pertuys*, *Peyrolle*, *la Vallette*, *Monstier*, *S. Tropez*, *Solliers*, & *S. Remy*. Hoc etiam in tractu assurgit Turris Aquensis, vulgo *Tour d'Aygues*, miræ prorsus structuræ ac symmetriæ, ubi fontes limpidissimi, prata, vivaria, viridariaque amœnissima. Sunt quoque hac in regione Comitatus *de Grignan*, & *du Sault*; Principatus *de Montdragon*, Archiepiscopi Arelatensis possessio; & opulenta dominia *de Baulx*, *de Montsegur*, *de Chantemerle*, *de Salles*, *de Collonselles*, *d'Allain*, *de Reonville*, *de Vitrolles*, *de Daigues*, &c.

Vires. Provinciæ vires tot ex locis munitissimis conjicere nullo negotio quisque potest; nam in ora maritima passim fortalitia erecta sunt, ubi & præsidiarius miles nullo non tempore excubias agit, ut in Bregauçonio versus Stœchades insulas, quo Hispanæ Italæque triremes appellunt: portus maritimi, queis Statum Rex ab hostium invasione protegit, in iisque decem peditum millia, Equitum vero mille, collocare potest, neque urbes aut oppida habitatoribus propterea forent destituta.

Qualitas. At vero priusquam Provinciâ egrediamur, operæ pretium est eximias illius dotes recensere; Regio quippe est amœnissima, & omnibus ad vitam necessariis instructa, adeo ut non benigna solum, sed effusa videatur suis in muneribus rerum Natura erga Provinciam; nam & aspirante Austro temperantur æstivi calores, nec nisi ad mensem frigus perseverat; & vix unquam gelu riget, imo caryophylli, rosæ, floresque alii eo ipso vernant tempore, quo alibi viduata omni pulchritudine terra conspicitur; frumento & vino feracissima est; planities enim Camarguæ sementem multiplici fœnore reddit; colles sunt viti-

vitibus consiti; nascitur vinum musco odoratum juxta Cientaliam, Rejensem civitatem, necnon & in tractu Tarasconensi. Hic etiam præstantissimæ olivæ, mala aurea, Granata, pruna, Persica, Armeniaca, &c.

Delicias aliis in regionibus augent artis miracula, profusique in excolendis Procerum viridariis sumptus, flores exquisitissimi è longinquis etiam regionibus advecti; at non sic in Provincia; hæc enim omnia benignissima parens Natura Provincialibus absque arte suppeditat; Provincialium silvæ, olivis passim & palmis refertæ sunt, ducti sunt in rectum absque funiculis arborum ordines, cuncta convenienti ordine, miraque elegantia Natura concinnat; anseribus, phasianis, pavonibus, coturnicibus, turturibus, ac perdicibus fœcundissima est; hic quoque est opima cuniculorum venatio. Rhombum, soleam, thunnum, aliosque pisces, etiam testaceos subministrat pelagus; truttæ & alii pisces exquisitissimi è fluminibus extrahuntur; adeo ut non perperam Romani *Provinciam* vocitarint, quasi ceteras inter Provincias, quas sibi subegerant, palmam præferret.

Mores. Provinciales maxima pollent dexteritate in cunctis corporis exercitationibus, etiam in ludicris; habent singuli Provinciæ pagi Festa, solennitatesque seu Dedicationes speciales, queis velocius currenti, saltanti agilius, sclopeto, aut balista propositam attingenti metam, præmia distribuuntur; ibique locorum adjacentium juventus suæ dexteritatis specimen præbet. Omnes fere optimo ingenio præditi sunt; videnturque omnes Musarum alumni; unde & prisci auctores Poëtas natos vocitarunt. Nativæ etiam hilaritatis notæ ex veteri eorum consuetudine perspiciuntur, quod scilicet in Aquensi civitate, Amorum Principem statuant, à regionis Procuratoribus nominatum, qui cunctis in Festo Corporis Christi solenniis assistit, cum insigni juvenum caterva; quibus peractis, Procuratores, Consules, atque Nobilitatem sumptuosissimis epulis excipit; choreasque, & saltationes cum uxoribus procerum celebrat; ipse suos omnes Officiarios habet, selectæque juventutis est Caput; quem titulum nec Romani Imperatores dedignati sunt. Eadem pompa procedit Rex Basochiæ. Si quæ morum asperitas in Provincialibus notatur, eos solum afficit, qui aut pelagus accolunt, aut frequentant; hanc enim illis affricant Turcæ & Africani; at qui regionis gremium insident, ipsique Nobiles summa morum suavitate præditi sunt. Feminæ vestium sectantur elegantiam, attamen tum verbis, tum gestis quandam ingenuitatem præ se ferunt.

Vires.

Qualitas.

Opes. Provinciæ opulentia præsertim ex commerciis nascitur, quæ quidem ineunt Massilienses, aliarumque urbium indigenæ, cum Orientalibus, Hispanis & Italis; sed præstantiora sunt cum Orientalibus commercia, ceterisque longe utiliora. Solvunt naves ut plurimum è portu Massiliensi, ut proficiscantur Alepum in Syriam, quæ celeberrimum Orientis censetur emporium, unde sericum, gossypium, rhabarbarum, aliaque asportant Massilienses; Alii petunt Alexandriam, & Magnum Cairum, unde linum, piper & multiplicia aromata devehunt; alii Constantinopolim, nec non & Tripolin aliasque urbes in ora Ierosolymæ subeunt, Tunetum, Algerum, ac diversas Hispaniæ urbes in plaga maritima usque ad Abulam, & Vlissiponam; Genuam Italiæ, Liburnum, & Neapolim, Messanam & Palermum Siciliæ. Nativi autem regionis proventus sunt frumentum & vinum, quæ in exteras transmittunt provincias; oleum, quoque, ficus, cappares, amygdala, quæ commutant serico, aulæis Turcicis, saccharo, dactylis, &c.

Regimen. Vnicus est & Supremus hac in regione Senescallus, novemque Iudiciorum sedes; quarum Aquensis generalis nominatur, in qua privilegiatæ Marchionum, Comitum, summorumque Officiariorum causæ definiuntur; aliæ sunt Arelatensis, Massiliensis, Briguollensis, Yerensis, Grassensis, Draguignanensis, Forcalquierensis, & Dignensis.

Suprema Parlamenti Curia Aquis Sextiis constituta est, cum Camera Computorum, Auxiliorum, Ærarii, &c. Controversias dirimit ex jure scripto. Præter singulares locorum Gubernatores, est etiam universalis Provinciæ Gubernator à Rege constitutus.


Antiquos autem Provinciæ Dynastas & Comites quod attinet, certissimum est illam non semel eandem cum Italia fortunam subiisse, etiam sub Ostrogothorum imperio, & sub Lothario Ludovici Pii primogenito; quasi occultâ quadam hos inter populos sympathiâ Provinciales Romanorum fortunis obstringerentur, & vicissim Romani Provincialibus. Carolus Calvus Imperator Rexque Galliæ, putans regiæ Majestatis interesse, Reges tantum regii sanguinis affines habere, Provinciam in regni dignitatem evexit: at cum deinceps Italiæ annexa fuisset, iterum à regno Franciæ sejuncta, particularibus Dominis paruit, qui ex Regibus Italiæ descenderant, qui & titulum Comitum præferebant. Porro temporum vicissitudine, Ludovico XI, Rege, Comitatus iste, Regum coronæ inseparabiliter unitus est.

Familiæ illustres. Innumeræ sunt in Provincia familiæ nobiles & antiquæ, quarum res præclare gestas enarrare, ad Historiographos pertinet; nam ne quidem præ nimia multitudine indigetare licet.

Ceterum Provincia duos in Senescallatus dispescitur; Primus Provinciæ dictus, complectitur Massiliam, Aquas Sextias, *Yeres*, *Draguignan*, *Grasse*, *Nice*, *Tholon*, *S. Maximin*, *Brignolle*, *Vintimille*, *Theoniers*, *Castellane*, & *Monstres*: alter vero Senescallatus, Forcalqueriensis appellatus, includit Baillivatus Vallis Demontiæ, *de Valasturane*, urbis Dignensis, Sisteronensis, Aptensis, Mariarum, *de Realville*, & Vallis Ollæ. Sed sufficiat compendiose Provinciam provinciarum & peragrasse & perlustrasse; nunc itaque ad Delphinatum accingamur.

PRIN-

PRINCIPATVS ARAVSIONENSIS, vulgo D'ORANGE.



Rincipatus Arausionensis loco peramœno situs, ad confinia Comitatus Avenionensis, eum fere totum ambientis ac veluti cornibus amplexantis, nisi quà ripam Rhodani contingit; terra ferax frugum & fructuum, ventis paulo sæpius infestata, Græcis *Arausion*, sive *Araision*, à colonia Græca ejus nominis olim eo ducta, Latinis *Arausio*, Gallis *Orange*; magni apud Romanos nominis fuisse constat, ibique primo nascentis Ecclesiæ seculo Episcopum erectum, secundam legionem *Arausionem* missam comperimus, à Romanis ad mores Romanos eo inducendos, ut sextam in *Arelatensem* urbem, vulgo *Arles*, septimam Biterras, sive *Besziers*, &c. quapropter *Arausionem Secundanorum* quoque coloniam esse vocatam.

Fines. Qualitas. Nomen.

Antiquissimis Galliæ Narbonensis urbibus annumeratur; quidam fundatam volunt à Colonia Græcorum, quæ *Maßiliam*, vulgo *Marseille*, appulit, Tarquinio regnante, sub ipsa imperii Romani nascentis incunabula. Circumjacenti regioni olim imperitavit; sed sive diuturnitate temporis & injuria, sive Principum suorum externis bellis implicitorum absentia, finibus & oppidis non admodum amplis ejus nunc dominatio continetur.


Antiquitas.

Mœnibus olim & turribus rotundis, quinquaginta passus inter se distantibus, more Græco cincta fuit; eorum ambitus mille quingentos complectebatur, à colle, cui arcis modo dirutæ radices diu hæserunt, versus meridiem, usque ad fontem cui nomen *Lavacrum*, extant etiamnum multa murorum antiquorum, fossarumque vestigia, Theatri, Balneorum, & arcus Triumphalis prope portam quæ Lugdunum respicit, à Mario extructus, ut ferunt, & pugnis equestribus in eo egregie insculptis insignis. In hac olim tria consilia diversis temporibus celebrata, à loco, *Arausicana* dicta, Principibus bellicæ nostro seculo restituendæ virtutis, ac militaris disciplinæ peritissimis inclyta: civitas, nescio quo fato, novis etiam mœnibus & propugnaculis exuta. Irrigatur ager tribus fluminibus se in Rhodanum exonerantibus, scilicet *Meine*, *Louesse*, *Egues*: olim ope aquarum, à Romanis invectarum, fere singulæ domus proprios fontes habuere.

Mœnia.

Principibus à multis seculis paruerat, qui stirpem, ad Principes Romanorum haud obscuris indiciis referunt, avorum atavorumque præclaris facinoribus, ac propriis Orbi noti; Fœderatarum Belgii Provinciarum Libertatis fundatores, & acerrimi vindices.

COMITATVS AVENIONENSIS, sive VENISSÆ.



D sinistram Rhodani Ripam si quis secundo flumine vehatur, occurrunt Principatus Arausionensis, vulgo *d'Orange*, & Comitatus Avenionensis, vulgo *d'Avignon*, sive *de Venaissin*, qui à voce Gallica *Venaison*, nomen sumpsisse putatur, eo quod locus sit venationi admodum opportunus, quum ad Occidentem Rhodanus præterfluit, seu potius præterruit, à *Linguadociis*, ut vocant, dirimens, à meridie *Druentia*, vulgo *la Durance*, à *Provincia*, sive *la Provence* dirimitur, quam ab Oriente quoque respicit, versus Septentrionem vero habet *Delphinatum* & Principatum Arausionensem.

Nomen. Fines.

Abundat ager frumento, vino, fructibus & venatu; habet Archiepiscopatum unum, scilicet Avenionensem; 3 Episcopatus, nimirum *Carpentoratensem*, id est *de Carpentras*, *Caballionensem*, sive *de Cavaillon*, & *Vasionensem*, vulgo *Vaison*; quamdiu, quomodo, & quo jure is Comitatus à Pontifice Romano possideatur, varii varie sentiunt, & narrant.

Episcopatus. Sedes Pontificia.

La PRINCIPAUTÉ D'ORANGE et COMTAT de VENAISSIN

Par Iaques de Chieze Orangeois.

1627.

Villes	Bourgs et Villages
Eveſchez	T. Tour
Bar. Baronies	M. Molin
Ch. Chaſteaux	B. Bois

Milles d'Italie.

Lieues de France.

Legues de Provence et d'Orange 15. en un degré

A Treſhaut et Puiſſant Seigneur FREDERIC HENRY Par la grace de Dieu, Prince d'Orange, Conte de Naſſau, Catzenelbogē, Vianden, Dietz, Lingen, Meurs, Buren, Leerdam etc.

IAQVES DE CHIEZE Orangeois D.D.

PARTIE DE LA PROVENCE

PARTIE DV COMTE DE SAVLT

COMTAT DE VENAISSIN

LA PRINCIPAUTÉ D'ORANGE

PARTIE DE LANGVEDOC

PARTIE DE DAVPHINE

Oriens

Occidens

Septentrio

Excudit Guilielmus Ianſſonius Cæsius.

rant. Conſtat ibi ſedem Pontificiam per LX annos integros fuiſſe, cum Clemens Quintus eo ſedem tranſtuliſſet; urbs eſt ambitu murorum à Pontificibus ſplendide ſtructorum, & privatorum publicorumque ædificiorum amplitudine celebris; flumine *la Sorque* in rivulos per plateas urbis, & rura vicina diſtracto hilaris: oritur hoc flumen intra ipſum Comitatum, quarto tantum ab urbe lapide, ad fontem *de Vaucluſe*; verſibus & domo Petrarchæ famoſum, & aquarum limpidiſſimarum copia, quibus magis abundat in ipſo fonte quam alia flumina non ignota, multis regionibus peragratis.

Vrbs Ponte trecentorum paſſuum adverſæ trans Rhodanum ripæ ſuburbio, nomine *de Villeneufve* conjungitur, in quo cœnobium cum Monachorum, tum vicinarum Monialium, nomine *de S. André*, Arcis inſtar, ſatis altis, & valde præruptis rupibus ponti eminet, inibi quoque Carthuſianorum cœnobium.

Avenioni & Carpentorati, diſtinctas ſedes & veſtis colorem à cætera plebe obtinent Iudæi, libere ceremonias ſuas in Synagoga exercent.

Hæc olim urbs, quod Albigenſibus faveret, longa obſidione cincta, vi capta, & propemodum diruta, à Carolo Octavo, Galliæ Rege.

Vrbes, Carpentras.

Carpentras Epiſcopatus, olim *Carpentorate Meminorum*, *Vindiſca*, vel *Vindauſiſa*, & *Vendacenſis urbs*, ex cujus ruinis extructa; Quæſtoris Comitatus Generalis: tenui flumine *de la Ruſſe* alluitur, centum Italos præſidiarios milites obtinet.

Cavaillon.

Cavaillon non longe à *Druentia*, Latinis olim Cabellio Cavarum, Colonia Cabellicorum, hodie Cavallio; Comitatum eſſe *Noſtradamus* putavit, à quo penderent Huenio.

Vaiſſon.

Vrbs *Vaiſſon* prope Druentiam quoque ſita, flumine *la Sorque* alluitur. Olim *Vocontiorum* civitas, & *Vaſio*, inter celeberrimas totius Galliæ Narbonnenſis urbes à Pomponio Mela annumeratur, ex ruinis ad tria paſſuum millia patentibus: celebrem fuiſſe conſtat, præſertim tempore Vandalorum, atque Gothorum, qui expilatam diruerunt. Ac poſtmodum reſtauratam Sarraceni, aliique non ſemel ferro flammaque vaſtarunt, quantumvis à Tholoſatum Comitibus arce nova ad has clades vitandas munitam. Sedes Epiſcopalis ibidem ab anno 314: diœceſis ampla, partem Comitatus *de Venaiſſin* continet, in Arauſionenſem Principatum & Provinciam Delphinatus extenditur; cum diœceſes, de quibus modo egimus, arctis admodum limitibus circumſcribantur.

Aliæ civitates.

Aliæ Comitatus urbes ſunt, Inſula, vulgo *l'Iſle*, *Pons de Sorgues*, *Vaulrias*, *Bolene*, *Caderouſſe*, *Mornas*, caſtro munita, *Du Tor*, *Baronia*, *Maſan*, *Brantou*, cum arce ac militibus præſidiariis, & *Chaſteauneuf*; urbis antiquæ Florus & alii meminere ſub nomine *Vindelium* & *Vindalus*. Hodie *Port de la Traillie*, aut *Pont de Sorque*, prope Avenionem, præterea *Serignan*, Baronia, &c.

Qui plura volet de urbe Avenionenſi, adeat noſtrum Theatrum Vrbium Italiæ, volumine Status Eccleſiaſtici; quas inter, diffuſam civitatis Avenionenſis deſcriptionem reperiet.



DELPHINATVS.

Nomen.



Elphinatus, vulgo *le Dauphiné*, provinciæ Viennensis titulum ab initio præferebat, eratque antiqui Burgundiæ regni quædam portio; sed temporum vicissitudine, Regum Burgundionum, & Transjuranorum dominio adjectus est, qui illum variorum Comitum regimini commiserunt; ipsi vero post Rollonis cognomento Ignavi obitum, hanc provinciam juris proprii fecerunt, adscito sibi Comitum Albonensium, & Viennensium titulo; verum in memoriam alterutrius, Delphinorum nomen retinuerunt, quod & Terris suæ Dominationi subjectis imposuerunt.

Fines. Hic tractus à latere meridionali Provincia clauditur, vulgo *Provence*, & Avenionensi Comitatu, ac Auriacensi Principatu; à Septentrione, Lugdunensi, atque Breslensi territoriis; Vivarezio, & Vellezio, ab Occasu; Sabaudia denique ac Pedemontio ab Ortu. *Extensio.* Longitudine 5 dierum; latitudine, trium iter complectitur.

Divisio. Dividitur in duas regiones, Superiorem scilicet, ac Inferiorem Delphinatum; utraque amplis & elegantibus oppidis nitet; superior quidem sequentia numerat oppida, *Ambrun*, civitatem Archiepiscopatu conspicuam; *Valence*, *Die*, *Gap*, & *S. Pol-trois-Chasteaux*, tres Episcoporum sedes. *Vienne.* Inferior autem, *Viennam*, olim Delphinatus metropolim; deinde *Gratianopolim*, *Grenoble.* impræsentiarum regionis Caput; *Romans*, *Crest*, *Briançon*, *Montelimar* oppidum Rhodano incumbens, Fanum S. Antonii Viennensis, *le Monstier*, *Chasteau Dauphin*, & pleraque alia, de quibus in subsequentibus agemus.

Qualitas. Superior Delphinatus, montium jugis quaquaversum obsitus, omni fere anni tempestate in præruptorum vertice nivibus riget; unde & feris scatet, ursis nimirum, & rupicapris: Inferior autem Delphinatus, frumento, vino, ac ligno feracissimus est; attamen vineæ arboribus insitæ sunt; idem ager ligno, vino & frumento sæpe idoneus est.

Archiepiscopatus, & Episcopatus. Hæc provincia duobus Archiepiscopatibus exornatur, Viennensi nimirum, & Ambuaretensi; quatuorque habet Episcopatus, Valencianum, Gratianopolitanum, S. Pauli Tricastini, & Gapensem.

VIENNENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Viennam ergo profecturi Lugduno, Rhodani alveum prosequamur. Ille obviam multas constituit insulas, quarum nobilissima illa est, quæ *Du Fesin* nominatur, ad milliare protensa & expansa. Lugdunum inter & Viennam urbes quinque leucis ab invicem dissitas, *Garon* & *Giers* flumina Rhodano sociantur; *Garon* fluvius martyrio S. Didaci Viennensis Archiepiscopi clarus, cujus sanguine fuit purpuratus; *Giers* autem è monte Pila defluit, ubi stertit velut immobilis lacus, *Giers* puteus communiter appellatus, cui à natura insitum, ut vaporibus sursum emissis, futuras in aëre procellas præmoneat, quæ tandem in ventorum turbines ac pluvias erumpunt. Hujusce scaturiginis aqua adeo frigida est, ut nec absque punctione doloris diutius in ea manum teneas; imo & si quis mensibus æstivis potaverit, os bibentis illico intumescit. *Doibe* alter fluvius eodem ex monte prodit, jungiturque *Giers* amni, ut pariter Rhodano immergantur.

Porro amnes isti Viennam procurrunt, ubi Rhodanus ponte jungitur, ibidemque *Gere* rivulus molas frumentarias, papyraceas, atque alias circumagit.

Vienna autem vetustissima est civitas, olim à *Vienne.* Iulio Cæsare frumentis asservandis deputata, quam ipse *Viennam Allobrogum Metropolim* appellat; & Strabo, *Nobilissimam in Galliis Metropolim.* Claudius vero Imperator, *Ornatissimam valentissimamque Viennensium Coloniam.* Ado Viennensis, *Senatoriam* nuncupavit, propter amplitudinem, supremamque sui Senatus potestatem. Fortunatus *Vrbem Alpinam & Opulentam*; Eusebius, priscique alii laudatissimi auctores multo amplius illam commendarunt, utpote *Sanctam, Metropolim, Galliarum maximam, & opulentissimam prolocuti.* Longius olim latiusque, quam impræsentiarum sua pomœria dilatavit, hoc quippe relicta vetustorum mœnium rudera plenius evincunt. Hæc quondam fuit præcipua Allobrogum civitas, quo quidem nomine Sabaudi Delphinatesque comprehendebantur. Fertur autem nomen accepisse à Venetio quodam, natione Africano, patriaque extorri ac fugitivo, qui & mœnibus illam cinxit, ante annos bis mille; quin & Senones dum in Italiam transmitterent anno 365 ab Vrbe condita, ibidem duo templa erexerunt, alterum Marti, alterum Victoriæ. Ab illo autem ævo cum Romani Delphinatum suæ ditioni subjecissent, præclaram inibi Coloniam collocarunt, & Tiberius Gracchus illam ponte exornavit anno 576 Vrbis conditæ, ambasque pontis extremitates duabus arcibus munivit, quo via tutior omnibus esset. Illam Iulius Cæsar diutissime incoluit, & in ea belli penus & horrea constituit; Tiberius quoque editissimam illam turrim extrui præcepit, ubi dicitur Pilatus diem clausisse supremum; in vinetis etiam ingentes adhuc visuntur pyramides, ubi olim illius palatium; lacusque conspicitur, in quem ipse sese præcipitem dedit; quin & asseritur, quasi indubitatum, D. Mariæ Templum ex ipsius Prætorii, in quo jus diceret, ruinis extructum; imo & inscriptio hæc in quadam lapidea illius columna legitur, *Hoc est capulum sceptri Pilati, qui hic extinctus est.* Illam & Galba

DELPHINATVS vulgo DAVPHINÉ

Avec ſes Confins des Pais et provinces voiſines

Par Iean de Beins Geographe et Ingenieur du Roy.

Apud Guiljelmum et Joannem Blaeuw.

Milliaria Gallica.

Milliaria Italica.

Milliaria Germanica.

Septentrio — Meridies — Oriens — Occidens

BRESSE. BUGEY. SAVOYE. LA TARANTAYSE. ALPES. LA MVRIENNE. LANGVEDOC. PARTIE DV PIEMONT. LA PROVENCE.

52.

Galba suâ munificentiâ decoravit, frendente etiam Nerone, & ut civibus, qui à se adversus Lugdunenses Neronemque steterant grates rependeret. Testatur tandem Pomponius Mela, horum Imperatorum ævo, amplissimam ibi totius Galliæ Vniversitatem ac scientiarum omnium Academiam floruisse, ex cunctisque orbis partibus illuc præclara ingenia, velut ad emporium optimarum artium, sese contulisse.

Verum relictis paganismi tenebris, ad splendidissimum Christianæ fidei jubar transeamus; suos habeat pugiles & gladiatores amphitheatrum, quod etiamnum intra illius muros ferme integrum visitur; vana illa Romanæ antiquitatis monumenta, quæ ipsa curiosissime asservat, prætereamus; illiusque maximum decus, à Christi religione, & ab elegantissimis sacerrimisque Deo dicatis ædibus aucupemur.

Ecclesiæ. Cathedralis S. Mauritii Ecclesia in aggere sita, structuræ est perelegantis; illuc duobus & triginta gradibus ascenditur; decem habet parochiales, præter Collegiatas S. Petri, S. Severi, & S. Andreæ Religiosi. Splendidissimum est hac in urbe Patrum Societatis Gymnasium. Sunt & multa virorum Religiosorum & Virginum cœnobia, Xenodochia, & aliæ, quas singularis pietas, domus ædificavit.

Primatus. Viennensis civitas de Galliarum Primatu cum Lugdunensi contendit, gloriaturque una & altera vice suos intra muros Vniversalem Ecclesiam duobus œcumenicis Conciliis congregasse, aut potius inclusisse.

Divisio. Dividitur territorium Viennense in Superius, & Inferius; Superius incipit à latere Lugdunensi, ducitque à fano S. Genesii usque ad viam publicam S. Martini.

Duobus à Vienna milliaribus extat mons atque puteus, sive lacus Pilati dictus. Vrbs ista & vetera & nova pro ratione temporum habuit fortalitia, quæ eadem quoque vicissitudine diruta fuerunt. D. Mariæ templum, fuit olim Prætorium Romanorum, ubi columnæ & epistylia affabre elaborata visebantur.

Hæc Diœcesis septem numerat Archipresbyteratus, quibus plures subjacent Parochiæ. Subsunt & Prioratus, & Abbatiæ, quarum præcipuæ hac serie recensentur, *S. Antonii Viennensis, S. Chef, Romans,* S. Petri extra portas Viennenses, S. Andreæ item Viennensis, ac demum Bonævallis.

Suffraganei autem Viennensis Archiepiscopi sunt hi qui sequuntur Antistites, Genevensis, Gratianopolitanus, Moriennensis, Viveriensis, Diensis, & Valenciensis. Crescentium vero illuc in prædicationem Fidei à S. Paulo missum, Viennæque primum sedisse Episcopum, asserit Ado Viennensis, illius etiam Sedis suo tempore successor.

Transmissa igitur Viennensi civitate, Rhodani amnis ductum prosequendo, Turnonium devenitur, obiterque Delphinatum inter & Vellayum quinquaginta rivuli variis flexibus per herbida littoris circumducti cum admiratione conspiciuntur; tribusque à Vienna milliaribus, *Bar* fluvius occurrit, exundationibus frequens, ac prata sibi adjacentia devastans.

EBREDVNENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Ebredunum, vulgo *Ambrun*, Imperialis quondam civitas, Superioris Delphinatus est caput & metropolis; cujus Suffraganei sunt, Digniensis, Senezensis, Glandevensis, Nicensis, Vensensis, & Grassensis, Antistites, cuncti extra hanc regionem positi. Hæc autem urbs hujus regni postrema est, qua Provinciam ingrediaris, supremaque totius Franciæ; quemadmodum omnium infima est civitas Narbonnensis.

Qui Iulii Cæsaris libros de bello Gallico evolverit, nullo negotio adduci poterit, ut credat, Ebredunum inter antiquissimas, ut & amplissimas esse hujus provinciæ civitates; illam enim ante sexcentos & mille annos Cæsar memorat, vetustissimis Galliæ populis accensens, qui invicem fœderati ingentem adversus Romanos exercitum in aciem educerent; illos autem Ambuaretorum vocabulo indigetat.

Vocatur autem à Latinis ipsa civitas, *Ebredunum, & Ebrodunum, urbs Caturigum, & Alpium maritimarum finitima*, qui ab *Ebris* idolo ibi quondam à Paganis adorato, atque ex *Duni* vocabulo, quod veteribus Gallis montem significabat, nomen assumpsisse referunt. Equidem urbs loci naturâ munitissima est, inaccessæ etenim rupi insidet à latere Occidentali; à Meridie vero aliisque regionibus, firmissimis mœnibus, propugnaculis, arceque defenditur. Vrbi dominatur cum Rege Archiepiscopus, alternatimque Iudex tum à Rege, tum ab Archiepiscopo constituitur, unde appellationes directe ad Parlamentum provocant. Ipse autem Ebredunensis Baillivus districtuum & jurisdictionum subalternarum provocationes definit. Est quoque Officialitas, quam Curiam Ecclesiasticam appellant.

Collegium, seu Capitulum viginti Canonicis exornatur, quos inter locum honorarium Rex possidet; volensque Ludovicus XIII, Rex, patefacere neutiquam ab armis dissentire pietatem, honorarium hoc munus, dum Susam pergeret, implevit, aut potius locum occupavit, assumpto etiam superpelliceo, & almutio Canonicorum insigni; quod & à Francisco I constitutum ferunt, simul cum Missâ quot diebus ab uno Canonicorum celebrandâ, quam Regis Missam dictitant. Sacræ Sanctorum reliquiæ, hac in Basilica asservatæ, pretiosissimaque ornamenta ostentantur. Hæc urbs septem olim parochias numeravit; verum binæ funestis ob religionem dissidiis in munimenta bellica fuere conversæ. Collegium Societatis, quod ibi extat, & celeberrimum, & frequentissimum est.

Maximas olim prærogativas habuerunt Archiepiscopi, dum jus cudendæ monetæ prætenderent, nam & Principatus titulum illo ævo prætulerunt.

Baillivatus Ebredunensis ad leucas undecim extenditur, illi Vallis Barcinonensis ab Ortu, & à Meridie contigua est. Porro S. Nazarius illuc à Lino D. Petri successore fuit delegatus anno 69, at vero cum ab eodem Pontifice Romam revocatus

catus fuiſſet, ibique pro Chriſto martyrium ſubiiſſet; ad tempus fidei jubar apud Ebredunenſes eclipſim paſſum, tandem anno 340, ſuos pleniſſime radios diffudit, prædicante ſcilicet S. Marcellino natione Africano circa finem Imperii Conſtantini Magni. Ipſe autem Marcellinus primus omnium ſedem hanc tenuit & exornavit.

VALENTINVS & DIENSIS EPISCOPATVS.

Valence.

VAlentiæ nomen multæ urbes præferunt; habet enim ſuam quoque Hiſpania Valentiam regni cognominis caput; habet & Vaſconia, ejuſdem nominis urbem juxta Condomum; hæc autem, qua de nunc loquimur, Valentia Delphinatum occupat; quæ duabus aliis honorem antiquitatis præripit; illam Ptolemæus *Coloniam Romanorum Valentiam prænomine Iuliam* indigetat; Strabo autem ipſam ante tempora Iulii Cæſaris *Durium* fuiſſe appellatam aſſerit; alii tandem *Segalaunorum urbem Rhodano flumini poſt Iſaræ amnis confluvii impoſitam*, dicunt, & Plinius *Valentiam Cavarum*. Ipſa eſt Ducatus Valentinenſis caput, Rhodano inſidens, quam ipſe alluit, ejuſque mœnia tanto impetu pulſat, ut nuper maximam eorum partem ſuis fluctibus diruerit.

Qui curioſius fundationis auctores perquiſierunt, illius gloriam Romo, Allobrogis Gallorum regis filio, tribuunt. Sed alii probabilius à Romana ibi exiſtente Colonia Romæ nomen inditum affirmant; Roma enim Græce, idem Latine ſonat atque Valentia. Alii vocum ſimilitudini inhærentes, Valentem & Valentinianum Imperatores hujus civitatis conditores adſtruunt, ſed perperam; namque ante hos Imperatores etiam Valentia vocabatur.

Fontes.

Illud vero, quod memorabile hac in urbe reperitur, ſunt fontes illi inſignes, quibus prata irrorantur; horum canales rari adeo artificii ſunt, ut illos perambulare homo etiam erectus poſſit; opus certe Iulii Cæſaris magnificentia dignum, cujus nec initium, nec finis hucuſque reperta ſunt. Vocantur autem fontes iſti, unus *Charan*, alter *Contant*. Extant & in Dominicanorum cœnobio bini fontes exigui, æſtivis menſibus glaciei inſtar frigidi, hibernis autem calidiſſimi.

Eccleſiæ.

Templa, quæ quidem nihil fere aliud impræſentiarum præferunt, quam triſtes Fœderatorum furoris reliquias, olim ſtructuræ perelegantis & magnificæ extiterunt. Princeps Eccleſia ſub nomine S. Apollinaris, ceteris tum ſtructuræ elegantia, tum dignitate prælucet; hæc Cathedralis, quæ & Canonicorum collegio illuſtratur; nec inelegans eſt, quæ S. Felicis nomine honeſtatur, in qua, ſuperiori ſæculo ante funeſta bellorum diſſidia, Romani Equitis cum uxore tumulus viſebatur hoc Epitaphio inſignitus:

D. M. MEMORIÆ ÆTERN. PETRONI CASTIVET. MISSI HONESTA MISSIONE EX LEG. PRINC. MIN. EX OPTIONE PROCONS. DV-

Gallia.

CENAR. ET VITALINÆ FLORAT. CONIVG. ILLIVS VIVI SIBI PONENDVM CVRAVER. ET SVB ASCIA DEDICAVERVNT.

In ipſo etiam aditu prædictæ S. Apollinaris Eccleſiæ legitur adhuc hæc antiquæ notæ Inſcriptio:

T. POMPEIO HILARI LVERINO. T. POMPEIVS BASSVS. ET PATRI SIBI.

Conſpicitur & in Dominicanorum viridario Gigantis cujuſdam *Buard* dicti effigies, 15 cubitos altitudinis, ſeptem vero latitudinis, prout ex oſſium è clauſtro non ita pridem exhumatorum dimenſione conjectatum eſt. Sunt & aliæ ædes ſacræ, S. Martini ſcilicet, S. Iacobi, Franciſcanorum, Minimorum, Capucinorum, S. Vrſulæ virginum, & aliarum ſub SS. Benedicti, & Bernardi inſtitutis.

Abbatia S. Rufi olim inter ſuperbiſſima Delphinatus ædificia cenſebatur, illiuſque imprimis clauſtrum, quod marmoreis columnis vario colore interſtinctis, atque affabre elaboratis erat ſuffultum, imo veteris ac novi Teſtamenti figuris expictum; tota autem elegantia poſt illius vaſtationem diſperiit.

Hæc Abbatia quondam ab Vrbano V, Avenione huc tranſlata, poſtmodum in Prioratum S. Iacobi, qui in urbe eſt, conſtituta, à Canonicis Regularibus D. Auguſtini poſſidetur, qui ſolius Romani Pontificis juriſdictioni ſubſunt; namque hoc monaſterium eſt hujus Ordinis in hac provincia caput, ex eoque S. Felicis Prioratus dependet.

Eccleſia S. Ioannis.

Eccleſia S. Ioannis, quæ nunc Rotunda, olim Pantheon dicebatur, priſcorum incolarum & opulentiam, & falſam pietatem clamat; ii quippe Romanorum mores in omnibus imitabantur, mutuabanturque ab iiſdem delubra, ritus & numina, ut à quibus vitam acceperant, acciperent & religionem.

Abbatia S. Petri.

In Abbatia S. Petri, quæ quidem in burgo abs Carolo Magno fundata eſt, patet foramen, quod longe protenditur ſubter Rhodanum flumen, & in adverſam ripam campoſque ultra patentes deducit, at ſupra tranſeuntium caput, quaſi ponte ſuperius ſtrato, profluit amnis.

Tumulus Imperatricis.

Præter hæc autem antiquitatis miracula, in domo cujuſdam civis cernitur eximium feminæ, forſan Imperatricis, ſepulchrum, quod quidem in vinetis, cum hac Inſcriptione fuit repertum, D. IVSTINAM. A. ipſo autem aperto apparuit formoſiſſima mulier, cui annulus aureus in unaquaque auricula appendebat, utrique vero annulo inſertus erat lapillus, uni Turqueſia, alteri Smaragdus, vas etiam cryſtallinum pedibus appoſitum, & vitrea capiti lampas. Verum & cadaver, & ſumptuoſus iſte apparatus exceptâ aurâ in pulverem abierunt. Taceo inſignes alias antiquitatis reliquias, quæ priſcam hujus urbis amplitudinem & magnificentiam locupletiſſime teſtantur.

Nam ut ad ea, quæ impræſentiarum habet ornamen-

namenta revertamur, quæ illi decus, & majorem quam antea splendorem addunt; Ducatus titulo gloriatur, sede Præsidiali, arce validissimâ præsidiario etiam milite instructâ, augusto Magistratu, celeberrimâ Iuris civilis Academiâ, & quod longe melius, Episcopum habet, qui animarum saluti invigilet.

Est autem Episcopus, Valentiæ Comes & temporalis Dominus, qui Baillivum, Iudicem-majorem aliosque inferiores Officiarios constituit. Ipsa etiam Cathedralis Basilica jurisdictione potitur suprema, media, infima, ab Episcopali jurisdictione indivisa in Canonicos omnes, & Ecclesiæ Officiarios.

Adjacens urbi Burgus optimo mœnium ambitu vallatur, suosque habet Consules & Magistratus. Exornatur etiam venerabili Capitulo, Priore, Canonicis plurimisque Clericis insignito, neque Ordinarii jurisdictioni subjecto. Pertinet autem suprema, media, & infima jurisdictio ad D. Felicis Abbatem, & hujusce loci Priorem; quorum quisque suos seorsim Officiarios habet.

Erumpunt è collibus urbi proximis multi rivuli, qui & prata irrorant, & quinque molas propellentibus aquis circumagunt. Duobus hinc milliaribus reperitur locus *de la Roche-Clain*; hic nomen perdit Isera fluvius, suasque aquas Rhodano confundit. Nec procul à prædicto Burgo Torrens Barbeyrollius eundem in amnem evolvitur, qui maximas eidem Burgo clades parit, alvei sui ripas supergressus.

Valentina Diœcesis 325 parochias suæ jurisdictioni subjectas habet, atque Abbatias S. Rufi, & S. Tiraucii Saonæ, vulgo *S. Tiers de Saon*. Primus sedit Valentiæ Antistes S. Felix, cui plurimi virtute insignes Episcopi successerunt.

Divisio. Ager Valentiæ dividitur in superiorem & inferiorem; superior ab Isera fluv. ad Droumam quoque flumen excurrit; inferior autem à Drouma usque ad terras *Provinciæ* contiguas. Superior longitudine & latitudine quatuor duntaxat leucis diffunditur.

Oppida. Regio superior ipsam Valentiæ civitatem habet, nec non S. Marcellini oppidum, *Albon*, *Moras, Romans*; hæc urbs opulenta, quæ aliquam Ierosolymæ similitudinem, aut saltem quasdam illius circumstantias exhibet; *Loriol*, *Alez*, *Vire*, *Vaulvanes, Beaulne, Cornillanne*, *Ourches*, *Barcelonne*, *Montvendres, Chabueil, Montmeyran, Monteyson, Vspic, Montelegier, Beaumont, l'Estoille, la Vache, S. Thomas*, & *Livron*, quæ quidem tenuis est urbecula, ubi olim castrum in rupe conditum, cujus situ freti cives eo insolentiæ devenere, ut Henrici III, Regis, auctoritati rebelles, illius exercitum sisterent, Regemque ipsum contumeliis ac maledictis proscinderent; *la Mote Faugeas*, *la Roche-chinard*, *S. Nazaire, la Beaulme d'Autun, Autun*, *Chasteau-double*, *Peyrus, Combovin*, &c. Hæc omnia loca fuere olim mœnibus cincta, sed anno 1564, flagrantibus dissidiis civilibus discincta, præter *Chabueil*, *Estoille*, *Monteilles*, & *Alixan*. Interfecatur hæc regio fluentis cujusdam rivuli *Veovre* dicti, quibus etiam illius solum uberrime fœcundatur.

Montelimar. *Montilium Ademari*, vulgo *Montelimar*, oppidum castro munitum, in inferiori Valentinatu sedet, Canonicorum capitulo exornatur, & Vice-Senescallatu, cujus jurisdictioni subsunt pagi circiter quinquaginta. Tribus perfunditur fluminibus, nempe *Robion*, *Iabron*, & *le Rez*.

Pierrelate. E Montilio Ademari ad Petramlatam, via ducit amœnitate incomparabilis, thymo, lavendula, roremarino, herbisque aliis suaveolentibus respersa. Est autem Petralata urbs elegans, commerciis frequens, castro in rupe sito obarmata, è quo jucundissimus patet in amnem Beveram prospectus. Vidit hic amnis effusum Catholicorum sanguinem suis cum undis eodem alveo fluere, quos insana adversæ religionis rabies aut occiderat, aut ex editissimis turribus præcipitarat.

Loca. Cætera hujus districtus præcipua loca sunt, *Ancone*, *Derbieres*, *Sanasse*, S. Marcelli Prioratus, *Sauzet* burgus castro munitus, *Marsanne*, *Roynac*, *Puy S. Martin*, *Soupierre*, *Chasteau-neuf de Mazene*, *Poytlaut* Præceptoria Melitensis, *Dieu le fit*, *Alençon*, *Roches*, *Secret*, *la Bastie*, *Blacons*, *Taulignan*, *Donzere* & *Chasteau-neuf du Rhosne*, vel *de Rat*, ambo Principatus; *la Garde* Baronatus, ubi Domus elegans; *Roche-fort*, *Pieygiron*, oppidulum castro vallatum; S. Gervasii burgus muris cinctus; *Suze la Rousse*, Comitatus, ubi quoque est castrum, *Tullette*, *Rochegude*, &c.

Valentina Diœcesis quatuor habet presbyteratus, quorum primus est Montilium Ademari, quo continentur quindecim Prioratus, & S. Tiraucii Saonæ abbatia; secundus est Livronensis, ubi decem Prioratus; tertius, Royanensis; qui septem habet Prioratus, & Abbatiam Verneysonensem; quartus denique S. Silvestri presbyteratus.

Baroniæ autem, vulgo *les Baronies*, spectatissimam constituunt regionem, quæ quintam fere Delphinatus partem facit sub uno eodemque Baillivatu, cujus sedes est loco *de Buys* regiæ ditioni subjecto; *Vinsobres*; *Condourses*, locus muro & arce munitus; *Nyons*, vetus oppidum; *Aigues* amni riguum, qui sub ponte labitur: vehementissimi hujus regionis æstus, emisso ex rupis hiatibus vento temperantur; aliàs esset inhabitabilis; ipsa autem rupes urbi supereminet, ipsi quoque rupi fons adjacet morbis pluribus salutaris. Arx Nionensis solo fuit coæquata. *S. Aubin.* S. Albani oppidum, mœnibus & castro est vallatum; S. Iallæ urbecula, rivulo & muris circumcincta, arce non ineleganti defenditur. Cætera loca sunt *Sahunne*, *Merindol* regiæ ditionis oppidum mœnibus clausum; *Montbrun* Comitatus, & locus etiam muris cinctus; *Ville-perdrix*, *S. André*, *Mirabel*, *Vanterolle*, *Piegoun*, *S. Vsomy*, *S. Sauveur*, *le Poët*, *Arpavon*, *Moulans* burgus binis castris munitus, cujus etiam muros allambit Auveza saxeo sub ponte transiens; & quidem locus ille mœnium ambitu cingitur; verum arx illius fuit diruta anno 1622: *Reillanete*, burgus itidem conclusus, quem pertingit mons editissimus, *Mont-ventoux* vulgo dictus, qui ad tres mille passus in ambitum excurrit, locus undique inaccessus, fonte limpidissimo multisque cisternis instructus; ipsa vero, quæ in summitate rupis extat planities, frumentum ac ligna in præsidiarii militis usum suppeditat. Populis frequentissimus est hic Baillivatus, & ad septem protenditur leucas longitudine, latitudine 4; potestque 2000 Pedites, Equites 300 in aciem

aciem educere ; in ipsius vero defensionem regionis, sex bellatorum millia conscribi possent.

Die. Dia, vel *Deia Augusta Vocontiorum*, vulgo *Die*, colonia Romanorum, in inferioribus Delphinatum montibus, & quasi in ipsius regionis gremio sita, Temporalitatis seu Vallis Diœcesis est caput, tribus olim exornata turribus, quæ quidem Parlamentaria auctoritate solo æquatæ fuerunt ; illarum altera figuræ quadrangularis, veterum Romanorum opus videbatur ; aliæ vero duæ quinque angulorum formam præferebant, eximiæ structuræ, symmetriæque singularis ; bini amnes mœnibus circumfusi, Drouma nempe, qui è Vaudromensi parochia proficiscitur, octo supra Diam milliaribus, tribusque locis superiùs lacum efformat, qui Lucensis lacus nominatur, vulgo *Lac de Luc* ; creditur autem ratio nominis mutuata è loco Romanis olim familiari, sed amnis exundationibus submerso, cujus etiamnum quædam in medio lacu turres extant, integræque concamerationes. Fluvius alter Merossa dicitur, aliàs *Merosse*, quem prisci Romani quibusdam aquæductibus in urbem invexerant, qui hodieque visuntur ; solum Diense perfundit, septenasque circumagit molas. Porro Diensis civitas illustratur Ecclesia Cathedrali, quæ suos habet Canonicos ; imo & Iudices, Officiarios, jurisdictionemque ab Episcopali sejunctam ; præclarum ostentat campanile, quod nec humi incumbit, sed sursum attollitur columnis lapideis ex uno lapide miræ altitudinis & molis suffultum ; Episcopale palatium adhuc integrum perseverat. Vrbs quoque arce munitur, ubi præsidiarius miles. Visitur & in platea majori antiqua domus, quæ olim à Vestalibus inhabitata fuisse perhibetur.

Crest. Crestense oppidum Droumæ aquis irriguum turrem habet quadrangularem, præter castrum, & ea, quæ in illius ambitu sunt domicilia. Arx pone urbem extat. Primaria Valentini Diensisque Senescallatus sedes est.

Diensis autem Episcopatus quaternis Archipresbyteratibus constat, Diensi nimirum, Crestensi, Desertensi, & Trivensi ; duas Collegiatas, habet, Crestensem scilicet, atque Grinianensem. Dimidio abs Diensi urbe milliari reperitur Vallis crescentis Abbatia sub monte Glandassio sita, qui tantæ est altitudinis, ut vinetis ad duodecim leucas in circuitu consitis, gelû, quod ingerit, summopere noceat. Sunt præterea quædam Abbatiæ, & Præceptoriæ Melitenses.

Loca. Plurima sunt Diensis jurisdictionis loca, nimirum, *Chastillon, Moulieres, S. Roman, la Croix haute* ; *Glandage* castrum inexpugnabile, nec nisi cælo ipsi conspicuum, quo impeditissimis aditibus pervenitur ; *Menglon, Poujols la Mote-Chalençon, Luc, Salhans, Aouste, Bordeaux, S. Agnan, S. Martin, Pontaix*, &c.

EPISCOPATVS GRATIANOPOLITANVS.

Grenoble. GRatianopolis, inter antiquissimas & nobilissimas censetur Galliæ Narbonnensis civitates ; à Ptolemæo vocatur *Accusion*, qui & illam fuisse inhabitatam asserit à populo & Colonia è *Provincia* deducta ; nomen vero istud retinuit usque ad tempora Diocletiani & Maximiani, quorum ævo *Cularona* vocitata est.

Hanc civitatem Maximianus apprime munivit, arcemque inibi in protectionem Romanorum extruxit, duasque ex quadrato lapide portas erexit, miri omnino operis, quod etiamnum intuentium oculos ad se rapit ; quæ meridiem aspicit, *Romanæ Ioviæ* nomen extulit, hocque illi vocabulum in Gratiam Diocletiani inditum est, qui sese Iovi coæquabat, cui & ipsemet hanc inscriptionem insculpi mandavit, quæ impræsentiarum etiam visitur :

DD. NN. IMPP. CÆS. CAIVS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS AVGVSTVS, ET IMP. CÆSAR M. AVREL. VALERIVS MAXIMIANVS, PIVS, FELIX, INVICTVS, AVG. MVRIS CVLARONENSIBVS, CVM INTERIORIBVS ÆDIFICIIS, PROVIDENTIA SVA INSTITVTIS ATQVE PERFECTIS, PORTAM ROMANAM IOVIAM VOCARI IVSSIT.

Quæ vero spectat ad Septentrionem, ducitque Viennam, *Herculeæ* titulo insignita est, in memoriam scilicet Maximiani, qui sese in terris Herculem jactitabat ; exornatur vero istâ inscriptione :

DD. NN. IMPP. CÆS. CAIVS AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS PP. INVICTVS AVG. ET IMP. CÆS. MARC. AVREL. VALERIVS MAXIMIANVS, PIVS, FELIX, INVICTVS, AVG. MVRIS CVLARONENSIBVS CVM INTERIORIBVS ÆDIFICIIS PROVIDENTIA SVA INSTITVTIS ATQVE PERFECTIS PORTAM VIENNENSEM HERCVLEAM VOCARI IVSSERVNT.

Tandem Gratianus Imperator, Christianus Princeps, Gallisque dilectissimus, multis eam splendidissimis ædibus exornavit, illiusque dilatavit pomœria, ac nomen *Gratianopolis* imposuit. *Nomen.*

Sedet hæc civitas in planitie ad radices Alpium, quæ paulatim recedens à montis *Chelmont*, sive *Challemont* acclivitate, molliter ad Ortum diffunditur in arvum adeo pingue, ut cunctis ad vitam necessariis luxuriet ; ubi & prospectus est amœnissimus, atque innumeris campestrium deliciarum oblectamentis circunscriptus. Sat autem

tem digitum intendiſſe; nam inde progrediare neceſſum eſt, ut quatuor miracula abs Ludovico XI, Rege, curioſius obſervata,tu etiam aviddiſſime perluſtres.

Quatuor Diœceſis Gratianopolitanæ miracula.

I. Primum itaque miraculum eſt fons vividiſſimus, ſive *Ardens*, cujus & S. Auguſtinus meminit, fontique Epiri adæquat, qui facem extinctam accenderet, accenſam autem extingueret. Iſtud plane inter maxima mundi miracula computandum eſt, nam aquam igni ſociat, jungitque pacis fœdera inter infenſiſſimos ſibi invicem hoſtes, quibus à natura inſitum eſt, ut ſe invicem perimant, nec ſe mutuo compatiantur.

II. Secundum vero miraculum eſt Turris à veneno immunis, quæ haud procul à Gratianopoli diſſita eſt; hoc autem nomen ſortita eſt, quod nullum apud ſe venenoſum animal compati poſſit; nam, mox ut illatum fuerit, extinguatur neceſſe eſt: quod provenit occulto naturæ miraculo.

III. Tertium, eſt Mons ſuo ex ſitu inacceſſus, nam terræ incumbit in modum inverſæ pyramidis, anguſtus in radicibus, paulatimque dum aſſurgit, ſeſe dilatans, donec in ſatis amplam diffundatur planitiem, quæ extat in vertice.

IV. Quartum tandem miraculum eſt regiuncula ſenis excurrens milliaribus, binos inter montes, nimirum à loco *de la Boiſſiere* dicto, adusque Gratianopolim; hunc tractum Ludovicus Delphinus amœniſſimum totius mundi hortum dictitare ſolebat, ubi centum antiquiſſimæ Nobilium domus, quas inter ſtrenuiſſima familia *du Terraille*, ex qua ſtemma duxit, qui poſtmodum toto orbe celebratiſſimus Eques Bayardus.

Iuxta Gratianopolim, viâ, quæ Lugdunum ducit, ſpecus reperitur, quæ pandit iter ad lacum ſubterraneum, uno latum milliari, longum duobus aut tribus, quem Franciſcus I, Rex, dum è *Provincia* rediret, curioſitate ductus explorare voluit, navigiumque in hoc opus adornari præcepit,cujus fragmenta longo poſt tempore aſſervata fuere: navigatum eſt ad duas & amplius leucas in ipſo lacu, ſed illius aquæ alterum in lacum præcipites averterunt generoſiſſimum Principem cum regia caterva ne ulterius progrederetur, cumque faces accenſas aſſeri commiſiſſet ſecundum aquæductum, ut illuc à longe poſſet proſpici, quò abſque temeritate fas non erat pertingere, ſtatim ab oculis faces evanuerunt appulſo loco ubi aquæ in præcipitium irruebant.

Chaſteau de Vigile.

Opus etiam nòn vulgare in tractu Gratianopolitano cernitur, arx nempe Vigilenſis,Romanciæ amni inſidens, pereleganti ſtructura nitens, ſuperbis ædibus, queis 126 conclavia numerantur; horti præterea amœniſſimi, fontes, labyrinthi, areæ, Xyſthi arborum fruticumve ordinibus diſtincti; eſt præterea armamentariolum omni bellico apparatu inſtructum.

Amnes.

Amnis Romancia è præcelſis montium jugis decidit, perlapſoque *d'Oyſans* burgo, lacuum defluvia excipit, qui in montis abſorpti vertice extant, rapitque obiter *Sop, Salaiſe, la Perte* flumina, quæ ſecum in Dracum torrentem incitatiſſimum, exundationibuſque frequentiſſimum devehit. Torrens autem ipſe juxta Gratianopolim ponte pertranſitur, ſed ſæpius ſuos perfringit aggeres, eruptioneſque facit, quæ maximum toti regioni exitium afferunt: naſcitur vico *de Champlieu*, multaque in decurſu perluens loca, tandem in Iſeram evolvitur. Dia quoque fluvius è *Mens*, & *Treſminis* prodit, peractaque præfixa ſibi periodo, in Dracum totus irruit.

Vulgo circumfertur apud cives Gratianopolitanos, *Serpentem & Draconem, Gratianopolitanam devoraturos civitatem*; Serpens dicitur Iſera ob Mæandros illi frequentiſſimos; Draco autem ipſe Torrens, qui & nomine ad id monſtrum accedit, quemadmodum & re, ob innumeras clades, quas ingerit; quod ex ſimili prorſus eventu poſſet comprobari, quiquidem ſub Philippo Adeodato Rege contigit, ſtagno S. Laurentii, ſubita eruptione extra metas effuſo, tantaque inundatione, ut tota quaquaverſum Gratianopolitana civitas aquis immerſa fuerit; ipſique mercatores, qui nundinarum cauſa venerant, in plateis publicis aquarum impetu ſuffocati; effracti pontes Iſeræ, dirutæ arces, arborum ſtupendæ moles in ſilvis eradicatæ; totaque ipſa regio Diluvii Vniverſalis terrore concuſſa; nam & illius quoddam præludium conſternati perſpiciebant incolæ.

Porro cuncti, quos hucuſque retulimus, fluvii, & Greſſa amnis, qui è Lenſia decidit, oppidumque S. Nazarii perlabitur, ubi pontem Romancii pertigerint, ſociata ſibi paulo inferius Furentia, uno alveo in Rhodanum decurrunt. Romancium autem vetus eſt oppidum, juxta figuram Ieroſolymæ Iudæorum metropolis delineatum. *Romans.*

Parlamentum.

Parlamentum Gratianopolitanum à Carolo Septimo fuit inſtitutum anno 1453, auguſtum plane, & ob ſuos Præſides Conſiliarioſque abſolutæ integritatis viros ſummopere commendatum. Eſt hic Camera Computorum, Cancellariæ, Edicti, &c. Eſt quoque Publica Domus, ubi quatuor Conſules urbis regimen & politiam decernunt: octo validiſſimis munimentis, ac turribus, quæ in ponte, inſula, *Rabot, Thalemont, Saſſenaigre* extant, fortalitioque Baſtidiæ protegitur. Alia inſuper habet ornamenta, quæ quidem enumerare, nimis foret prolixum.

Sed nihil antiquius aut ſplendidius ſuis Eccleſiis, quarum Cathedralis Deiparæ ſacra, Decano deſervitur octodecimque Canonicis. Ædes S. Andreæ turrem pyramidalem miræ altitudinis oſtentat, quæ etiam Canonicorum collegio gloriatur; ut & alia D. Magdalenæ dicata, ſunt præterea binæ parochiales; præter cœnobia Dominicanorum, Franciſcanorum, Minimorum, Recollectorum, Capucinorum, Auguſtinenſium, Ieſuitarum, Clariſſarum, & Vrſulinarum.

Gratianopolitani Antiſtites titulum Principis aſſumunt, ipſius nempe civitatis; atque in Comitiis Delphinatus, perpetui Præſides exiſtunt. Conſtat hæc Diœceſis quatuor Decanatibus ruralibus, in ſummaque 312 parochias complectitur; 72 Prioratus, adnumeratis Cartuſianorum ſolitudinibus; ſeptem Monialium Conventus; ſex Præceptorias, ſeu Commandatarias; Domus Hoſpitalariorum 36; Leproſorum 18; & plurimos Mendicantium Conventus; ac tandem Abbatiam à Sepibus cognominatam, vulgo *les Hayes*.

Pri-

Primas tenent sub Viennensi Metropolitano hujus civitatis Episcopi, quorum primus fuit Domninus, cujus meminit Concilium Aquileense cum S. Ambrosio, Mediolanensi Episcopo, anno 381.

Territorium Gratianopolitanum quandoque Graisivaudanense vocitatur, quod nihil aliud denotat, quam Gratianopolitanum. Duobus ab urbe milliaribus visitur Conventus S. Cæciliæ, Virginum Deo sacrarum; cui assidet burgus *Pariset* dictus.

Guye fl. *Guya* fluvius binis conflatur è rivulis, quorum unus è Cartusia pago nascitur; alter intra fines Parochiæ D. Petri in Delphinatium montibus, socianturque invicem in Scalarum seu Essellarum burgo, atque ubi S. Gervasii fanum attigerint, Rhodanum subingrediuntur.

Les Eschelles. *Scalæ*, à via publica, cui insident, nomen acceperunt; quæ quidem tota in rupe incisa est. Credunt nonnulli hunc esse locum, quem ferro & aceto sibi aperuit Hannibal, quo suum in Italiam exercitum transmitteret.

Grande Chartreuse. Inter binas Guyæ amnis scaturigines sui Ordinis fundamenta jecit S. Bruno, primamque Cartusianorum Domum ædificavit inter prærupta scopulorum, & loco fere hominibus inaccesso, ut sic ab omni hominum conversatione remotus, animo liberiori totus Deo vacaret. Assurgit itaque in asperis montium jugis Monasterium Ordinis Cartusiani caput, quod amplissimum est, & longe lateque se diffundit. Prima Monasterii porta ferinis capitibus est disseminata, nam ursis scatet hæc solitudo. Ecclesia exigua est & obscura, capitulum vero satis exporrectum, adeo ut Ordinis Delegatos possit continere, qui illuc ex omni natione conveniunt; unusquisque sedem habet seorsim ab alio. Refectorium sobrietatem sapit, redoletque modestiam; in eo festis tantum diebus atque Dominicis conveniunt: cellulæ sunt veluti cujusque solitudo & eremus, qua ab aliis divulsus, Deum ad cor sibi loquentem audiat. Ordinem regit Prior Generalis, in vasta illa Cartusia residens, qua nullo prætextu potest egredi postquam electus est; inde tribus Religiosorum millibus propria præscribit munera, & ducentas fere Domus septemdecim Provinciis distributas moderatur. Cœleste prorsus institutum, quo ut animus à terrenis prorsus abstrahat, jejunium, silentium, cilicium, & solitudinem absque intermissione servant alumni; ne nos itaque illorum silentium, & familiaria cum Deo colloquia interrumpamus, ad alia Delphinatus loca transeamus.

EPISCOPATUS TRICASTINUS,

vulgo, S. POL-TROIS-CHASTEAUX, sive TRICASTIN.

HÆc Diœcesis, quædam est Delphinatus portio, à Latinis *Augusta Tricastinorum* dicta, Gratianopolitanoque Parlamento subjecta. Tricastinorum autem summa cum laude memorat Ptolemæus, quos in Orientali parte Rhodani collocat, à quo flumine urbs ipsa duobus distat milliaribus, totidemque à Ponte sancti Spiritus.

Gallia.

Episcopus Tricastinus se loci ejusdem Comitem, Regique Condominum dicit. Cathedralis D. Paulo urbis tutelari sacra, sex Canonicis, præcedentibus quatuor Dignitatibus deservitur. Alternativa est Iudicatura Regem inter & Episcopum, quorum Officiarii sua quique vice judicia peragunt, controversiasque & lites componunt.

Ad quinque tantum leucas extenditur Diœcesis, cujus pars altera Comitatu Venaissino, altera vero in Provincia, ac tandem pars maxima Delphinatu comprehenditur, in summaque 38 tantum parochias habet. Porro Abbatia Aquæbellæ dicta, vulgo *d'Aigue-belle*, huic Diœcesi subjecta est.

Primus Antistes Tricastinus fuit S. Sulpitius; successere S. Eusebius, S. Torquatus, &c. Funestis Factionum dissidiis incensa fuit hæc civitas, & penitus deformata anno 1562, ita ut ne à Templis quidem aut Reliquiis continuerint sacrilegæ manus.

VAPINCENSIS EPISCOPATUS,

vulgo GAP.

GApensis civitas, quam Gregorius Turonensis *Vapincum*, alii vero *Vapingum* nominant, quindecim à Gratianopoli leucis submota est. Illius arx in colliculo posita, quatuor optimis propugnaculis vallatur, cetera fossis circumscribitur. Hic præsidiarius miles indefessas agit excubias.

Ipsa Cathedralis, D. Mariæ inaugurata est, cui ministrant quatuor Dignitates, duodecim Canonici, nec non & duodecim alii Beneficiarii.

Extensio Fines. Vapincensis ager novem leucas longitudine, sex vero latitudine colligit; Ebredunensi clauditur ab Ortu; à Meridie Provincia, à qua & Durantiæ aquis sejungitur. Binis amnibus irrigatur hæc regio, *Buech*, nimirum, & *Bene*, qui Vapincensem urbem alluit. *Amnes.*

Episcop. Abbatiæ Clossonnensis, & S. Petri *de Subripie* hac Diœcesi comprehenduntur. Præfert Antistes Comitis Vapincensis titulum. Primus hanc sedem rexit S. Demetrius, deinde S. Constantius anno 517. Quidam nomine Sagittarius ob sua scelera Episcopatu privatus est.

Loca. Celebriora hujusce Diœcesis loca sunt, *Talard*, urbs mœnibus clausa, & titulo Vicecomitatus insignita, quæ & castro defenditur, cujus radices perfundit Durantia. Fons Salsus, vulgo *la Saulse*, haud procul hinc dissitus est: *Ventanon* burgus muris cinctus, & castro munitus: *Serres* urbecula, castrum habuit, & alia munimenta, quæ impræsentiarum diruta sunt; hac patet via, ex urbe Massiliensi Lugdunum contendentibus: *Veyne* burgus frequentissimis celebratus nundinis, unde & indigenæ affatim locupletantur.

Chamſaur. Vallis Chamſaurenſis frumento fœnoque feraciſſima eſt; mulis, bobus, aliiſque pecoribus negotiantur illius incolæ; quatuor leucis porrigitur in longitudinem, in latitudinem vero, duabus; Dracenſi flumine irroratur, quod pertranſit oppidum S. Bonniti primarium hujuſce vallis locum, & Iſeræ juxta Gratianopolim miſcetur. In vallis extremitate apparet Domus elegans Leſdiguierenſis, necnon & cognominis burgus. Hoc tractu continentur Rochenſis Comitatus; Baroniæ Montmaurenſis, Gribierenſis, Vitrollenſis & Ozenſis cum arce firma, quæ quidem in valle tribus leucis longa, poſitæ ſunt: vallis quoque Volvenſis eidem plagæ accenſetur; ut & S.Andreæ Baronatus in valle Beauchanenſi ſitus.

Leſdiguieres. La Roche. Montmaur. Gribieres. Vitrolle. Oze. S. André.

Royanez. Royanezium, regiuncula eſt Delphinatus, & portio non contemnenda, quæ ſeptem leucas excurrit in longitudinem, quinque vero in latitudinem; incipit à portu Belli-viſus, oppidi pervetuſti, olimque Principum Delphinorum ſeceſſûs, cujus quædam tantum rudera ſuperſunt, & Palatii reliquiæ. *Beauvoir.* Conventus Carmelitarum ab Humberto Delphino fundatus, protenditur ad parochiam uſque Douventeziam, ubi terminatur: Cartuſia autem vallis S. Mariæ, quæ inter Ordinis opulentiores computatur, maximique eſt ambitus, & ſuperba præferens ædificia, omnimodam in hanc parochiam juriſdictionem exercet; illius vero coloni immunes ſunt à cunctis oneribus, indulgentiâ cujuſdam Principis Delphini hujuſce Conventus fundatoris. Pons Royanenſium, vulgo *Pont-aux-Royans*, urbecula eſt, titulo Marchionatus inſignita, ubi caſtrum in editiſſimo ſcopulo poſitum: oppidum S. Laurentii collem occupat, in cujus ſummitate extat caſtrum ſingulari artificio extructum, & viſu inſigne, vulgo *la Baſtie du Pont* appellatur. Comprehenditur eadem in regione Balmenſis Marchionatus. *La Baulme.*

Briançon. *Brigantium Seguſianorum*, ſeu, *Virgantia Caſtellum*, civitas eſt loco eminenti condita, adeo ut inter editiſſimas totius orbis civitates cenſeatur: Baillivatus eſt regius, cujus appellationes immediate ad Curiam Parlamenti devolvuntur: fuit quondam opulentior ac munitior, quam impræſentiarum ſit; nam plus mediam partem quibuſdam ab annis exarſit; aliquot adhuc turribus vallatur, nec non & arce præſidiarioque milite defenditur.

Haudprocul à Brigantio invenitur Rochetta-perforata, vulgo *la Rochette-percée*, qua quidem creditur Cæſar ſuo cum exercitu in Gallias ſubintraſſe, in deſcenſu montis Godardi, ipſaque inſcriptio, quæ in frontiſpicio Rupis in portam inciſæ legitur, id abunde teſtatur: *D. Cæſari Auguſto dedicata, ſalutate eam.*

Vallée d'Hours. At Brigantii incolarum labor, omne Romanorum opus ſuperat; ii quippe, cum Vallem Hourſenſem ob defectum aquarum ſterilem viderent, Tonillarum montem perforarunt, ut è Pedemontio latices ad montis cacumen deducerent, queis tota perfunderetur ac fœcundaretur regio, quod & ex voto compleverunt, inſumpto in id operis quadraginta annorum ſpatio.

Septem Valles. Septem vallibus componitur iſte Baillivatus, quæ his vulgo nominibus indigetantur: *Hours*, *Pragela*, *Chaſteau-Dauſin*, *Queytas*, *Val-Louyſe*, *le Moneſtier*, & *Bardonench*; leucis tredecim longitudine; latitudine, novem porrigitur. Vallis Hourſenſis propius cæteris ad Brigantium accedit, ſeptem extenſa leucis. *Eyſilles* locus inſignis, ubi præſidiarius à Rege miles, hac in valle poſitus eſt, duobus à Suza milliaribus; hîc quoque Mons-viſus, vulgo *le Mont-viſe* cernitur, altus adeo, ut Mediolano etiam, aliiſque locis plurimum diſſitis queat proſpici. Proficiſcentibus Pedemontium mons Genevrenſis, perpetuis fere nivibus rigens, pertranſitur, necnon & cognominis pagus, cujus indigenæ utriuſque ſexus robuſtiſſimi ſunt, qui viatores à montis vertice ad radices ſingulari dexteritate devehunt, quod vulgo *ramaſſer* vocitant. Hoc ex monte bini ſcaturiunt amnes, Doira nimirum, & Durantia. *Ramaſſeurs.*

Qualitas. Delphinatus non omni ex parte ſibi ipſi ſimilis; nam montoſa regio, quæ vaſtiſſima eſt, ob ingruentes perpetuo nives, & frigus aſperum, quadantenus ſterilitate laborat: at tractus Valentinus frumentum atque ſiliginem profert. Dienſis planities, tritico vinoque luxuriat, imo & vina gignit muſco odorata; producit quoque cannabim, herbas, & omnigeneris fruges & fructus; opima in montibus cervorum, damarum, aprorum, aliarumque ferarum venatio; necnon & cuniculorum; nec deeſt aucupium phaſianorum, perdicum, aliarumque menſæ deliciarum: ex iiſdem extrahuntur ligna ad ædificandum idonea, ingentes etiam arbores pro malis navium: lætiſſima & uberrima ſunt paſcua, quapropter & Provinciæ pecora illuc ob copioſiſſimum pabulum æſtivis menſibus, numeroſiſſimo agmine deducuntur. Dienſibus in jugis adamantes inveniuntur; auri fodina eſt in loco *Aurel* dicto, qui exinde forſan nomen aſſumpſit; ſunt & quædam aliæ auri venæ, quas veroſimile eſt in notitiam veniſſe Romanorum: in territorio Dienſi fons reperitur, cujus aquæ per vitriolum transfuſæ multis ſunt morbis ſalutares: quatuor à Gratianopolitana civitate milliaribus, loco *de la Motte*, ſunt itidem aquæ aluminoſæ, & ſanandis ægritudinibus utiles.

Cœlum Gapenſe temperatiſſimum eſt, ſolum fertile, ipſaque regio numeroſiſſimos paſcit ovium & mulorum greges: tractus quoque Tricaſtinus eadem ubertate gloriatur.


Mores. Delphinates ingenii pollent acumine, ſcientiarum omnium, præſertim Mathematicarum capaces, induſtrii, laboribus indefeſſi, & rei familiari ſupramodum intenti, parci & ſobrii; operas quoque & labores procul à ſuis domibus exquirunt; qui montes incolunt, paulo rudiores ſunt; attamen, qui juxta Ebredunum accolunt, politioribus ſunt moribus, nihilque aliud aſperum, præter indumentum, ut vulgo dicitur, circumferunt. Brigantii incolæ totius regionis robuſtiſſimi ſunt, laborum tolerantiſſimi, ac peritiſſimi œconomi. Qui in montibus degunt, totam quaquaverſum in Franciam excurrunt ſuis cum tabernis ac mercaturis portatilibus, quo in negotio ingentem ſæpe quæſtum faciunt, opulentique mercatores evadunt. Eximiis fulget dotibus ipſa Nobilitas. Quæ urbes incolunt feminæ, veſtium ſectantur elegantiam; attamen honori,

nori, & famæ ſtudent, optimæque educationis indicia in omnibus demonſtrare curant.

Opes. Pro tractuum Delphinatus varietate, varius quoque eſt negotiandi modus: ſuperior Valentiæ regio lanificiis rem peragit; itidemque Dienſis, quæ & ex lignis, trabibus, tignis & aſſeribus, aliiſque ad ædificandum idoneis negotiatur; ſua qnoque vina diſtrahunt incolæ: Montoſa regio greges & armenta tranſmittit in Provinciam: Ebredunum etiam boves, mulos, & cætera id genus animalia ſuis in nundinis exponit. Sunt & plurimæ ferri elaborandi officinæ, molæque papiraceæ; ac quotquot ſunt Delphinatus plagæ, ſua peculiaria uberi proventu habent emolumenta.

Vires. Arces, caſtella, aliaque variis in locis munimenta fuſe recenſuimus; Nobilium quoque maxima eſt in Delphinatu multitudo; ipſa etiam regio ampliſſima & populo frequentiſſima, adeo ut peditum decem millia, Equitum mille in campum educere queat.

Regimen. Delphinatus paret Gubernatori à Rege conſtituto, qui etiam quibuſdam ſupra ceteros provinciarum Gubernatores prærogativis potitur: provincia hæc, Ordinum comitia quandoque celebrat, queis Gratianapolitanus Antiſtes præſidendi jus poſſidet, Archiepiſcopis etiam Viennenſi & Ebredunenſi præſentibus.



AGER

AGER LVGDVNENSIS, vulgo LE LYONNOIS.

Lyonnois.



Vgdunensis regio à Lugduno illius metropoli nominis rationem accepit; hanc insederunt prisci habitatores, quos Cæsar *Sebusianos* vocitat; Plinius autem, Strabo & alii, *Segusianos*; qui postmodum *Lugdunenses ad Rhodanum & Ararim fluvios siti*, appellati fuerunt. Araris vero fluvius ille est, quem hodie Saonam nominant, vulgo *la Saone*, à sanguine scilicet Christianorum, quo tinctus Matisconem usque fluvius priscum nomen Araris in velut sanguinolentum amnem commutavit. Nascitur Saona, sive Araris, è Vogeso monte in Lotharingiæ finibus, vixque fontes egressus ad Sequanos, *Franche-Comté*, Burgundionesque properat, Cabillonumque pertransiens, Belli-Iocense territorium, Principatumque Dombensem irrigat, raptisque obviam pluribus rivulis, uno secum alveo Lugdunum deducit, quos tandem Rhodano quasi tributum reddit.

Priusquam vero amplissimam hanc pertingat civitatem, amœnissimam efformat Insulam, delicias dixerim & oblectamenta civium Lugdunensium, quam ipsi *l'Isle-Barbe* appellitant. Vt autem quod apud Lugdunenses laudatissimum est attingamus; ipsa est solemnis egenorum, pauperum, ac orphanorum incredili pene multitudine Processio, qui civium largitionibus & munificentia sustentantur; huic intersunt etiam quatuor Ordines Mendicantium; subsequitur solemni pompa, urbis Magistratus & Scabini.

l'Isle-Barbe.

Hic conspicitur famosissimum illud *Petræ Incisæ* castrum, vulgo *Pierre Encise*, sic dictum, ut creditur, quod incisa fuerit rupes cui castrum insidet, ut novus Arari cursus præberetur; Arx ipsa bellicis instruitur machinis, utpote firmissimum urbis adversus quascumque insidias munimentum.

Pierre Encise.

Fines.

Lugdunensis ager à Septentrione Bressia clauditur; ab Ortu, Sabaudiâ; Delphinatu & Languedocio, à Meridie; Foresio & Arvernis, ab Occasu: illius longitudo ad leucas duodecim, latitudo ad septem tantum protenditur.

Situs.

Posita est autem Lugdunensis civitas in confluxu Rhodani & Araris; bini verò montes, S. Iusti nimirum, & S. Sebastiani ipsa urbe includuntur. Extat in S. Sebastiani monte validissimum S. Ioannis propugnaculum, multis fornicibus ac Casematis instructum, ubi & præsidiarius miles excubias agit. Est aliud quoque ad fluenta Rhodani Præsidium, quod S. Clari nomen præfert. Porro Lugdunum Romanorum Colonia est, à L. Munatio Planco, qui Iulii Cæsaris vixit temporibus, fundata in regione Segusianorum, seu Sebusianorum; ita enim apud Cæsarem legitur. Hæc civitas ob situs conmoditatem generalissimum est Galliarum emporium, inde enim cum provinciis exteris frequentia nullo fere labore commercia peraguntur; unde & inter opulentissimas Galliæ civitates meritò computatur. Eminet in superiori urbis parte priscæ memoriæ Templum, olim quidem Veneris, nempe Romanorum seculo; impræsentiarum autem vice commutata, D. Mariæ sacrum, quod celebratissimo nomine *Nostre-Dame de Fourviere* vocitatur.

Fourviere.

In Veyzensi suburbio præcelsum visitur Mausolæum, quatuor columnis suffultum, quod Herodis, Pilati, atque Herodiadis vulgus existimat, sed perperam; nam vere duorum Amantium inopinato post diuturnam absentiam sibi invicem occurrentium, repenteque vi amoris extinctorum sepultura est.

Deux Amants.

Magistratus.

Vrbis regimen Consulibus & Scabinis commissum est, qui quidem superioribus seculis duodecim extiterunt; Henrici vero Quarti, Regis potentissimi Edicto, ad quaternarium numerum, sicut & Parisienses, redacti sunt: horum autem quatuor, bini quotannis eliguntur; at Mercatorum Præpositus, seu Vrbis Præfectus de biennio in biennium commutatur. Ad istius vero Magistratus electionem proceditur 21 Decembris, ipso S. Thomæ Apostoli festo. Claves portarum urbis Scabini custodiunt, qua super re Henrico III, Regi, fidem præstiterunt an. 1575, quo jure freti, ad arma urgent habitatores, ubi postularit occasio, præsertim ubi Regis edicto, id ipsis injunctum fuerit. Extat etiam in Domo Civica Politiæ tribunal, quorum Consiliarios atque Iudices unoquoque semestri eligunt, ab iisque provocationes ad Senescallatum devolvuntur. Consules sive Scabini mox ac electi sunt, nobilitate donantur ipsi eorumque posteri, possuntque Equitum gradum adipisci; atque dum vixerint ab omnibus civium oneribus sunt immunes. Præpositus Mercatorum, atque Scabini, urbis Procuratorem, qui per totam vitam hoc munere potitur, in consilium adhibent; necnon & Scribam sive Secretarium. Vrbis etiam Quæstor locum habet in Consulatu. Inspector quoque, cui munus incumbit Plateas urbis, ædes, & quæ de novo exsurgunt ædificia, reparationes, fortalitia, aliaque id genus sedulo explorare, accensetur aliis Domus civicæ Officiariis. Sunt pleraque alia Politiæ munera. Possidet hæc civitas amplissimos

,

ræ-
nia
xit
n ,
le-
ne-
im
la-
ou-
ur.
riæ
na-
ce
tiſ-
. *Fourviere.*
au-
le-
it ,
um *Deux*
em *Amants.*
to-

m- *Magiſtra-*
uo- *tus.*
gis
ne-
um
at
tus
ius
De-
ves
re
75,
ubi
o ,
mo
at-
iiſ-
ur.
ili-
que
int
ræ-
ro-
ere
cri-
lo-
cui
de
ali-
aſe-
que
liſ-
nos



Milliaria Gallica communia.

Amstelædami,
Apud Ioannem Blaeu.

ſimos reditus in commune civium bonum, ordinarios, inquam, & extraordinarios. Vrbis Capitaneus, qui antea excubiarum Præfectus vocabatur, aſſignatur à Mercatorum Præpoſito, & Conſulibus, ſed à Rege ipſo poteſtatem accipit, ſuaque dignitate inveſtitur, cui & fidem præſtat. Eſt & Accenſus Major à Rege præfectus, à quo & præſcripta muneris ſtipendia excipit. Porro Lugdunum, 36 in regiones dividitur, totidemque Capitaneos habet, qui ob urbis, quæ geſtant inſignia, Penones appellantur. Ducentorum ſclopetariorum agmen eodem modo inſtitutum eſt ac directum, quo cæteræ urbis vires. Exempti ſunt à vectigalibus cives Lugdunenſes, multiſque aliis immunitatibus ac privilegiis gaudent. Quater in anno Lugduni nundinæ celebrantur, in ſolenniis nempe Regum, & Paſchatis, Auguſto menſe, & in Feſto omnium Sanctorum. Privilegia & Conceſſiones Nundinarum Lugdunenſium emanarunt præſertim ex munificentia Ludovici XI, Regis, auctæ vero & amplificatæ abs Henrico Secundo anno 1550. Conſtitutus eſt Iudex horum Conſervator privilegiorum, qui idem ipſe & Mercatorum nundinas frequentantium lites dijudicat, cujus ſententiæ executioni mandantur, interpoſitâ licet appellatione, modo quis fidejuſſorem ſubſtituat, imo & perſonaliter, abſque *Pareatis*, quacunque in jurisdictione id contigerit.

Iurisdictiones, Canonicorum Cathedralis Baſilicæ, qui & Comitum Lugdunenſium præferunt titulum; Abbatis Athenæi, Temporalitatis Archiepiſcopi Lugdunenſis, S. Iuſti, S. Irenæi, &c. ipſa urbe includuntur; illarumque provocationes ad Seneſcallum Lugdunenſem deferuntur. Sunt aliæ præterea Iudicaturæ, Electionis nimirum, Salis & Monetæ Officiariorum.

Eccleſiæ. Eccleſia Cathedralis, Archiepiſcopalis, ac Primatialis, ipſa eſt S. Ioannis Baptiſtæ inaugurata nomini, ſita in urbis planitie juxta Ararim, à latere Fori-Veneris, vulgo *Fourviere*, fundata abs Burgundionum rege; cui contigua eſt ſancti Stephani Protomartyris Eccleſia. Plurimæ ſunt parochiæ, ſcilicet S. Crucis, S. Iuſti; hac in Parochia ſitus eſt Minimorum Conventus; S. Thomæ, ubi quondam templum Minervæ, ſeu Veneris; cujus quidem Decanus ſeſe Lugdunenſis Eccleſiæ Præpoſitum dictitat; S. Georgii, cujus Eccleſia eſt Præceptoria Melitenſis; S. Pauli, quæ etiam Collegiata eſt; huicque adjacet Eccleſia S. Laurentii; S. Nicetii ampla & inſignis Eccleſia, quæ & Canonicorum dignitatibus nitet; S. Petri, antiquiſſimi, celeberrimi, & regii Virginum Benedictinarum monaſterii, cui S. Saturnini parochia annexa eſt; eximium etiam D. Mariæ templum, vulgo *la Platiere*; S. Vincentii; S. Michaëlis, cui proxime aſſidet vetuſtiſſima S. Martini in Athenæo Abbatia, vulgo *Ainay*; & S. Irenæi. Multa etiam cœnobia & Religioſorum & Monialium hac in urbe conſpiciuntur, Dominicanorum nempe, Franciſcanorum, Carmelitarum, Auguſtinenſium, Capucinorum, Recollectorum, Fullienſium, Patrum Societatis Ieſu, Clariſſarum, S. Vrſulæ Virginum, &c. Nec tacitus prætereundum Lugdunenſe Xenodochium, D. Mariæ inauguratum, ſitumque ad Pontem Rhodani, opus plane eximium, & miræ prorſus architecturæ, quod & ipſius civitatis erga pauperes magnificentiam loquitur.

Portæ. Porro ipſa civitas ſex portis venientes excipit, pluraque loca præclara & amœniſſima in ſe continet, quæ his vulgo nominibus indigetantur: *Bellecourt, Terreaux, les Cordeliers, S. Nizier, S. Pierre, la Grenette, le Change, la Doüane, la Roche, & de ſainct Iean.* Quatuor etiam ſuburbiis amplificatur.

Loca. Cetera Lugdunenſis agri loca ſunt, *Condieu* Baronatus, atque Canonicorum & Comitum Lugdunenſium poſſeſſio ad Rhodanum ſita; *fanum S. Columnæ* juxta Viennam, quo incidit pons Viennenſis Rhodani, ubi & eximia turris viſitur in pontis extremitate; *Guyort, Darguoire, S. Andueil, Rive de Gier, S. Chamont, S. Pol en Iareſts, S. Genis, S. Martin la Plaine, S. Romain en Iareſts, Montagny, S. Genis Laval, Breguies, la Breſle, Anſe, Vimy, Chaſſelay, Riverie,* &c.

Qualitas. Lugdunum gravitate cœli laborat propter montes ipſo urbis ambitu incluſos; etſi autem regio ſit aſpera, nec ſolum pingue, in collibus tamen, hortis, viridariis & pratis feraciſſima eſt; nam frumentum, vinum, fruges omnigeneris maxima ubertate profert. Equidem vinum Lugdunenſe variis in plagis exquiſitiſſimum eſt; illud præſertim quod è pagis S. Fidei, Milleriaco, & Condriacenſi extrahitur, quorum palmites è Dalmatiâ ſubvecti ætate Probi Imperatoris, unde & ipſemet dicitur fuiſſe oriundus, qua etiam in re curam poſuiſſe creditur. Illa autem Lugdunenſis territorii portio, quæ Arari adjacet, vulgo *Franc-Lyonnois*, pinguiori gleba potitur. Quondam in planitie S. Martini, (vocant Lugdunenſes *S. Martin la Plaine*) inventa eſt auri argentique fodina: loco *de Cheſſy* dicto, cupri optimi argentoque permixti eſt vena, imo & vitrioli, quod coloris & bonitatis laudem Romano præripit. Lapicidinæ S. Beli petras ferunt, auri ſcintillulis interſtinctas: nigra Couzonis & Montis-aurei marmora, lacrymis, annulis, aliiſque id genus coloris lactei figuris ſunt reſperſa.

Mores. Populus Lugdunenſis humanus eſt & comis, laborioſus, ſummaque induſtria præditus, cumque nationibus variis ſit permixtus, Italis nimirum, & Germanis, facile poteſt eorum mores imitari; negotiationi, lucro, ſuiſque rebus mirum quantum intendit. Studet quotuſquiſque veſtium elegantiæ, præſertim vero mulieres civicæ, quæ & plurimum formoſæ ſunt. Pollet Nobilitas ſingulari morum elegantia; Ruricola vero aſtutiſſimus eſt.

Opes. Præcipua Lugdunenſium opulentia ſtat in frequentiſſimo ipſius florentiſſimæ civitatis omnigeneris commercio, quæ quidem tot fluminibus, Arari ſcilicet, Rhodano, & Ligeri, haud procul ab ea diſſito, ſuas merces toto orbe diſtrahere poteſt. Pecuniæ negotiatio, univerſali adeo hîc viget correſpondentiâ, tantoque intereſſe & emolumento, ut exinde ſolum poſſent habitatores locupletari. Omnes aut negotiationi, aut opificiis intendunt, excudendis nimirum voluminibus, unde & celeberrimum hic eſt Bibliopolarum emporium, qui & Francofurti aliiſque Germaniæ civitatibus, & tota quaquaverſum Hiſpania,


LIONNOIS,
FOREST, BEAVIOLOIS
ET MASCONNOIS.
Occidens
Oriens
Septentrio
Meridies
LE BOVRBONNOIS.
HAVTE FOREST
FOREST
LIONNOIS
BEAVIOLOIS
CHAROLLOIS
MASCONNOIS
PRINCIPAVTE DE DOMBES.
LION NOIS.
Rosne fleuve
Vienne
Lion
Mascon
Trevol
Rohanne
Montbrison
Charlieu
Marsigny
La Clayette
Cluny
Bourbon lancy
Puy Guillaume
S. Germain des Fossez
Belle Ville
Milliaria Gallica communia
G. Blaeu excud.

54

nia, atque Italia, impressa volumina divendunt: aut serico incumbunt, pannis nempe pretiosissimis, tanto operarum numero, ut diei noctisque maximam partem hujuscemodi opificiis insistentium agmen, 20000 excedat; ipsisque mercatoribus annuum 300000 librarum proventum afferat.

Vires. Opes itaque Lugdunensium, ipsa populi multitudo, cæteraque urbis commoda, maximas Statui vires subministrant; possetque Rex etiam immuni civitate, tria peditum millia, Equitesque trecentos conscribere. Est Lugduni Armamentarium omni bellico apparatu instructum.

Regimen. Lugdunensis civitas Romanis olim paruit, utpote Romanorum Colonia, à Munatio Planco, ut supra diximus, illuc deducta, illorum Imperio subjecta, usque dum ad occasum vergeret, Arcadii & Honorii temporibus, queis Stilico, qui Burgundionum ope adversus Gothos usus fuerat, Lugdunum illis cum Burgundia tradidit, quam & in regnum evexerunt, quod anno 526 sub prima Regum Francorum prosapia, agentibus Clodovæi Primi liberis, suam periodum clausit; illo namque ævo urbs Lugdunensis Francorum dominationi subesse cœpit, ipsaque Burgundia in Provinciam redacta; quæ rursus regni titulum recepit in divisione inter Ludovici Pii Liberos instituta. Vrbs Gubernatoris potestati subjacet, cui absenti sufficitur à Rege Præfectus, qui & ipsi civitati & agro Lugdunensi, Foresio, & Bello-jocensi imperant. Senescallus vero Lugdunensis, ejusque in absentia Consules urbi dominantur, si defuerit à Rege Gubernator. Senescallus Sedesque Præsidialis, quæ vigintiquinque Consiliariis conspicua est, totius territorii appellationes excipiunt; hæc autem Sedes ad Parlamentum Parisiense provocat, atque in omnibus Iuri scripto adhæret. E Franco-Lugdunensi nonnulla dependent loca, scilicet *Vimy, Fontaines*, & alia Bressensi & Dombensi tractui adjacentia, quæ à communibus oneribus immunia sunt; at munus honorificum unoquoque novennio Regi exsolvunt.

Religio. Christiana religio à primis fere nascentis Ecclesiæ incunabulis apud Lugdunenses fuit instituta, ac templa & altaria, vana superstitione, atque Idololatrarum ritu Augusto Imperatori inaugurata diruta sunt, diique tutelares incensi. Concilium Gallicanum sub Irenæo Lugduni celebratum, cui & ipse præsedit, Lugdunensibus Archiepiscopis illam Primatiæ prærogativam contulit, quam ipsorum successores præ Senonensi, aliisque Galliæ Archiepiscopis sibi tribuunt. Ecclesia Cathedralis novem exornatur Dignitatibus, si Archiepiscopum comprehenderis, Decano nimirum, Archidiacono, Præcentore, Symphoniarcha, Custode, Præposito, & aliis, habetque sex supra viginti Canonicos seu Comites Lugdunenses, quos inter, primum locum honorarium Rex obtinet, quemadmodum & Comes Turnonensis honorarius est in Ecclesia S. Iusti Canonicus, quæ quidem à S. Iusto Archiepiscopo fundata est è Turnonensi familia oriundo, eamque ob rem nomen Iusti hæreditariò in Gente Turnonensi asservatur. Canonici S. Ioannis, quaternis è generationibus suæ Nobilitatis stemma & repetere & probare tenentur; illorum Ecclesia multis Præbendariis deservitur, quorum tredecim perpetui sunt, illorumque primus est Archiepiscopus, quatuor Custodes appellantur, septem Equites & in Iure Doctores, præter 70 alios sacerdotes ibidem præscripto cuidam muneri destinatos. Hac ex Basilica relevant sexaginta novem dominia, comprehensis quatuor Baroniis, adjectis etiam plurimis & maximis in urbe juribus, impositisque super civium ædes oneribus, adeo ut annuus ejusdem Ecclesiæ proventus 300000 librarum summam impleat. Augustodunensis Episcopus, mox ut vacat Sedes Lugdunensis, ipsius œconomia potitur, & vice versa Lugdunensis Archiepiscopus, ubi Sedes Augustodunensis vacaverit.

Viri illustres. Gloriari potest hæc civitas, quod multos genuerit insignes eruditione viros; nam clarissimos toto orbe Oratores in lucem emisit; Plautium Ciceronis Oratorum Principis Magistrum, nec non & potentissimorum Caracallæ, & Caligulæ Cæsarum informatorem produxit; qui ut patriam nobilitaret, eloquentiæ certamen quotannis ibidem fieri instituit. Fuit & Lugdunum conclave Vniversalis Ecclesiæ, quæ duobus œcumenicis Conciliis eo loci congregata est, quorum alterum convocavit Innocentius IV, ubi & Fredericus II, Imperio exturbatus est; alterum Gregorius X, ubi Michaël Palæologus semetipsum suosque Status Romanæ submisit Ecclesiæ. Erecta est eadem illa civitas in splendidissimum gloriæ theatrum, quo Clemens V, summi Pontificatus Tiaram, & Pileum purpureum Cardinales exceperunt.

Clades. Nec tamen à cladibus fuit immunis; nam & olim fuit Bellonæ receptaculum, imo & totius Tyrannorum furoris & immanitatis secessus, & contagionis nidus; in hanc omnia velut agmine facto elementa conjurarunt: imperante Nerone, in cinerem & favillam redacta est igne cœlitus decidente, unius duntaxat noctis intervallo; ipse autem Nero auri millionem habitatoribus obtulit, quo ejusdem restaurationi operam impenderent. Aurelius Christianorum, quos pro religione fecit occidi, sanguine purpuravit. Severus vastavit, ferroque & flamma crudelitatis suæ vestigia lapidibus hominibusque impressit. Hunni sub Thedosio illam expilarunt; sub Carolo Martello Sarraceni; sub Philippo Augusto seditiosi, & Reipublicæ perturbatores; sed Regum munificentia suis è cladibus ac ruinis semper clarior atque pulchrior exsurrexit. Hoc addam, Lugdunum existere quasi microcosmum; suo enim ambitu montes & planitiem, terram, aquas, ædes, viridaria, vineas & pascua includit; totum commodissimo suo situ velut orbem attingit; ducit namque Rhodanus in Italiam, Hispaniam, Africam, in Orientem & Vesperum. Tandem pervius est totus Orbis Lugduno; Lugdunum in totius Orbis utilitatem patefactum est.

Præclaro ponte fluvius uterque, Rhodanus nempe & Araris sternitur; impeditissimi quidem ob situs incommoditatem operis; at elegantis prorsus architecturæ. Procurrit pons Rhodani passus octuaginta, ac novemdecim maximis fornicibus septemque minoribus sustentatur. Quæ supra

ſupra hunc pontem Crux eminet, Delphinates à Lugdunenſibus dirimit. Pons autem quo nectitur Araris, novem ſolum fornicibus conſtat, at commodiſſimo mercatoribus portu inſtruitur. Habet præterea pons uterque aliquid memoratu dignum, nam in ponte Rhodani mitiſſimus religioſiſſimuſque Imperatorum Gratianus à Tyranno Maximo per immane nefas occiſus eſt: pons autem Arari impoſitus ſpectandam omnibus Caligulæ crudelitatem exhibuit, qui præceperat, ut qui forent in certamine Eloquentiæ victi, ex ipſo ponte in flumen ſubmergendi præcipitarentur.

Sed omiſſa ferociſſimorum hominum rabie, ad auguſtiora convertamur; illoſque inſignes pietate viros in medium proferamus, qui verbum Fidei hac in regione diſſeminarunt, quorum primus fuit S. Pothinus, qui & primus extitit hujus civitatis Epiſcopus anno 150; cui ſucceſſit S. Irenæus anno 179, deinde S. Zacharias, S. Elias, Fauſtinus, Verus, Iulius, &c.

Hic Archiepiſcopatus ſuffraganeos habet Epiſcopos, Augſtodunenſem, Lingonenſem, Cabillonenſem, & Matiſconenſem. Gubernatur autem Diœceſis ſedecim Archipresbyteratibus, comprehenditque 750 Parochias, 124 Prioratus, & 14 Abbatias, quæ vulgo ſic enumerantur: *Aiſnay, l'Iſle-Barbe, S. Pierre de Lyon, Ambronay, ſainct Claude, Ioug-Dieu, S. Rambert, Savigny, Belleville, Chaſſaigne, Valbenoiſte, le Miroir, Beniſſon-Dieu, & Bonlieu.*

COMITATVS FORENSIS, vulgo FOREST.

Nomen. HÆc regio non à ſilvis aut nemoribus, quibus undique obſita eſt, quæ *Foreſt* Gallice vocitantur; ſed à Latino vocabulo *Forum* nomen aſſumpſit; unde & illius metropolis *Feurs* dicitur, quod illuc Sebuſii ſuas merces ut ad forum commune vænum importarent, ut Romanis divenderent, cum illi Galliis dominarentur. Foreſium & Velaudunum Anſa flumine disterminantur. Non multum juxta Ligerim proceſſeris, quin occurrat oppidum Rambertenſe, ubi pulchro ponte ſternitur Ligeris in commodum Languedocienſium mercatorum, qui quidem Lugdunum negotiaturi proficiſcuntur. In Ramberti oppido extat Prioratus duodecim Canonicorum.

Fines. Tractus Forenſis à latere Orientali Delphinatu clauditur, & agro Lugdunenſi; Vivarezio & Velauduno à Meridie; Bello-jocenſi & Lugdunenſi à Septemtrionibus, & altiſſimis Arvernorum montibus ab Occaſu. *Extenſio.* Patet triginta leucas in longitudinem, in latitudinem vero quindecim.

Amnes. Multis hic ager amnibus irroratur: profluit enim Ligeris in ipſo regionis ſinu; Rhodanus atque Araris circa illius fines. Perfunditur & *Lignon* piſcoſiſſimo flumine, ubi copioſiſſima truttarum, ſalmonum, aliorumque exquiſitiſſimorum piſcium captura.

Montbriſon. Mons-Briſonius, celebre nunc oppidum, olim vero caſtrum dumtaxat monti inſidens, decem à Lugduno milliaribus diſſitum eſt, mœnium ambitu & foſſis clauditur; quatuor habet parochias; Collegiatum D. Mariæ Templum Canonicis deſervitur; habet quoque cœnobia Franciſcanorum, Obſervantinorum, Capucinorum, Clariſſarum, S. Vrſulæ, nec non & Patrum Oratorii gymnaſium. Baillivatus eſt ampliſſimus. Porro locus iſte Ioannis Paponii, celebris Iuriſconſulti, natalibus gloriatur.

S. Eſtienne. A latere S. Ramberti apparet urbs S. Stephani nomine inſignita, montis S. Barbaræ radicibus adjacens, quæ quidem mœnibus undique cingitur; illam perluit *Furan* fluvius: maximis amplificatur ſuburbiis; una ſolum conſtat parochia, quæ procul diffunditur. Quibuſdam Religioſorum Conventibus exornatur, Capucinorum ſcilicet, Minimorum, S. Catharinæ, & Viſitationis B. Mariæ. Gaudet Caſtellaniæ titulo, ibique nuper conſtitutus eſt Electionis Magiſtratus.

Haud procul à prædicto S. Stephani oppido tres aſſurgunt montes, vulgo *Mine, Viale, & Bute*, qui inſtar Veſuvii per Italiam, diu noctuque exardent & flammas eructant; ubi & ferri fodinæ, & carbones foſſiles inveniuntur, queis indigenæ, qui peritiſſimi ſunt totius Galliæ operarii, in fabricandis quibuſvis armorum generibus, cæteriſque ferri operibus utuntur.

Rivuli. Hac regione nonnulli fluunt rivuli, ii nempe qui lingua vernacula nominantur, *Chenevalet, la Coiſe, & Fonsfort*, cujus aquæ ſaluberrimæ ſunt, & quemdam vini ſaporem præferunt; *le Veſil, la Dé, l'Eſcu, l'Iſable, l'Vs, Sorvin, & Renaiſon.*

Alia loca. Cætera Comitatus Forenſis loca ſunt, *Boin, S. Germain la Val, Paumiers, Feurs* priſcæ memoriæ oppidum; *la Foullouſe, S. Iean de Bonefons, S. Bonnet, Charlieu, S. Marcelin, S. Sauveur, Argental, Chavanay*, &c.

Qualitas. Ager Forenſis feraciſſimus eſt, frumento, vino, leguminibus, ſilvis atque fructibus luxurians; numeroſiſſimos paſcit animalium greges, queis lac optimum, caſeumque laudatiſſimum extrahit: ſtagnis piſcoſiſſimis planities ſcatet: montibus undequaque obſepitur, ubi abietes aliaque ligna ad ædificandum idonea exſcinduntur; è quibus etiam pix exprimitur. Inveniuntur & carbones foſſiles in montibus S. Stephani, ut jam diximus, egregiæque lapicidinæ.

Mores. Indigenæ ſubtili mente prædití ſunt, & quadam morum elegantia exornati: Nobiles ſtrenui & opulenti.

Opes. S. Stephani oppidum præcipuam hujus regionis opulentiam parit, nam fidem ſuperat, quantas ex præſtantiſſimis ferri operibus, opes congerat; iis enim non tota ſolum Gallia, ſed & Italia, Hiſpania, Portugallia, Flandria, Allemannia, & Anglia negotiatur. Neque in hoc tantum ſiſtit habitatorum induſtria, ſed & ſericis navant operam, quæ per varias urbes Galliæ, provinciaſque exteras diſtrahuntur.

AGER BELLI-IOCENSIS, vulgo LE BEAVJOLOIS.

Nomen. Belli-jocensis regiuncula nomen è veteri hujus tractus ditione sortita est, quæ lingua gentis vernacula *Beaujeu*, seu potius *Beaujou* nominatur, eo quod *jugum* montem significet, ipsumque oppidum in bello jugo situm sit; vocatur & in vetustissimis monumentis *Bellus-jocus*; prout in capella quadam Ecclesiæ S. Ivigniaci legitur, ubi duo sepulchra conspiciuntur cum hac inscriptione: *Hic jacet Artaudaus Comes Lugdunensis, & Comes Forensis, & Dominus Belli-joci, & Vmfredus frater ejus, & mater eorum, qui obiit nongentesimo anno.*

Fines. Hic ager Lugdunensi clauditur à Meridie; Dombensi, ab Ortu; Matisconensi, à Septentrione; Forensi denique ab Occasu. *Extensio.* Illius longitudo decem leucis porrigitur; latitudo autem octo solum procurrit.

Ville-Franche. Villa-Franca est istius regiunculæ caput, quinis supra Lugdunum milliaribus sita, solo fertili & amœno, & *Morgon* fluentis irriguo. Hîc Baillivatus regius cæteris hujus agri locis jus dicit. Visitur in urbe perantiquus instituti Franciscani Conventus, qui totius Franciæ primus ejusdem Ordinis fundatus creditur, anno nimirum 1295, paulò post ipsius D. Francisci obitum; est quoque ibidem Capucinorum Asceterium, aliudque Monialium.

Alia loca. Alia hujus tractus loca hoc ordine, vulgari idiomate, recensentur: *Thisy, Belleville, Lay, Perreux, Chamelet, Amplepuys, Requeins, Limas, Paulin, Claucison*, &c.

Qualitas. Diffusa circum Ararim planities usque dum Matisconem pertingas, frumentum, vinum, fructus, cannabim, nuces, è quibus exprimitur oleum, mel, cuniculos, perdices, aliasque vitæ delicias abunde suppeditat; quà autem hic ager Ligerim, aut tractum Forensem Augustodunensemque pertingit, in montes attollitur, & pascuis abundat, quibus copiosissimos nutrit animalium greges. Territorium Villæ-Franchæ cæteris palmam præripit, illud enim nemoribus, silvis cæduis, vinetisque uberrimis ubique consitum est; habet arva fertilissima, arbores fructiferas, nuces, castaneas; lætissimis etiam viridariis passim deliciatur, pratisque luxuriat, quæ perfundit Araris maximam piscium vim urbi subministrans. Reperta est hac in regione vena vitrioli.

Mores. Lugdunensium, Foresiorum, aliorumque finitimorum mores imitantur incolæ; omnium fere laudatissima est indoles. Præstant Nobiles singulari morum elegantiâ, & à magnanimitate commendantur.

Opes. Regionis ubertas suos habitatores opulentos facit; exigua quidem est, Regi tamen annuum 200000 librarum reditum præbet. *Vires.* Vires quod attinet, pedites 4000, Equites 200 in militiam possunt conscribi.

Religio. Tractus Belli-jocensis subest Diœcesi Lugdunensi, ac præpingues habet Prioratus, *Sales*, nimirum, sub titulo S. Martini, ubi quadraginta clari stemmatis Virgines Deo militant, Monasterium S. Petri, in burgo Thisiacensi, &c.



BRES-

BRESSIA & BVGIA,

vulgò

LA BRESSE, & LE BVGEY.

Situs.



Itus harum provinciarum, Galliæ finibus olim inclusas fuisse demonstrat, secundum etiam omnes ab antiquis factas divisiones; inseritur enim Bressia fluminibus Arari, Rhodano, Sella, Idano, vulgo *Ains*; limitatur autem Bugia, Comitatu Burgundiensi, Bressia, Cabilonensi, agris Matisconensi, Dombensi, Lugdunensi, & Delphinatu. Bugia vero Rhodano, Idanoque amnibus clauditur; limites habet, Burgundiensem Comitatum, agrum Gexiacum, Sabaudiam, Delphinatum & Bressiam. Quæ Cæsaris ætate nomina gesserint, nobis ignotum; nomen enim Bressiæ modernum est, illiusque etymologia venatu difficilis; nulla quippe est Bressiæ cum Sebusia similitudo, neque cum *Branchiæ* vocabulo, quod à *Brancho*, *Allobrogum Regulo* desumptum est. At verosimilius Bugiæ nomen è Sebusiano derivari, Bugesianosque, cum Sebusiani dici debuissent, corrupto vocabulo Busianos appellatos fuisse.

Nomen.

Vnicum Bressia ditionis Romanæ monumentum præfert, castra nimirum Iulii Cæsaris in Rupe Coironensi; ni forte adjicias pagum, Cæsaris nomine insignitum, vulgo *Cesarie*. Bugia autem multa ostentat antiquitatis vestigia in planitie Ambronensi, vulgò *d'Ambronay*. Inter oppida S. Ioannis Veteris & S. Mauritii visitur etiamnum Sergii Galbæ castrametatio integra, qui quidem bellicæ adversus Natuates, Sedunos, & Veragros expeditioni præfectus fuerat; quia & marmora, columnæ, templa, tumuli, & inscriptiones extant in pagis *Isarnore*, *Anglefort*, *Talaissieu*, *Mesia*, *Saissel*, *S. Ennemond*, *S. Martin de Iou*, & aliis locis, queis etiam sæpenumero numismata effodiuntur.

Prisci Domini.

Cum fuissent istæ duæ provinciæ ditioni Romanorum longo tempore subjectæ; inclinante Romano Imperio Burgundionibus paruerunt; at postmodum Childebertus, Clotarius, & Theodoricus Clodovæi I, Francorum regis liberi, suæ potestati subegerunt, & insignis victoriæ, quam ex Godemaro reportarant laudem & spolia inter se diviserunt.

Hoc in tractu Rhodanus abysso quadam sepelitur, sed postea uberiori redivivus alveo procurrit, suasque propellit aquas sub ponte Grezinio, indeque *Seyssel* properat, urbemque duas in partes dividens, incipit esse navigabilis, plurimaque navigia Lugdunum devehit, terras Bressenses & Sabaudicas interluens, Franciam hac ex parte ad triginta leucas amplificavit Henricus Magnus, Rex potentissimus, regnique fines ad oram Rhodani porrexit; hoc etiam territorium perfundunt Lucidulus amnis, vulgo *Luiset*, qui ab urbe cognomine nomen accepit, deinde *Idanus*, vulgo *Ains*, qui *Ens*, *Indis*, & *Idanis* nominatur, *Araris* vulgò *la Saone*; *Seille*, *Solenan*, *Reissouse*, *Vesle*, *Chalaronne*, *Monian*, *Serene*, & *Suran*; & multi præterea rivuli, quos lubens omitto. Quæ autem Bugiam irrorant flumina, hæc sunt, Rhodanus, cujus scaturigo in monte, qui à Latinis *Iuberus*, *Coatius*, vel *Vrsellus* nuncupatur; *Vauserine*, *Seran*, *Furan*, *Albatine*, qui à Latinis *Albarona* dicitur; *Oignin*, *Landelon*, &c.

Divisio.

Dividitur Bressia in superiorem & inferiorem: *Burgus*, seu *Burgum* superioris est Bressiæ caput, & diuturna possessio Sebusianorum Dominorum; cum autem Guido Sebusiæ seu Bugiæ Dynasta, filiam unicam nomine Sibyllam reliquisset, Amedæo IV, Sabaudiæ Comiti enuptam, urbs & ditio Burgensis in Domum Sabaudicam devoluta est cum reliqua Bressia; Bugia vero Bressiæ caput extitit; quæ prærogativa tamen illi detracta, Burgo postmodum restituta est. Sedet in loco palustri, unde & cœli gravitate laborat; attamen urbs spectatissima est, multisque dotata privilegiis.

Tria sunt hac in urbe memoratu digna; primum, est Capella S. Sepulcri, quâ Christi corpus in sepulchro jacens, statuâ lapideâ audaci artis specimine exsculptâ demonstratur. Secundum est platea institorum, vulgo *la Halle*, totius regni pulcherrima, quæ sub uno eodemque tecto, oblongas latasque porticus exhibet, ubi mensæ, & officinæ mercatorum, sutorum, sartorum, aliorumque opificum; hîc visitur Concionatorum Cathedra, qua & S. Vincentius Ferrerius conciones ad populum habuisse perhibetur. Tertium est Crux lapidea, è regione templi D. Mariæ posita, quæ arte singulari efficta est. Quartum olim censebatur arx inter Europæas pulcherrima, cujus ad normam Ambianensis, & Taurinensis extructæ sunt.

Est & Xenodochium sub nomine S. Mariæ, plurimæque Ecclesiæ, & cœnobia; templum scilicet D. Mariæ, Franciscanorum, Dominicanorum, Iesuitarum, Clarissarum, S. Vrsulæ Virginum, Visitationis, &c.

Exornatur etiam sede Præsidiali, suumque alias habuit


BRESSIA
Vulgo
BRESSE
Amsterdami.
Guiljelmus Blaauw. excudit.
Milliaria Gallica communia.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS.
ORIENS.
MAS CON NOIS.
BEAU IO LOIS.
LA PRINCI PAVTE DE DOM BES.
PARTIE DV LIONNOIS.
PARTIE DV GE NE VOIS.
DVCATVS SABAVDIÆ PARS.
LACUS LEMANNUS. Lac de Geneve
Lac de Bourget
Lac de Nicy
Le mont Iura
Iura mons
BV GEY
Bourg
Lion
Geneve
Belley

habuit Episcopum; sed exorante Francisco I, Rege, Paulus III, summus Pontifex, hunc Episcopatum suppressit, qui suis fere in cunabulis extinctus est. Porro ipsa civitas in spiritualibus Archiepiscopo Lugdunensi subjecta est.

Cætera quod attinet Bressiæ loca, sunt, *Monsloellum*, seu *Monslupellum*, vulgo *Montluel*, à nonnullis etiam *Mons lucis* dictus; *Mirebet*, *Peroges*, *Meximieux*, *Montvert*, *Quirieu*, &c. Monsloellum autem tribus à Lugduno leucis dissitum est, loco fertili & amœno, nec procul ab aquis Rhodani, tractusque Valbonnensis est caput: Collegiatam habet cum Decano, Archidiacono, Præcentore, Canonicis tredecim, 14 Præbendariis; sunt præterea binæ parochiæ, S. Stephani nimirum, & S. Bartholomæi; dividitur in superiorem & inferiorem, aquis Serenæ per medium irroratur. Sunt & alia non contemnenda loca, nimirum *Villars*, *Pont d'Ains*, *Loyes*, *Chasey*, *Varembon*, *Toissy*, *Pont de Vaux*, locus nundinis celeberrimus; *Pont de Vesle*, *S. Trivier*, *Chastillon les Dombes*, *S. Iulin*, *Montrevel*, *Treffort*, *Coligny le Vieil*, *Coligny le Neuf*, *Albergement*, *Arnens*, *l'Asne*, *Asnieres*, *Asnieres le bois*, *Banains*, &c.

Baugé. Bugia, antiquissima hujus provinciæ dynastia est, è qua illustrissimæ familiæ nomen, quæ quidem Bressiam supremo annis quadringentis jure possedit. Vrbs hæc libera & immunis abs Guidone Bugiæ Domino declarata, per nuptias Sabaudiæ Comitibus obtigit; qui illam Comitatus titulo possederunt; hodie autem Marchionatus dignitate gloriatur.

Loca. Hæc sunt notiora Bugiæ loca, *la Bastie*, *Beaupont*, Baronatus; in finibus Burgundionum Comitatus; *Beaurepaire*; *Becerel*, castrum pervetustum; *Beost*, castrum, quod hodie suis ruinis sepultum jacet; *Berreins*, Comitatus; *les Bertrandieres*, *Berruyre*, *le Bessay*, *la Beyviere*, *Bayviers*, *Biolieres*, *Bioley*, *les Blanchieres*, *Boha-Montjouvent*, *Bonrepos*, *la Botte*, *Bouligneux*, S. Christophori burgus castro vallatus; *Bouvens*, olim *Curtafay*; *Briod*, *Broces*.

Brou, Prioratus. *Brou* præpinguis est Prioratus, quem S. Gerardus fundavit, anno 937, auxeruntque Sabaudi Principes; quin & Philibertus Sabaudiæ Dux, Margaritaque Borbonia ejusdem parens, necnon & Margarita Austriaca in Ecclesia hujusce Prioratus contumulati sunt. Structura Conventus sumptuosissima est.

Sunt & alia hoc in tractu loca, nimirum *Buenc*, castrum in colle positum: gaudet titulo Baronatus; *Cessia*, *Chassaut*, *Chales*, *Chanay*, *Chandée*, *Chassagne*; deinde Castrum-vetus, vulgo *Chasteau-Vieux*, in rupis apice conditum, juxta *Suran* amnem: *Chastelard*, egregia Domus, uno circiter milliari à Burgo metropoli dissita: *Chastelet*, *Chastenay*, *Chavagna*, *Chavanes*, *Chavaux*, *Chiloup*, *Choin*, *Cobertod*, *Colonges*, *Conflens*, *Corent*, *Corgenon*, *Corleyson*, *Cornaton*, *Cornod*, *Corrobert*, *Corsant*, *Corveyssia*, *la Cras*, *Danenches*, *Duisia*, *Eschecs*, *Esguerande*, *Esnes*, *Espey*, *Espeyssoles*, *Falconnier*, *Feillens*, *Fromentes*, *Geliere*, *Genetey*, *Genost*, *Genod*, *Gordans*, *Gramont*, *Hautepierre*, *Hauvet*, *Ialamondes*, *Iacliere*, *Iasseron*, *Iaia*, *Langes*, *Marbos*, *Boleteins*, ubi Cartusia; *Bomiers*, &c.

BELLICENSIS EPISCOPATVS,

vulgo BELLAY.

Bellicio diversa nomina, diversi auctores tribuunt, nempe *Belliloeum*, *Bellinum*, *Bellitium*, à Bello, & Lite, *Bellonam*, *Belismam*, & *Belisamam*; quibus omissis *Bellicium Sebusianorum* appellabimus, Episcopos autem, *Bellicenses*; urbs plane est pervetusta, nam ab anno salutis 412 sedem habet Episcopalem. Multas clades perpessa est sub Attila Hunnorum rege, atque sub Theodorico II, Franciæ Rege, longiùs latiúsque olim sua dilatavit pomœria; verum anno 1385, penitus exarsit, excepta Cathedrali, Episcopalique palatio, ac Canonicorum ædibus; cum vero paulatim restaurata fuisset, Amedæus I, Sabaudiæ Dux, præclaro mœnium ambitu turribusque circumcinxit. Multa sunt hac in urbe antiquitatis vestigia, nimirum sepulchra, urnæ, numismata, necnon & templi Cybele deorum matri dicati rudera; cujus etiam meminit inscriptio, quæ etiamnum visitur in Ecclesia S. Laurentii in fronte Baptisterii.

MATRI DEVM ET ATTIN. CVPIDINES II. APRONIVS GEMELLINVS TEST. LEG. VIC. BELL. HER. PON. CVRAVIT.

In cavea vero Episcopatus legitur Inscriptio sequens:

MATRI DEVM CIBELI TALBIVS ATTIVS ARAM CREPIDINES COLVMNAS TECTVM. PRO......

Quantum autem ad urbis Ecclesias attinet, eminet inter alias Cathedralis D. Ioanni Baptistæ sacra, quæ olim à Canonicis Regularibus, impræsentiarum autem à sæcularibus deservitur. Est etiam perelegans Ecclesia S. Francisci, atque adeo S. Laurentii, Monialium Visitationis B. Mariæ, Virginum S. Vrsulæ, Capuccinorum, &c.

Hic Sebusianorum Sedes regia sub Baillivatus titulo constituta est. Equidem sedit aliàs Baillivus in oppido S. Ramberti, deinde Rossilloni, unde in urbem Bellicensem velut regionis metropolim translatus est; huc provocant omnes subalternæ Dynastarum judicaturæ, si excipias Marchionatus S. Ramberti, S. Sorlini, & Vallis-Romanorum, vulgo *Valromey*, qui proprium habent Iudicem ad quem appellent.

Porro, Bellicenses Episcopi sunt temporarii urbis Domini, titulumque S. Imperii Principum præferunt. Fuit autem Audax primus hujusce urbis Episcopus, qui claruit anno 412. Successere plurimi pietate & doctrina insignes, quos inter æternùm memorandus Ioannes-Petrus Camus, vir ob singularem animi præstantiam, vitæ probitatem, præclara ingenii monumenta, & efficacissi-

caciſſimas ad populum conciones totâ Galliâ celeberrimus; qui etiam hunc Epiſcopatum reſignavit anno 1629.

Aumes. Ne quid autem omittamus ad noſtrum pertinens inſtitutum, operæ pretium exiſtimavimus referre gradum ad flumina regionem hanc alluentia. Idanus itaque, vulgo *Ain*, totum hunc tractum interſecat, obiterque excipit rivulum lacûs truttarum, deinde amnem Nantuatium; poſtea *Surant*, & *Arbelaine*, totque cumulatus amnibus in Rhodanum influit. Sunt plures alii rivuli, quos Breſſia, & Bugia Rhodano communicant, nimirum, *Oeules*, *Furans*, *Glandis*, *Bremio*, *Cheran*, *Roſſa*, *Oguin*, *Seraine*, &c. *Nantua.*

Pierre-Chaſtel. Inter præcipua Bugiæ loca cenſentur urbecula Petra-Caſtellenſis, vulgo *Pierre-Chaſtel*, quæ in ſcopuli vertice exædificata eſt, ubi inſignis Cartuſia, ſituque validiſſima; oppidum S. Ramberti, ab eodem divo nomen accepit, qui ibidem martyrium ſubiit; S. Sorlini burgus, caſtri firmiſſimi veſtigia ſervat; fanum S. Andreæ *de Briord*, plurimas Romanæ antiquitatis reliquias etiamnum oſtendit, ſepulcra, inſcriptiones, numiſmata aurea, argentea, ærea, &c. S. Germani *d'Amberieu* oppidulum, fuit olim optimo caſtro munitum, quod hodie dirutum eſt, cujus radicibus hæret *Amberieu* burgus; *Roſſillon*, Bugiæ quondam metropolis, & ordinaria juſtitiæ ſedes, ſed cum variis devaſtata depopulataque eſſet incendiis, ſedes Bellicium tranſlata eſt: Caſtrumnovum, vulgo *Chaſteauneuf*, nullum aliud priſci ſplendoris veſtigium retinet, præter Mandatum in Vallem Romanorum, vulgo *Valromey*; iſta autem vallis fuit locus deportationis civium Romanorum ob ſcelus exulantium. *Amberieu.* *Roſſillon.* *Valromey.* *Cerdon.*

Cerdon burgus celebris, populo frequens, in valle jacet altis montibus obſitâ, & ordinariâ Lugduno Genevam proficiſcentibus viâ: hic aſſurgit eximia turris de Carignano dicta, ubi ſedulus ſpeculator excubat; Eccleſiâ quoque Collegiatâ decoratur. *Brion* burgus è regione lacûs Nantuani, caſtro apprime munitus; *Altemare*, & *Alimes*; poſtea occurrit *Ambronay*, publicâ quæ Lugduno Genevam ducit viâ; urbecula hæc ſua ex Abbatia initium duxit, quæ circa annum 800 fundata, ampliſſimiſque reditibus dotata fuit à Bernardo Equeſtris familiæ, Diœceſis Lugdunenſis viro, qui abdicatâ militiâ, ibidem vitam religioſam profeſſus eſt. Sectatur autem hæc Abbatia D. Patris Benedicti inſtitutum. Ex hac dependent tres Prioratus, *Loyettes*, *Amblanieu*, & *Dompierre*. *Ambronay.*

Cætera Bugiæ loca ſunt, *Beauretour*, *Blye*, celebre monaſterium; *Bons* itidem nobilium Virginum monaſterium, à Margarita Sabaudiæ Amadæi II, ejuſdem Sabaudiæ Comitis filia extructum; *Buſſy*, *Chaſteau-bochard*, *Chaſteau-gaillard*, *Chaſtelard*, *Corcelles*, *la Cou*, *Dortans*, *Douvres*, *Eſchalon*, *Gramont*, *Grolée*, ac tandem *Lanieu*, urbecula loco fertili & amœno ſita, æde Collegiatâ inſignis, necnon & Prioratu conſpicua; & *Nantua*, urbs ob commercia ſat celebris, ubi & præpinguis Abbatia.

Sunt & alia quædam non contemnenda loca, Poncinum nundinis frequens; *Portes*, eximia Cartuſianorum ſolitudo, quæ multos inſignes ſanctitate viros peperit; *Rogemont*; *Seyſſel*, vetus oppidum, ampliſſimis, à Sabaudiæ Ducibus, privilegiis & immunitatibus dotatum, Latine *Siſſum* dicitur; hìc incipit Rhodanus eſſe navigabilis; hìc quoque deponitur Sal, quod in Sabaudiam, Helvetiam, & Genevam tranſmittitur; firmiſſimo olim caſtro vallabatur, cujus è ruinis Capucinorum Conventus exædificatus eſt.

Extenſio Diœceſeos Bellicenſis. Priuſquam à Bugæo longius recedamus, animadvertendum, in diœceſi Bellicenſi 112 Parochias contineri; quarum ſeptem & quinquaginta in Bugienſi territorio, in Delphinatu Sabaudiaque cæteræ. Quod Bugæi diſtrictus reliquum, Genevenſis id Diœceſeos, quicquid nempe Valromeæ & Michaillenſis oræ eſt, Baillivatui & Præfecturæ Bugienſi eſt annexum. Limitatur Bugæa plaga ab Oriente, terrâ, quæ in neutram inclinat partem, & *Cheiſiry*, *Valromey*, & *Michaille*. Chantania, exigua eſt provincia, Marchionis Aquenſis.

Baillivatus Gexenſis. Baillivatum Gexenſem quod attinet, nonniſi in quinque ſe longitudine leucas extendit, duas latitudine. Ab Occidente Valle *Cheiſery*, quæ Regis, Ducis Sabaudiæ, & Comitis Burgundiæ eſt, terminatur. Præcipua ejus oppida ſunt *Gex*, civitas, & *Gex ſur Gex*, *Thuerier*, *Collonges*, *Dyvonne* & *Verſoy*, ſibi pene contigua. In oppido *Thuerier*, duo videas ſummæ antiquitatis ſaxa, Cæſaris trajectum inciſum inſcriptumque præferentia. In vico *de Collonges* eſt Sluſæ fortalitium, Ducis Sabaudiæ, qui loca aliquot hujus Baillivatus poſſidet, qualia ſunt, Baronatus *Ternier*, *Viry*, jam Comitatus. Flumina regionis ſunt, *Iornan*, *Alandon*, *le Liou*, *la Verſoy*, quæ de Gexio monte ſcaturiunt, & Rhodano ſe immiſcent: aliàs *Mijou* nuncupatur hic mons, qui à Sluſæ Caſtro occipiens, ad Vallenſem regionem, & Burgundiæ Comitatum uſque, cunctas has dynaſtias & dominia, loco qui *la Combe de Mijou* dicitur, ſeparat. Cæterà, Baillivatus hic Rhodano, Geneva, Sabaudiâ, & Sequanorum Comitatu, Vallenſique regione includitur. *Flumina.*

Breſſiæ qualitas. Aëre optimo gaudet Breſſia, tritico, ligno, pecore, omnis generis piſcibus etiam abundans. Regio aliàs ipſa plana, & arenoſa, nec vini ferax: præterquam quod mons Revermontius vini aliquid producat, ſex leucarum ſe extendens ſpacio. Matiſconenſis ei proximus, vicinis ſuis vinum parce ſufficit. Breſſiæ Civitates inter Rhodanum Ararimque ſitæ; & fluvius *d'Ain* dictus, iis intermedius fluit, unde duæ amœniſſimæ & fœcundiſſimæ exoriuntur Inſulæ. In Gexenſi Baillivatu pratis oportuniſſimi ſunt montes, ipſi planitiei longè præferendi: vino & tritico, incolis quæ ſufficiant, abundantes. Propè locum *Thuerier* dictum, auri fodina reperta; & aliquibus morbis aqua hic præterlabens, conducit. Arbor etiam, quæ quinquaginta, vel ſexaginta contegat homines, hic viſitur: Puteuſque, pluviâ tempeſtate aquam emittens in perticæ altitudinem.


Mores. Breſſienſes Galliæ indigenis non accenſentur; moribus, vicinis ſuis ſimiles, Sabaudis, inquam, Delphinatibus, & Lugdunenſibus.

Opes, ac Vires. Ex frumenti ſui, cannabis & pecoris diſtractione opes ſibi acquirunt Breſſienſes: Bugeienſis oræ incolæ armentis pecoribuſque ſuis divitias ſuas unicè ferunt acceptas; & lacticiniis aliquantum

tum suis. Rhodanus & Araris, Bressiæ loca circumlabentia flumina, facilem opportunamque negotiatoribus, suis exercendis commerciis viam pandunt. Pontis Vallensis habitatores frumenta sua Matisconensibus divendunt: à quibus vina recipiunt, quæ Ressousâ fluvio Bressiam devehunt.

Pons Vallis limitanea antehac urbs, duplici amplâque fossâ munita; situm loco aquoso, arenosoque sortita, nec qui ullis cuniculis terræque obnoxius sit suffossionibus. Meridiem versus Ressousa fluvius, profunditatis eximiæ, nec qui transvadari possit, eam cingit.

A Divione dependent Bressia, Bugæum, Gexiumque, & personalia hîc sunt tributa. Salis quod attinet gabellas, eæ ad Generalitatem Lugdunensem spectant; Salemque navibus Seyssellium usque devehunt. A Parlamento Divionensi pendet hæc terra; Religionem Calvini profitentes Cameræ Edicti Gratianopolitani, aut Divionensis, pro libitu, se subjiciunt: Burgundiaci est regiminis, Regiumque habet Præfectum. Gexiensis terra Baillivum habet, aliosque Officiarios, Gubernatoremque & Castellanum. Intermixtos huic Ballivatui subditos, ac feuda aliquot Genevenses habent. Lugdunensis Diœceseos Bressia est; sub Bellicensi Episcopo Bugæa Valromæaque terræ sunt; qui Archiepiscopi Vesontionensis est suffraganeus. In Gexium quidem Ecclesiæ Romanæ ritus introducti sunt, cum Genevensis Respublica jam ab anno 1589 eos abolevisset, quando Sabaudiæ Duci illud eripuerat, Regique tradidisset, qui Coronæ illud incorporavit: sed Duci restitutum, in Regem unà cum aliis dominiis hoc ipso etiam translatum est.



DOM-

DOMBESII DOMINIVM.

Limites, & extensio.



Ombesii Dominium ab Septentrione, & Oriente terminatur Bressæo territorio; à Meridie, Lugdunensi vulgò *le Franc* dicto, (quod à vectigalibus solvendis hæc Lugdunensis provinciæ pars immunis sit:) & ab Occidente Arari fluvio cingitur; quo quidem à Beaujoliensi & Lugdunensi Provinciis separatur. Ejus longitudo in octo; latitudo verò in sex se extendit leucas.

Civitates, & loca.

Præfecturas complectitur undecim; quarum prima Trevolsium est, regionis metropolis, ad Ararim; ordinaria Iustitiæ, & ipsius Baillivatus, sedes: continet autem dicta Præfectura nonnullas ad Ararim Parochias. Præfecturarum altera à Bello-visu denominatur, vernaculè *Beauregard*, urbs exigua, arce munita, ad Principem cum Parochiis suis spectans. Earundem tertia, Montmerlium, cum undenis ei annexis parochiis. Quarta Tosseyum, urbs parva quidem, at muris tamen cincta, mille ab Arari passibus dissita; & quatuor parochiis decorata. Quinta, est Lentium, aliàs *Lens*, murata Civitas, licet non magna, de Principis dominio. VI Chalamontium, ejusdem cum superioribus notæ; ad Pontis-Vallensem Ducem, Mamayumque in Libero, uti vocant, Comitatu, *Franche-Comté* Gallicè, spectans. VII. Chastellardum, Marliæum, S. Georgii de Renon. VIII. S. *Trivier*, urbs muris circumdata, exigua tamen. IX. Villa-Nova, cum septem Parochiis, ipsius est Principis. X. *Ambeyrieu*, cum castro, modò in ruinis suis jacente: locus Principis proprius. XI, & Præfecturarum ultima est *Ligneu*. Complura quidem præter jam dicta sunt loca, feudaque nobilia, & castra, ut *Taney*, *Flechieres*, ornatissimus locus, & urbs, licet non magna: *Meyssimy*, *Lurey* Marchionis *de Varennes*; *Franchelaids*; ad Dombesii Baillivum spectans. *La Bastie*, Baronatus, Baronis *de Ioux*: *la Tour Chabes*: portio castri Bergementii, ad Comitem de Montruel: *Iuys* Baronia, &c.

Qualitas, Opes, Vires.

Solum regionis optimum, tritico abundans, vinearum etiam pratorumque patiens; Cannabin itidem producit, & alia terræ munera: nec lacus, & illi quidem quampiscosissimi, desunt. Loca maxime munita, sunt *Chamaignieu*, magni & minoris vocabulis interstincta, *S. Trivier*, *la Bastie*; *Beauregard*, & *Barbarelle*. Quinquaginta, aut sexaginta circiter Nobilium Domos hæc Provincia numerat: quarum mentionem jam antè injecimus.

Regimen.

Principatus hic ad Dominos de *Beaujeu* dictos, spectavit aliquando; idque ratione connubiorum cum Familiis Sabaudicâ, Bressæaque initorum; etiamque per matrimonium Huberti IV, Domini *de Beaujeu*, & Margaretæ *de Baugey*, donec tandem Eduardus II, terras suas, earumque possessionem, Ludovico II, Duci Bourbonio, gratuito munere, concessit: unde, Susannâ Bourboniâ, Carolo Duci Bourbonio, Franciæ Connestabili, enuptâ, hic ipse Carolus universi Dominii hæres unicus factus est: ab eoque tempore illud ipsum in Familiam lineamque Montispenseriam transcriptum; ad Mariam Bourboniam usque, unicam Henrici, Ducis *de Montpensier*, filiam; quæ Duci Aurelianensi, unico regis Ludovici XIII Germano, in matrimonium elocata, & fatis functa anno 1627, unicam itidem reliquit filiam, Annam-Mariam, Dombesii hæredem, Ducissam *de Montpensier*, *de S. Fergeau*, & *Chastelleraut*; Arverniæ Delphinam; Principem *Rupis ad Yonnam*, vulgò *de la Roche sur-Yon*, & Lucæ, *du Luc*; Marchionissam Mesieriæ; Baronissam *de Beaujolois*; Comitem Baræ ad Sequanam, *de Bar-sur-Seine*, & Montaigniæ; Vice-Comitem Augiæ, Brossiæ, & Domfrontii; Dominam *de Champigny*, *de Combrailles*, *Montagu*, &c.

Dombesii Parlamentum Lugduni sedem suam fixit, in Palatio Regio, ut vocant, Iustitiæ, residens: Duobus constat Præsidibus, Libellorum supplicum Magistro; sex Consiliariis: Procuratore, & Advocato Generali, duobus Secretariis; Scribâ, quatuorque Apparitoribus. Secundum scriptam juris normam jus dicunt. Singulo octennio, Principi, honorarii muneris instar, librarum decem mille offeruntur: Salis reditus 36000 librarum. Officinæ monetariæ Principi suæ conferunt 10000 libras: toto enim regno monetæ hic cusæ valor plurimum æstimatur.

Religio.

Lugdunensem Diœcesin agnoscit Terra Dombesia; nulla insignita abbatiâ: & Prioratûs quidem Montis Bertrandi, *Cissanæ*, *Girlonges*, & *S. Trivier*, diversis adnexi sunt Abbatiis; etiamque Minimorum Montmerleensi Conventui, qui quidem Terræ hujus unicus est; originem suam, fundationemque, Mariæ, ultimæ Dombesii Dominæ ac Principis, liberalitati acceptam referens.



LA SOUVERAINETE DE DOMBES.
Oriens
Occidens
Septentrio
Meridies
BRESSE
PRINCIPAUTE DE DOMBES
LE PAIS DE BRESSE
MASCON NOIS
BEAVIOLOIS
LIONNOIS
Bourg
Mascon
Belleville
Ville franche
Anse
Trevolz
Lion
Pont de Vaux
Bage
Pont de Veyle
Chastillon
Challamont
Villars Marquisat
Ville Neufve
Montuel
Perouges
S.Trivier Conte
Monrevel Conte
S.Amour Conte
Trefort Marquisat
S.Iullien
Seiceria
Tousia
Le Pont d'Hain
Rhosne fleuve lat. Rhodanus
Milliaria Gallica communia.
Apud Guiljelmum et Ioannem Blaeu.

Vnde orti Burgundi.

Nominis ratio.

DVCATVS BVRGVNDIÆ.

Vnde orti Burgundi.



QVi res gestas superioribus sæculis memoriæ mandavere, unanimi fere omnes consensu testantur, Burgundos è Wandalis, septentrionalibusque Gothis esse ortos, ac circiter annum à nativitate Iesu Christi 280 sedibus pulsos, magna multitudine in eam Germaniæ partem irrupisse, quæ, tum Alemannia dicta, ob amnis Rheni propinquitatem, agrorum fertilitate, nullis Germanorum provinciis cedebat; contra quos vario successu aliquandiu pugnantes, tandem sedes quas bello nequiverant, liberali incolarum benignitate obtinuisse, eas nimirum Alemanniæ partes, quæ nunc Palsgraviatus, sive Palatinatus Rheni ac Marchionatus Badensis titulo gaudent. Cum autem Romanum Imperium jam labasceret sub Honorio & Arcadio Imper. Theodosii Magni filiis, multæ exteræ barbaræ nationes concurrerunt, ut unaquæque partem aliquam sibi vendicaret. Iuvabat aliquas, præsertim Burgundiones, præter imbecillitatem Imperatorum, qui suæ mentis non satis compotes erant, invitantis ambitio Stiliconis, qui meliori ratione filium suum Eucherium Imperio se intrudere non posse arbitrabatur, nisi omnibus modis imperantium authoritatem & vires pessumdedisset. Pessimo itaque exemplo allecti cum cæteris à Stilicone Burgundiones, eam Galliæ oram occupavere, quam etiamnum possident, expulsis veteribus incolis Sequanis & Hæduis: quorum hi Ducatum, illi Comitatum Burgundiæ, (ut nunc vocatur) habitaverunt. Nomen alii deducunt à *Burgis*, hoc est, castris, quia in Inferiore Germania per castrorum limites dispositi erant. Alii nomen putant deductum à more Septentrionalium populorum, vicatim habitantium, ac proinde à Germanis dictos *Bourgwoonders*, quam vocem ejus temporis Galli, corrupta Latina Germanicaque lingua in *Bourgonders* depravarunt, duarum vocum, paucis mutatis literis, coitione. Rationem ex eo petunt, quod vetustissimi Germani, expresso Cæsaris ac Taciti testimonio, nullas habitarunt urbes, sed pagos, vicosque, parvo intervallo invicem distantes, quos *Bourgen* appellarunt, unde vox *Bour*, aut *Buir*, quæ vicinum sonat, manavit. Quod autem plerique suspicentur vocem *Bourgons*, deductum ex antiquissima ignotaque Scytharum Septentrionalium (nunc Tartarorum) lingua, quemadmodum & Lombardos, Gepidas, Wandalos, Bastarnas, Neuros, Getas, Dacos, &c. plane incertum est. Petrus Sancto-Iulianus Burgundiæ etymon à loco quodam deducit, qui vulgo *Burgogne* in agro Lingonum.

Nominis ratio.

Olim regnum.

Olim regni titulo in Gallia longe lateque imperarunt. Anno 415 Rex eorum Gondiochus erat, qui cum Ætio collatis signis in prælio occubuit, relictis quatuor filiis Gondebaldo, Chilperico, Godemaro & Godegisillo. Chilpericum & Gondemarum ambitio in natu maximum & minimum fratres armavit, ita ut commissa acie Gondebaldus & Godegisillus victi, fuga salutem quærere coacti sint. Gondebaldus delitescens sparso falso rumore suæ mortis, fratres victores fefellit; qui positis armis nullo ab hoste sibi cavendum existimantes, ante à Gondebaldo Viennam fugere coacti sunt, quam eum revixisse scirent. Gondebaldus expugnata Vienna captivos fratres capite plectit una cum uxoribus, quarum illam Chilperici appenso ad collum lapide in flumine mergi jussit. Ita totius Burgundiæ Dominus factus, nullam tamen fratri Godegisillo illius partem concessit: usque dum instigante Clotilde, Chilperici filia, à Clodovæo, cui illa nupserat, victus fugatusque & intra Avenionis mœnia compulsus, fratri illud totum tradere coactus fuerit: quem tamen restauratis viribus post Clodovæi in Galliam discessum Viennæ obsedit, ibidemque, per aquæductum secreto in urbem aditu aperto, cum omnibus à Clodovæo adjunctis Francis interfecit. Clodovæus audita suorum cæde raptim in Burgundiam cum copiis rediens, iterato Gondebaldum prælio superatum, relicto regno in Visigothos fugere coëgit, regnique partem sibi subjecit, reliquum Sigismundo Gondebaldi filio tradidit; quo postea, ob fractam in non servatis pactis fidem, in puteum cum omni familia conjecto, tota Burgundia ad Theodoricum Clodovæi filium, & tandem ad Clotarium jure succedendi devenit; & ex eo tempore Burgundia penes Francorum Reges mansit. Complectebatur tunc Burgundiæ regnum Sequanos, Superiorem Burgundiam, Sabaudiam, Delphinatum, & territorium Arelatense. Ideoque regni sedes modo Arelia, modo Aurelia fuisse legitur.

Regnum hoc circa annum 1034 bipartitum abiit in *Ducatum & Comitatum*, quorum ille, versus Occidentem, *Burgundia Inferior & Regia*: hic, ad Orientem, *Superior, & Imperatoria*.

Ducatus termini.

Regionem hanc claudunt ab oriente, intercurrente Arari, Sabaudia & Burgundiæ Comitatus: à meridie, Lugdunense territorium: ad occasum Nivernensium & Borboniorum regio: à Septentrione Campania, ab occidente Borbonicus & Nivernensis ager. Extenditur hic Ducatus longe lateque, ita ut à Matiscone usque ad Altisiodorum sive Barram ad Sequanam quadraginta quinque milliaria in longitudinem porrigatur; & si à Baujolesio versus Campaniæ limites ad usque pagum Fauchiere ejus rationem ineas, quinquaginta milliaria excedet. Latitudo ab Augustoduno usque ad

Extensio.


BVRGVNDIA DVCATVS.
Milliaria Gallica.
Oriens.
Occidens.
Septentrio.
Meridies.
CHAM-PAGNE
BRES
DOMBES
Dijon
Chaalons
Beaulne
Authun
Auxerre
Dole
Viteaux
Saulieu
Charolle
Bourg en Bresse
Malcon
Tournus
Langres
Bar sur Seine
Tonnerre
Avalon
Nuits
Chastillon
Semur
Noyers
Clugny

ad urbem Ligonicam viginti quinque; at à Borbonico Lancejo usque dictam urbem Ligonum triginta quinque milliaria conficiet. Controversiæ vero de jure in amplissimum hunc Burgundiæ Ducatum gravissimæ motæ fuere, anno 1555 inter Imperatorem Carolum V, Hispaniæ regem, & Henricum Galliarum Monarcham, de quibus vide P. Merulæ librum Historiæ Belgicæ 6. Vrbes olim florentissimæ hic fuerunt, *Alexia*, cujus vix rudera supersunt, nominis umbram servante pago *Alize*, & *Bibracte*, oppidum quondam maximum & opulentissimum.

Veteres urbes.

Divisio.

Dividitur hodie in quinque præfecturas præcipuas, Divionensem, Augustodunensem, Cabillonensem, Auxensem, & Montanam; quarum huic caput est Castilio ad Sequanam, illi Semurium. Divionensis Præfectura quatuor sedes habet, quæ quasi singulæ præfecturæ sunt, nimirum Nuitonium; Auxonnam, cum Castello ad Ararim, urbem satis validam & in Burgundiæ Comitatus confiniis sitam; Fanum S. Ioannis Loosnensis; & Belnam. Augustodunensis tres habet, Moncenis; *Semurium* in Brionensi agro cum annexo Ancejo; & Borbonicum Lancejum. Auxensis Præfectura sedes numerat duas, Aballonem & Arnay le Duc. Cabillonum & Augustodunum sedes Episcopales sunt: Supradictis autem præfecturis adjunguntur Matisconensis, & Altisiodorensis seu Auxerrensis ager, ut & præfectura Barra ad Sequanam, quæ Parlamenti Parisiensis jurisdictionem agnoscunt; quamquam Regimini Burgundico accenseantur, & Episcopi, Nobiles, tertiusque ordo inter Ordines Provinciæ suum locum habeant, itidem ut Carolesium, & Vicecomitatus Auxonensis, regiones adjacentes, & illæ quæ à suis Dominis possidentur, sed Liberæ vocantur.

PRÆFECTVRA DIVIONENSIS.

Dijon.

Metropolis Ducatus hodie est *Divio*, vulgo *Dijon*. Hujus conditor, aut potius restaurator, pomœriique productor fuit Aurelianus Imperator. Nomen à divis, quibus plurimus ibi fuit cultus, impositum putatur. Hac urbe nihil in Burgundia pulchrius amœniusque. Sita est ad Oscharam fluvium, *l'Ousche*, pisculentum, agro fertili, & admodum fœcundo, vini quoque in vicinis montibus feraci. Munita est situ non tantum naturali, sed industria etiam adversus quamlibet vim. Vtrinque muros alluunt flumina duo, Suzio *Suson*, & Oscara, quorum ille periculosissimis exundationibus urbem infestare consuevit: hic pisculentus admodum alveo fluit quietiore, rerum multarum usum suppeditare solitus: muri ad justam magnitudinem apti, ad propugnandum in altum assurgunt: turribus, propugnaculisque muniti: ultra quos castellum quatuor turribus sibi respondentibus provisum, cum arce munitissima. Sub cœnobio D. Benigni, quod à Gregorio conditum Lingonensium Episcopo, vastum ostenditur specus: cryptas cisternasque habens, in quo Benignus vir sanctus vinctus fuisse traditur, quum populum ad Christum traduceret, dæmonum adhuc sacris operantem. Supremum hic est Ducatus Parlamentum, & justitiæ sedes, unde velut è sinu patriæ jura petuntur. Qui in *Majorem* hujus oppidi legitur, non tam honorem, quam onus suscipere, vel invitus & renitens, cogitur, jusque jurandum præstare in templo D. Virginis, præeunte verba Procuratore regio, se Regi fidelem futurum, defensurumque sua civitati jura, libertates & privilegia, adversus quoscunque, etiam ipsum Regem, quoties flagitat necessitas. Præter Majorem ad urbis regimen eliguntur viginti quatuor Scabini: Si quando Reges solemniter urbem ingrediuntur, juramentum præstant in Ecclesia S. Benigni, se privilegia non violaturos: econtra Major nomine totius regionis fidem suam integram semper fore jurat; quamobrem album ex velluto cingulum equi Regii frœno innectit, atque ita cum viginti quatuor Scabinis Regem ad Sacellum sacrum deducit. Est autem hic Major caput perpetuum Tertii Ordinis apud Ordines Provinciæ, qui singulis trienniis congregantur: Iustitiam omnifariam primæ instantiæ in omnes urbis cives exercet, cujus & claves custodit. Sunt in urbe viginti quatuor Ecclesiæ; duæ Abbatiæ, S. Benigni, & S. Stephani; Sacellum sacrum à Philippo Bono Burgundiæ Duce fundatum, quinque ptochotrophia; & extra urbem Prioratus Arciensis, templum S. Iacobi ad vineas, & Cartusianum, quod elegantissimum est, & monumentis Ducum Burgundiæ ornatum: inter profana ædificia palmam meretur Palatium, in quo Parlamentum sedet, & Cameræ rationum, redituum publicorum & Iustitiæ sunt; Domus Regia à Ducibus extructa; Domus Publica; palatia multorum Nobilium, Abbatiarum Cisterciensis & Claravallensis ordinum, &c. Munimentum Talantium nunc dirutum, castellum & pagus Fontanus, Abbatis S. Bernardi incunabulis celebris, cum Sacello in eodem loco fundato non longe Divione distant, quorum incolæ aliquibus privilegiis fruuntur.

Episcopatus & Præfectura AVGVSTODVNENSIS.

Autun.

Avgustodunum, *Augusta Iulia Æduorum*, ab Augusto restauratore sic dictum, ad radices jacet montium, qui vulgo *Les mont de Cinis*, ad fluvium Arotium. Vrbs quondam amplissima & populosissima, hodie ædificiis supra modum vacua, & diu quondam in Galliis rerum potita, populoque Romano fœderata, in ordinem quasi & ad inferiorum oppidorum conditionem est redacta. Multa visuntur Augustoduni cum intra, tum extra urbem, antiquitatum monimenta, fanum Proserpinæ & Plutonis, Iani templum, Martis templum, Martis campus, *Philosofia* Collis, Cupidinis ædes, fornices Veneris, Cucubarrus, Theatrum, Capitolium, Apollinis templum, Caninus vicus, Rochi delubrum, statuæ, columnæ, aquæductus, arcus, nummi veteres, mons Druidus, mons Iovis, ut plane æmula

Romæ

Anthim.


LA BRESSE CHALONNOISE.
Septentrio
Meridies
Occidens.
Oriens.
Milliaria Gallica.
PARTIE DU DIJONNOIS
PARTIE DE L'AUTUNNOIS
PARTIE DU CHAROLOIS
MASCONNOIS.
PARTIE DE LA FRANCHE COMTÉ
Beaune
Verdun
Challon
Bellegarde
Tornus
Cuzeaux
Cheviot
Lyonsaunier
Couche
Rully
Bussy
Cormatin
Brange
Bleterans
Bellevesures
Chaußin
Damerey
S Amour
Mont S Vincent
S Laurent la Roche
Mulsault

Diœceſis.

Chaalon Civitas.

Romæ fuisse credi possit hæc civitas, unde & medii ævi poëta quidam canit,

Celtica Roma dein voluit, cœpitque vocari.

Affirmat Tacitus Tiberium à Senatu Romano impetrasse, ut Hædui Augustodunenses in Senatum allegerentur, & populi Romani fratres appellarentur.

In hac urbe Magnentius, natione Gallus, post Constantem in Galliis fraude occisum, purpuram Imperialem induit. Fuit & bonarum artium ac Musarum sedes, ubi, ut Tacitus scribit lib. 3 Annalium, nobilissima Galliarum soboles liberalibus studiis operabatur. Inter ædificia sacra eminet templum Cathedrale S. Nazario sacrum, eximii operis; quemadmodum & aliud B. Virgini dicatum, fundatum à Nicolao Paulino Cancellario Burgundiæ sub Philippo Bono. Fundavit hic & Xenodochium Belnense, quo in tota Gallia nullum commodius & pulchrius. E Monasteriis, quæ hic plurima, antiquissimum est illud quod à S. Symphoriano nomen habet, fundatum ab Euphronio Sacerdote, dein Episcopo Augustodunensi: nunc Prioratus est Ordinis S. Augustini, habetque liberam electionem. Abbatia S. Martini Ordinis S. Benedicti valde celebris est tumulo Reginæ Brunechildis fundatricis, fœminæ sceleſtissimæ, quæ decem Regibus vitam omnifario scelere eripuit. Aliqui eam piissimam fuisse volunt, quod nullus Rex fuerit, qui plura templa, monasteria, Xenodochia, & similia ædificia exstrui curaverit, eaque tam eximiæ structuræ. Sunt in urbe præterea bina alia Monasteria Virginum, quorum hoc S. Androchi à Carolo M, illud S. Ioannis Majoris à Brunechilde fundatum. Reliqua templa nominibus S. Ioannis ad specum, S. Lazari, S. Quintini, S. Branchetii, S. Petri, S. Ioannis Euangelistæ, S. Andreæ, S. Blasii, S. Claudii, S. Rochi Prioratus, S. Spiritus Xenodochii, Cœnobii Franciscanorum, Domus Dei, cognita sunt.

Diœcesis. Diœcesis Augustodunensis latè extenditur, continens ultra sexcentas Parochias, exceptis plurimis Abbatiis, Prioratibus, Collegiis Canonicorum, & Sacellis. Abbatiæ S. Martini, S. Andochi, S. Ioannis Majoris, *Corbigny*, *Cherey*, *Flavigny*, *Fontenay* & *Vezelay*, omnes ordinis S. Benedicti sunt; præter quas & hæ numerantur, *Oigny*, S. Margaritæ, *la Bussiere*, *Sept-Fons*, *Lieu Dieu*, & Consolationis de *Reconfort* dictæ.

Episcopatus & Præfectura CABILLONENSIS.

Chaalon Civitas. Cabilonum, *Cabillonium*, *Cabillonia*, *Cabilonus*, *Caballodunum* vel *Cabilo Aëduorum*, sita est ad dexteram Araris ripam, agri uberrimi, cœlique saluberrimi. Eximie felix, conveniensque & secundo Arari mercimoniis idonea, unde à Cæsare commeatui parando, exercituique, qui sæpe in plures distractus erat partes, distribuendo delecta. Majorem olim fuisse testantur antiqua rudera. Concilium hic habitum à Christianis Antistitibus, rerum apud Francos potiente Clodovæo. Regiam quoque hic sedem habuit Gunthrannus Clotharii I filius, Chereberti Francorum Regis frater, Aurelianensium Princeps, qui eam supra modum variis ædificiis ornavit, in S. Marcelli cœnobio ibi conditus. Evertit contra cum quatuor suburbiis Clotharius, Ludovici Pii Augusti filius, cum in Italiam solum vertere cogeretur, Augusto patre ex cœnobio ad regni gubernacula ab optimatibus retracto: idque odio Anselmi Cabilonensium Comitis. Primarium templum, consecratum olim sub nomine D. Stephani, hodie D. Vincentio, quod ejus ibi reliquiæ ab Childeberto I conditæ, est dicatum. Est & templum D. Georgii, quod nullis incendii facibus, aut tormentis unquam dejici potuisse memoratur, quo tempore urbs à Clothario vastata. Præter hæc templa, plurima sunt cœnobia cum adjunctis templis, qualia sunt Minimorum, S. Benedicti, S. Vrsulæ, S. Claræ, S. Catharinæ, S. Francisci, Societ. Iesu, Carmelitarum, & Xenodochium, quod à Religiosis fœminis administratur. Abbatia sive Prioratus S. Marcelli, pulcherrimis turribus antiquæ & Gothicæ structuræ celebris, urbi proxima est. Binis ornata quondam fuit nundinis, utrisque ad totum mensem durantibus, alterisque *Brandoniis*, alteris ab Augusto mense nuncupatis: quæ tamen, urbe suis cladibus fere sepulta, primo quidem Genevam, quæ tunc etiam regni Burgundici erat, postea vero Lugdunum, ubi nunc quoque habentur, sunt translatæ. Retinet tamen Cabillonum, quas nundinarum beneficio solebat habere, immunitates. Vsurpat enim Cabillonensis Magistratus nundinarum & mercatuum Magistri nomen, & quo anni tempore nundinæ habentur, nemo Cabillonii adparitor vel regius vel alius, quemquam potest jure sistere, vel in ejus bona manus injicere. Hodie civitas pro dimidia tantum parte Episcopi est, pro altera Regis, aut Burgundiæ Ducis. In duas enim divisa jurisdictiones, habet & curiam Iudicialem Castelli, quæ regia est; & Episcopi Collegiique Canonicorum Cathedralium, in qua Episcopi ministri jus dicunt. Cabillonensium familia secundum Principes longe fuit clarissima, cujus parens Gulielmus ille Magnus fertur, cui à venatorio cornu erat cognomen.

Cives multis iisque non contemnendis gaudent privilegiis, & inter cætera potestatem habent eligendi in Capitaneum unum ex vicinis Nobilibus, qui custodiendæ urbis curam cum Magistratibus participet. Quatuor Scabini, qui singuli habent clavem, qua portæ reserantur, annui sunt quemadmodum & Major cum Procuratore Syndico.

Diœcesis. Diœcesis Cabillonensis terminatur ad occidentem Augustodunensi, ad orientem Vesontionensi, ad meridiem Matisconensi, & ad Septentrionem Lingonico. Continet circiter ducentas parochias sub quinque Archipresbyteratibus, nempe Montignensi, Demignensi, Bresciensi, Trenorchensi & Oscariensi. Comprehendit itidem sex Abbatias, S. Petri Cabillonensis, *Tournus sur Saone*, Cisterciensem, *la Ferté sur Grosne*, *Maisieres*, & cœnobium *Molaise* parthenium.

Tournus opp. *Tournus*, Latinis *Tornutium*, modicum oppidum inter Cabillonum & Matisconam ad Saonam fl. situm

situm est in loco valde fertili & amœno, non vero adeo commodo ob frequentes & damnosas fluminis exundationes, quæ agricolarum laborem sæpe irritum reddunt. Divisum fuit olim in tres partes, nimirum *Trenorchium Castrum*, *Tornutium villam*, & *Cellam S. Valeriani*, ut expresse in literis Caroli Calvi habetur. Trenorchium Castrum est illa pars, quam hodie S. Magdalenæ appellant, ubi etiamnum porta conspicitur, dicta Porta Castelli: Romani vocabant hoc castellum *Horreum Castrense*. Tornutium optima, pulcherrima & frequentissima mercatoribus pars est, quæ nunc Parochia S. Andrææ dicitur. Cella S. Valeriani Abbatia illa est, de qua paulo ante diximus, in colle sita & satis firmo operæ & muris cincta; ita ut, si excelsæ illi impositæ turres non dissuaderent, castello magis quam Cœnobio similior videretur. Plurimæ existimationis est hæc Abbatia, utpote libera & caput sui ipsius, à qua multi opulenti & splendidi Prioratus in Britannia, Pictavia, Andibus, multisque aliis provinciis fundati dependent: & in quos Abbas Tornutiensis Collationem & Dispositionem habet, ingentibus reditibus fruens.

Cistercium sive *Cisteaux*, prædives itidem Abbatia est, caputque Ordinis S. Bernardi, sub se habens mille octingenta monasteria monachorum, & totidem Religiosarum velatarum, dispersa per totam Europam, quasi Colonias Civitatis Dei. Nomen mutuatur à multitudine vicinarum cisternarum, quæ ibidem effossæ sunt ad recipiendam pluviam.

Oppida. Sunt in Cabillonensi territorio octo oppida muris fossisque cincta, & totidem majores pagi. Oppida sunt *Givry*, *Brancion* Comitatus Regum proprius; *Bellegarde* à defuncto Rege in Ducatum & Pariatum evectum; *Verdun*, Comitatus; *Bellevesure*; *Touchans*; *Cuseau*, & *Cusery*. *Pagi.* Pagi majores sunt *Bussy* Præpositurâ gaudens; *Senecey* Marchionatus; *Chaigny* Prioratum habens, qui anno 1220 Abbatiæ S. Ruffi in Valentia conjunctus est; *Mavans*; *Sagy*; *Sainte Croix*; *Branges*, & *Sagy* in *Revermond*, cujus media pars Regi Galliæ altera Hispaniæ Regi subjecta est.

PRÆFECTVRA MONTENSIS ET ALEXIENSIS.

Castillonium. Caput hujus Præfecturæ *Castillonium* est, divisum interlabente fluvio in duas partes, quarum altera *le Bourg*, altera *Chaumont* vocatur. Castellum, vetus Ducum Burgundiæ sedes, in ruinas abiit. Extra urbem conspicitur alta rupes, è qua aquæ dulcis fons emanat, sexto inde passu molas frumento & pannis conficiendis circumagens, quorum, ut & tapetium minorum diversicolorium, maxima copia in hac urbe distrahitur.

Beaune. *Belnam* à Romanis conditam fuisse ex ruinis patet. Martis etiam hodie sedes est; præterquam enim quod oportuno ad lacum loco sita sit, muris, fossis, propugnaculisque fortissimis cincta est. Munimentum, quod Ludovicus XII exstrui fecit tantis, & tam ad artis regulas exactis propugnaculis circumdatum est, ut inexpugnabile judicetur. Xenodochium Palatio Regio, quam pauperum Domicilio similius, à Nicolao Rolino Philippi Boni Cancellario, adeo magnifice structum est, ut Rex Galliæ & Dux Burgundiæ sua illic conclavia habeat omnis generis mobilibus ornatissima, & ægroti pro morborum conditione diversa cubicula inveniant, in quibus curentur. Area spatiosa, quæ atrio ad latus & binas sibi porticus habet unam supra aliam, in quibus cameræ diversæ cum conclavibus; rivo alluitur qui urbi illabitur. Officia hoc in Xenodochio distincta sunt; ita ut infirmi ibidem commodissime habeantur. Est & in urbe Palatium Parlamento olim inserviens, antequam Divionem transferretur; ipsaque urbs, præfecturæ sedes, adeo honoris sui conservandi zelotypa est, ut circa finem præcedentis sæculi de priori in consessu Ordinum Provinciæ loco cum Augustodunensi civitate disputaverit.

Bailliuatus d'Auxois. *Præfectura Auxiensis* sive *Alexiensis*, Semurii stabilita, ultra viginti milliaria in longitudinem, & totidem fere in latitudinem extenditur. Nomen habet corruptum ab Alexia metropoli olim totius Galliæ, & à Cæsare diruta, quamquam à trecentis & quatuor viginti millibus Gallorum defenderetur. Parvus ille pagus prope Flaviam nominis veteris adhuc vestigia retinet *Alize* appellatus.

Auxonna quoque urbs non longe inde dissita, nomen suum ab ea traxisse videtur.

Semur. Alesia destructa *Semurium* caput Mandubiorum fuit. Situm est Semurium in medio præfecturæ Alexiensis, undequaque montibus præterquam orientem versus inclusum, & ternis murorum claustris in tres partes divisum. Prima, quæ *Burgi* nomen obtinet, maxima & hominibus frequentissima est, temploque eximio B. Virgini dicato clara, cujus fundator Gerardus Rossillonius fuisse existimatur: aliqui Robertum Francicum, Ducem Burgundiæ, illius structuræ authorem arbitrantur. Ecclesia hæc Prioratus est Ordinis S. Benedicti, & loco Parochiæ incolis inservit, ita artificiose ædificata, ut quamvis muri satis alte exsurgant, uno lapide tamen latiores non sint, exceptis columnis, quæ convexum templi sustinent. Est etiam in hac parte Carmelitarum Cœnobium. Altera urbis pars *Donjeon* vocatur, quæ natura & arte munitissima est, in rupe sita, cui fluvius Armanson allabitur; muri, præterquam quod crassi & prælati sint, intus terra oppleti sunt. In hoc munimento, quod circiter 120 passus in longitudine, in latitudine vero 80 complectitur, sacellum est S. Margaritæ sacrum, cui Religiosi Ordinis S. Ioannis Rhodii seu Melitensis inserviunt: horum reditus è Salinis Comitatus Burgundici provenit; sunt & duo loci, quorum alter ad formam munimenti accedens *Mons Illi*, alter *Valesing*, *Velleris signum* nominatur. Tertiam partem constituit Arx quoad formam rotunda, sed accessu difficilis ob præruptas rupes: Ambitur undequaque turribus, quindecim passus se invicem distantibus. Est in eo Prioratus S. Martino dicatus: ut & quadraginta putei salientis aquæ, quorum

quorum profundissimus vix triginta pedum est, quod quidem rarum inter rupes, & saxa.

Cæso ante Nancejum Carolo, ultimo ex illa familia Burgundiæ Duce, Semurium à Carolo d'Amboise, Ludovici XI Galliarum Regis supremo Legato seu Præfecto, obsessum, captum & Galliæ annexum fuit. Administrandæ Iustitiæ Prætor Regius, rebus vero civilibus, & politicis ad urbis regimen pertinentibus constituendis, Major cum sex Scabinis & Procuratore Publico (quorum munia tantum annua,) præficitur.

Flavigny. Oppidum *Flavia* medium milliare Semurio distat, conditum, ut plerique volunt, ab Imperatoribus Flaviis; ruinæ Alesiæ hinc vix alterum milliare disjunctæ sunt.

Oppida & arces. Præfectura Auxensis ultra Semurium duas alias sedes habet, *Aballonem & Arnay le Duc.* Illud de Aballone notarunt veteres Historici, quod cum ejus castellum à Roberto Rege anno 1006 obsideretur, nec capi posset, Rex in tentorio hymnum cecinerit, quo vix inchoato ad canentis Regis vocem muros corruisse, qui jam tertium mensem Regiis machinis restiterant. Reliqua hujus præfecturæ oppida & arces sunt, *Montreal*, & *Insula* infra *Montreal* ad Serenum fluvium; Arx *Tanlay* magnificæ & superbæ structuræ; *Noyers*, *Saulieu* sive *Sidolucum*, *Mombard*, *Viteaux*, *Ravieres*, *Mont S. Iean*, *Moustier S. Iean* arx eximia & munita; quales etiam sunt *Montigny*, *Missery*, *Thoisy*, *Thoilon*, *Saumaise le Duc*, *Borbilly*, *Espoisse*, *Raigny*, *Bar-sur-Seine*, & aliæ complures.

Comitatus & Episcopatus MATISCONENSIS.

Mascon Civitas. Mascon, *Matiscona*, præcipua territorii Matisconensis urbs, multis & frequentibus cladibus obruta, toties iterum sese in ampliorem statum erexit; diruta primum ab Hunnorum Rege Attila; dein fervente inter Regem Lotharium & Burgundiones bello, vastata; iterum à Ludovico Iuniore ita disjecta est, ut lapis supra lapidem non relinqueretur. Exinde sub Philippo Augusto resurgens, tempore bellorum civilium à Reformatæ Religionis sectatoribus templa & aras suas profanatas simul & dissipatas vidit. Carolus Primogenitus & Regens Galliæ, quo tempore Rex Ioannes in Anglia detinebatur, illam fratri Ioanni Comiti Pictaviensi dono dedit, cui eam Ioannes Rex ex Anglia redux eripuit ut Coronæ Gallicæ reuniret. Ludovicus XI restituit eam Philippo Burgundiæ Duci, sed Carolo fatis functo recepit. Sita est Matiscona loco amœnissimo & virentibus pratis vicino. Saona seu Araris urbem præterlabens, lapideo tredecim arcuum ponte constratus est, cui porro contiguum pratum in sex septemve milliaria extensum, & tres milliaris quartas largum. Regitur à sex Scabinis; caput suæ Diœceseos, Ecclesiam habet Cathedralem, præaltis campanilibus & grata campanarum harmonia celebrem. Capitulum, uno Decano & novendecim Canonicis constans; accipit quinquaginta millia florenorum annua ex reditibus. Parochia primaria est illa S. Petri, cujus Capitulum è Præposito & duodecim Canonicis compositum est, qui nobilitatis suæ indicia usque in quartam generationem demonstrare tenentur, antequam admitti possint; sunt autem Curiones primitivi Parochiæ. Vltra alteram S. Stephani Parochiam conspiciuntur in urbe quatuor monasteria, Iacobinorum nempe, Franciscanorum, Capucinorum & Minimorum, cum sacello & ædibus Patrum Oratorii; ut & tria virginum Cœnobia, S. Vrsulæ, Carmelitarum, & Visitationis S. Mariæ.

Est hæc præfectura vetusta & longè lateque extensa. Appellationes in controversiis, quæ Edictum concernunt, devolvuntur ad sedem præsidialem Lugdunensem; & in reliquis ad Parlamentum Parisinum.

Prætor Generalis Civilis gaudet præterea Officio Præpositi Excubitorum, & Iudicis Regii Matisconensis. Vltra hæc judicia Regia & ordinaria, tribunal Electionis est duobus Præsidibus fultum, à quo appellatio ad Curiam Adjutorum Parisiensem procedit. Aliquæ Parochiæ, quæ Diœcesi Augustodunensi accensentur, & suas commissiones ab Ordinibus Generalibus Burgundiæ recipiunt, Prætoris, non vero Electorum Iurisdictioni subjiciuntur.

Termini. Limitatur Territorium Matisconense Bressia & parte *Dombes*, intercurrente Arari ad Orientem, Borbonio agro ad Occidentem, Cabillonensi territorio & parte Carolesii ad Septentrionem, & tandem Bellojolesio & Lugdunensi agro ad Meridiem. Longitudo ejus ab occasu versus ortum Solis excurrit duodecim, latitudo novem circiter milliaria.

Comitia. Regio Matisconensis sua seorsim comitia celebrat, eodemque tempore convocat, quo Burgundia; quod Baillivi authoritate præstatur, aut Prætoris generalis, si Baillivus absuerit, litteris idcirco ad eum à Rege datis. Baillivus aut Prætor Comitiis præsident; at vice Ecclesiæ, Matisconensis Episcopus; Abbates Cluniacensis, Tournutiensis, & S. Rigaltii, necnon & delegati Capitulorum S. Vincentii & S. Petri iis intersunt. E Nobilitate verò conveniunt quicunque banno priori & posteriori tenentur, acceptis sigillatim à Baillivo litteris; pro tertio autem Ordine demandantur Matisconenses, Cluniacenses, Tournutienses, & San-Gengoucenses Deputati. Triennalem ex parte sua Legatum Nobilitas assignat, majori suffragiorum numero præelectum. Delegant prædicti Abbates & Capitula ex Ordine Ecclesiastico, quemadmodum & quatuor civitates jam memoratæ eligunt quos mittant ex Ordine populorum; servata tamen inter illas alternatim vice; prout ceciderit, quæ jus nominandi possidet, Deputatum ad Comitia transmittit. Legati Nobilitatis, Ecclesiastici, atque tertii Ordinis inter Præsidentis manus solenni se juramento obstringunt. Porro ii Legati Comitia constituunt, junctis etiam Electionis Officiariis, qui quartum pro talearum aliorumque onerum distributione suffragium perferunt; cui quidem muneri unanimiter vacant, suumque Procuratorem habent, necnon Syndicum, & Graphiarium. Celebratis ergo Comitiis & rite peractis, tres hujusce Conventus Legati incipienti-

bus

bus jam Burgundiæ Comitiis adsunt, ubi & locum habent, & suffragium in deliberativis ferunt, commissâ quoque ipsis facultate sese opponendi juxta delegationis præscriptum, iniquis oneribus, si quæ Matisconensibus imponerentur; hæc quippe regio undecimæ duntaxat provincialium onerum parti obnoxia est. In hujusmodi Comitiis Præses natus est Matisconensis Antistes.

Diœcesis. Diœcesis Matisconensis complectitur 266 parochias, plurimos Prioratus & sacella, sub quatuor Archipresbyteris, nimirum Beaujolensi, *Rossey*, *Virisset*, & *Val Regnaud*. Abbatiæ sunt Cluniacensis & S. Rigaltii. Convocata sunt Matisconam duo Concilia, unum sub Pelagio II, tempore Imperatoris Mauritii, & alterum sub Rege Gontrando ad annum 588, cui præfuit S. Eusebius Episcopus hujus loci.

Oppida, pagi & arces. Sunt & alia oppida in hac ditione, qualia sunt *Cluniacum*, *Tornutium*, de quibus supra; dein *S. Gengutii* oppidum, amœnissimo loco, in monte nempe vini præstantissimi ferace, situm. Nomen ab illo Sancto habuit, qui ex illustri familia oriundus sanctissime vixit sub Pipino Burgundiæ Principe. *Marsilly les Nonains* sive Monialium, Prioratu Virginum clarum est, quæ numero octoginta vel centum, omnes è nobili prosapia oriundæ sunt. *Le Boys saincte Marie*, sive *Nemus S. Mariæ*, antiquum olim Comitum Matisconensium patrimonium fuit, qui ibidem monetam cudi faciebant. Egregia Castellania est, de qua suo loco postea. E reliquis hæc loca celebriora sunt: *Berzé*, nunc primùm in Comitatum evectum, cujus Dominus unus inter quatuor primos Barones provinciæ Matisconensis, arcem habens ad viam Regiam, quæ Matiscona Cluniacum ducit; *Lugny* hodie Vicecomitatus; *Bontbelet*, Baronatus, olim egregio castello munitum, quod jussu Parlamenti dirutum est, quum diutius atroces insolentias Alardi *de la Tour*, Baronis de la Salle & hujus loci, perferre nequiret; *Sainct Poinct*, *le Parc*, *le Senouzan*, *Salornay*, *S. Sarnin*, *Dulphey*, *Chavanes*, nobilium pagi, arces & castella; *Dun le Roy* oppidum olim potens, & munitum quatuor portis, quæ quatuor Equitum fidei committebantur, quorum Dominus de Chavanes primus erat; reliqui tres erant Domini *de la Clayette*, *de Sancenier*, & *d'Anglure*: Nunc ex antiquis ejus monimentis nihil præter Ecclesiam & Presbyterium residui est, à Capitulo *d'Aigue-Perse* in Beaujolesio dependens; *Pierre Cloux*, *S. Maurice*, *Marigny*, *Sivolieres*, *Merzé*, *la Grange*, *Ozenay*, *Chassipol*, *Grenoux*, *Faverges*, *la Pallu*, &c.

EPISCOPATVS & COMITATVS ALTISIODORENSIS.

Auxerre. AVxerre, Latinis *Autricus ad Icaunam fluvium in Burgundionibus*, *Autissiodorum* & *Antissiodorum*, urbs egregia & antiqua est, sita in solo fertilissimo, & in declivi montis condita ad fluvium Icaunam, qui Burgundiam à Nivernensi territorio distinguit. Iam inde ab Apostatæ Iuliani temporibus celebris fuit, qui hic castra metatus est, & milites refecit, cum in Campaniam duceret. Non longe hinc in loco nominato *Chablis*, cruento inter se prælio concurrerunt filii Ludovici Boni, in quo plurima Gallorum Nobilitas occubuit, & Lotharii superbia impotens à fratribus junioribus Ludovico & Carolo castigata est. Commissum est hoc prælium anno 841 festo Paschatis, vel, ut alii volunt, ipso Ascensionis die, ante Solis ortum. Tantum in eo sanguinis effusum est, ut vicinus inde fluvius sanguine tinctus videretur. Auxerra munita est firmissimo castello, in colle sito, & solidis altisque muris cincto. Sunt in urbe Marescallatus, Tribunal ordinarium Prætoris urbani, Consulatus Mercatorum; sedes Episcopalis, ut & magnificum Episcopi Palatium; qui multa non exigua Dominia possidet, & inter Vassallos Comites Auxerrenses, Barones *de Puisaye* & *Donzy*, Dominos *de S. Veran*, & plures alios numerat.

Diœcesis. Diœcesis comprehendit 204 parochias, quarum tredecim in urbe sunt, 30 Prioratus, & quatuor Commendatarias Equitum Melitensium. Ecclesia Cathedralis dicata est S. Stephano Protomartyri, & à 59 Canonicis administrata, habet collationem Episcopi, cum Archipresbyteratibus Auxerrensibus, *de Puisaye*, *de S. Brice*, *Varsiac*; Abbatiæ Diœcesis sunt S. Germani, S. Mariani, S. Patris, S. Iuliani, Insula monialium in urbe, *Crisenon*, S. Laurentii Cosnensis, *Pontigny*, *Bonras*, *Rigny*, & *Roches*.

Territorii fines. Clauditur hoc territorium ad Septentrionem & Orientem Campaniâ, ad meridiem Burgundiâ, & ad occidentem Nivernio: protenditur à Borea Austrum versus in octo milliaria, complectitur autem ab ortu versus occasum Solis octodecim milliaria longitudinis.

Oppida & arces. Oppida & arces præcipuæ in hac ditione sunt *Coulange*, *Chasteau-Sansoy*, *Mailly la ville*, & *Mailly le Chasteau*, *Cravan* & *Bassou* ad Yonnam fl. sive Icaunam; *les Vouves*, *Espigneau*, *Donsy*, *Chichiry*, *Appouvigny*, *Regennes*, *Seignole*, arx munita; *Hery* cum castello, *Bené*, *Beauvoir*, *Beauche*, *Escan*, *Ville Fargeau*, *Ouane*, *S. Amans*, *Neufry* ad Ligerim cum munito castello; *Cosne*, *Versay*, *Trucy*, *Courson*, *Charentenet*, *Bazerne*, *Irancy* generosorum vinorum proventu celebre; *Vezelay*, oppidum antiquum non longe ab Icauna in præalto monte situm, quò unus tantum aditus; Abbati ejus loci proprium. *L'Isle au Marquis de Nesle*, *Vermanton*, *Trein*, *Anus*, *Fontenay sur Anus*, *Migé*, *Venoy*, & multa alia loca Electionis sive Præfecturæ esse censentur.

Puisaye regio. Regio quæ *Puisaye* appellatur, quæ urbe & Ducatu *S. Fergeau* consistit, Filiæ natu majori Ducis Aurelianensis propria est cum arce ampla, Bleneau, & aliis Ducatus *S. Fergeau* locis, ut *S. Privé*, *S. Martin*, *Roncheres*, *Merilles*, *Arguien* cum arce, &c. & quibusdam pagis & castellis vicinis ad Generalatum Aurelianensem & ejus regimen refertur, nisi nomen & authoritas Ducis *de S. Fergeau*, quæ caput regionis, impediant: Nihilominus aliqui Auxerrensi illam accensent ob viciniam cum compluribus aliis urbibus vel oppidis, quæ alibi in Nivernensi, aut Aurelianensi provincia collocavimus, qualia sunt *Charité sur Loyre*, *Donzy*, *Clamecy*, *Antrein*, *Dreux*, *Gyen*, *Briare*, *Bony*, cum quibusdam oppidis, pagis, aut

aut castellis, quæ Oynæ fluvio adjacent, *Toussy* nempe, *Champeaux*, *Dracy*, *le Breau*, *Villiers* S. Benedicti, *la Grange*, *Grand champ*, *S. Martin*, *Charny*, *Duchy*, &c. sunt in finibus Burgundiæ aliqua Dominia, quæ Bodinus numero sex esse ait, sub nomine vulgari *de Souffrance* sive *Surseance*; quapropter aliqui tractatus extraordinarii inter Reges Galliæ & Hispaniæ intercesserunt de permutandis quibusdam locis limitaneis Ducatus aut Comitatus Burgundiæ, inter cætera Castro & Burgo *de Fontaine Françoise*, de supremo jure *Savigny*, in Revermontio, utpote à Vicecomite Auxonnensi dependentis, *Coligny le neuf*, &c. quæ Galliæ annexa sunt, in locum eorum quæ Hispano tradita.

Qualitas. Enumeratis igitur primariis Burgundiæ locis, superest, ut hujus provinciæ dotes, incolarum mores, opportunitatem fluminum, opulentiam, vires, regimen & Religionem paucis exponamus. Et quidem Burgundia hanc laudis prærogativam præ cæteris meretur provinciis, quod Ordinum mater appelletur, ob celeberrima nempe monasteria, Cisterciense, Cluniacense, & Tournutiense, quæ suo fovet gremio. Ager frumento feracissimus est, vino quoque, & metallo; limpidissimis etiam aquis scatet, silvasque habet amœnissimas. Regio hæc etsi longe lateque diffusa, ubique tamen fertilissima est, adeo ut frumentum non solum circumvicinis provinciis Lugdunensi nempe, & aliis suppeditet; sed & in Provinciam, Oxitaniam, indeque in Hispaniam transmittat; silvas habet cæduas, saltus, ac nemora; uberrimis nutrit pascuis innumeros pene animalium greges: fructus & fruges omnis generis profert. Solum Cabillonense, frumentum, siliginem, hordeum, avenam, milium, & cetera id genus legumina producit; sunt & variis in locis ferri fodinæ, imo & quædam alicubi æris venæ reperiuntur. Territorii Carolesii pecus cæteris præstat: hìc etiam opima est venatio & aucupium.

Mores. Varia est Burgundiæ incolarum indoles; præcellunt quidem Divionenses urbanitate, sed & ambitiosissimi sunt; sectantur feminæ nitorem vestium, attamen honestatem præ se ferunt. Plebs laboribus addictissima est; præcipuè vero culturæ vinearum sedulam navat operam, quemadmodum & laneis lineisque textilibus. Solerti sunt ingenio Cabillonenses, studentque sermonis elegantiæ. Cæterùm Burgundiones generatim ingenuæ sunt indolis, erga Deum pii, ad arma strenui; equidem non pauci compotationes amant, verùm ad hoc invitat ager ubique vino præcellenti luxurians.

Flumina. Burgundia multis fluminibus irroratur; Grona, vulgo *Grosne*, è tractu Forensi prodiens, Monasteria Cluniacense, & Ferteum alluit, ac nonnullos postmodum agros perfundens, tandem in Ararim mergitur. Araris, *la Saone*, ad Bellegardam ponte jungitur; ut & ad oppidum S. Ioannis Launensis. Vogesus, *la Vauge*, duobus è fontibus oritur, uno quidem juxta locum *de Vergy*, altero *de Gilly*, Cisterciumque perlabitur. Sunt & alii amnes, quorum hæc vulgo nomina, *la Dehune*, & *Bursure*, necnon & Lupa fluvius, Gallicè *la Louve*, qui è monte Iurensi profluit. Perfundunt hanc quoque regionem *Riviere*, *Soubre*, *Salins*, & *Arbois* rivuli. Orsa, vel Vrsa, *l'Orse* è Diœcesi Lingonensi procurrit duobus à Cartusiâ Ligniacensi milliaribus, exceptisque aquis Creusæ fluminis, in Sequanam tandem juxta Villam Novam evolvitur; *Laigne* è vico sibi cognomine nascitur, unde Colligniacum properat. *Arse*, deinde, *Lozain*, *Barsan*, *Lousche*, aliique supra memorati hujusce regionis amnes Arari tributum reddunt. Hic etiam tractus Sequanæ fontibus insignis est, nam ex Burgundiæ Ducatu initium ducit celeberrimus is fluvius, è valle nimirum modicè à monasterio Duniensi dissitâ. Reliqua minoris momenti fluenta, brevitati consulens, omitto.

Opes. Tantus est frumentorum hac in regione proventus, ut inde suos habitatores abunde locupletare sufficiat; præcellit tamen ipsa vini optimi, & delicatissimi abundantia, quæ Parisios, Lugdunum, Campaniam, Lotharingiam, regionesque alias transmittunt incolæ: Cannabis, linum, & pecora cujuscunque generis immensum etiam quæstum proferunt. Auget opes non modico ferrum è mineris erutum. Nec vacat enumerare frequentissimas opulentissimasque tota ipsa regione nundinas.

Vires. Divionensis civitas, Cabillonensis, & aliæ castris muniuntur validissimis; plurima etiam sunt loca situ & arte præstantissima. Amplissima est ipsa provincia, & populo frequentissima: quæ & strenuâ Nobilitate non solum illustratur, sed & protegitur; potestque quatuordecim hominum millia in bella conscribere, & 800 Equitum.

Comitia. Burgundia suos Ordinum Conventus habet: in iis locum & suffragium habent Augustodunensis, Altisiodorensis, Cabillonensis, & Matisconensis Antistites: Abbates quoque Cluniacensis, Cisterciensis, & S. Benigni iisdem Comitiis intersunt.


Regimen. Eadem Burgundiæ provincia, atque Carolesium uno Gubernatore, generalique à Rege Præfecto reguntur; habent urbes præterea suos seorsim Gubernatores.

Religio. Incolæ plerique omnes Romano-Catholicam religionem profitentur; vix alter ritus, præterquam locis *de Vezelay*, & *Paray*, usquam conspicitur.


Les environs de
L'ESTANG DE LONGPENDV,
Comprenant
vne grande partie du
COMTÉ de
CHAROLOIS.
Par Iean van Damme
Sr. d'Amendale
CHAROLOIS
Oriens
Occidens
Septentrio
Meridies
Le Mont Ceny
Le Mont S.Vincent
Eschelle de deux lieues francoises

CAROLESIUM,
vulgò
LE CHAROLOIS.

Fines.



Arolesium agro Matisconensi clauditur ab Ortu & à Meridie; ab Occasu Borbonnesio, ex quo, interfluente Ligeri dirimitur; à Septentrione autem territorio Cabilonensi terminatur. Longitudine decem circiter leucis protenditur, octo latitudine; & ovalis fere est figuræ.

Extensio.

Carolesia civitas, vulgo *Charoles*, hujusce territorii est caput, insidens fluvio, qui è Verdenatensi stagno profluit: validissimo castro munita est, & sede Ballivatus regii, atque Comitalis gloriatur.

Loca.

Alia Carolesii loca sunt, *Parey le Moineau*, Prioratus Cluniacensis, ubi & eximia Domus; Mons S. Vincentii, prima regionis Baronia; *Charlieu*, non ignobile oppidum & firmo castro munitum, quod & Cluniacensi Prioratu decoratur; S. Antonii Tolonensis; *Chaumont*, domus insignis; *Bazole*, Comitatus; *Digoine*, Baronatus, &c.

Quatuor Castellaniæ, & quatuor Baronatus.

Quatuor Castellaniis componitur hic Comitatus, nimirum, *le Sauvement*, *Artus*, *Dondain*, & *Sanvigne*; quatuor etiam Baronatibus exornatur, nempe, *Charlieu*, *Digoine*, *Ioncy*, & *Lugny*. Deputati ad Conventus Ordinum de triennio in triennium eliguntur.



BVR-

BVRGVNDIÆ COMITATVS,

vulgò

LA FRANCHE COMTE'.

Nomen.



Comitatus Burgundiæ, cognomento *Liber*, ac vulgariter *la Franche Comté* appellatus, (sub quo nomine, nullo Burgundiæ addito vocabulo, vel mediocriter peritis notissimus est) longitudine suâ quadraginta circiter leucas occupat, latitudine dimidium spatium duntaxat.

Dimensio.

Limites.

Terminatur is qua Sol oritur, Bernensi Helvetiæ agro, & Ducatu Sabaudiæ, ab utroque interposito Iurâ monte diremptus, cujus partem mediam Comitatus hic noster includit, ad altissima ejus juga porrectus; qua occidit Sol, Burgundiæ Ducatu, ac Bassinensi agro, majorem ejus partem ab his terminis Arari fluvio submovente; à Meridie Bressiâ, quæ olim Sabaudici, nunc Gallici juris, caput habet Burgum, Cæsari *Forum Sebusianorum* nuncupatum; à Septentrionibus denique Lotharingiâ, Alsatiâ, ac Monbeliardensi Comitatu, Principatuque Porentru: quibus terminis notior addi potest Vogesus mons, à quo propinquæ huic regioni provinciæ quoque terminum accipiunt, in istâ olim Galliæ parte comprehensæ; quæ *Maxima Sequanorum* fuit appellata. In hanc verò diem usque incolæ hujus tractus Latinis *Sequani* dicuntur, de quibus Chifletius in libro, qui inscribitur *Vesontio*, meminit, aitque Metropolim eorum Vesontionem fuisse, quæ nunc in Imperialium urbium est numero; licet Burgundiæ Comitatus fermè umbilicum obsideat, cujus Dominus, ipsius metropolis quoque protector ac custos est. Is hoc protectionis jure judicem huc mittit sessionis jus in Senatu urbis habentem, ac præsidiarium urbi militem imponit, cujus Præfectus Capitanei titulo decoratur, Vicarii autem, quod Præfecto provinciæ vicariam operam præstet.

Diœcesis.

Metropolis hæc Archiepiscopi, S. R. Imperii Principis, sedes est, cujus ditio ipso Comitatu Burgundiæ latius patet, nam & Vice-comitatum *Aussonne*, & oppidum *Bellegarde* seu *Seurre*, cum nonnullis aliis Ducatus oppidis complectitur; parentque Vesontino Archiepiscopo suffraganei *Basle*, *Losanne* & *Belay*. Archiepiscopalis dignitas hodiè sedet humeris Marchionis *Marnay*, qui frater est Ducis *Pont de Vaux*, supremi antehac Bruxellis in aulâ Leopoldi Archiducis Austriæ, ac deinde Ioannis Austriaci prægustatoris. Præsul hic humanitate singulari est, devotione eximiâ, ac judicio in florente ætate maturo.

Archiepiscopus.

Possident Vesontinâ in urbe Principes Auriaci, tanquam Cabillonensis domus hæredes, Vicecomitatum Majoratumque, atque hoc nomine suos officiales hîc habent, qui certis in casibus à Chifletio, & Ludovico Goluto in ejusdem Notis historicis expressis, justitiam administrant.

Divisio Comitatus in Ballivatus.

Dividitur porrò Comitatus Burgundiæ in Ballivatus sive Præturas tres, quarum peculiaris descriptio deinde sequetur. Prima Prætura *Amontia* est, altera *Avalia*, tertia *Dolensis*; suntque præter has, Comitatus portiones duæ, quarum altera S. Claudii tribunali, altera Abbatis in Luxeul territorio subjecta est. Libera autem est ab omnibus hisce tribunalibus ad Parlamentum appellatio, penes quod est summa dicundi juris, ac dirigendorum pacis bellique negotiorum quædam autoritas. Nam cum Præfectus Provinciæ moritur, Parlamentum accepto à Rege Hispaniæ mandato, Provinciam tantisper ex Regis gubernat sententiâ. Præfecturæ nunc munere fungitur Baro *de Scey*, Bauffremontiâ è domo, qui & superioribus bellis laudadiliter rem gessit, & jam, ex quo pacata Provincia est, parem justæ felicisque administrationis laudem meretur. Constituitur hoc Parlamentum Præside unico, aliquot equestri ex ordine viris, tam ordinariis quàm extraordinariis, aliquot item Magistris Libellorum supplicum, Ecclesiastico plerumque ex ordine creari solitis; Consiliarii duo itidem Ecclesiastici, & duodecim Laici sive sæculares, quorum in numero sunt bini Regis Advocati fiscales. Prædictis omnibus Procurator Generalis accedit, qui plurimum autoritate valet; nam & liberè Senatui Parlamenti assistit, & cameræ computorum seu consilio rationum interest, prædii seu patrimonii Regii curâ ei peculiariter demandatâ. Procuratori huic substitutus est alius inferior, adjunctique Notarii duo, ac clavatores quaterni. Notarios autem seu Secretarios Procuratoris Generalis nunc agunt Antonius Beraurius, & Claudius Pautheretus, viri diligentiâ ac fide insignes.

Præfectus Provinciæ Parlamentum pro libitu ingreditur, utpote qui ejus quoddam sit membrum, ac primum à Præside locum occupet; nec ab ejus ingressu Archiepiscopus, veluti supremus libellorum supplicum Magister, excluditur. Parlamenti Sedes est Dola, urbs Academiæ quoque gloriâ illustris, quam Rector Magnificus, omniumque Professores Facultatum componunt. Ibidem Monetæ computorumque Cameræ stabilem locum tenent.

Academia.

Monetæ ac computorum Cameræ.

His de causis caput Provinciæ Dolam indigetant; quanquam Salinarum oppidum Comitatu





BURGUNDIA COMITATUS, Vulgo LA FRANCHE COMTÉ.

DUCATUS BURGUNDIÆ

PARTIE DE LA CHAMPAIGNE

LORRAINE

BRESSE

HELVETIÆ PARS

SUISSES

PARS ALSATIÆ

Neuwenburger See

J. Blaeu Excudit

Milliaria Germanica Communia

60

tu & Vice-comitatu, ad illustrem Gorvoudensium spectante familiam decorum, de primatu contendere videatur. Oppidi hujus Consul sive Præfectus, Capitanei Majorisque titulis insignis est; habetque hic locus celebres quæstuosasque Salinas, quarum originem Ludovicus Golutus lib. Notarum Historicarum 2, à capite 23 usque ad caput 33 inclusive, veluti memorabiliorem, accuratâ descriptione pertexuit. Reliqua, præter Dolam ac Salinarum oppidum, Comitatus Burgundiæ oppida sunt *Gray*, Præfecti Provinciæ sedes, quod oppidum regulari munitione, ut & Dolam urbem Carolus V, Imperator circumdedit; quæ anno 1636 trimestrem fortiter obsidionem toleravit, absistere coacto Principe Condæo, cum quod propter obsessorum pertinaciam de exercitu ejus magna fieret diminutio, tum etiam quod auxiliares obsessis copiæ non procul abessent. Hoc ipso tempore Parlamentum, cum Vesontino Archiepiscopo statum Provinciæ dirigens, obsessâ erat Dolâ inclusum. Sequuntur oppida *Vesoul*, *Lons-le-Saulnier*, *Poligny*, *Arbois*, *Baume*, *Pont-arlier*, *Ornans*, *Orgelet*, *Quingey*, *S. Claude*, *Lexeul*, *Champlite*, *Clervaux*, *Lille*, *Bleterans*, *S. Amour*, *Villafans*, *Pesmes*, *S. Laurent de la Roche*, *Ionvelle*, *Faucogney*, *Villersßucel*, *S. Hippolyte*, *Ray*, *Gy*, & quædam alia.

Dolæ obsidio.

Oppida præcipua.

Militia & arma.

Ad rem militarem quod attinet, Ballivatus singuli singulas legiones pedestres, ac certum equitum numerum alunt, vasallis quoque, cum bellum aut propulsandum, aut inferendum, ad conscribendum equitatum obstrictis, qui Prætorem Amontium habet ductorem; universæ autem militiæ præest regius Provinciæ Præfectus. Præter Gubernatorem sive Præfectum Provinciæ, Ballivosque sive Prætores prædictos, est quidam Sylvis Præfectus, cui vicarii, aliique subsunt ministri. Habent etiam Dola & Gray oppida peculiares Præfectos, quibus magna sæpè de portarum occlusione, reclusione, ac custodiâ, visitatione mœnium, & his similibus cum Magistratibus contentio est, quod Magistratibus horum locorum ampla fuerint à Regibus seu Dominis suis privilegia concessa, servatæ variis in bellis fidelitatis ac constantiæ argumento.

Clerus.

Summo in honore hîc Clerus habetur, in cujus manibus beneficia Ecclesiastica plurima, ac dignitates non paucæ sunt. Primus Archiepiscopus Vesontinus fertur S. Linus D. Petri successor fuisse; Capitulum autem Vesontinum *Insignis* titulo inclytum, magnum Decanum, magnum Archidiaconum, magnum Cantorem, magnum Thesaurarium, aliosque Archidiaconos minores habet; tum Canonicos mitratos, pannisque violaceo ac rubro colore Episcoporum instar vestitos. Sequuntur hoc Insigne Capitulum Capitula S. Anatolii, S. Mauritii, & S. Michaëlis Salinarum in oppido, aliaque in oppidis *Dole*, *Gray*, *Poligny*, *Arbois*, S. Hippolyti, *Colmoutier*, *Nozeroy*. Abbatiarum item utrique comparatarum sexui, commandariarum pro Equitibus Melitensibus, ac Prioratuum tam Conventualium quam simplicium sive ruralium, quibus eos nominibus incolæ distinguunt, hîc ingens est numerus.

Amnes.

Amnium Comitatus Burgundiæ præcipuorum vulgaria nomina ista sunt: *la Saone*, *le Doux*, *l'Ougnon*, *la Louve*, *l'Ain*, *le Desoubre*, & *le Lison*. Hi cum vario piscium genere abundent, tum maximè truttis, rarissimis alibi piscibus.

Metalla.

Nec cupri, ferrique metalla desunt, effoditurque purpuram mentiens color è monte cognomento Castelli Lambertini, qui in varias Galliæ ac Germaniæ regiones avehitur. Ceterum mons hic inter celsissimos Europæ montes computatus, summo vertice in vastam se planitiem explicat, herbarum medicarum, Iuræ montis exemplo, feracem. Alabastriten cum jaspide Sanlothanum Sampanumque loca suppeditant.

Lapides.

Admiranda.

Miraculi autem loco esse potest locus ille, qui vulgò *la Froidiere* dictus, horrendæ specus seu potius abyssi speciem exhibet, in quo per omne anni tempus, Iulio adeo atque Augusto mensibus, cum Solis ardores augescunt, constantes glacie montes visuntur, conchyliorumque extrorsum villosorum innumera multitudo apparet. Adhæc juxta *Quingey* oppidum longa lataque crypta subterranea est, cujus extrema in spatiosa dilatantur conclavia. In his sine ullo artificio humano varias rerum imagines cælato opere cernes, à naturâ vi certæ distillationis ad mensuram lapidescentis tam ingeniose expressas, ut sculptorum etiam peritissimi hîc quod admirentur, nec tam facilè imitari arte suâ possint, inveniant.

Soli fertilitas.

Generosorum equorum, vinique præstantis fœlix apud Sequanos proventus est; meliore verò notâ sunt digna vina, quæ circum *Arbois* & *Chateau-Chalon* loca nascuntur. Ceterum Comitatus Burgundiæ omnibus rebus affluit, quæcunque aut usu necessariæ sunt, aut delicatis ambitiosæ; quamobrem is in Ioannis Boteri relationibus *Galliæ compendium*, & in Paradini historiâ Burgundiæ *Provincia minimè vicinorum populorum* egens commercio appellatur. Inter arces porro, quæ plurimæ in hoc tractu se offerunt, memoratu dignior illa est, quæ S. Annæ signata nomine, in Principum Auriacorum ditione est.

Mores Incolarum.

Incolas magnitudo animi, ac testata tot in bellis alacritas, amorque constans in Regem suum religionemque Catholicam commendant. Ab his virtutibus illud boni evenit, ut regio non ampla, ab anno 1636 usque 1643 annum ad medium perductum, maximis Gallorum copiis potenter restiterit, quæ haud multo antè annuo tempore Lotharingiæ, Barrensemque Ducatus, Ducatum Sabaudiæ brevi septimanarum sex intercapedine, Principatus *Montbeliard* & *Porentru* labore dierum quindenûm, Alsatiamque semestri spatio subegerant.

Immunitas & Independentia Comitatus.

Liber est Burgundiæ Comitatus incolentium respectu, qui sunt à vectigalium præstatione immunes; liber idem Dominantium respectu, quibus is Divinâ gratiâ, ac victrici ense duntaxat est partus, quemadmodum Ludovicus Golutus Notarum hist. lib. 4, cap. 15, capite item 39 libri ejusdem testatur, qui feudorum Imperii Burgundiæ Comitatum eximens, plura ei subjecta haud ignobilia feuda recenset, interque alia Comitatum *Montbeliard*, qui Wirtembergensis Ducatus appendix, Principatuum S. R. I. numero censetur; tum Vice-comitatum *Aussonne*, qui Ducatus Burgundiæ portio, Gallici nunc juris est, quon-

quondam cum omni Burgundiæ Comitatu spectans ad Mariam, Caroli Burgundiæ Ducum postremi filiam unicam, quæ Maximiliano ejus nominis Primo Imperatori, nupta fuit. Verum Ludovicus istius appellationis Galliarum Rex undecimus, dum minorennis esset Maria, eum Burgundico avulsit dominio, qui & Comitatum Burgundiæ tum suæ potestatis fecisset, nisi incolarum propulsantium injuriam labor strenuus ad mutationem consilii compulisset invitum. Atque hujus laboris præmium aucta in amplissimâ formâ privilegia fuere. Hi ipsi illi sunt, quos Sequanos Latini dicunt, uti benè Remondus Marlianus his verbis distinguit: *Sequani populi inter Celtas hodie Burgundiæ Comitatum incolentes; quos à Galliâ Provinciâ Romanorum Rhodanus fluvius dividebat, finitimi Helvetiis, Æduis, Lingonibus & Rheno, per fines Comitatus nunc Ferretensis, nihil ut videtur de iis quæ in Ducatu Burgundiæ sunt tunc possidentes, quod illa omnia speciali nomine Æduis & Lingonibus adscriberentur, nec illi dicerentur Sequani, sed hi solum qui à Rhodano prope Bellicensis urbis Diœcesim usque ad Vesontionem Civitatem maximam Sequanorum, & abinde usque ad fines Comitatus Ferretensis ac Diœcesis Argentinæ protendebantur.*

Incolarum acris contra Gallos defensio.

Est etiam Burgundia Inferior, eadem cum Luxenburgensi Ducatu, qui, ut neque Burgundiæ Ducatus, Sequanorum continetur sub nomine; circuli tamen Burgundici partem Romano in Imperio constituit, vi pactorum inter Imperatorem Carolum V, tanquam Ducem Luxenburgi, Brabantiæ, ac aliarum in Belgio ditionum hereditariarum Dominum, Comitemque Burgundiæ, ac Principes Electores, ceterosque Imperii Ordines Augustæ celebratorum; quo etiam jure Rex Hispaniarum nomine Domus Burgundicæ ad Imperii comitia Legatum destinat, Adsessoremque Spirensi in Camerâ statuit, nec tamen prædictarum nomine Provinciarum se Vasallum Imperii agnoscit, sed socium duntaxat & confœderatum.

Quemadmodum Ioannes Boyvinus in suâ de obsidione Dolæ urbis historiâ perhibet, jam à senis seculis liber Burgundiæ Comitatus Comitibus suis paruit, nullum ditionis suæ Dominum agnoscentibus; fuitque Comitum primus Otho Guilielmus, Alberti Lombardiæ Ducis filius, ab Henrico Burgundiæ Duce, socero adoptatus. Verum Ludovicus Golutus duorum adhuc sæculorum majorem antiquitatem Burgundiæ Comitibus largitur.

Comitum Burgundiæ antiquitas.

Cum procul hæc Regio sit à Regis sui ditionibus ceteris avulsa, & magnam partem Gallicano territorio cingatur, prudentissimo consilio Carolus V, Imperator, neutralitatem inter subditos suos, subjectosque Regi Galliarum in Burgundiæ Ducatu, agroque Basilinensi Helvetiorum interpositione admisit, ejus conservandæ documenta Philippo filio relinquens.

Neutralitas.

Ordines seu proceres hujus Comitatus, in Clerum, Nobilitatem ac Civitates divisi, carent præfixis ad conventum temporibus, nam à Præfecto Provinciæ Dolam summùm quot tribus annis convocantur. Illi durantibus Comitiis rogantur, ut certam pecuniæ summam Regi suo tribuant, plerumque ad patriæ solitam adhiberi necessitates. Quod tributum ab Ordinum dependet arbitrio, interdum plus, minus interdum largientium; eamque ob causam *Donum gratuitum* appellatur. Per eadem Comitia status rerum patriæ literis expressus, aut alia majore consilio potestateque egentia perscribi ad Regem solent, qui plerumque favorabiliter ad commodum subditorum rescribit.

Ordinum Comitia.

In administrandâ justitiâ norma à legibus Romanis Iustiniani Imperatoris mandato collectis desumitur, certis casibus exceptis, in quibus vi statutorum Regiorum, aut patrii moris (quem duo typis impressa volumina continent) juri derogatur Romano. Inter statuta numerantur edicta ad rectius gubernandam patriam à Parlamento confecta, quod & sigillorum est custos, & Cancellariæ moderatur negotia, aliasque res summæ authoritatis indicio peragit.

Administrandæ justitiæ ratio.

Regio hæc parvo licet tractu contenta, plurimorum genitrix clarorum virorum extitit, ut varii tractatus, & magni momenti gesta hinc inde negotia, quibus consilio suo prudentiaque intervenêre, testantur. Madritano tractatui Allemannus astitit; Nicolaus Perrenotus Nicæo; Antonius Perrenotus, Nicolai filius, atque Atrebatensium Episcopus, Cameracensi; Cambresisio Simon Renardus; Vervinsio Ioannes Richardotus; denique generali apud Monasterienses Westphaliæ institutæ Pacificationi Antonius Brunius, quem nomine Hispaniarum Regis Legatum apud Confœderati Belgii Ordines Hagæ Comitis nuper mors sustulit, omnibus bonis ob singulares viri virtutes deploratum. Is tamen filios superstites quatuor reliquit, magnæ spei adolescentes, è quibus natu major Laurentius Ioannes appellatus, reliquis tribus fratribus in tenerâ adhuc ætate constitutis, Madriti in aula Regis degit.

Viri illustres.

Sunt incolæ fermè omnes indole ad liberalitatem propensâ, fide in Principem suum singulari, ac animo ad ea aspirante quæ sunt amplissima, seu literis aditus pateat, seu armis, ad quæ naturali quodam studio feruntur.

Indoles incolarum.

Mechanicorum opificiorum usus hîc rarior est, licet terra ipsa non solum lanâ, cupro, ferro, cannabe, aliisque ad texenda, aut fabricanda opera opportunis rebus abundet; sed etiam situm sortiatur commerciorum exercitio aptissimum.

Diligentius vero literarum studia coluntur, plurimis etiam è Belgio equestris ordinis viris, aliisque filios suos ad Academiam Dolensem mittentibus, ut ibidem inchoatum in patriâ studiorum cursum uberius feliciusque absolvant. Habent autem incolæ rectum cum ingenio judicium, aliis sublimium studio scientiarum addictis, aliis Iurisprudentiæ, aliisque Historiæ; in quo postremo studii genere excelluit Ioannes Iacobus Chifletius, Medicorum apud Regem, Leopoldum Wilhelmum, ac Ioannem Austriacum æstimatissimus. Hic ille est, qui egregiis suis monumentis Hispanicam majestatem adversus Scriptores Gallicos defendit acerrimè. Ceterum Chifletia gens jam à longissimis temporibus viros scientiæ laude insignes protulit, è quibus modò memorati Ioannis Iacobi Chifletii fratres nobis silentio prætermitti non debent, quorum duo Religionem ingressi sunt; tertius verò Balernensis Abbas vitâ excessit

Literarum Studia.

Viri scientiæ laude illustres.

excessit eo ipso tempore, quo me hujus opusculi labor exercuit. In dignitatem defuncti deinde Iulius Chifletius nepos cum ob sua, tum etiam ob avunculi merita successit. Is in illustrium virorum Genealogiis retexendis præcipuè versatus, Madritum est avocatus, ut ordinis Aurei Velleris Cancellarius esset; fratres duos habet pari passu ad scientiæ virtutisque gloriam contendentes.

Venio ad alios virtute dignitateque spectabiles viros, occurritque primus Claudius Bereurius, qui oblatum sibi à Rege Præsidiatum Dolensem respuit, Consiliarii Regii, ac Propræsidis muneribus contentus. Ceterum Præsidis Dolensis munere nunc fungitur Claudius Franciscus Lulierius, vir æquitatis sectator egregius, in Ioannis Boyvini locum suffectus, qui Madriti in Supremo Consilio Belgico Senatoris dignatus honore, paternarum virtutum heredem reliquit Claudium Boyvinum, nunc Parlamenti Dolensis Senatorem. Simon Froissardus, vir claris natalibus, ac rerum usu peritissimus, Procuratoris Generalis officium pluribus annis cum maximâ laude exercuit. At nunc & Consiliarius est in Parlamento, & libellorum supplicum magister, in ampliorum possessionem honorum propediem vocandus.

Sed & Goillensis Abbas, Bruxellis in Sacello regio Concionator Regis ordinarius, illustrium Comitatus Burgundiæ virorum numero censendus est. Hic è nobili Demkerkiorum, è Belgio quidem originem ducentium, sed jam à longo tempore in hac regione per varias affinitates stabilitorum familiâ profectus, summam humanitatem devotionemque cum summâ eloquentiâ conjunxit.

Nec Dola solum, sed etiam Vesontio omni ævo magnorum virorum altrix extitit. Hac in urbe natus est Lisola, nunc Hungariæ regis nomine apud Poloniæ regem legationis munus obiens, cum antè trigesimo ætatis anno Londini apud Angliæ regem pro Ferdinando III Imperatore ultra quadriennium negotia curasset, vir moribus, & literis politissimus.

Vesontinus quoque est Vincentius Richardus, Cameræ Computorum quæ Dolæ est, Consiliarii, Secretariique Regii titulis jure meritissimo decoratus. Memini audire me ex ore Antonii Brunii, viri Clarissimi, se par Vincentio huic ingenium, ac limatum æquè judicium in nullo unquam homine notasse. Is septem præcipuarum peritus linguarum, honestissimis laboribus vitam exercuit, Pegnarandani, Saavedranique Comitum Hispanicorum variis adsistendo legationibus, ac demum vitâ functo prædicto Antonio Brunio, Hispanico itidem ad Confœderati Belgii Ordines Legato, legationem istam per menses tredecim sustinendo dignissime.

Plures in hac Provinciâ, inprimisque in Parlamento seu Supremo Senatu viros invenio, quorum virtus æternam postulat memoriam; at ne longior hîc æquo sim, aliis hanc Spartam relinquo.

Ordinem Equestrem membrorum numerus, religiosa avitæ nobilitatis custodia, ac in plerisque conjuncta cum literis arma commendant.

Ballivatus præcipui. Habet Comitatus Burgundiæ Ballivatus principales tres, Amontium videlicet, Avalium, & Dolensem, ut jam supra memoratum est nobis; quibus accedunt Ballivatus *Luxeul*, & *Vauvillers*, cum Tribunali Terræ Sanclaudianæ. Verum cum tria hæc territoria postrema vasallorum in manibus sint, ea præcipuorum trium Ballivatuum excluduntur numero, quanquam iisdem, quod ad reddendum jus spectat, privilegiis gaudeant; provocantes quippe hinc immediatè sive directè ad Parlamentum confugiunt.

Tribunalia. Prætacti Ballivatus majores in varia dividuntur Tribunalia; estque primum Ballivatus Amontii Tribunal in oppido *Vesoul*; alterum in oppido *Grey*, ac tertium in oppido *Baumes-les-Nonnes*: atque his ipsis Tribunalibus Præfecturæ aliquot subalternatæ sunt, inferiori jurisdictione donatæ, à quibus Deputati Provincialibus Comitiis assistunt, deliberativæ vocis jus habentes; qui vero in Tribunalibus memoratis jus dicunt, vicariam Ballivo Amontio operam præstant: quo munere nunc fungitur Marchio Venensis è Baumensi Familia.

Præfecturæ. Præfecturæ Tribunalibus Amontii Ballivatus præcipuis suppositæ sunt *Mont-boson*, *Iussey*, *Faucogné*, & *Mont-Iustin*.

Ballivatus Aval in sena Tribunalia secatur; quorum primum est *Mont-morot*, translatum nunc ad oppidum *Lion le Saunier*, seu, ut vulgus pronuntiat, *Lons le Saunier*; alterum *Salins*, tertium *Pontarbier*, quartum *Poligny*, quintum *Arbois*, & Sextum *Orgelet*; quæ Tribunalia diversas pariter Præfecturas habent subjectas, nimirum *Chavanes*, *S. Iulien*, *Chateau-Chalon*, *la Riviere*; estque Ballivus nunc Baro *de Scey* Beaufremontiâ de gente, Regio nomine Provinciæ Præfectus.

Dolensem Ballivatum terna dividunt Tribunalia; quorum primum in urbe Dolâ est, alterum in oppido *Quingey*, tertiumque in *Ornans* oppido; quibus itidem Præfecturæ aliquot subsunt, scilicet *Fresans*, *Orchamps*, *Rochefort*, *Gendré*, *Montmiré*, *Colone*, & *la Loye*; Ballivi dignitatem hodie sustinet Comes Grammontius.

Iam autem singulæ Præfecturæ subdividuntur in varia castella, feuda, vicosque, ut & Beneficia Ecclesiastica, quæ quidem singula ad aliquem ex prædictis Ballivatum spectant; sed eadem rursus certis Tribunalibus Præfecturisque attribuuntur. *Abbatiæ.* Ad Ballivatus Amontii Tribunalia referunt Abbatias *Luxeul*, *Lure*, *Bellevaux*, *la Charité*, *Lieucroissant*, aliàs *les trois Roys*, *Theullé*, *Charilieu*, *Claire-Fontaine*, *Bitenne*, *Faverney*, *la Grace Dieu*, & *Corneüil*; Abbatiamque *Baume-les-Nonnes* Virginum assignatam conventui. Præter hasce Abbatias spectant eodem Prioratus *S. Marcel*, *S. Tibaut à Iossey*, *Ionvelle*, *Marterois*, *Marast*, *S. Marie*, *Fontaine Fleuré*, *Mouterot*, *Pont sur Saone*, *Fauchecourt*, *Apremont*, *Annegré*, *Vaucluse*, *Dannemarie*, *Chasternay*, *Fontenay*, *Belle-Fontaine*, *Pesmes*, *Grandecour*, *Escuelle*, *Champlite*, *Autré*, *S. Martin sous Beaumont*, *S. Valier*, *Velleson*, *Voisé*, *Charme*, *S. Vaubert*, *Rosé*, *Chaux*, *Villorbe*, *Cusance*, *Chambourney*, *Bonnevaux*, *Negre*, & *Lantenans*. *Prioratus.*

Domus Hospitales; Commendariæ Eq. Melit. Adsunt quoque Hospitales Domus, videlicet *Crey*, *Orville*, & *Marnay*; nec non assignatæ Equitibus Melitensibus Commendariæ in locis *Vesoul*, Mont-

Montfugné, la Ville Dieu, Auteaureille, Levigné, Mellant, Salle, Escechain.

Ad Baillivatus Avalii Præfecturas pertinent Abbatiæ S. Claudii, *Baume, Balerne, Goilles, Mont Sainte Marie, Mont Benoist*, & *Rosiere*; at muliebris sexus gaudet Abbatiis *Chasteau-Chalon, Lion le Saunier, Migette*, & *Montigny*. Prioratuum in numero habentur *Bonlieu, Vaux, Rufé, Arbois, S. Estienne de Pontarbier, S. Nicolas, S. Magdeleine à Salins, d'Ecreux, de Fontenois, de Brery, Clerval, Ebouchoux, Colignal, Mothe, Poëte, Gigny, Mortau, Chasteau, Siroz, S. Laurent de la Roche, S. Lothain, S. Germain, S. Desiré, de Lion le Saunier, Vaubles, l'Escoville, S. Germain prez d'Arlay, Dilay, Montrond, Chastenay, Menaut, S. Louys sous Montheno, Roman-moutier.* Hospitalia sunt *S. Sepulchre, S. Bernard* & *Bracon à Salins, S. Laurent, S. Iulien*, & *Arlay*; Commendariæ *Rufé, Arbois*, & *de Salins*.

In Præfecturis Baillivatus Dolensis Abbatiæ numerantur *Damparis, Buillon, d'Acey*, proque altero sexu Abbatia *Ornans*, cum Prioratibus *la Loye, Courte Fontaine, Gendré, Colomne, Toüe, S. Vivant*, & *S. Renobert*: Commendaria unica Templi, Hospitalia duo *Quingey*, & *Montmiré*.

Sunt præterea Abbatiæ duæ à SS. Paulo & Vincentio denominatæ, quarum templa cum cœnobiis Vesontina quidem urbs habet, ad easdem tamen Regis Hispaniarum collatio ac præsentatio accedit.

Præcedentem Comitatus Burgundiæ descriptionem Richardus, Amstelædami Hispanico nomine Consul, vir summis honoribus dignissimus, publico bono accuratè eleganterque composuit; cui nos ortus, coitusque interfluentium amnium, ac locorum singularia quædam subjungenda putavimus, ne irruptione nostra turbaretur compositionis ordo pulcherrimus. Araris itaque, vulgo *la Saone*, illico ac Vogesi in montibus, loco *Viomany* dicto, in confinio Lotharingiæ prorumpit, patrii immemor soli, clementiore fluere sub cælo anhelat, primumque asperis ex locis devolvitur versus *Chastillon* locum Comitatus Burgundiæ, qui *liber* cognominatur, cum quod incolæ ejus sint à tributorum præstatione immunes, tum etiam quod sub Comitatus titulo omne Dominium superius excludat. *Nominis origo.* Distat is procul à mari, ac navigiorum patientes amnes ad commercii facilitatem desiderat; nihilominus tamen divitiis abundat, soli ingenio ad omnia feracissimo. *Soli fertilitas.* Qua in planitiem se exserit regio, tantum messis unica frugum producit, quæ per triennium ad alendos incolas sufficiant: vina, præterquam quod excellentia sint, colorem, saporem spiritumque constanter retinendo, triginta annorum ætatem ferunt; ac pascua irrigantium benignitate fluminum adsiduis ferme herbis obsita, pecoribus abundant. Silvas lignorum copiâ multinummâ instructas, tertium regionis horreum appellant. *Animalia.* Equi (ut benè notat Richardus) laboribus sunt ac bello aptissimi, bellicoso incolarum animo, quem frons eorum subindicat, ad ipsa quasi animalia transeunte.

Metalla. Ferri argentique metalla, loca produnt complura; *Doux* autem & *Louvre* amnes arenis suis aurum supervehunt. Salsarum dulciumque scatebræ aquarum juxta Salinarum oppidum exiguo ab invicem intervallo decurrunt, quæ veteribus Romanis, diu licet hanc regionem possidentibus, fuerunt incognitæ. *Salinæ.* Reges Comitesque Burgundiæ primùm vastum illud infra oppidum Salins ædificium, *la grande Saulnerie*, vulgo dictum, inspectorum operariorumque commoditati, retinendis salsarum ac dulcium aquarum fontibus, ac coquendo, formando, servandoque sali construxere.

Marmora. Marmor nigrum (de quo supra aliquid meminimus,) in locis *S. Lothain, Toraise*, & *Torpe* effoditur; etiam reperias marmor, quod æquali portione cinereum nigrumque colorem adsciscat, & item aliud, maculis rubris notatum, distinctumque quasi globulis quibusdam auratis. Nec lapis alabastrites deest, jaspideusque, ex quo duodenûm, ac quindenûm pedum etiam longitudine surgentes ad templorum palatiorumque ornamentum columnas elaborant. Adeo terra, quæ eximia propter merita gentibus omnibus materna in veneratione est, incolas Provinciæ hujus præcipue rebus omnibus ad necessitatem, commoditatem, pompam voluptatemque instruxit. *Miracula Naturæ.* Porro Naturæ rerum inprimis dilectam hanc esse regionem, vel res minimæ arguunt; apud Dolam etenim, loco qui Sampans dicitur, lapilli colore rubro se offerunt, in quibus eadem Natura, ad ostendendam artificii sui majestatem, mille rerum, ut hominum, animalium, stellarum, florum, ac his similium species expressit, adeoque insignia gentilitia integra, coloribus locisque apte distincta; non secus ac si mirandorum operatrix, postquam universam mundi machinam omnibus absolutam numeris vastissimo spatio diffudit, hic eandem non minore artificio in compendium contrahere voluerit. In cryptis etiam cavernisque latent miracula; quippe lapillos in iisdem invenias elaboratis adamantibus obsitos, aut eosdem aquarum adhærescentibus guttulis vivotenus exprimentes, aut duriore materia globulorum fingentes speciem.

Cryptæ. Cryptæ in locis *Aucelle, Quingé*, & *Courte-fontaine* conspicuæ, ludunt in efformandis columnarum, galearum, ensium, sepulchrorum, rerumque variarum imaginibus; quarum speculatio etsi minus seria, minusque videri necessaria possit, non abit tamen sine voluptate miraculoque. Apparent etiam prædictis in locis æque ac in Provinciæ vico *Limans*, ab oppido *Forcalquier* leuca unica remoto, litterarum elementa eo ducta perfectionis artificio, ut vel à primum discentibus ac prima fronte noscantur: unde Nideri historia non omnino debet videri à veritate aliena, memorantis, in Mauritania apud *Septa* oppidum spectatum fontem fuisse, lapillos volventem, è quorum quinario, aut senario numero construi tota salutatio Angelica potuerit, aliis *Ave Maria, Gratia plena* aliis, aliisque *Dominus tecum*, &c. signatis. Nihil enim repugnat, quo minus Natura unicæ hic in lapillo siliceo literæ effectrix, verbum integrum majore in lapide efformet. Non iners illa est, aut cœca, quo posteriore nomine quibusdam malè signatur; sed Divinæ creationis socia, gubernationisque adjutrix.

Amnes, Piscesque. Demum, ut nihil ad felicitatem regionis deesse

esse videatur, amnes, *Saone* & *Lougnon*, ex Vogesi montibus orti, itemque *Doux*, *Louve*, & *Ain*, è Iura monte profecti, quidquid uspiam in hoc tractu fontium est lacuumque, quadam magnetica vi ad sui attrahunt augmentum, ut delicatissimorum piscium greges multiplices recipiendo laxius, quasi dispertita quædam aquarum iis assignent conclavia. Ceterum Ararim, qui *Saone* incolis dicitur, carpionibus metropolim attribuunt, Loignionem mullis seu barbis, truttis amnem *Aine*, Dubim luciis, umbrisque *Louve* fluvium. Tot commoditatibus instructæ genti haud difficilis est illa rigorosa per Quadragesimale tempus abstinentia à carnibus; adeo ut facilius ad poculum veneni hauriendum ex incolis aliquem inducas, quam ad sorbendum indictâ abstinentiâ ovum, nisi à Parocho aut à Confessario forte licentiam habuerit.

Explicata hujus regionis parte, quam Araris flumen vix à fontibus suis digressus invisit, cursum ejus, licet variis ambagibus sinuosum, strepentemque per vallium ima, facilius deinceps versus *Pont de Saone* locum sequemur, ubi is plurimis jam auctus amniculis gloriosior apparet, quibus à locis quæ perfluunt est nomen; qualia sunt *Fontenay*, *Iussey*, & *Tonvelle*, illustris Trimulliorum familiæ quondam locus, ab Ioanne Trimullio possessus, quando Philippus Burgundiæ Dux, eum in institutum à se anno 1429 pro viginti quatuor primariis Equitibus ordinem Aurei Velleris cooptavit, Equitibus singulis torquem aureum, fuso ac vellere aureis signatum concedens, quadam Iasonis imitatione, qui à Critheo patruo in Colchos ad aureum vellus, hoc est, ad repetendos thesauros, quos Phrixus fugiens apud illos deposuerat, reportandum navigare jussus, Græcorum complures in societatem gloriosi laboris excivit. Solent autem Poëtæ aureum vellus Virtutis præmium interpretari.

Fontenay, Iussey, amniculi.

Porro Araris à loco *Pont de Saone* cursum dirigit in occasum, salutatoque *Pont de Rupt* loco, ad *Grey* oppidum descendit, quod directis insigni latitudine viis elegans, fontibus amœnum, templis, aliisque publicis ædificiis magnificum, denique valido turritoque muro ac propugnaculis defensum, & ad retinendos exteros valet, & ad hostes arcendos.

Grey oppidum munitum.

Exiguo ab oppido *Vezoulx* (quod unum ex præcipuis Provinciæ est, ob primum in eo Baillivatus Amontii Tribunal) fons, seu puteus cernitur, *Frais-puis* dictus, adeò copiose scaturiens, ut late circumjacentia loca nonnunquam inundet. Os putei latum est orgyias quindecim, profundum viginti, superficies ejus tam alta, ut vicinæ turris fastigium adæquet. *Pont de Planches* rivulus ex colle *Fondrement* dicto descendens, rivulusque *Bief* S. Lupum præterfluens, Arari ab Oriente, *Mambray* vero & *Dampierrepot* ab Occidente eidem miscentur.

Frais-puis fons scaturigine mirabilis.

Pont de Planches rivulus.

Mambray, Dampierrepot, rivuli.

His rivulis comitatus Araris subit pontes *Grey*, & *Prantigny*, cursu deinde versus *Pontallier* oppidum directo, quo loco veluti terminus quidam est, Comitatum Burgundiæ à Ducatu divellit. Nam quemadmodum utriusque regionis incolas duorum altercatio regum disjungit; ita Araris terram ipsam intersecat, insulam medio excitando in alveo, quæ *Pontallier* Comitatus oppidum ligneo ponte adeundum includat, & à Burgundiæ Ducatu submoveat. Vt autem divisus à se Araris sufficientes utrique alveo aquas adsiduo subvehat, provida rerum mater Natura providit, ut ante divortium trium aut quatuor accessu amnium instructior veniret. Loignio ex Vogesi montibus per vallem *Servance* descendens, ac *Villersey*, positum alta in rupe castellum subterfluens, *Linottam* per *Monclay* & *Marnay* loca in Ararim supra *Pontallier* oppidum secum pertrahit: *Navigena* vero eidem Arari ex adverso conjungitur, qui in loco *Mons-Angon* dicto, ternis Lingonum ab urbe leucis profluens, *Torselle* rivulum intercipit, cum eoque insulam molitur, quæ *Tallexé* oppidulum continet. Venella in vico *Tay* ortus, ac magnorum more fluviorum apud *Bussey* terris abditus, ac deinde prorumpens, infra *Pontallier* in Ararim devolvitur.

Pontallier oppid.

Lougnon.

Linotte.

Navigene.

Torselle.

Venelle.

Tot amnium confluxus spectabilem Ararim efficit, qui in Meridiem deflectens, duabus infra *Pontallier* leucis *Auxonne* oppidum cum arce, quod Ducatus Burgundiæ est clavis quædam, aquis suis luculenter instruit munitque, lapideo ipse hic ponte superandus. *Tille* flumen è loco *S. Seigne* profusum, *Agnon* rivo juxta Sequanæ fontes intercepto, ad loca *Sault le Duc*, *Is Sur Tille*, & *Tille-chasteau* dilabitur; quo posteriore loco postquam *Besvam* recepit, in Ararim influit unius infra *Auxonne* oppidum leucæ intervallo. Hac ratione Araris magnorum navigiorum fit patiens, quibus merces avehantur Lugdunum. Ceterum *Tille* amnis in hoc admirandus existit, quod ripæ illius herbarum genus producant, quo plebs infima, cum difficilis frumenti annona est, panis supplet defectum.

Auxone oppid. ad Ararim

Tille,

Agnon,

Besve, amnes.

Herba, quæ panis fit loco.

Si Dubim apud *Valessin* seu *Chastelot* requirere velis, paulatim ad *Salins* oppidum supra memoratum descendes, cui à salsis fontibus, ac sale candido, qui ibidem conficitur, quæsitum est nomen. Id sat vasto ambitu se explicat, muro turribusque munitum, splendidis instructum ædificiis, ac binis arcibus defensum, quarum altera *Bracon*, *Belin* altera appellata, angustæ valli *Scodingue* nomine signatæ prætexuntur.

Salins oppid.

Arces ejus binæ.

Arbois oppidum suburbia habet cum mediocribus oppidis conferenda, fossas, quæ hortensem amœnitatem exhibeant, montes circumcirca, qui arboribus dense obsiti silvarum sunt loco, à quibus fortasse *Arborosa* Latinis, ac vulgariter *Arbois* vocitatur.

Arbois oppid.

Poligny firmissimo se muro contra hostium tuetur assultus. Splendor ædificiorum, fontiumque publicis in locis erumpentium amœnitas, ad ejus commendationem sufficiunt.

Poligny oppid.

Dola, urbs vetus est, cui Dubis amnis ad majorem incolentium commoditatem, optimam rerum aquam suppeditat. Est ea Comitatus Metropolis, Parlamenti sedes, Camera Computorum, Musarum Gymnasium, quibus de causis incolentium frequentia celeberrima, totius Provinciæ est caput, à quo vitam, motum ductumque reliqua membra sortiuntur. Nam scientiæ veluti sensus quidam Reipublicæ corpus dirigunt; vectigalia belli pacisque temporibus agendarum

Dola urbs Academiâ clara.

darum rerum nervos rectissimè appelles; justitiam vero fontem concordiæ, quæ quam necessaria sit conservationi populorum, quis non videt. Porro Dolam infelicitas feliciorem effecit; nunquam enim à primâ conditione suâ tam magnifica ædificiis apparuit, ac nunc conspicitur instructa, ex quo scilicet à perpessis anno 1579 ruinis, novum sibi splendorem adscivit, eamque Carolus V, Imperator, septem ingentibus propugnaculis munivit, quod *Auxone* oppidum cum S. Laurentii territorio ejus essent ditioni subtracta. Robur urbis exploratum est Gallis annis superioribus non sine summo oppugnantium dedecore. Intersecat eam Dubis amnis, cujus ripam utramque ad faciliorem incolentium congressum pontes hinc inde connectunt. Templa, palatia, aliaque ædificia publica ob structuræ magnificentiam, ingenti urbem ornamento amplificant.

Besançon urbs.

Besançon, Latinis *Vesontio, Vesunticum Sequanorum*, & *Besuntium* appellata, urbs pervetus est, cujus situm Cæsar descripsit, ambitumque murorum hodiernum à vetere diversum, adhuc extantia passim cum aliis antiquitatum monumentis rudera testantur. Ea libera Imperii Civitas, in fide tamen Regis Hispaniarum, Dubi fluvio adsidet, à quo in partes duas dirimitur, ponte rursum devinctas. Viarum elegans in longum latumque directio, benè materiata ædificia, pleraque frontispicio formæ ejusdem surgentia, Palatium Curiæ magnificum, fora seu ædificia rerum venalium spatiosa, instructum probè armamentarium, horrea plena, abundantes cellæ, denique suburbanus ager aut vitibus obsitus, aut in prata diffusus, aut distinctus culturis, Vesontionem inter spectandas S. R. Imperii urbes constituunt. Senario numero fontes variis erumpentes in locis, decoratique Bacchi, Charitum, Caroli V insidentis Aquilæ, Tritonum, Neptuni, Nympharumque simulacris, opulentæ habitationique commodissimæ urbi, singularem amœnitatem conciliant.

Complura loca publica, veterem hodieque appellationem quodammodo retinentia, (ut *Chaumar*, hoc est, Campus Martis; *Chammuse*, campus Musarum; *Charmon*, Charitum mons; *Ronchau*, Collis Romæ) antiquitatibus Romanis maximè ornatam hanc urbem fuisse loquuntur. Præter Curiam, Granvellanum Palatium veterum Romanorum templa aut porticus adæquat. Hic deorum semideorumque quendam conventum celebrari diceres, quos ingeniosæ artificum manus aut finxerunt ex ære, aut formarunt è marmore, aut pictis in tabulis expresserunt ad vivum. Inter statuas se offerunt Iupiter, Diana, Hercules, Mercurius, &c. atque Imperatores plurimi; pictæ vero tabulæ Michaëlis Angeli, Raphaëlis Vrbinatis, Martinique Denosii artifices manus luculenter commendant. Vniversitas sive Academia urbis, quam Ferdinandus Imperator anno 1564 fundavit, Theatrum quoddam Musarum est, in quo bonas literas cum viva docentium vox, tum etiam librorum lauta supellex promulgat.

Diœcesis amplitudo.

Vesontino Archiepiscopo subsunt suffraganei Bellicensis, Lausannanus & Basileensis Episcopi. Diœcesis Vesontina latius olim patuit, ut qua *Nyon*, quæ vicinum Lacui Lemano oppidum, *Avenches*, aliàs *Vuistisbourg*, Friburgensis agri oppidum, Basileam, arcem Vindone, Yverdunum, Colmariam, quæ Latinis *Argentaria* dicitur, arcem Raurac, Portum Abussinum, aliaque loca fuerit complexa. Hodiè illa Abbatias duntaxat 24, Prioratus 94, & parœcias 780 continet, queis præsunt Archidiaconi quinque, totidemque Decani.

Alia hujus Comitatus loca.

Dubis, variorum tributo amnium gloriosior, dum Vesontione egreditur, Cabilonum iter dirigit, mergiturque Arari apud Cabilonum, oppidum antiquum, supra à nobis recensitum. Sed jam missa flumina faciamus, ad *Nozeroy* oppidum, Provinciæ centrum vocati, ubi *Aix* amnis è rupe exsurgens, admirandam deprædicat originem. Situm est autem *Nozeroy* in ipso montis vertice, quod arx plumbeis laminis contecta defendit, iisdem cum oppido mœnibus inclusa, septa fossis, & tormentis bellicis instructa. Celebrant *Nozeroy* quaternæ in anno nundinæ, ac Divi Antonii sollemnius festum, quo frequentissimus hic esse solet Matronarum conventus. Nomen illi primitus inditum à nucibus, quibus circumjacens ager abundat, à quodam ex Cabilonensibus Dynastis mutatum in *Nazarete* putatur.

Nozeroy.

Chastel-Chalon. Orgelet.

Chastel-Chalon, celebris est Virginum nobilium cœnobio locus: *Orgelet*, oppidum amœnum est, atque arce suâ munitum, emporiumque lanificio nobile.

Quingey.

Quingey, ut & *Ornans* oppidis aquas *Louve* flumen suppeditat. *Vsier* clarum arce suâ oppidulum, incolas habet, quorum lepida simplicitas celebratur proverbio. S.Hippolyti oppidum monte continuo muri in modum circumdatum, robusti, gnavi bellicosique incolæ tenent. *Bourg*, locus est *Dan* flumini appositus, duas inter arces propinquas, uno eodemque nomine signatas. Adsident quoque amni huic *Clervaux, Morant, Turmaye*, & *Campignole*. *Mortes* castellum est nullis cinctum mœnibus; *Monet* vero castellum item vetus, nunc dirutum conspicitur. *Mirebel* satis superque ruinis suis testatur, quis loco quondam splendor fuerit. *Sorbin*, egregia arx est. *Beaume* inclytum est suo à Cluniacensibus dependente cœnobio; ut & S. Claudii oppidum, quo ad visitandas Divi reliquias ingens hominum multitudo votivam solet peregrinationem obire. Bletteræ Celle amni adjacet, muro, turribus, atque arce validum.


Lons le Saunier.


Lons le Saunier, quibusdam *Leon le Saunier* appellatum, oppidum est perexiguo ambitu porrectum, sed amœnitate beatum. Id vallo ac fossâ circumdatum, situm loco plano sortitur, quem collium frugifera ambit opacitas. Viam in eo cernes insigni latitudine patentem, quam longâ serie utrimque mercatoriæ stipant tabernæ, porticuum in modum defensa, à Sole ac pluviis ambulacra præstantes. Platea major umbilicum oppidi tenens, celebrandis comparata mercatibus, mediocrem amplitudine suâ capit exercitum. Arcis exteriora firmo opere murus circumdat, interioribus ruinosam faciem habentibus. Nomen opidum invenit à Salinis, & usitatâ in Salinis mensurâ. Præest ei Major cum aliquot Scabinis, dominatur vero Princeps Auriacus. Montmoro-

tici Tribunalis in Avalio memorati Ballivatu ſedes hîc eſt, quanquam Montmoroti nomen ſententiarum inſcriptiones retineant, pronuntiationi executionique ſententiarum criminalium Montmorotiano aſſiſtente Præfecto. Ceterum frequens hoc mercatoribus emporium eſt. *Rougemont*, oppidulum eſt in Germaniæ confinio, *Montbeliard* oppido vicinum, atque Equeſtris ordinis feſtâ S. Georgii die conventu quotannis celebratum. *Sene* vicus eſt ingens, à vulgari hîc ſcaturientis vocabulo Sequanæ appellationem ſortitus, qui illico à Sontibus ſuis viginti ſeptem ex ordine molas circumagit; quo loco arx viſitur cum ingenti vivario continui muri ambitu concluſo: nec procul hinc eſt arx *Montrival*, plurimorum ſcatebris fontium amœna. *Crotene* vicus eſt ampliſſimus, arce ſuâ *Seugean* dictâ nobilis.


Plura ſunt haud contemnenda Comitatus Burgundiæ loca, quæ hîc repetere ſupervacaneum duximus, quia deſcriptionis Burgundiæ Sequanicæ autor Richardus eorum jam meminit, ceteraſque hujus Provinciæ res memoratu dignas notavit, è quâ Metenſis ager abire nos jubet, primorum Auſtraſiæ regum ſede olim clariſſimus.






Nova & Accurata delineatio Geographica
EPISCOPATVS METENSIS
Quo ad Iurisdictionem temporalem.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
Scala Milliarium Lotharingicorum.
Magna
Mediocra
Parva
Septentrio
Meridies
Occidens
Metz
Nancy
Toul
Dieuze
Marsal
Moyenvic
Vic
S. Nicolas
Le Pont a monson

61



Mosella fluv.

Lotharingiam irrigat.

Soli qualitas.

Vologne fluv.
Nun. flu

METENSIS EPISCOPATVS.



Etas aditurum Mosella pulchrum flumen urbem interfluens præfluensque deducet, quod in Fortunati Pictaviensium Episcopi, Ausoniique Consulis Romani carminibus non minorem majestatem obtinet, quam apud Lotharingos, Luceburgienses ac Trevirenses, quorum populorum terras fœcundat. Nam posteaquam laxitatem alvei, aquarum limpiditatem ac ripæ utriusque amœnissimum cognovissent aspectum, pratorum, vinearum, arvorumque gratâ varietate distinctum, relictis veterum Græcorum fabulis, ingenii præstantis vim ad hujus laudem fluminis contulere. Oritur id in montibus Lingonum, loco aliorum more fluminum sublimi, fluminisque imaginem ex variarum corrivatione aquarum supra *Remiremont* opidulum coëuntium sortitur, quo abundantius Provinciam hanc irriget, nobilem veteris Austrasiæ regni portionem, partemque hereditatis, mortuo Ludovico Pio, Lothario filio adscriptam, qui nomen ei de suo imposuit, nec velut Imperii membrum quoddam possedit, sed tanquam hereditatem à majoribus traditam, antè regnum Galliæ cum Lotharingiæ tenentibus Dominio, quàm summi fastigium Imperii Arduenna novisset.

Mosella fluv.

Lotharingiam irrigat.

Non terra hîc solùm, sed aquæ ipsæ locupletant incolas; fontes enim, quos Vagnia vallis habet, achatas, granatos, aliosque lapillos preciosos producunt, singularia Germanorum ornamenta, qui eos cum Indicis audent conferre; nisi quòd hos muliebris opinio, aut mercatorum laudatiores efficiat calliditas. Salsarum scatebræ aquarum in locis *Mayenvic, Dieuse, Marsal, Chasteau Salin, Salonne* & *Rosieres*, candidum durantur in salem, ornamento mensarum, ac vicinorum commodo populorum. Carpiones seu Cyprinos Linderanus lacus fert adeo præstantes, ut cum illis nullum uspiam carpionum genus queat dulcedine saporis conferri; quamobrem speculares easdem cognominant, quod in his tanquam in speculo ceterorum alibi carpionum laudabiles qualitates existant. Plombieranæ Thermæ duabus à Remiremontio leucis distantes, salubritate aquarum suarum omnia Medicorum recuperandæ conservandæque valetudinis præcepta anteëunt. Divitias hujus regionis uniones, ac grana aurea amnis *Vologne* loquuntur.

Soli qualitas.

Vologne seu *Voloye*, Nunii flumine auctior, primus amnium Mosellam *Chamery* locum infra Remiremontium influit; cum quo versus *Espinal, Chastel, Charmes* ac *Bayon* loca descendit, ubi conflandorum speculorum vitrorumque nobilissima Gallia. totius Europæ materia effoditur. Alius deinde rivulus, *Modon* dictus, Colone Brenoneque, cui *Vezelize* vicus adsidet, rivis acceptis, apud *Chaligny* locum Mosellam ingreditur, cujus beneficio Tullo ac Mussiponto oppidis se cum Mosellâ communicat. Inter hæc oppida Mosella medius, infra Fruartum recipit Murtam, è pluribus fluminibus compositum, quorum accessu copiosiùs Nancei fossas adimplet. Confusa ei flumina sunt *Mothane*, quod infra Abbatiam *Autrey* ortum, versus *Rambervillier, Gerbervillier*, & *Mortagne* loca dilabitur; *Ravon*, quo *Divey, Raon*, & *Lunerville*, octo Lotharingiæ Munimentorum in numero relatum, rigantur; *Plaine*, Ravoni permistus amnis; & *Voiziere*, ex ingenti lacu *de la Garde* procedens. Illa supra, infraque *Rosieres* paulatim coalescentia, Murtæ deinde nomen inveniunt, unoque alveo recepta, ad Fanum S. Nicolai festinant, ut hîc sanctissimi Miræorum Episcopi reliquias venerentur, indeque devolvuntur Nancejum, de quo fusiùs infra.

Vologne fluv. Nun. fluv.

Modon. Brenon.

Meurte,

Methane,

Plaine, Voiziere amnes.

A Pontamusso rectâ Metas cursum Mosella instituit, in via pontes *Ioy* & *Moulin* locorum subiens recipiensque rivulum *Ma*, antequàm hanc ad urbem accedat, antiquitatis gloriâ inclytam, rerum eventis admirandam, situ lætam, ac munitione propè inexpugnabilem.

Ma rivulus.

Vrbs igitur quæ Gallis *Metz* dicitur, Latinis *Metis* & *Meta*, eam Cæsar, Tacitus, Plinius, Ptolomæus, aliique veteres scriptores *Divodurum Mediomatricum* appellavêre; quasi deorum sedem caputque Mediomatricum. Romanis Galliæ imperitantibus, illa cum Tullo ac Viroduno oppidis ad Trevirensem Civitatem pertinuit, Metropolim Belgicæ I. Verum Gallis deinde Rhenum transgressis, propagatisque ab hoc flumine usque ad Mosellam ac Scaldim regni sui terminis, Reges stirpis primæ secundæque, regni Austrasiæ, quæ postea Francia Orientalis fuit appellata, sedem hac in urbe constituere.

Metensis urbs.

Sed cum nullum unquam regnum tam sapienter fuerit ordinatum, quod demum longinquitas temporis, aut vicissitudinum amans Fortuna non everterit, Metense regnum quoque variis fuit mutationibus afflictum. Diviso à Ludovico Pio, Caroli Magni filio inter tres filios ejus, Lotharium, Ludovicum cognomento Germanicum, & Carolum cognomine Calvum, Imperio, patre mortuo, ex filiis duo tertium ad novam divisionem compulerunt, obtigitque tum Lothario Imperium Italiæ, Provincia, regionesque omnes Rhenum inter Scaldimque extensæ, quæ regni decoratæ titulo, à possessore suo acceperunt Lotharingiæ nomen, corrupte *Lorraine* pronunciari solitum.

Metense regnum.

Lotharius, postquàm Lotharingiam annos quindenos tenuisset, eam in Lotharium natu minorem filium transtulit eundem ditionis suæ heredem,

TERRITORIVM
METENSE
Auctore
AB. FABERT
Consule urbis
Metensis.
LE PAIS
MESSIN.

Amsterdami
Apud Guiljelmum et
Johannem Blaeuw.

Milliaria Gallica.

Milliaria Germanica.

Occidens.
Oriens.
Meridies.
Septentrio.

Terre de Gorze.
BARROIS.
PARTIE DV DVCHE DE LVXEMBOVRG.
LORRAINE.
EVESCHE DE METS.
ALLEMAIGNE.
LE VAL DE METZ.
L'ISLE
LE SAVLNOY.
LE HAVLT CHEMIN.
Metz.
Ban S. Pierre.
Mosella flu.

62

redem, qui nominis esset, instituens. Lotharius pacatum dum pater vixit regnum habuit; at eo vitâ functo, Carolus Calvus avunculus ad id occupandum prætextu custodiæ (qui Principum ditioni alicui inhiantium color esse solet) accessit. Ludovicus Germanicus invidiâ in Carolum Calvum fratrem ob auctam ejus ditionem magis adductus, quàm nepotis sui Lotharii tuendi causâ, simulavit tamen oppresso se venturum auxilio; tantumque minis effecit, ut Carolus frater Lotharingiæ partem ei concesserit, quæ Rhenum Mosamque interjacet, retentâ sibi portione altera, à Mosâ ad Scaldim usque porrectâ. Hac injustissimâ divisione Lotharingia in secundam mutationem regiminis incidit.

Occupatur à Carolo Calvo;

itemque à Ludovico Germanico;

Eam non multo post tertia excepit mutatio, quam Ludovici Germanici dispositio invexit, quâ Carolomannus filius ejus Bavariam, Hungariam, & Bohemiam sortitus est; Saxoniam, Frisiam. ac Ludovicanæ Lotharingiæ partem Ludovicus; Carolus autem (qui deinde tutorio nomine pro Carolo simplice Francorum regnum direxit) Sueviam, cum alterâ Lotharingiæ parte, quæ Metas, Tullum & Virodunum, Alsatiamque continebat. Nova isthæc partitio novam secum regiminis formam attulit, quam deinde variavit abitus ex hac vitâ Ludovici Balbi, qui in regnum Galliæ ac Lotharingiæ partem Carolo Calvo successerat. Huic Regi atque Imperatori, (qui si vita ei longior fuisset, uberem Oratoribus atque Historicis dicendi scribendique materiam reliquisset) superstites filii tres fuere, Ludovicus, Carolomannus ac Carolus Simplex, ex quibus duo natu majores paternæ ditionis universæ administrationem adiere, parum solliciti de bellis, quæ ob susceptam fratris tutelam contra Danos, ac Ludovicum Germaniæ regem erant gerenda, cui Lotharingici regni partem illam dedere, quam Carolus Calvus juniori Lothario injustè abstulerat. Superstes verò duobus fratribus suis Carolus Crassus, universum Lotharingiæ regnum ad caput unum redegit, eo prorsus modo, quo id Lothario Imperatori in partem hereditatis paternæ obvenerat. Profectò eadem Imperiorum Regnorumque quæ Planetarum est ratio, qui postquam diu præfixi orbis ambitum constanti cursu secuti sunt, ad idem, à quo digressi fuerant, punctum revertuntur.

redit ad Carolum Crassum.

Post istam divulsarum Lotharingiæ partium combinationem, integrum fuit hoc regnum possessum à pluribus, ab Arnolpho Imperatore, nepote Caroli Crassi, Gundibolco notho, Ludovico Arnolphi filio, Conrado nepote Ludovici, qui Lotharingorum odia in se provocans, ab iisdem regno fuit expulsus, suffecto in locum ejus Carolo Simplice Galliarum rege. Is regno huic Præfectum dedit Reinerum Arduennæ Principem, à Clodione Francorum rege genus suum ducentem, cui Gilsibertus filius permissu Caroli Simplicis, vicinorum populorum studia beneficiis potius, quam terrore armorum retinere cupientis, successit. Atque hæc sexta fuit regiminis forma, à præcedentibus omninò diversa.

Sed cum deinde Franci se Regi suo ingenio ac nomine Simplici opponerent, Henrici Saxonis auxiliis nova tentantium fuere oppressa consilia; quamobrem ei Carolus sumptuum laborisque mercedem Lotharingiam tribuit, contra Salicam legem, nihil de regni patrimonio submoveri patientem. Hac ipsâ de causâ Albertus, ex regiâ Francorum stirpe Metensium Episcopus, ægerrimè tulit Metensis concessione regni civitatem suam in alienigenas transferri; at ejus successor Thierricus, Othonis I Imperatoris cognatus, rei ex sententia sua gerendæ occasionem nactus, Metensibus autor fuit, ut Basileensium, Argentoratensium, Spirensium, Coloniensium, aliorumque exemplo populorum, se ab Francorum jugo vindicarent, libertatemque sibi sub protectione Imperii adsciscerent. Henricus tandem ejus nominis Secundus, præclarè noscens nihil in regnum Francorum temporis præscriptionem valere, illegitimamque esse prædecessorum suorum vel minimarum regni partium alienationem, Metenses ad pristinum jugum redire coëgit, urbem solemni pompâ armatus, capite excepto, ingressus, ut clementiæ inde, non rigoris, novi subditi caperent argumentum. Hac ratione alienati ab Imperio Metenses, atque Henrico Regi sacramento fidelitatis obstricti, symbolum Imperatoris, voce *Vltra* in primaria urbis Æde expressum delevere, substituentes Henricanum illud, *Donec totum impleat orbem.*

Donat Metense regnum Carolus Simplex Henrico Saxoni.

Id sub Henrico II, Francorum regno denuò unitur.

Molestissimè tulit hunc casum Carolus V Imperator, augendo, non minuendo natus Imperio. Itaque incredibili celeritate centenûm millium virorum colligit exercitum, ex Germanis, Hispanis Italisque compositum, captamque à Francis urbem arctissimâ obsidione circumdat. Ingruenti huic tempestati à Francorum parte opponitur Franciscus Lotharingus, quo acerrimo propugnatore potiundæ desperatione Carolus inde discessit.

Metropolis ejus obsidetur à Carolo V.

Sed jam ad Mosellam revertor, à quo præcipua urbi dignitas accedit. Is eam quodam ramo suo intersecans loco quo S.Stephani Abbatia conspicitur, insulam format cum Sellâ amne, qui civibus suarum usum aquarum offert, antequam Mosellæ misceatur. Pontes præcipui quaternario sunt numero, quorum bini in urbe sunt, ad S. Vincentii Abbatiam, quæ flumen utrumque interjacet, commodiorem aditum præbentes; reliqui duo, alter *Pont Iffroy*, *Pont de More*, alter incolis appellatus, à Theonvillanâ parte dant ad urbem accessum. Munimentum prope S. Theobaldi portam in ripa Mosellæ loco editiore conspicuum, ac quaternis propugnaculis quadrato lapide obtectis, altaque fossâ cavatâ in rupe, & validum tutandæ urbi, & retinendis in officio civibus Henricus II rex condidit.

Munimentum Henricus II rex condidit.

Iudæi peculiarem in urbe viam domibus suis obsident, celebrantque in ea Synagogam sive conventum peragendis sacris; Catholicis sua sunt cum altaribus templa; Reformatis & sua.

Re'igio.

Vrbs ipsa vasto se ambitu explicat, qui novem millia passuum circiter complectitur, ante suburbiorum demolitionem ad quatuor leucas Gallicanas porrectus.

Portarum, quemadmodum & pontium, ad intrandum binarius est numerus, ad exeundum versus Mosellam porta unica, ab Inferno cognominata, non patente ab hoc urbis latere è Munimento

nimento egressu alio quam ductu navigii. Ceterùm murorum urbem circumeuntium ambitum propugnacula, turres, ambulacra atque suggestus longè munitiorem efficiunt.

Templa. Primaria Ædes, S. Stephani honori, urbis patroni, dicata, Canonicorum superbit centuriâ. Præter Parochialia urbis templa sedecim, Abbatialia Ordinis S. Benedicti se offerunt, S. Arnulfi templum, Ludovici Pii Augusti, Caroli filii, & filiarum aliquot Pipini regis sepulturâ celebre; S. Clementis, S. Martini, S. Symphoriani, S. Vincentii, S. Glossinæ, S. Mariæ, S. Petri, lautissimis omnia reditibus instructa. His ad majus urbis ornamentum accedunt cum cœnobiis templa Carthusianorum, Augustinianorum, Cælestinorum, Capucinorum, Minimorum, Recollectorum, Iesuitarum, Mathurinorum, Dominicanarum, Clarissarum, sororum S. Magdalenæ, &c.

Diœcesis. Metensis Episcopi, qui S. R. I. Princeps, atque opulentarum possessionum est Dominus, ditio seu Diœcesis in Archidiaconatus quatuor dividitur, ac parœcias sexcentas, & viginti tres.

Regimen urbis. Superioribus annis penes XIII viros summa fuit juris dicundi autoritas, singulis ad diversa negotia, prout publica res exigebat, applicitis. Præerat his unus, eodem numero contentus supremi Scabini nomine, qui autoritatis argumento latus gladio armabat, in functione, & post functionem eodem ornamento, ac jure nobilitatis conspicuus. Fas erat illi monetam urbis notatam insignibus, auream argenteamque cudere, atque eam sub muneris ingressum aut inter amicos, aut distribuere in populum. Is sæpè functionem suam ad sex, novem, duodecim, & plures continuabat annos, iterato quot tribus annis duntaxat fidelitatis juramento. Ex his Tredecimviris unus læsorum excipiebat querelas, persolutas à reis mulctas usui proprio reservans: alius Thesaurarii titulo publicis erat ædificiis præfectus, ac destinatam instaurationi murorum, portarum, pontium, fontium, ac Curiæ palatii pecuniam administrabat. Porrò IV Viris erat in Domum Hospitalem inspectio, quibus præfectus Domus reddere rationem tenebatur, ipsis Senatui ad reddendas rationes obnoxiis: Præfectus Hospitiis militibus assignabat hospitia. At hæc forma regiminis fuit anno 1641 publicato Edicto Regis sublata, instituto in Tredecimviratus locum Ballivatu, cujus Metensis Præfectus est caput; in causis civilibus ac criminalibus, itemque in particularibus negotiis singulos habens vicarios, ac Consiliarios denos, (quo in numero quatuor sunt religionis, quam Reformatam appellant) Procuratorem unum, unumque Advocatum Regis. Vrbi regendæ Major est datus, ac Scabini decem, quorum biennalis est functio, manentibus in officio quinis, ac quinis denuò electis. In suburbanis vicus est *Iouy*, Mosellæ adsidens, ubi quantacunque est inter montes utrosque distantia, aquæductum priscis illis temporibus fuisse indicant ejusdem quæ adhuc exstant reliquiæ. Arcuum multi integri sunt, ex albo lapide in laterum formam dissecto compositi; ac nonnulli quoque ejusdem operis in adversâ ripâ cernuntur.

METENSIS AGER,

vulgò

LE PAYS MESSIN.

Limites. Metensis ager, modicâ parte exceptâ, quam Luxemburgensis ager attingit, quaquaversùm ab Lotharingiæ Ducatu circumdatur. Idem vico suo *Colligny* Argentoratensium urbi accedit, silvis quibusdam terminum inter utramque ditionem statuentibus. Longitudo summa leucarum est quatuor, latitudo totidem, quo spatio vici circiter ducenti continentur, ex quibus multi ad Metensem spectant Episcopum, ut *Ars*, *Chatay S. Germain*, quo loco eversi à Metensibus oppidi ruinæ cernuntur, *Agancy*, *Donau*, &c. Reliqui ditionis Regiæ sunt, aut juris inter Episcopum ac Regem communis, ut *Malatour*, *Vry*, *Thionville*, oppidum Regio munitum præsidio, ac maximè dignum memoratu. Sed antequam id nostra attingat descriptio, *Sella fluv.* Sellæ ortum cursumque indagabimus, obiter contemplantes, quæ terræ facies sit in ripâ fluminis utraque. Oritur Linderano ex lacu, qui jam sæpè nobis laudatus, ac laudandus deinceps, insigni leucarum quatuordecim ambitu diffusus, in medio aquarum suarum, insulamque excitans, carpiones gignit mirum in modum delicatos. Non sine causâ id vulgare *Seille* nomen accepit, cùm salsas aquas vehat, præcipuis Provinciæ hujus Salinis aquas in ejus alveum derivantibus; unicâ quippe à fontibus leucâ Dieuzanæ accedunt Salinæ, quas Marsalenses sequuntur, tum Vicanæ, & Moyenvicanæ. Ceterùm *Marsal*, *Marsal, Munimentum.* unde primis Salinis cognomen, locus est munimento clarus, à Carolo Lotharingiæ Duce tanquam pignus quoddam fidei servandæ traditus Ludovico XIII, eo tempore, quo inter utrumque in oppido *Vic* constituta pax est, Carolusque tum multa Regi promisit, quæ deinceps parum servavit. *Moyenvic*, dedente se nuper præsidiario milite, nunc Gallici juris est.

Moyenvic. Porrò ab oppido *Vic* Sella amnis ad *Nomeny* locum festinat, sinuatoque variè cursu pontes plurimos, ligneos plerosque subterfluens, tandem Metensi in urbe Mosellæ admixtus, cum eodem Theonvillam descendit.

Theonvilla. Theonvilla igitur, sive à falsorum cultu deorum, seu à Theone conditore nomen acceperit, in alterâ Mosellæ ripâ sedet, Luceburgio leucis quatuor, totidemque à Mediomatricis remota, inter Inferioris Germaniæ loca antiquitatis gloriâ clarissima. Carolus Magnus hîc tertiam Imperii sedem statuerat, situs transitusque rationibus adductus; unde dignitas ejus antiqua facilè potest intelligi, ut quam tantus Imperator sui sedem Imperii delegerit. *Fit Sedes Imperii tertia.* Est autem locus hic arte & naturâ adeo munitus, ut vix unquam expugnari potuerit; situm quippe plano in loco remotis montibus sortitur, circumcinctus paludibus, quibus inaccessus ab Occasu redditur, tutus Mosellâ flumine fossas ejus implente; ac propugnaculis regulari formâ, turribusque defensus.

Anno 1550 Galli Guisio Duce Theonis-villam adsiduis tormentorum bellicorum ictibus pulsantes, ac variis petentes assultibus, magnum suorum numerum perdidere, interque ceteros Strotium virum bellicosissimum, in quatuor Mareschallorum Franciæ numero; at deficiente milite obsesso, eam nihilominus per deditionem ceperunt. Reddita fuit deinceps Philippo II Hispaniarum Regi, pace inter Hispanos Gallosque post Sanquintinianam cladem composita. Eam Ludovicus Borbonius penè adolescens insigni contra Hispanos ad *Rocroy* Munimentum victoriâ potitus, in Gallorum potestatem anno 1643 redegit. Ceterùm Præfectus oppidi Regius nunc est Bocquetus.

Cirq, oppid. Mosellæ tribus à Theonis, villâ leucis *Cirq* oppidum appositum est, ab eodem Ludovico Borbonio expugnatum, qui in hoc tractu præclara dedit requisitarum summo in Duce virtutum documenta.

Soli qualitas. Frumenti ager Metensis minus est ferax; vini, nucum, cerasorumque fertilior, quæ Pontamussum ac Nancejum carentia cerasis loca portantur. Vina generosiora nascuntur in locis *Lory*, *Longueville*, *Sy*, & *Lessy*; nec ignobile crescit lapidosis in locis circa *Ars* vicum. Pisces crebra flumina lacusque suppeditant: equi Metensium minus procero sunt corpore, sed tamen robusto. Ferri metallum quoque diversis in locis effoditur.

Mores. Incolæ inconditis sunt moribus, quod Germanorum tribuendum viciniæ est; parum ad literarum studia affecti, bellicosi tamen, industrii, libertatis ac religionis amantes. Agricolæ sobriè frugaliterque viventes supellectile domos instruunt, uxoribus eorum liberisque decenter vestitis. Oppidani Gallicum vivendi morem sequuntur, ac filios suos Parisiorum Lutetiam mittunt, ut ibi cum linguâ mores politiores imbibant, exercitiis corpus reddant dispositum, ac

Lingua. jurisprudentiæ praxin addiscant. In quibusdam hujus agri locis Germanici idiomatis est usus, ut in vicis *Enry*, *Eury*, *Hougondanges* & *Hoquencourt*. In Diœcesi quoque loca nonnulla sunt, cujus incolæ festo S. Stephani die tenentur ad principem aram Basilicæ apud Mediomatricos huic Divo dicatæ anseres offerre, ac in supplicatione tum solitâ per urbem haberi, cantare Germanicè. Ceterùm vernacula est Lotharingica, hoc est, Gallica corrupta.

Opes. Ob situm ad commercia cum Germanis exercenda opportunum, opulenta est Mediomatricorum urbs. Vina hinc in Germaniam mittuntur ac Belgium: Metensium bombardæ cum sclopis expetuntur ubique. Germanorum equi antequam Lutetiam perveniant, hanc urbem transeant necesse est; quibus vendendis certi per septimanam præfixi sunt dies, ut & frumento vendendo. Porrò reditibus multis privilegiisque municipalibus instructa urbs, à mercibus quoque vectigal postulandi jus habet.

Vires. Agrum omnem vigil miles, transitûsque Munimenta custodiunt; sunt quippe diversis in locis ordinati quidam titulo Capitanei, quorum ductum certus ex incolis numerus delectus sequi tenetur, pagis seu communitatibus nitratum pulverem, glandes plumbeas, pecuniam, ac quædam alia ad militarem necessaria expeditionem subministrantibus. Capitanei, quibus suus est Metensi in urbe Præfectus, eo singuli cohortes deducunt suas, quo ille jubet, procinctum bellici tormenti explosione monente. Possunt ex pagis istis bina armatorum millia duarum cogi spatio horarum.

Moulin, Munimentum. *Moulin*, leucâ unicâ Metensi distans ab urbe, ponte Mosellæ flumini imposito, atque arce munitus locus, transitum ad urbem præcipuè observat, nullo tamen munitur præsidio: at Munimentum, eidem fini dicatum, trecenti ac sexaginta milites unicâ cohorte contenti defendunt; Metensium urbem Regiis cohortibus denis, singulis è sexagenario militum numero compositis, custodientibus. Ceterùm urbs cum Munimento suo ingenti tormentorum bellicorum numero superbit.

Circumpositis urbem oppidulis vicisque sui sunt Majores, vulgò *Maires*, ac Iudices. Henricus II Galliarum rex Præsidem ordinaverat in urbe, inter præsidiarios civesque Iudicem.

Parlamenti Curia, quam, sublato Præsidis officio, Ludovicus XIII, cognomento Iustus, vulgatâ Ianuario mense anni 1633 Edictali lege constituit, designatis Britanno primo Præside, libellorum supplicum Magistris quatuor, Præsidum item functiones obituris, senisque & hoc, & Consiliariorum functuris munere, atque aliis Consiliariis, & Advocatis generalibus duobus. Edictum hoc illicò Remefortius, condictus *de la Greliere*, Regis Consiliarius, ejusdemque in majore Consilio Advocatus generalis, ac recens instituto Parlamento creatus primus Advocatus generalis, promulgari actisque publicis ad rei memoriam inseri postulavit. Igitur publicato, relatoque ad acta Edicto Regio, Parlamentum solemnem sessionem primam accepit, præsentibus Madauri Episcopo, Metensis Episcopi suffraganeo ac Vicario generali, (qui in eo debitum Ducibus ac Paribus, seu Episcopis Sessionis jus in Parlamentis habentibus, locum occupavit) supremo urbis Scabino reliquisque Senatoribus liliatis in subselliis locatis, Cathedralis Ecclesiæ Decano, ac Canonicis, S. Arnulphi Abbate, aliisque Abbatibus & Præbendatis, Equestri Ordine universo, ac vicinis ex locis assistente hominum multitudine ingenti. Solemnis hujus installationis seu Sessionis relationem cum ornatissimâ oratione suâ prædictus Grelierius pridem typis vulgavit. Porrò Metensis Parlamenti Curiæ subditorum stabilitæ à Regibus commodo, functio semestris est, reliquum anni tempus involvente justitic Admittuntur ad eam Reformatæ religionis Senatores seu Consiliarii sex, parem habentibus auctoritatem cum ceteris, sed nullam Edicti, aut alterius nominis separatam Cameram componentibus.

Metensi urbi, agro atque Episcopatui commune regimen est sub unâ Præfecturâ; Tullensis Comitatus cum urbe cognomine peculiarem regiminis formam sortitur, quemadmodum etiam Virodunensis suo cum munimento civitas, quam primâ atque alterâ Regum stirpe Franciæ submotam, ac Imperatoriæ ditioni adjectam, primò sub

sub Comitibus, post sub Episcopis Dominis, sub Lotharingiæ Ducibus deinde, itemque sub Magistratu sive Consilio Senatus varium regimen exercuit, donec ad Gallorum ditionem reversa, primævam gubernandi rationem recepit. Metensi in agro Episcopatus sunt tres, Metensis scilicet, Tullensis ac Verdunensis, tanquam suffraganei ad Treverensem Archiepiscopum spectantes. Inter Metenses haud parvus incolentium est numerus religioni Reformatæ addictus, cui liberum est sacrorum in urbe exercitium: qui verò ejusdem sectatores religionis vicatim degunt, Divinum Numen precibus veneraturi, in arce Horniâ conveniunt. Iudæorum immoderatas usuras Parlamenti Senatus compescuit.

Religio.

Præter descriptam à nobis Metensium urbem, sunt item Metensi in agro Virodunum ac Tullum, utraque urbs Episcopali sede notissima.

VERDVNENSIS EPISCOPATVS.

Mosæ amnis descriptio.

ANtequàm Verodunum urbem lustratum eamus, in Vogesi montibus, ad Lingonum confines, Vaudemontio in agro erumpentes Mosæ fontes indagandi sunt nobis, communi amnibus majoribus plerisquè hac gloriâ, iis ut in locis nascantur, qui terræ editiorem situm obtinent, ac proximè accedunt ad cœlum. Is propè *Montigny le Roy* oppidulum prorumpens, in Septentrionem usque ad fanum S. Thibaldi curvatur, quo loco portandis jam potens navigiis, ea ad Castrum Novum, vulgo *Neuf-chasteau* deducit, ut gloriosior gratiorque Lotharingiæ colonis appareat, qui quantum terra solaribus radiis, tantum huic amni debent beneficium. Vt primùm in hanc illustrem Provinciam suum parat Mosa ingressum, certatim amnes rivulique variis profluentes ex locis ad tributi pensionem festinant, collatisque viribus spectabilem aquarum copiâ alveum efficiunt. Flumen *la Mothe*, qui rupis istius lambit radices, cui impositum est Munimentum cognomine, prope Castrum novæ Mosæ confunditur, in quem deinde alius quidam rivus è Vogesi silvis profectus, ac *Dombray*, *Beaumont*, *Viocour*, & *Atligny* loca salutans, apud *Maxey* locum infra *Brecy* sese exonerat. Istis aquarum auctibus speciosior Mosa, ad *Vaucouleur*, vicum Ioannæ Darciæ clarum natalibus descendit, attingitque paulo post S. Michaëlis oppidum, atque inde Verodunum devolvitur, liberam S. Imperii urbem, antequam Henricus II Francorum rex eam suæ redderet ditioni.

Verodunum, urbs Episcopalis.

Verodunum, urbs Episcopalis, ac *Virodunum*, *Virdunum*, & *Vereduna* aliis nuncupata, vasto ambitu excurrit, triurbis seu tergeminæ urbis speciem ab interfluente Mosâ sortita. Partium prima cis flumen clivo incumbit, altera amnem transgressa occupat planitiem, tertiam autem insula complectitur, excitata medio Mosæ in alveo. Henricum Aspremontium seu ab Aspero monte Verodunensium Episcopum, Lotharingiæ Burgundiæque Ducum armis vexatum, ditionem suam Philippo Valesio Regi tradidisse existimant, eâ conditione, ut pro defensionis seu tutelæ beneficio octingentos quotannis coronatos Regi Galliarum Verodunenses penderent; quod in hunc usque diem sedulo faciunt, exstructo Ludovici XIII jussu Munimento, nunc contra hostium incursiones magis quam unquam aliàs defensi.

Continuata ista Regum Galliæ protegendi Verodunenses voluntas, Verodunensem Ecclesiam multis in rebus ad Gallicanæ morem pertraxit Ecclesiæ, sectatricem quoque illius; quod observatum fuit ex Sanctione Pragmaticâ, ut patet ex S. Mariæ seu Cathedralis Ecclesiæ, & S. Magdalenæ Canonicorum capitularibus decretis.

Omni ævo Lotharingiæ Duces aut armorum terrore, aut oblatâ permutatione Verodunensibus Episcopis, aut aliis modis rationibusque Verodunensium infringere vires tentârunt; at Galliarum Reges Verodunensium Protectores adsidui, urbem dignitati servarunt, adeo ut hodieque Verodunensis Episcopus & Veroduni Comes, & Princeps Imperii vocetur.

TVLLENSIS EPISCOPATVS.

Tullum, urbs Episcopalis.

TVllum, *Tullo*, *Tulla*, & *Leucorum civitas Tullum* appellata, urbs est antiquitate celebris, Mediomatricos inter ac Lingones Moselæ adsidens, Ballivatus titulo decora.


Episcopi.

Profanæ antiquitatis gloriam ejus sacra amplificat antiquitas, consistens in eo, quod Tullenses Christianæ fidei documenta à S. Mansueto, S. Petri Apostoli discipulo, primo hujus loci Episcopo, acceperint, cui in hanc dignitatem successere deinceps viri integritate clarissimi, S. Amon, Alchas, ac longâ serie alii. Diœcesis latè patet, pluribus Abbatiis insignis, quarum vulgaria nomina ista sunt: *S. Epure de Tour*, *S. Mansicy de Toul*, *S. Leon de Toul*, *Moyenmoutier*, *S. Pierre de Sennone*, *Remiremont*, *Chaumozey*, *Luneville*, *Cairlieu*, *Vaux en Ornois*, *Mirevaux*, *Flabemont*, & *Stivage*. Possessiones agrorum omnes ad Metensem, Tullensem, ac Virodunensem Episcopatus spectantes, ab Episcopis Lotharingica è domo permutatæ, inito inter Ludovicum XIII, ac Ducem Lotharingiæ contractu, ad pristinam naturam rediere.

Diœcesis.

Ternæ autem urbes istæ, Metensis scilicet, Tullensis, & Verodunensis, nunc Galliarum Regi parent, à cujus Præfecto præsidioque tutelam singulæ accipiunt. Præest igitur Metensibus hodie Schombergius, Franciæ Mareschallus; Tullensibus Comes Pasius; Verodunensibus autem Marchio Feuquierius.

LOTHARINGIA.



AD veterem Lotharingiæ ſtatum cognoſcendum, præteritorum memoria temporum nobis breviter ex probatiſſimis quibuſque Hiſtoricis repetenda videtur. Carolus Magnus igitur, qui Francorum regno aliquot ſæculis jam ante in *Auſtraſiam*, hoc eſt, Terram Orientalem, (cujus metropolis erat Divodurum Mediomatricorum) continentem urbes, provinciaſque Metenſem, Trevirenſem, Moguntinenſem, Colonienſem, Iuliacenſem, Geldrenſem, Limburgenſem, Hannoniam, Brabantiam, Hollandiam, Zelandiam, Vltrajectenſem Provinciam, agros *Hasbain*, *Tungres*, *Ardenne*, Leodicenſem, Luxemburgenſem, Namurcenſem, Tullenſem, Virodunenſem, Palatinatum Rheni, Alſatiam, Burgundiamque; & *Neuſtraſiam*, hoc eſt, Terram Occidentalem, comprehendentem quidquid terrarum inter Moſam ac Ligerim flumina ad Oceanum Britannicum uſque pertingit, diviſo, Germaniam atque Italiam adjunxit, tantarum ditionum hæredem Ludovicum cognomento Pium, filium relinquens. Poſt Ludovici exceſſum inter ejus filios de regni jure, ac finibus acris orta diſſenſio, his conditionibus finem accepit: Lothario natu majori præter Romanum Imperium, hoc eſt, Romam, & Italiam, Provincia cum Pedemontio, Sabaudia, Delphinatus, Helvetia, & Burgundia, cum omni Auſtraſiæ regno ceſſere: Ludovico obtigit Germania omnis uſque ad Rhenum; ultraque hunc civitates tres vini gratiâ, Moguntia, Spira, Wormatia: Carolus cognomento Calvus Occidentalem ſortitus eſt Franciam ab Moſa flumine ad Britannicum Oceanum.

Nominis origo.

Lotharius Cæſar in Abbatia Prunienſi juxta Treviros, cui ſe monachum addixerat, anno 855 mortuus, Ludovicum, Carolum, ac Lotharium filios reliquit. Diviſo inter fratres regno paterno, Lothario ſecundogenito Auſtraſiæ regnum obvenit, cui ab hoc Lothario, aut à Lothario patre ejus, Lotharingiæ nomen adhæſit. Id deinde multis partibus imminutum, atque in varia diſcerptum dominia ac nomina, ea parte Lotharingiæ nomen ſervavit, quæ à Francorum regno ſemper dependit. Mortuo autem Lothario Lotharingiæ rege, Carolus Calvus patruus ad occupandam hæreditatis jure Lotharingiam magnis cum copiis acceſſit. Verum Caroli conſilium invadendæ Lotharingiæ Ludovico fratre Germaniæ rege armis impedire tentante, Carolus fuit ad dividendum æqua portione Lotharingiæ regnum compulſus. Itaque Ludovico illa pars obtigit, quæ ſuo Germaniæ regno erat contermina, hoc eſt, omne id terrarum ſpatium, quod hodie Belgium appellamus, exceptis Flandriæ, Arteſiæ atque Hannoniæ Comitatibus, qui Gallici juris erant. Fuit tunc Lotharingiæ Ludovicanæ regia ſive metropolis Aquiſgranum; Carolinæ vero D vodurum Mediomatricorum. Sed cum poſtea Franci regnum ſuum Carolo Craſſo Imperatori deferrent, utraque Lotharingia ad Francorum regnum rediit. Eam deinde Carolus vere ſimplex, Henrico Aucupi Imperatori tradidit; cujus filius Otho, itidem Imperator Lotharingis Præfectum titulo Ducis impoſuit, Othonem nomine; eoque mortuo Lotharingiæ Ducatum ab eodem Othone I Imperatore Conradus Wenicheri Ducis Franconiæ Wormatiæque filius accepit: quem tamen ille paulo poſt in Brunonem Archiepiſcopum Colonienſem, Othonis Imp. fratrem transferre coactus eſt. Hic ſummæ poteſtatis argumento Archiducis Lotharingiæ titulum aſſumens, magnam Lotharingiæ partem in incolentes ad Rhenum, Moſam atque Moſellam Prælatos contulit, cum ut eos ad Imperii partes traduceret, tum etiam, ut beneficiis in Eccleſiam Francis impoſterum has ditiones recuperandi ſpem adimeret. Idem Bruno Moſellanicum in Lotharingia Ducatum, Lotharingiæ ſuperioris nomine ſignatum inſtituit, eum Friderico cuidam concedens, cui Theodoricus filius deinde ſucceſſit. In quem vero Otho I Imp. à morte Brunonis fratris Lotharingiam inferiorem tranſtulerit, non ſatis apertè ſcriptores enuntiant. Illud conſtat, Othonem II Imperatorem, Othonis I filium Inferiorem dediſſe Lotharingiam Carolo quartogenito Ludovici Transmarini Francorum regis filio, ut Lotharium Francorum regem à reliqua Lotharingia recuperanda per Carolum averteret. Superiorem pluribus deinde ſæculis ex Domo Alſatica Principes tenuere; inferiorem, poſt Carolum Francicum, primum Loranica è domo Principibus, tum Comitibus Flandriæ, mox Burgundiæ Ducibus è Francica domo, denique Archiducibus Auſtriæ tenentibus; qui idcirco præter Brabantiæ titulum, Ducalem Lotharingiæ ſibi adſciſcunt.

Lotharingia fit è regno Ducatus.

Lotharingiæ diviſio in ſuperiorem, & inferiorem.

Eſt autem ſuperior Lotharingia, quæ Moſellæ prætexta, (quam etiam ob cauſam Ducatus Moſellanicus appellari ſolet) caput habet Nancejum. Inferior Lotharingia, cujus caput erant Bruxellæ, ad mare uſque pertingens, Brabantiam, Geldriam, aliaſque regiones vicinas complectebatur.

Diſtinctio ſuperioris ab inferiore.

Sola autem Lotharingia ſuperior antiquum titulum Ducalem in hanc uſque diem retinuit, quem Nicola Henrici Bullionea ex ſtirpe Lotharingiæ Ducis ex Margaretha Gonzaga filia, paterni Ducatus heres, quod male à Carolo marito haberetur, annis ſuperioribus in Galliarum regem tranſtulit: quanquam de reſtituendo Carolo, qui bello Belgico, ac Madritana captivitate notiſſimus eſt, adhuc ſedulo agatur. Sed jam ulterius eſt nobis Moſæ curſus indagandus, qui

Hodie ſuperior tantum Ducatus nomine cenſetur.

qui illustrem hanc regionem subit, plurium in Oriente Principum Regumque Palæstinæ altricem, quam jure plenam Majestate terram appello, quod belli nervos, pacisque ornamenta, metalla, cum unionibus, cassidoniis, aliisque lapillis preciosis, è quibus construi coronæ solent, producat.

Nobilis amnis hic ad Castrum Novum, vulgo *Neufchasteau*, flumen *la Mothe* recipit, quod cognomine habet munimentum in rupe, quam subterfluit, inexpugnabile ob loci situm munitionemque annis superioribus putatum, antequam id quinquemestri obsidione Forzius anno 1634 Galliarum regi subjiceret. Ceterum id ad Ducatum Barrensem spectat.

Alio præterea fluvio intra alveum suum recepto Mosa augetur, qui è Vogesi silvis ortus, ad *Dombray*, *Beaumont*, *Vicourt*, & *Atligny* delabitur oppidula, juxta *Maxey*, infra *Brecy* positum locum Mosæ confusus. His aquis adauctus Mosa, ad *Vaucouleur* devolvitur, locum Ioannæ Darciæ, Aurelianensis Puellæ vulgo dictæ, natalibus clarum, cujus plenis voluminibus tradita à Gallicanis scriptoribus historia est.

Vaucouleur, Ioannæ Darciæ patria.

Porro Mosa salutato *Vaucouleur* oppido, ad S. Michaëlis oppidum, vulgo *S. Michel*, contendit, Ballivatus ac Parlamenti sede nobile. Subjecta sunt huic Ballivatui loca *Astenay*, *le Pont à Mousson*, *Iamets*, *Chastel sur Mosélle*, *la Mothe*, *Hathon-Chastel*, *Estain*, *Varennes*, *Louguion*, *Longwy*, *Brie la Chaussée*, *Clermont*, *Thiocourt*, *Aspremont*, pagique octodecim.

S. Michel Ballivi sedes.

Ad *Astenay* quod attinet, postquam Mosa Virodunum, Dungum, arce munitum oppidum, ac Villam Francam præteriit, idem amnis mœnia ejus lambit, ad loci munimentum aquis suis amplificat, tueturque contra hostium irruptiones, Burgundionum præsertim, quos reliquis viciniores habet. Ante annos non multos Princeps Condæus, loco hoc cum Munimento in potestatem suam redacto, Præfectum imposuit. Inde Fluminis alveus ad *Mozonium*, vulgo *Mouzon* derivatur, oppidum non tam naturâ loci (collis enim editior ab una ei parte imminet) quam exstructis manu operibus defensum. Galliarum rex hîc cum præsidiario milite habet Præfectum, Præfecti munere hodie Comite Grandpræo fungente, Gadacio vero *Pontamussum* gubernante. Locus hic in hanc diem usque peculiaris Præfecturæ, licet non magnæ, titulo gaudet, ab impositionibus, tributisque exemptus; unde antiqua dignitas ejus æstimari facilè potest. Idem Marchionatus S. R. Imperio subjecti nomine inclytus, non incelebrem Academiam, Monasteria elegantis structuræ complura, arcemque interfluente Mosellâ à se divisam complectitur.

Astenay munimentum.

Mouzon, oppidum Academiæ, & Marchionatus titulo clarum.

Binis Mozonio leucis *Chiers* amnis Mosæ aquas suas communicat, quas tribus è fontibus haurit, totidem rivulorum genitoribus, qui ad Chavancii locum eodem alveo confusi, *la Ferté*, & *Ivois* oppida præterfluunt, antequam Mosæ jungantur, præclarum de utrisque, incolis & Gallis perhibentes testimonium, illis pro aris & focis pugnantibus acerrimè, his ad regni sui amplificationem summo studio curaque nitentibus: rivulorum quippe unus *Iamets* munitum arce oppidum, atque *Anvilliers* oppidum radit, quod sæculo unico ternis Gallorum lilia victoriis notata conspexit, ac victricia suis turribus vexilla imposuit. Anno 1542 Carolus Aurelianensium Dux occupato ex pacto hoc oppido, id ferro & flammis excîdit, ne deinceps hostibus præberet refugium. Verùm cum non haud diu postea Carolus V Imperator, ad demonstrandum, posse etiam ex inflictâ subditis suis clade, aliquod ad se pervenire commodum, firmo id opere denuo muniisset, atque elegantibus instruxisset ædificiis, Henricus II, Galliarum rex, decennio post ad restauratum *Anvilliers* oppidum oppugnandum accessit, qui illud potestati suæ redditum novo mulctasset excidio, nisi præsidiarius miles, qui ducentorum equitatu, peditatu vero mille & octingentorum hominum valebat, post paucorum dierum oppugnationem, certis se conditionibus dedidisset. Recepit id institutâ inter utrumque regem pacificatione Philippus II, Hispaniarum rex, sed Chastillonius, validis licet mœnibus ac propugnaculis defensum, bello superiore in potestatem Ludovicii XIII redegit.

Chiers fluv.

La Ferté oppidum. Ivois oppidum dirutum.

Iametz oppidum.

Gallia.

Anvilliers oppid.

Obsidio ejus, excidium,

instauratio.

Reliqui rivuli ad *Mareville*, *Virton*, & *Montmedii* oppidula decurrunt, inter quæ munitione maximè valet postremum, præcelso monti impositum, Gallorum repetitis direptionibus notissimum, præcipuè vero postremâ, quæ anno 1654 Ludovico XIV oppugnante evenit.

Montmedy oppidulum.

Marveille seu *Marveil* oppidum commune appellatur, quod media parte Hispanici, alterâ Lotharingici juris sit. *Vierton*, quasi *Veneris donum* Latine diceres, ipso nomine testatur, veteres Luxemburgensis agri colonos fuisse idolorum cultores, qui oppidis, aliisque Provinciæ suæ locis nobilioribus deorum ac Planetarum nomina tribuêre; valde enim probabile *Luxemburgum* illos Soli, luminum patri dicasse, *Sathenay* oppidum Saturno, Lunæ *Arlun*, Marti vicum *Mars en Famene*, Mercurio *Mercur* vicum, arci *Soye*, & *Bastoigne* interjacentem; Iovi autem *Ivois*, quod transpositâ literâ V facile apparet, Veneri *Vierton*, & Diis omnibus *Thionville* seu *Theonville*, ex Græco nomine *Theon*, & Latino *Villa*, compositum vocabulum, quasi omnium deorum sedes, ad eum modum, quo Romani suâ in urbe Pantheon omnibus Diis sacratum templum excitavere, quod nunc Sancta Maria Rotunda ab ædificii formâ appellatur.

Marveille oppid.

Vierton oppidum.

Proinde collectis *Chiers* aquis, ad *Ferté* oppidum dilabitur, quod ævo nostro concitata bella mœnibus munitionibusque cum *Ivois* oppido exuêre. Posterius oppidum amni huic appositum, sesqui leucâ distat à *Ferté* oppido, quatuor à *Montemedio*, haud ignobili oppido, antequam Henricus II, id anno 1552 vi expugnatum mœnibus privaret. Illud ad præsidii tutelam novis instauratum munitionibus, exiguo incolentibus est commodo.

Ferté.

Ivois.

Montmedy.

Rivulos seu flumina *Munaux*, *Hapsconca*, *Marimont*, *Baxel*, *de la Petite Forest*, *de la Bonne-Fontaine*, *de l'Hermite*, *du Brule-Hamez*, *de Teste de Chevaux*, quæ *Giers* amni, seu ipsi Mosæ infra *Remilly* locum miscentur, hîc nec numero, nec jacto; quia Sedanum Mosa festinat, quæ urbs vallo, propugnaculis, ac arce munitissimâ instructa, Gallicum militem duntaxat excubitorem ac propugnato-

Rivuli alii.


LOTHARINGIA DVCATVS; Vulgo LORRAINE.
Occidens
Oriens
Meridies
Septentrio
BURGUN
DIÆ
PARS
LUTZENBURGI PARS
BARROIS
TERRA DE LA VAIVRE
Le Boys Dolseyne
Le boys Crehange
Metz
Kescassel
Salsbrucken
Buckenheim
Dimeringen
Medelsheim
Zweibrucken
Bicweiler
Weirsweiler
Bliess
Bliess flu.
Limpach
Kirchellen
Die alte stat
Einert
Milliaria Germanica
Milliaria Gallica
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeuw.

Academia Pontamussana.

gnatorem suum habeat. Sed currat tantisper Mosa cursum suum, nobis ad Mosellæ deflectentibus fluenta, in quem amnes plurimi influunt versus *Pontamussum* urbem, Lotharingiæ Parnassum, ob excitatum in eâ disciplinarum seminarium, à PP. Societatis Iesu directum. Quod licet antiquitatem minimè præseferat, docendi tamen ratione, ac doctorum gloriâ virorum, cum quavis Germaniæ aut Galliæ Academia potest conferri. Amnium igitur versus prædictam urbem se miscentium Mosellæ nomina ista sunt: *Modon, Colon, Brenon, la Meurthe, la Mothane, le Ravon, la Plaine, la Voiziere*, ac nonnulla alia. Mosella tot amnibus comitatus *Nancejum* progreditur, vulgo *Nancy*, Ducatus Lotharingiæ Metropolim. Vrbs hæc exiguo ambitu inclusa, sed validis munita propugnaculis, gemina hodiè est, Antiqua, & Nova, utraque situ amœna, arce seu Palatio, Ducum habitatione, magnifica, religiosæ templis, tot illustrium Heroum ornata sepulchris, munitionibus, atque armamentario instructa copioso, se Galliæ regum potestati subjecit. Superioribus bellis, quæ Galliam intestino exercuêre dissidio, ad prohibendum transitu Germanos, cincta fuêre mœnibus suburbia ejus; ampliatoque anno 1587 urbis pomœrio, nova deinde muniendi ratio accedens, eandem inter munitissima Europæ loca constituit, dignum Christianissimorum regum gloriâ Trophæum.

Flumina varia. — *Nancy, Lotharingiæ metropolis.*

Prælium propè Nancejum.

Haud procul ab urbe palustri in loco Sacellum cum Cruce lapideâ prægrandi cernitur, cui inserta ærea lamina, inscriptionem continens Caroli Audacis, ultimi Burgundionum Ducis, hoc loco occisi testem.

Niclasbourg.

Binis Nancejo leucis in ripâ Murtæ amnis visitur *Burgum S. Nicolai*, ubi templum laxitate atque altitudine censendum, columnis celsis, sed gracilibus, ac duabus eleganti structura turribus conspicuum est. Nullis quidem mœnibus est circumdatus hic locus, sed amplus tamen, nitidusque ædificiis, ac incolis frequens, ob nundinas commercio celebres, & ob S. Nicolai reliquias publicè ostendi solitas, piorum visitatione famigeratus.

Luneville Ducatus. — *S. Diey. Preny. Amonce. Ravon. Vici.*

Reliqua à Ballivatu Nancejano dependentia loca sunt *Luneville*, in ripâ Ravonis, quo loco insigne habent Lotharingiæ Duces Palatium; *Sainct Diey* ad amnem eundem; *Preny*; *Amance* Nancejo vicinum, vetus Ducum sedes; *Ravon*, cum vicis octodecim.

Pfaltzbourg Principatus.

Pfalz-burgum munitum est oppidum, positum in Germaniæ confinio, arce, tituloque Principatus insigne.

Sarboug Ducatus. — *Vaudemont Comitatus.*

Sarburgum, Saravo seu Sarræ flumini adsidens oppidum, feudum est, cum *Sarwerden* à Metensi Episcopo Lotharingiæ Duci collatum: *Vaudemont*, antiqui Comitatus, Ballivatus, supremique Dominii titulis decorum, subjecta oppida habet *Vezelise*, ingens ad Brenonem amnem, qui Modoni miscetur, oppidum, Ducis Lotharingiæ primogenito solitum assignari. Sancta Maria in Fodinis Præfectura est à Nancejano separata Ballivatu: hîc frequens Germanicæ linguæ est usus, quemadmodum etiam in *Ballivatu Alemanico*, qui latè patens, à veteri divisione Lotharingiæ Austrasia appellatur. *Borkenhein*, Sarwerdensis caput Comitatus, est arx duntaxat. *Plombieres*, oppidum est nullis mœnibus cinctum, balneis suis clarum, circumpositis montibus naturalem ei præbentibus tutelam. *Blamont*, elegans cum binis arcibus oppidum, insigni versus Alsatiam Comitatu inclytum. *Valdrevange* ad Sarram flumen, Alemanici Ballivatus est caput, quo spectant oppida *Serkin, Dieuze, Homburg, Sainct Avod, Putlange, Beringen, Faulquemont, Schomburg*, vicique octodecim. *Mirecour*, caput est Ballivatus; *Vosges*, cui subjecta sunt loca *Neuf-chasteau, Dompaire, Charmes, Bruyeres, Plombieres, Archer*, ac vici octo.

S. Marie aux Mines. — *Borkenhein.* — *Plombieres oppid.* — *Blamont Comitatus.* — *Valdrevange.* — *Mirecour.*

Bar-le-Duc Ducatus.

Barrensis Ducatus longitudine suâ leucas occupat triginta, latitudine ejus spatio dimidio contentâ. Is Lotharingiam quasi crucis formâ amplectens, feudum est Galliarum regibus proprium, quod Antonius & Franciscus Lotharingiæ Duces, publicis sub Francisco Primo rege documentis sunt fassi, Barrensibus idcirco Naturalitatis, ut vocant, literis nunquam egentibus. Oppida ejus sunt *Bar-le-Duc, Ligny, Sainct Michel, la Mothe, Arq, Fou, Longwy, Arancy, Estain, la Marche, Bournion, Clermont, Havon-chastel, Varennes, Vanne*, & quædam alia oppidula. Ceterum *Barleducum* Ballivatus titulo claret, à quo *Gaudrecour, la Marche*, ac vici circiter centeni dependent, unico *la Mouvance* vocabulo contenti: Ipsum Senonensi Præsidiatui Parlamentoque Parisiensi provocationis viâ subjectum. Marchionatus Pontamussanus feudum Imperii, oppidum cognomine tantum vicosque tricenos complectitur; *Espinal*, Ballivatus est modico conclusus spatio, Ducali Consilio suppositus; Castellanus autem Ballivatus Iuridico S. Michaëlis conventui subjacet. *Remiremont*, lautum est non procul à fontibus Mosellæ oppidulum: Abbatia hîc præter oppidum peculiarem sibi tractum vendicat, olim membrum Imperii; at nunc Duces Lotharingiæ Protectores duntaxat agnoscens, ac generalibus exactionibus contribuens. Inclusæ hoc cœnobio virgines, quæ nobili sanguine se natas esse per generationes octo, probare tenentur.

Ligny Comitatus. — *Pont-à Mouzon Marchionatus.* — *Espinal.* — *Remiremont oppid.*

Salms Comitatus.

Salmensis Comitatus se Lotharingiæ Alsatiæque insinuans, terminatusque Argentoratensi Episcopatu, longitudine leucarum sex, latitudine quatuor, vicos continet sexcentos, pluresque montibus impositas arces; ab eo *Bandoviller* oppidum dependet. Is mediâ parte ad Rhingravios, alterâ ad Lotharingiæ Duces spectat, quorum ditioni hæc Comitatus pars materno à latere accessit. Primos Salmensium Comites Hungaria dedit, quorum nepotes pluribus sæculis hunc Tractum ab Imperatoribus feudi loco habuêre ob exantlatos pro S. R. Imperio labores: Rhingravius, Princeps Salmensis, Lotharingiæ Ducis vasallus est, propter arcem insignem *Neuviller* cum agris adjacentibus.

Bandoviller oppid.

Nassau Comitatus.

Nassoviensis Comitatus Lotharingiæ trans Saravum adsidet, Comitumque sedes est *Sar-bruch*, quod vocabulum pontem Saravo impositum significat. Lotharingiæ Duces feudum suum volunt esse Comitatum hunc, rem obtento in Camera Spirensi decreto probantes. Ceterum idem Comitatus à Metensi dependet Episcopo. Habet plura alia hæc regio loca non contemnenda, qualia sunt *Balfen*, oppidum paludoso in loco positum,

Balfen.

Baufremont. Rambervillers. Darvé, & loca alia.

situm, munitumque; *Baufremont*, arx, nomenque veteris familiæ; *Rambervillers*, *Darvé*, superioribus annis præsidiario milite, Præfectoque defensum; *Marsal*, egregie situ paludoso munitum oppidum, salinis nobile; *Dense*, oppidum cum arce, ac salinis, quemadmodum quoque *Saloné*; *Vic*, oppidulum circumstructo muro, turribusque passibus ab invicem vicenis remotis defensum, ac salinis notum, sedes est suffraganei Metensis; *Moyenvic*, salinis est clarum; *Biche*, munita arx est; *Rosieres*, oppidulum cum salinis. Porro Baillivatus Lotharingiæ præcipui sunt *Nancy*, *Vosges*, *Montreux*, & *Pfaltzbourg*.

Soli qualitas.

Lotharingiæ, ac Barrensis agri fertilitate, ac rerum omnium copiâ, si oleæ liquorem excipias, terrarum nulli cedunt. Triticum, frugesque aliæ, vina præstantia, carnes sapidissimæ, pisces delicati, de quibus supra meminimus, legumina multiplicia, pascua alendis gregibus benigna, ac animalium genera penè omnia, nec equis quidem præstantibus exceptis, hic tam abundant, ut non solum incolis sufficiant, sed tot rerum quoque exteri participes esse queant. Sterilitatem vero montanam satis superque compensat butyri lactisque, abietum, terebinthinæ, phasianorum, aprorum, cervorum, reliquorumque volatilium copia; ferina quippe hic publicè in macellis divenditur. Equos mittit mons Vogesus, & Baillivatus Alemanicus, quos pernicitatis, proceritatis ac pugnacitatis causa æstimant non parum. Boum copia multis partibus minor est, utiturque gens rustica equis ad suorum culturam agrorum. Calx, arena, lapidesque ad ædificandum ob duritiem coloremque aptissimi passim habentur; marmor candidum nigrumque prope Nancejum effoditur; porphyriten, jaspidemque in montibus, Sircensem Trevirensemque agros spectantibus copiose invenias.

Chalcedonios magnitudine ac pulchritudine insignes, lazulo agathique comparandos, unionesque Volonia amnis juxta *Bruyeres* locum aurique grana suppeditat. Fodinæ metallorum præcipuæ visuntur ad S. Mariam, cognomento in Fodinis, inque locis *le Val de Lievre*, *la Croix*, *le Chirpaul*, *Lusse*, *le Bussant*, & *le Tillot* vulgariter appellatis, ac circum Præfecturam *S. Diey*, quæ metallis argenti, cupri, plumbi, ferri, & chalybis, succisque mineralibus, antimonio, arsenico, & aliis scatent. *Vaudrevanges* veri præstantisque Lazuli fodinas habet, Schalvemburgum achates cum granatis largitur; similibusque lapillis preciosis Vallis *Vagny* fontes abundant, quos Indicis seu ex Oriente allatis conferre Germani non dubitant. Speculis vitrisque conflandis materiam haud alius in Europa locus aptiorem suggeret. Salinas habet Lotharingia sex, in locis videlicet *Moyenvic*, *Dieuse*, *Marsal*, *Chasteau-salin*, *Salonne*, & *Rosieres*, quæ salem dant minutum, candore saporeque laudatum. Aquæ salsorum fontium istorum maxime valent ad frigidam humidamque corrigendam intemperiem. E lacu *Linder*, qui ambitu suo leucas quatuordecim continens, terno per annum piscatu solemniore visitatur, carpiones cognominatos à speculo, capiunt, ea saporis dulcedine præditos, ut nihil delicatius in hoc genere piscium alibi reperias. Thermas Plombierenses binis à Remiremontio leucis dissitas, frequentes cum Gallis Germani visitant, quod aqua earum attracto sulphure atque alumine, magisque à plumbo (unde eis cognomen) sapore salutares existant. Vagari per Lotharingiam ajunt Spiritum malignum, *Ternequin* vulgo appellatum, qui viantibus noctu incolis specie lucernæ sit obvius, incautosque in præcipitia ac foveas deducat.

Mores incolarum.

Sunt Lotharingi mixtis inter Gallos Germanosque moribus; à Gallorum tamen facili ac prompto ad omnia ingenio remoti. Belli opificiorumque gloria plerumque excellunt, ab utrisque, Gallis ac Germanis exerciti. Nobiles profectione in Galliam atque Italiam adornata politiorem sibi normam vivendi adsciscunt, domi Gallico more vestiti, & Gallico potius quam Germanico utentes idiomate. Incolæ ceteri libero sunt, sed duriore ingenio, nec facile corruptelis obnoxio. Baillivatus Alemanici, sub quo Lotharingiæ Alemanicæ continentur loca, habitatores Germanicè loquuntur, reliquis Gallice, sed corrupte loquentibus. In cibo accuratam strictamque rationem sequuntur in potu, Germanici, (ut videtur) moris amantes. Barrenses humanitate liberalitateque proxime ad Gallos accedunt: sunt autem, si de Lotharingis sit universe loquendum, Divini Numinis cultores adsidui, corde ac lingua aperti, audaces, robusti, Germanicorum sectatores bellorum, proclives ad ludum, mites denique in suos.

Opes.

Opes Lotharingiæ prodit copia fructuum, salis, pecoris, metallorum, aliarumque sine numero rerum. Alsatiæ, Trevirensi, ac Coloniensi agris de sale ejus providetur, inde annuo ad Ducem fructu redeunte integri circiter millionis. Ex supra memoratis metallorum fodinis & Dux ipse, & privati magna percipiunt emolumenta. Lazulus, uniones, Chalcedonius lapis, quem cavant ad vasa unguentaria, aut aliis rebus incorrupte servandis, vitrorum speculorumque conficiendorum materia, opera acu picta, aut ingeniose contexta, exteris mercatoribus venduntur. Quæ in *Espinal* & *Neuf-chasteau* oppidis conficiuntur mapparum mappellarumque in usum textilia, in Germaniam, ac remotiores Galliæ provincias exportantur. Est etiam incolis quæstuosus equorum mercatus, quos partim ipsa habet Lotharingia, partim huc ex Germania mittuntur. Vectigal autem rebus impositum, auri millionem quotannis Principis ærario infert; sola quippe, certis concessa hominibus, Linderano in lacu piscandi licentia, sedecim librarum millibus in singulos annos redimitur. Quæ in *Espinal* scribentium commodo papyrus compingitur, de ea prospici solet Germanis, incolisque Comitatus Burgundiæ.

Potentia.

Munimenta seu loca ad tolerandam vim hostilem idonea, octo in Lotharingico numerantur Ducatu, *Nancy* scilicet, *la Mothe*, *Marsal*, *Tamoth*, *Lunoville*, *Clermont*, *Estenay*, & *Biche*. Ex his Nancejum seu Nansium longe ceteris munitius est. Arces habet Lotharingia complures, inter quas Barleducensis eminet; loca vero mœnibus conclusa quinquagenario aut sexagenario numero. Potest Lotharingiæ Dux, præter cohortes pedestres

destres equestresque corporis destinatas custodiæ, in sua ditione quindena peditum millia, equitesque bis mille conscribere; constat etenim fuisse ab eo, anno 1634, contra Suecos oppugnantes Imperium propriis conscripta sumptibus armatorum millia sedecim, cum millibus equitum quaternis.

Nobilitas. Præcipuum Lotharingiæ decus est ordo Equestris, cujus amplissima privilegia ditionis suæ possessionem ineuntes Duces confirmant. Is exterorum ac domesticorum nobilium affinitatibus stabilitur propagaturque. Principatum in eo tenent Marchiones *Haraucourt*, *Chastelet*, & *Bassompierre*; Comites *Lenoncour*, *Ligneville*, *Ludres*, *Beaumeau*, *Ragecour*, *Mitry*, aliique ad duodenarium usque numerum; tum Marchiones sex; præter vasallos Germanos. Ceteri ex prædictis familiis genus suum ducunt, ut sunt Marchiones *Trichasteau*, *d'Esne*; Barones *Chambley*, *Stainville*, *Netancour*, *Vaubecour*, *Armoises*, *Lemont*, *Savigny*, *Florainville*, multique præterea.

Non habet Lotharingia Cancellarium, sed Chiliarcham, ac generalem Provinciæ Præfectum. Actiones possessorii feudales vetus ordo equestris Nancejum indicto conventu, summa autoritate decidit. Ceteræ lites aut ad Cameram Computorum, quæ Nancei est, aut ad ipsius Ducis pertinent Consilium. S. Michaëlis clarum Parlamento oppidulum, causas appellationum Barrensis agri, non ipsius oppidi dijudicat. Huc tamen spectat *Chastel-sur-Mosel*, extra Barrenses licet fines sit positum, supremi Scabini, ac Scabinorum aliorum, quos Nancejum habet, itemque singulorum Præfecti oppidorum arciumque functio, patrio more vitæ cujusque est comes. Camera Computorum ex Præside libellorum supplicum Præfectis quatuor, quatuor item Secretariis Status, pluribusque Consiliariis componitur. Principis Consilium Nobiles, ac Togatorum prima virorum constituunt. Moneta cuditur Nancei, & ad S. Mariam.

Religio. Sacrorum in hac regione directio, aut ab Archiepiscopo Trevirensi, aut à Metensi, Tullensi, ac Virodunensi Episcopis dependet. Pluribus Lotharingiæ Prælatis licet esse mitratos, inprimisque Nancejano Primati, cujus Ecclesia Virgini Matri sacrata, Primatialis communiter appellatur; tum magno Præposito *S. Diey*, Abbatibusque *Longueville*, *Tolley*, & *S. Pierrevot*. Hos sequuntur ordine aliquanto inferiores Abbates *Rangeval*, *Ianuiller*, *Bonfai*, *Estival*, *S. Marie-aux-Breistroff*, *Clairlieu*, *de l'Isle*, *de Haute-seille*, *Ville*, *de S. Benoist*, *Lune-ville*, & *Chamousey*, *Prior Flavigny*, Equitesque Ordinis S. Benedicti.

Nobilium fœminarum conventui destinatas Abbatias tres habet Lotharingia, quæ votis omnibus solutæ, libere possunt ad conjugalem statum transgredi. Abbatiarum nomina vulgaria sunt *Remiremont*, *Espinal*, & *Bossiere aux Dames*; ad quas illustres duntaxat virgines admittunt, quæ avitam nobilitatem quaternos per gradus parentum legitimo matrimonio junctorum rite instrumentis, aut testibus demonstrant. Obligantur autem Abbatissæ solum castitatis voto, quæ dudum virgines ceteras ad clausuram traxissent, hoc est, egrediendi, ac matrimonia contrahendi facultate privassent, nisi illæ libertatem privilegiorum jure retinuissent. Illustrium nobiliumque virginum collegia istiusmodi habent Germaniæ urbes, Montes Hannoniæ, & Silva-Ducis Brabantiæ.

Sunt porro in finibus Lotharingiæ Orientalibus, Campaniæ ac Comitatui Burgundiæ obversis, terrarum portiones quædam, *Terres de Surseance* vulgariter appellatæ, quod inter Lotharingiæ Ducem, Regesque Galliæ, ac Hispaniæ adhuc lis sit de dominio. Bodinus earum numero censet Dominium *Lommes*: sunt item oppida ac vici nonnulli qualitatis ejusdem, quibus vasalli tantisper pro dominis dominantur. *Fontenoy* oppidum pleno dominio tenet Ducissa *Grouy*; alia aliis parent dominis. Eadem fere in Burgundiæ confinio est ratio, quemadmodum supra notavimus.

PRIN-

PRINCIPATVS SEDANENSIS, ET RAVCORTII, ac præfectura DONCHERII.



Edanum, cui annexum est sui prorsus juris Dominium *Raucourt*, Principatus titulo ac insignibus claret. A Galliæ regno Mosa flumine secernitur. Ab alia parte conterminum habet Ducatum Bullionensem, reliquis vero partibus agro Lutzenburgico clauditur. Præter urbem cognominem, pagi insuper ad hanc ditionem aliquot referuntur, quales sunt, *Ievonne*, amœnissima pagus situs valle, per quam torrens fertur ea rapiditate ac vi, ut non moles solum triticeas circumagat, verum etiam machinas eas, quæ præparando, fundendo, subigendo, formandoque ferro, quod è locis proximis eruitur, inserviunt. Idem etiam truttas gignit, saporis gratissimi pisces, magnitudine fere salmonibus pares, qui vado hic non alto, ac parte sui extra aquas eminentes, non difficilem sui capturam præbent. *Francheval*, *Semange*, (paret hic locus Duci Niversii) & *Douzii*, prope quem fluviolus *Cher*, uno ab urbe milliari, in Mosam excurrit.

Situs. *Vrbes.* *Pagi.*

Regio tota montosa est, sylvis arboribusque densa, quæ usibus incolarum apprime conducunt, sive exstruenda sint ædificia, sive profligandum per hiemem frigus, sive conficiendi carbones, quibus in fabrorum fornacibus ferrum fusile redditur. Dites enim hic circumcirca reperias ferri fodinas, è quo arma bellica, galeæ, clypei, thoraces, gladii, confici solent. Ab eo latere, quo Ardennæ sunt saltus, prærupta montium juga surgunt, vallibus gratissimis jucundissimisque interstincta, quasi Thessala Tempe. Vallium laudatissima ea est, quam *Querimont* vocant, arboribus, longe lateque in quincuncem dispositis, consita, ambulantium recessus ordinarius. Cervos, hinnulosque magna alit frequentia, cuniculorumque incredibilem vim. Eam irrigat fons aquæ uberrimus & limpidissimus, qui arcem ipsam permeans, urbem ingreditur, varieque per tubos ac canales subterraneos sparsus, non solum publicis in locis, plateis, compitisque aquas fundit, verum etiam privatorum ædibus admissus, grato irriguoque humore cives recreat. Ante ipsam urbem ponte egregio stratus est Mosa, qui, ex ipsis aquis exsurgens, eam Galliæ annectit, aut ab ea interstinguit. quem transgressis apparent campi plani, qui à montibus Gallicis quasi descendentes, versus Mosam exspatiantur. pascua sunt pecori gratissima.

Regionis indoles.

Antequam belli civilis motibus concuteretur Gallia, minus celebris fuit hic locus; verum cum territorii hujus Domini religioni Protestantium essent addictissimi, accidit, ut quotquot in ipsa Gallia, ob fidem, quam profitebantur, durius haberentur, huc tanquam ad asylum ac refugii locum frequentes se reciperent, experti erga se summam Dominorum Sedanensium humanitatem ac benevolentiam. Confluentibus itaque indies huc ejusdem religionis ac doctrinæ hominibus, etiam orthodoxis concionatoribus hic loci degentibus, primum erectum fuit Collegium aliquod, sive Schola trivialis, erudiendæ juventuti; inde etiam Academia, quod locus iste Musarum crederetur esse domicilium aptissimum ac commodissimum. In ea non solum linguæ Latina, Græca, Hebræa doceri cœptæ, sed & artes ac disciplinæ graviores, Theologia, Iurisprudentia, Philosophia, vocatis ad earum professionem undecunque viris doctissimis, gravissimisque. Inter eos non postremum tenuere locum Daniel Tilenus, Theologiæ Professor, Silesius, editis libris clarus: Desiderius Heraldus Iurisconsultus, literarum gloria celebris, Græcæ hic linguæ Professor, postmodum in Parisiorum Curia Advocatus: Samuel Neranus, vir insigni variaque eruditione, qui Græcanicas itidem literas cum laude docuit: Albertus Huttenus, pietate, ac doctrina eximius, Hebraici sermonis Professor, ac promotor sedulus, postea in Batavorum Insula verbi Divini præco fidelissimus. Nec silentio prætereundi, Andreas Melvinus, quem captivum à Britanniæ rege precibus impetravit Dux Bullionensis, motus fama nominis ejus; & Iacobus Capellus, qui & Concionatoris ibidem, & postquam Hebræam linguam ad tempus professus esset, Theologiæ Professoris munere functus fuit.

Vrbis descriptio. *Collegium.* *Academia.* *Viri in ea celebres.*

Anno 1611, liberalitate ac munificentia ipsius Ducis Buillionensis, Bibliotheca erigi cœpta est, quæ

Bibliotheca.

LES SOUVERAINETEZ DE SEDAN ET DE RAUCOURT ET LA PREVOSTÉ DE DONCHERI.

AMSTERDAMI
Apud Guiljelmum Blaeuw.

Milliare Gallicum commune.

Milliare Germanicum commune.

quæ hortatu ac studio D. Iustelli I. C. Secretarii Principis, magnique literarum ac literatorum fautoris, brevissimo tempore omnis generis, facultatumque variarum libris supra modum aucta fuit. Cives humani, seduli, industrii, partim opifices, partim mercatores. Inter illos excellunt armamentarii, qui ex ferro armaturas omnis generis cudunt, loricas, thoraces, galeas, sclopeta, eaque probatissima & per universam Galliam expetita. Nec desunt hic, qui lanam tractent, & in varias formas texant. Nec minus arma tractare norunt, ac si veterani essent ac bello assueti.

Cives.

Alluit urbem Mosa, cujus ripæ usque adeo imminet, ut aquis suis molas, in cavitate propugnaculi cujusdam in Mosam prominentis exstructas, circumagat. Duo in urbe templa sunt, unum vetus, in quo per vices Catholici & Reformati conciones habere solebant. Alterum novum, forma oblonga ac rotunda, quam ovalem vocant, in quo jam Reformati soli concionantur, concesso Catholicis templo veteri. Suos novum illud habet peridromos, ut maximam auditorum frequentiam admittat, quorum omnium oculi in Concionatorem dirigi possunt. Ædes fere omnes ex vivo lapide ac durissima petra constant, quæ ex vicinis montibus exscinditur. Tecta imbricatim assurgunt, plateæ latæ satis & patentes, ut urbs hæc tum civium modestia ac morum probitate, tum ædificiorum elegantia ac mercatu, reliquis omnibus vicinis urbibus præcellat.

Et, ne quid desit, adversus bellicos insultus munitissima est: propugnaculis suis sibi invicem respondentibus validissima, quæ ipsa proxime ambit murus, è lapide ad hos usus exciso, cujus copiam præbent montes vicini, imprimis fossæ castellum seu arcem cingentes. quæ ob lapides quotidie erutos, in profunditatem tantam dehiscunt, ut abyssus desuper spectantibus appareant. Qua parte urbis lateri montes adjacent, imminet illi Castellum sive Arx, quæ sensim ex humiliore loco, versus montium fastigia ascendit. Valida est, magna, patens, propugnaculis suis terribilis ac invicta, ea arte fabricata, ut vicina montium nocere obsessæ non queant. Fossæ itidem profundæ ac stupendæ altitudinis. Armis, tormentis bellicis, omnique apparatu Martio instructissima est. Sedem hic sibi ac domicilium deligit Princeps Sedanensis.

Arx.

Dominium hoc olim fuit hæreditarium Dominorum *de la Marche*, quod tandem, desiderata prole mascula, ad filiam Charlottam *de la Marche* devolutum, cessit Henrico Turonio Vice-comiti *de Tureyne*, &c. primo Galliæ Mareschalco, qui dictam Charlottam matrimonio sibi junxerat. Atque hic quidem Princeps, Bulionii quoque Dux; cujus filius ex Elizabetha Nassovia, secunda uxore, in Principatum Sedanensem successor, ac Dux Bullionius, Ludovico XIII Regi Christianissimo, eundem Principatum suæ veluti fidelitatis pignus asseruit; hodieque Coronæ annexus est.


Principes.



LACVS

LACVS GENEVENSIS,

Ac cognominis Ducatus deſcriptio.



SI Helvetia me protuliſſet in lucem, aut longo eam tempore frequentaſſem, accuratè ſingulorum nomina fluminum recitarem, quæ Genevenſi ſeu Lemano lacui miſcentur, coëuntque in ſuburbanis *Yvorne* oppidi, quâ Rhodanus Lacum ingreditur, quondam exſtructi, ſed ante ſexaginta circiter annos terræ tremoribus everſi. Quædam tamen è numero non parvo obiter excerpam, de fontibus ſeu ſcaturigine eorum minimè ſollicitus, quod extra Galliæ ditionem naſcantur, ut nonnulli alii amnes, qui velut advenæ quidam ortum aliundè ducentes, Galliam tamen variè interſecando fœcundant. Vocabula minorum fluminum Genevenſem influentium in Lacum iſta ſunt: *Elin*, *Egin*, *Saltina Veſp*, *Vſents*, *Vieſch*, *Lans*, *Maſſa*, *Drance*, *Dala*, *Sitta*, *Moiſſa*, *Liſſerna*, &c.

Flumina minora complura.

Lacus Genevenſis deſcriptio.

Lacus igitur hic, quem ab Genevâ, ac Lauſannâ urbibus, alterâ ad influxum Rhodani, ad exitum ejus è lacu alterâ poſitâ, cognominant, omnium Europæ Lacuum maximus eſt, maximeque navigiorum patiens, leucarum quindecim ſeu ſedecim longitudine, latitudine quatuor duntaxat porrectus, tam altus quibuſdam in locis, ut profunditas ejus ſæpè tentata, quingentorum cubitorum bolide explorari nequiverit. Is interdum, cum nulli in ſuperficie ſtant venti, interiore vento ſeu æſtu ſuo tam altè fluctus, cælo etiam tranquillo ac ſereno, attollit, ut ſævientis freti ſpeciem, non ſtagnantium congeriem aquarum exhibeat. Initium ejuſdem eſt à loco *les Monteys en Chablais*, protenditurque ad Genevam urbem uſque, orâ ejus paſſim nitore oppidorum, ædificiorumque ſplendore conſpicuâ.

Elen, oppid.

Primum autem quod occurrit oppidum, eſt Elen, anguſtum murorum ſuorum ambitum interiore ædificiorum elegantiâ compenſans; quod Sabaudiæ Ducis quondam jugum excuſſit, ut Valleſiis ſe redderet, qui id cum Bernenſibus Gundenſi agro deinde permutarunt. Nam, etſi eundem quem ſemel ſortita ſunt ſitum loca conſtanter retineant, dominorum tamen ac fortunæ ſunt viciſſitudinibus obnoxia. Paulo inferius Lacui adſidet *Seillon* arx Regia; atque hinc leucis tribus deorſum eſt Lauſanna oppidum, quo Amadeus Sabaudiæ Dux, ad ſupremum Pontificatus faſtigium Felicis nomine accepto evectus, Baſileenſe Concilium tranſtulit, qui deinceps Pontificiam dignitatem Chriſtianæ pacis amore ultrò Nicolao V, reliquit. Porro *Lauſanna*, quæ & Loſana ad Lacus Lemani ripam appellatur, jam ante quina ſæcula fuit Epiſcopali ſede inclyta, Epiſcoporum longum recenſens Catalogum. Tenuit eam diu Carolus Burgundiæ Dux, qui apud Moratum fuſus ab Helvetiis, Nancei naturæ debitum perſolvit. Moratum autem Germanis *Murten* dictum, cognomini appoſitum eſt Lacui, cujus loci meminit quædam Germanica, ac Latina inſcriptio, in quodam ſacello, quod cæſorum prædicto in prælio oſſa continet, conſpicua. Occuparunt Lauſannam aliquando Sabaudiæ Duces; at injuſto eam titulo poſſidentes, perbreve ejus dominium habuêre. Nam Lauſannenſes vicinæ nimium dominationis oſores, ac memores priſtinæ libertatis, impoſitâ ſervitute abjectâ, Bernenſium ſe commendarunt tutelæ.

Seillon, arx. Lozane, oppidum Epiſcopale.

Epiſcopi Lauſannenſes.

Torrentes varii.

Genevenſi quoque Lacui miſcentur torrentes ſeu rivuli quaterni, *la Venege* ſcilicet, *le Veiron*, *l'Aubonne*, & *le Pourmentou*, qui ex Burgundiæ montibus deſcendunt.

Gavot, regio exigua.

Oppoſitâ in orâ eſt Gavotius ager, leucarum trium, aut ſummum quatuor intervallo diffuſus, in quo S. Gingulphi eſt oppidum. Separatur is à Ballivatu Tonnonio *Dranſe* amne interfluente, qui duplici è fonte profluens, duos in rivulos ſecatur, qui Dranſe vocabulo retento, (altero tamen ab abundantiâ, à vallibus altero cognominato,) ſupra *Traverſe* locum junguntur, ut pari paſſu, poſtquam diu aſpera rupium trivêre, Lacum ſubeant Lemanum. Superandus eſt Dranſe amnis lapideo ponte, viginti duobus ex arcubus compoſito.

Dranſe fluvius.

Ripaille.

Ad eundem lacum modico à Dranſe amne ſpatio viſitur *Ripaille*, locus Amadei, primi Sabaudiæ Ducis ſeceſſu clariſſimus, qui ſolitariè quidem hîc, ſed tamen delicatè vivens, quemadmodum iſtorum temporum ſcriptores commemorant, à Baſileenſi Concilio deinde Romanus Pontifex fuit deſignatus. Ab hoc Duce Gallicum proverbium (*faire Ripaille*) provenit, quod lautè vivere ſignificat.

Proverbium Gallicum Faire Ripaille *unde natum.*

In medio Lacu, juxta perſtrepentem Rhodanum, Saxum extat, cognominatum à Neptuno, vulgo *la pierre de Neyton*, quod aræ loco erat, veteribus Gallis, hîc Neptuno aquarum præſidi ſacrificantibus. Haud procul hinc abeſt Avianum, incolis *Evian*, Comitatus titulo inſigne oppidum, ac frequenti lauro, & frutice, quem rorem marinum appellant, notiſſimum.

Avianum, oppidum.

Geneva, urbs Ducatu inclyta.

Geneva in orâ ſedet lacus cognominis ſive Lemani, quo loco Rhodanus amnis amiſſo in lacu nomine redonatur. Fuit ea temporibus Cæſaris

LACVS LEMANNI LOCORVMQVE CIRCVM-IACENTIVM ACCVRATISSIMA DESCRIPTIO.

Auctore IACOBO GOVLARTIO GENEVENSI.

Benevole Lector F. Franciam G. Genevam denotat.



Apud Guiljelmum Blaeu.

Allobrogum civitas ultima, ſicut nunc Helvetiæ quædam eſt clavis, atque urbium Lacui appoſitarum poſtrema. Sapiens hic ac magnanimus Imperator Genevam ſuâ dignatus præſentia, majeſtatem ſuam ejus arctari mœnibus voluit, ad cujus capiendas victorias nimis anguſtum ſibi videbatur Imperium Romanum. Ceterum de Cæſare memorant Hiſtorici, quod, cum prælio adverſus Helvetios commiſſo conjiceretur in fugam, omne aurum atque argentum ſuum demerſerit in Rhodanum, qui theſaurum Cæſareum adhuc alveo ſuo continere putatur, inexplorato hactenus loco, quem Sole clarùm lucente quidam ſibi notatum fuiſſe arbitrabantur.

Situs ejus. Situm obtinet Geneva inter Lacum cognominem, agrum Valleſium, ad Bernenſes ſpectantem, Sabaudiam, & Ballivatum Gex, qui Gallicæ ditionis eſt. Porro Rhodanus hanc urbem duas in partes dividit, quarum major civitas appellatur, minor ſuburbium S. Gervaſii, à templo quodam huic Divo ſacrato. Ternis pontibus ligneis ex urbe in ſuburbium, ac vice verſâ ex hoc in illam eſt tranſitus, frequentato tamen magis ponte majore. Duo ex pontium numero ternario ſunt pluribus molis, ac tabernis utrimque opificum inſtructi. Pons ultimus, macello vicinus, locum habet conficiendo nitrato pulveri comparatum, interpoſitâ inter hunc & ſequentem inſulâ, quæ triremes publicas cuſtodit, atque in turri firmiſſimo opere ab Iulio Cæſare conſtructâ apparatum bellicum aſſervat. In extremo pontis officina monetaria eſt, inſigni horologio viſenda. Ceterum Heliogabali dominatu urbem gravi abſumptam incendio reædificavit Aurelius Imperator, Aureliamque ſuo de nomine vocavit: at cives deinde antiquitatem conditoris gloriæ præferentes, abolito recenti urbis nomine, vetus pluribus memoratum Hiſtoricis revocarunt in lucem, quod eo clarius docere poſſent ſuorum gloriam majorum, atque urbis ſuæ antiquitatem.

Vires ejus ſive potentia. Si Vrbis ſitum, firmitudinemque portarum, murorum, propugnaculorum, turrium, interque has Turrim præcipuam, in Lacus orâ extructam, atque Armamentarium vario armorum genere, hoſtiumque ſpoliis inſtructiſſimum, conſideres, naturâ ac opere urbem contra hoſtium aſſultus munitiſſimam concludas neceſſe eſt. Hac de cauſa in vulgari ejus nomine inventum fuit anagramma *Vengée*; quod vocabulum Genevenſes ſemper ab hoſtibus ſuis vindictam ſumpſiſſe teſtatur.

Viarum pulchritudo, quæ porticuum in modum per urbem ad arcendam pluviam Soliſque ardores directæ ſunt; ſplendor ædificiorum, quorum pleraque quadrato ex lapide materiata, in inſignem altitudinem conſurgunt; publicarum ornamentum arearum, ager ſuburbanus vinearum, pratorum hortorumque amœna varietate diſtinctus; frugiferi colles; ambulationes jucundæ, mirè recreantes proſpectus, montibus terminati, ac fluviis, truttas magna gignentibus copia, ut Arvus, è montibus Voſſignii deſcendens, Lacuſque, in quo peculiare eſt Piſcatoribus vivarium, delicatiſſimis quibuslibet piſcibus refertum, quos magnatibus ſeu viris principibus, tranſeuntibus hanc urbem ſolent offerre; denique mercatorum frequentia, ac rerum propè omnium perfacilis annona, vicinorum Principum cupiditatem irritant, ac commorandi aviditatem advenis inculcant.

Sabaudiæ Ducis in Genevam prætenſio. Non ſum neſcius, variis de cauſis Sabaudos Genevam ſuo Duci adſcribere. Prima ex Imperatoriis Declarationibus depromitur, quæ Genevenſem Epiſcopum, Spiritualem licet, Temporalemque urbis conſtitutum Dominum, ac S. R. I. Principem, Sabaudiæ Duci, tanquam ſuperiori ſubmittit. Altera prætenſionis cauſſa ex monetâ Ducis Sabaudiæ nomine atque effigie ſignari ſolitâ arguitur, qui reis omnibus impunitatem concedendi jus habebat; cum neque Epiſcopus, neque urbis Senatus eâ autoritate valeret, ut vel unicam pronuntiaret, multo minus exequeretur criminalem ſententiam, ſine Iudicum à Duce deſignatorum conſilio: quæ ſanè luculenta ſunt ſuperioris Dominii argumenta. Proinde multorum uſu ſæculorum compertum habemus, ſine prædicti Ducis conſenſu Genevenſes cum vicinis exteriſve nullum unquam fœdus pepigiſſe; eoſdemque, quotieſcunque Sabaudiæ Dux adventabat ad urbem ſuam, claves illi ſubmiſſionis obtuliſſe indicio, ceteraque præſtitiſſe officia, quæ in Principes ſuos conferre ſubditi debent.

Epiſcopi prætenſio. Ex adverſo Epiſcopus ſe unicum urbis Temporalem Dominum eſſe propugnat, Pontificum Romanorum autoritate Imperatorioque milite, atque Helvetiorum decreto publico contra Sabaudiæ Duces, ac Genevæ Comites longo tempore conſtanter defenſus; donec incolæ anno 1536 excuſſo Sabaudi dominatu, Epiſcopum quoque, cum omni clero ex urbe expulerunt, Palatio Epiſcopali in publicum carcerem converſo.

Populi prætenſio. Iam verò populus Genevenſis aſſerit, fuiſſe omni ævo liberam Imperii Civitatem Genevam, quod ex Aquilis bicipitibus, Templi parieti ante plura ſæcula inſculptis evidenter appareat. *Gubernandi ratio.* Huic gubernandi ratio accedit, ex Ariſtocratiâ Democratiaque compoſita; populus quippe poteſtatem ſuam omnem transfert in Senatores viginti quinque, quo in numero quaterni ſunt Syndici, queîs baculus niger, argento utrobique munitus, autoritatis argumento geſtatur. Quem primum ex Syndicis nuncupat, illi præcipuè cura Reipublicæ incumbit, reliquis tribus ad diverſa munia obeunda adhibitis. Porro ex viginti quinque Senatoribus iſtis quintus quiſque dignior judicatus Inſtantiæ primæ jus habet. Eſt etiam, qui Quæſtoris ſeu Theſaurarii generalis munere fungatur, aliis alia curantibus. Ducentorum Conſilium, publicis negotiis decidendis adſtrictum, à viginti quinque Senatoribus eligitur: at Conſilium generale, è civium numero quantocunque compoſitum, Syndicos alioſque Iuſtitiæ miniſtros deſignat.

Omnia hæc munera in idoneas collata perſonas, procul remota gratia, præclaram gubernandi rationem conſtituunt, qua primum ſibi locum vendicat publicarum rerum cura, alterum redditio juris, tertium vero punitio criminum, inter quæ adulterium, Romanæque religionis

gionis exercitium Genevensi in ditione strictè prohibitum, maximè puniuntur. Consultandi autem sive deliberandi tot Senatoribus locus est Palatium Curiæ, magnifico opere exstructum, ac eleganti sine gradibus ascensu, lapidibus affabre strato, latoque adeo, ut onustum currum nullo negotio excipiat, visendum. Hîc in Senatorum conclavi septem sine manibus picti in pariete Iudices cernuntur, in medio eorum sedente excepto, qui unimanus æquitatem bilance expendit.

Sed cum nobis fas non sit inter Rempublicam, Ducem atque Episcopum agitatam diu litem componere, prælio rectius quam judiciali tollendam decreto; illud de Diœcesi addemus, quod ea trecentas & quinquaginta parœcias contineat, præter collegiata templa, Abbatiasque *Entremont*, *Filiac*, *Sisseray*, *S. Catherine*, *Six*, *Abondance*, *Hautecombe*, *Alpes*, & *Bonemont*.

Diœcesis amplitudo.

Vix Genevam egressus est Rhodanus, & ecce Aruns amnis, in ipso urbis exitu lapideo superandus ponte, è *Fossigny* montibus præcipitatus, interdum tantâ intumescit violentiâ, ut celerrimum licet, ac quævis rumpentem obstacula Rhodanum repellat, visæque aliquando sint Genevenses molæ adverso amne circumagi. In Rhodanum quoque *Alandon* cum pluribus aliis rivulis demergitur. Rivulorum nomina ista sunt: *l'Alandon*, in Ballivatu Gexio natus, *le Iornan*, *le Lyon*, *la Versoy*, & *l'Alamogne*, omnes Gexiis è montibus decurrentes in Rhodanum. Ceterum mons *Gex* alio nomine appellatur *Mijou*, cujus initium est à Munimento *Escluse*, porrigiturque ad Vallesios usque, Comitatumque Burgundiæ, uno regiones hasce loco ab invicem divellens, qui vulgo *la Combe de Mijou* indigetatur.

Arve fluvius.

Alandon.

Iornan, Lyon, Versoy, Alamogne, rivuli.

Montis hujus, qui tot nobis rivulos fundit, memoranda sine scelere præterire non possum; è quibus primò se offert aurifodina Thueriana, quæ subeuntem sibi aquam secretâ quadam sanandi morbos virtute impertit; adeo ut duplici morbo duplex hic inveniatur medicina; aurum minuendæ avaritiæ, quæ gravis animi est morbus; aquam verò efficacem gravissimis quibusque doloribus corporis tollendis. Alterum est arbor ea latitudine diffusa, ut commodè homines sexaginta à pluviâ, aut à Solis tueatur ardoribus. Tertium miraculum puteus est capacitate insigni, qui delapsis è cœlo imbribus, illicò guttas grandiores hastæ altitudine eructat, cœlo sicco quietus. Saltus istius causam facilè cognosces, ubi exploratum tibi fuerit, posse fontem scaturiginis suæ altitudinem contingere, quemadmodum hîc accidit, ubi aqua editiore è loco descendens, invento sub terrâ meatu, in puteum hunc cum impetu devolvitur, ac soluta quasi terreno carcere, ad majorem libertatem saliendo anhelat.

Memorabilia de hoc monte.

Ducatus Genevensis, olim Comitatus titulo contentus, à Genevensibus fuit Comitibus possessus, qui Principum ordine censebantur, ut Sabaudo ex Equite apparet. Vasallos Ducum Sabaudiæ eosdem fuisse, investituræ continuatio testatur, quæ voluntaria plerumque; nonnunquam etiam, fastidientibus dominatum Comitibus, violenta extitit. Celebris hîc quondam agitata quæstio fuit, quando Roberto Genevensi, qui familiæ suæ postremus, eo ipso tempore Romanus Pontifex Avenione sedebat, Genevensis Comitatus obvenit. Putabat is ob Pontificatus majestatem esse se ab accipiendâ investiturâ immunem; at responsum accepit, per Procuratorem ut ageret, quia id sua indignum personâ arbitraretur. Bellamera tunc acuto casum consilio decîdit, quod operibus suis inseruit. Vitâ functo Roberto, sorores ejus prætendêre successionem, inprimisque natu major, in Villartiam initis nuptiis familiam transgressa; tum Auriacus Cabilonensi ex domo Princeps, Duxque Bavariæ, non minore jure successionem sibi deberi putaverunt; Imperialis verò Camera proprietatem Genevensis ditionis ad Imperium devolutam asseruit. Amadeus ejus nominis octavus, Dux primus, à Sigismundo Imperatore Genevensis Comitatus adjudicationem obtinuit, cessis ei juribus quibuscumque Imperiali Camera competentibus, cum expressa prohibitione, ne quis deinceps Genevensia usurparet insignia. Idem Amadeus Villartiorum prætensione redemptâ, hunc tranquillè Comitatum possedit, quem deinde Amadeo filio concessit, cui liberi nulli fuêre superstites. Ianus Sabaudus, Ludovici Ducis filius, eundem posteà tenuit, qui sine heredibus masculis excessit. Tandem Philippo Sabaudo, Duci Nemorensi traditus, ad ejus fuit nepotes transmissus, quos Sabaudicæ gentis caput seu columen eo tanquam feudo suo investit. Fuit autem Ducali titulo hic Comitatus donatus ab Emanuele Philippo, in gratiam Iacobi Sabaudi, avi Ducis Nemorensis hodierni.

Ducatus Genevensis.

Genevensis ager, Dominiis *Fossigny* & *Beaufort* eodem comprehensis, Permutatæ regioni, Comitatui Burgundiæ, Sabaudiæ, agrisque *Chablais* & *Tarantaise*, ac *Valli Cremayeur*, conterminus est. Is ad quindenas circiter leucas se explicans, eximiè fertilis est, ac frequens arboribus, pluribus olim familiis illustribus augustus, è quibus multæ intercidêre.

Genevensis agri amplitudo.

Clariores ex Equestri Genevensium ordine sunt Claromontii, Virii, Mentonii, Dovynii, Chivronii, Hautevillani, Compesii, Russillionii, Beaufortii, Sanjoirani, Sacconæi, Crosillesdii, Salenovii, Lornæi, Arantonii, Coudræi, Noverii, aliique complures, qui fortassis pari sunt cum jam memoratis nobilitate, sed nobis haud æquè perspectâ.

Nobiles Genevenses.

Anicium, vulgo *Anissy*, Genevensis agri hodie metropolis est, atque Episcopi sedes, quibusdam *Nisi* vocitata, à Græco nomine νῆσος, quod insulam significat; olim namque vasto hæc urbs ambitu sua mœnia extendit, omnem illam planitiem complexa, quæ ab hodierno urbis termino ad portum *Brogni* pertingit, & Lacu, amnibusque *Thiou* & *Ciet* quasi tota circumdata: Aliis Latinè *Annexiaquum* seu *Annessiacum* indigetatur, quasi *Annexum aquis*; antiquitus autem *Civitas bovis* appellabatur. Clara est ea variis antiquitatum monumentis, ut numismatibus, urnis, inscriptionibus, aliisque. Annus 1448 urbem casu exorto incendio penitus absumpsit; atque ex eo tempore longe minorum murorum ambitum accepit. Situs ejus amœnus est vicino à Lacu, tribus in longitudinem leucis, atque unicâ in latitudinem porrectus, qui quadruplici alveo ingressus urbem, commoditati incolentium navigabilis existit. Facile posset hic Lacus in plures secari alveos sive canales, & ex hoc loco minores quædam Venetiæ componi. Arx urbis magni-

Anissy, metropolis.

magnifica est, sed ob editiorem vicinorum situm locorum non æquè tuta. Ducis nomine jus dicit Præsidiale collegium, ex Præside, & binis Assessoribus compositum, à quo ad Cambericensem provocare Senatum fas est. Est etiam hîc minor quædam Computorum Camera, recipiendis agri vectigalibus comparata, Iudexque, omnibus in primâ instantiâ communis. Vrbs parva sit licet, est tamen splendore templorum censenda. Templum Marianum Decanus habet cum suis Canonicis; quod Duces Genevenses Mausoleum sibi elegêre. Mauritianum majori parœciæ præest; templum S. Sepulchri antiquo Fratrum S. Sepulchri Prioratu insigne est; Dominicanum ab adædificato PP. Prædicatorum cœnobio augustius est. His Franciscanum accedit, in quo S. Petri Genevensis Canonici usque ad annum 1536 divina celebrarunt officia, paulo post à Reformatæ religionis asseclis Genevâ urbe proscripti. Clarissæ, per idem tempus Geneva exire jussæ, Annessiacum confugerunt, ubi Episcopus Genevensis jam inde sedem habuit. In hac ipsa urbe Franciscus Salesius Episcopus, vir omnibus numeris absolutus, ac verissimum Episcoporum exemplar, Visitationis religiosum ordinem pro Deo dicandis virginibus instituit, qui perbrevi Franciæ terminos egressus, circumjacentibus etiam regionibus innotuit.

Loca in Genevensi tractu alia. Lacus Annessiacus cum fluviis *Tonne*, *Fleurie*, & *Seran*, qui unum omnes alveum infra *Seyssel* oppidum subeunt, Rhodano quoque miscetur. *Seran* amnis, diversus ab eo qui à Brescia profluit. *Rumilly* oppidulum incolis frequentissimum interluit, quod situm in agro quodam sortitur, de quo alibi: reliqui Genevensibus ex jugis decurrunt. Cetera hujus tractus nobiliora loca sunt *Entremont*, Abbatiæ titulo inclytus locus, *Tamiers* Abbatia, S. Amadei mons, S. Catharinæ Abbatia Virginibus designata, & Cheyseri Abbatia, Comitatui Burgundiæ confinis; *Taloire*, vicus ingens ac Prioratus Regius; *Rochevillé*, oppidulum mœnibus septum & mercatu celebre; *Faverge*, olim Baronatus, nunc Comitatus; *Tono* frequens emporium; *Clairmont*, amplissimus vicus, Baroniæ titulo decorus; *Claumont*, latè patens vicus; *Menton*, Baronatus, S. Bernardo Mentonio clarus, qui Peninis Alpibus nomen dedit, non autem S. Bernardo Clarævallensi; *Vgine*, oppidum mœnibus clausum; *Torens*, Baronatus; *Viry* Baronatus; *Mornay*, Baronatus; *Crusilles*, ingens vicus; *Albi*, muro conclusum oppidum; *Montou*, Baronatus; reliquorum commemoratione locorum supersedeo. Nata Seminesiis in montibus vina commendationem præ ceteris merentur; at Tarentasiæ montes cum Genevensibus tridui propemodum itinere pertexentes juga, vinum album ac subrubens eximiâ copiâ producunt.

Fossigny, Baronatus. *Fossigny*, vetus Baronatus est, olim filiis ex Genevensi domo natu minoribus solitus assignari, deinde Delphinatibus possessus, tandem Sabaudicæ ditioni permutationis jure accessit. Dominium utile hujus Baronatus ad Nemorensem Ducem nunc spectat, manente penes Sabaudiæ Ducem directo illius dominio. Peculiari Ballivatu gaudet, ac Iudice in oppido *Bonneville* tribunal habente. Porro in superiorem inferioremque dividitur, quorum hic priore rarior in montes attollitur. Montem Baronatus celsissimum glacialem incolæ, eundemque maledictum appellant, ob nives adsiduas, Crystalli materiam. Tanta est ejus altitudo, ut Lugdunum Portâ S. Sebastiani egressis, quadragenis licet adhuc leucis ab eo remotis, spectandum se præbeat, vertice ejusdem contra morem aliorum hujus tractus montium omnino deserto.

Sallanche oppid. Sallanca Superioris Fossinii caput est, montes ac flumen *Arve* interjacens. Id portis licet careat mœnibusque, oppidum est totius Baronatus amplissimum, & item mercatu celebre. *Flumet, Megeve, oppidula. Cluse,* Loca reliqua sunt *Flumet* & *Megeve*, duo oppidula montana, circumstructo muro defensa; Cluse utriusque Fossinii metropolis censetur, in ripâ fluminis *Arve* naturâ loci munita. Annexa sunt illi suburbia bina, quorum alterum Recollectorum ornatur cœnobio: Situm inter cetera Fossinii loca medium sortitur, conventu eligendo Ballivo, imponendisque tributis notior. *& Taninge, oppida.* Taninga, parvum est oppidum, sed Clarissarum cœnobio, falciumque mercatu nobile. *Samoën.* *Samoën*, ingens parœcia est mercatu nota, montibus amnique interjacens; cujus præstantes casei, quos vulgo *Vascherins* nuncupant, ab exteris etiam mercatoribus expetuntur. Non longe hinc abest Abbatia Sixia.


Six, Abbatia. *Bonavilla*, oppidum ad Arvum flumen, in ipso Fossinii inferioris aditu, arce antiquâ, quæ oppidanis imperat, ac tribunali conspicuum, ad Nemorensem Ducem spectat. Vicinæ illi sunt arces *Pressy*, *Asnieres* & *Tours*. *Bonne*, locus est situ prorsus amœnus, cujus munimentum solo æquatum est. Sequuntur *S. George*, *Passy*, præstanti vino notissimus vicus; *Contamine*, Abbatia; *S. Ioire*, frequens incolis vicus, & Baronatus in S. Mauritii Comitatu; *Vieu*, oppidulum cum arce situ opportuno exstructum; *Boëge*, magno ambitu vicus, Baronatus titulo decoratus; *Chamony*, itidem vicus est.

Lacus Benedictus. Lacus Benedictus versus Bonavillam oppidum montis cujusdam verticem tenens, duûm millium passuum ambitu, à duabus vicinis parœciis anniversario S. Claudii die benedicitur, ut moderata ejus inundatio sit, ac minus damnosa accolis existat. Interea *Arve* flumen progreditur, quod postquam Munimentum præteriit cognomine, subitque inferius pontem, Genevensis agri terminum, ad Rhodani alveum properat, quaternis aut quinis delapsis è monte rivulis jam auctior. Rhodanus isto aquarum influxu gravior, cursu in Meridiem directo, duabus Genevâ ab urbe leucis pontem Charcicum attingit, eo loco, quo superioribus annis S. Catharinæ Munimentum Sabaudiæ Dux in quadam crepidine figurâ pentagonâ condidit, quinis munitum propugnaculis, ac bellicis tormentis ad vexandos Genevenses instructum, quod Henrici IV Galliarum regis consensu una fuit nocte sic dirutum, ut altero die etiam Genevensis ferme dubitasses, hîc prædictum S. Catharinæ Munimentum stetisse. Huic Genevenses opposuerant secundum, quod etiam solo fuit æquatum, ut inter Sabaudiæ Ducem ac Genevensem Rempublicam diu agitatæ lites quodammodo sopirentur, donec firmior eas pax tolleret.

SABAV-

COMITATVS RVSCINONENSIS,

Coliovra, Perpignianum, Salça, &c.



SI partas nostro sæculo, Gallorum Regum strenuitate, victorias, hisce voluminibus coronidem imponens, reticerem; cujusdam velut oscitantiæ, aut negligentiæ reus forte judicarer: quapropter, quod hîc adjicere decrevimus, à Ruscinonensi Comitatu ordiemur. Felix prorsus ista regio, cujus oræ, Francorum Principum irroratæ sudoribus, fertiliores evasere, quam Oceani, aut fluminum è Pyrenæis montibus effluentium undis irrigatæ: suntque profectò illorum armis, quam suarum amplitudine terrarum nobiliores; nec unquam tantopere superbierunt tres istæ civitates, Coliovra nempe, Perpignianum & Salça, ternique regionem hanc percurrentes fluvii, *Egli* nimirum, *Latet*, & *Tech*, quàm cùm suis in littoribus florere LILIA, suisque mœnibus accrescere perceperunt.

Tech, amnis. Postremus autem iste fluvius, *Tech* videlicet, è colle Arensi descendit, pontemque Ceretensem permeat, ac demum in mare provolvitur subtus Elnam, citraque urbem Coliovrensem, quæ quidem prior omnium hujus regionis urbium, saltem earum, quæ alicujus sint momenti, arma Gallorum experta est, cum antea Franciæ Regibus parêre recusasset. *Coliovra.* Urbis istius situs atque munimenta, nec non & suppetiarum sibi in promptu affuturarum certitudo, ingensque fortium virorum, quibus custodiebatur, numerus, Gallorum quidem aciem retundere potuissent, victoriarumque ab iisdem prætentarum cursum præscindere, nisi peritissimi Franciæ milites cunctas artis machinas perrumpere didicissent, devictis jam terra marique naturæ viribus.

Egli, rivulus. *Egli* amniculus multis è rivulis coalescit, qui velut divisæ quædam venæ è montium Pyrenæorum jugis defluunt, atque haud procul à Stagel uno junguntur alveo, ut sic in Mediterraneum mare procurrant inferius à S. Laurentii fano, & paulo ultra maximam Salçæ Leucatæque paludem. *Leucata.* Porro Leucata in Oxitaniæ finibus posita est, à Francisco Primo, Gallorum Rege, condita, quasi firmissimum adversus hujusce regni hostes propugnaculum; ipsi quippe huic duntaxat rei intendunt, ut sui fines dilatent imperii. *Salça.* Salça autem à Carolo Quinto Imperatore extructa, ut civitati Leucatensi ex adverso repugnaret: at illam subjugarunt Galli, quamvis præaltis ad cælum turribus esset munita, murisque prævalidis ac propugnaculis circumdata, quæ ad nihil aliud profuerunt, quam ut civium magnanimitatem strenuè repugnando testarentur, nec non & illorum gloriæ characteres suorum ædificiorum marmoribus fortius imprimerent.

Latet, fl. *Latet* est maximus hujusce regionis fluvius; attamen non adeo celebratur ob alvei sui altitudinem, qui quidem procul incipit inter montes Aragoniæ, quàm ex eo quod Perpignianenses muros alluit. Decrevi porro istius urbis amplitudinem potius in ejusdem origine ac progressu ostendere, quam ipsius fluvii; ut sic Gallica indoles splendidius elucescat.

Fuit omni sæculo civitas hæc inexpugnabilis; unde & facile conjici potest quam strenui fuerint, quantaque illorum potentia, qui sibi illam subegerunt. Repetamus illius antiquitatem, ut ad nostra tandem tempora descendamus.

Perpigniani descriptio. Invaluit apud nonnullos hujusmodi sententia, Lucium Perpennam Hispaniæ Proconsulem, Perpigniano nomen dedisse, corrupto forsan vocabulo; quæ quidem ratio nominis ad nostrum maxime facit institutum; ex tali enim observatione ingens emicat Francorum gloria, eam nimirum urbem ipsos superasse, quæ Romanis olim rerum Dominis triumphi materia extitisset; certissimum quippe est, Gallias potissimam fuisse Romanorum Imperii portionem, imò primariam dissolutionis tanti Corporis, quod longe lateque toto terrarum orbe protendebatur, causam. *Situs.* Porro sita est ista civitas juxta *Latet* fluvium, in amplissima fertilissimaque planitie; nec ullo ex latere quidquam ei dominatur, quin potius minatur omnibus propter eximiam situs eminentiam, arx namque ipsa scopulo insidet, urbsque sufficientibus munimentis vallata, etsi non omnibus in locis ad amussim observatæ fortificationum regulæ, quas itidem sectari opus non fuit; iis enim lateribus arx prævalet, quæ non sinit hostes propiùs ad muros accedere; aut si accesserint, bellicis eos machinis nullo penitus negotio quatere potest. Ceterum nec aqua deficit fossis juxta muros circumductis, neque in urbe ipsa, tum ob puteorum, qui in ea sunt, multitudinem, quam ob fontis ad illam singulari artificio deducti abundantiam. Incolas autem quod attinet, præterquam quod rebus omnibus ad defensionem necessariis illam munierunt, semper ab omnibus generosissimi habiti sunt; nam & Hispani Historiographi, suæ nationis recensentes historiam, ubi de urbium obsidione agitur, illarumque à civibus propugnatione, ceteros quidem *Constantes* appellant defensores; Perpignianenses vero *Constantes-Desperatos* vocitant; hac loquendi formula suggerere volentes, civem Perpignianensem gloriosam magis mortem præoptare, quàm locum sive urbem adversario cedere.

Arx Perpignianensis. Arx Perpignianensis vetustissimo constat castello, quod in ea vicem turris obtinet, sexque ingentibus munimentis regalibus, quæ eò fortiora sunt, quod & se invicem tueantur, nec à quoquam possint ullatenus invadi. Non possunt alibi tot inveniri tormenta bellica; unde cùm hostibus


COMITATVS
RVSCINONIS,
Vulgo
ROVSSILLON,
in quo
EPISCOPATVS HELENENSIS,
Gallicè
EVESCHÉ d'ELNE ou de PERPIGNAN.
Mille passus Geometrici.
Milliaria communia Gallica.
Milliaria communia Hispanica.
LANGVEDOC
GOLFE DE LYON
MER MEDITERANEE
COMTE DE CERDANE
Septentrio
Occident
Orient
Meridies
Perpignan
Villafranca de Conflent
Prats de Molo
Campredon
Colliure
Argeles
Elna
Ceret
Leucate
Roses
Selua
Iunquera

nulla expugnandæ arcis spes affulgeat, illam duntaxat à longe salutant, sicque ab eorum ictibus immunis evadit; & flammivomæ ex adverso machinæ nonnisi accedentibus summa circunspectione militibus loquuntur, hacque ratione ingens fit fragor, at nullus omnino effectus. Propugnacula durissimæ rupi superstructa nequaquam possunt à cunicularis excavari, suntque altitudinis non vulgaris, nec è planitie possunt bellicis tormentis concuti; & cum sint undiquaque protecta, atque ipsa scopuli crepido ingenti prælargaque fossa obducatur, scalis superari non potest. Iacet arcis in medio eximius armorum locus, ubi acies consistere queat parata in prælium, hostemque jam subingressum repellere. Hîc tanta tormentorum bellicorum copia, ut quod apud Reges exteros pluribus asservaretur in urbibus, castellis, aliisque ejusmodi locis, Hispanus ipse unicâ Perpigniani arce recluserit. Accedit, quod cum maximi esset apud Hispanos momenti istius arcis præfectura, idcirco nonnisi magnanimi Duces illi præficerentur, ac strenuis militibus custodienda mandaretur. Demum ut noveris quantæ molis sit Perpignianum, illud velim pro certo teneas, quòd nempe, quidquid calamitatis aut infortunii, Arragoniæ Castellæque Regibus acciderit, urbem hanc vix aliquando expugnatam fuisse, aut saltem potius urgente maxima necessitate, quam armorum violentia. Ab anno 1462, ad annum 1474, urbs hæc multas ex Catalaunorum rebellione adversus Ioannem Arragoniæ regem calamitates perpessa est; huic autem (Ioanni nempe) suppetias tulit Ludovicus Undecimus, Francorum Rex, agente Iacobo Armagnaco, Duce Nemausensi, sed assignatis prius Franciæ in pignus Ruscinonensi & Cerdanensi Comitatibus, cum urbibus annexis, agrisque dependentibus. Initio quidem contractus hic bona fide fuit servatus; at postmodum Arragonensis pacto non stetit: unde offensus supra modum Ludovicus, urbem hanc tam arcta obsidione cinxit, ut eam sibi subegerit anno 1474, quo Cardinalis de Ambosia, pompatice in eam vice Regis ingressus est. Ceterum pertinaces adeo fuerunt obsessi, ut priùs quàm se dederent, corium omne, catulos, mures, imo & suosmet infantulos absumpserint, præter trecentos homines Gallos, quos immaniter confoderant, & muriæ immiserant, ut hac ratione in extremæ necessitatis tempus asservarentur.

Clades.

Ex vi Concordiæ à capto Perpigniano initæ, totus Ruscinonensis Comitatus Franciæ paruit, donec Carolus Octavus, patre jam vitâ functo, bella per Italiam moveret. Is igitur pacto cum Rege Arragoniæ inito, Perpignianum cessit, ut hac ratione securius Neapolim subjugaret; Arragonensis autem cùm verbis non stetisset, Franciscus hujus nominis Primus nullum non movit lapidem, quò Perpignianum recuperaret. Hanc itaque urbem 40000 hominum obsidione cinxit. Idem, anno 1542, injuriam sibi à Carolo V. Imperatore illatam vindicaturus, Ruscinonensem decrevit invadere Comitatum; eamque ob rem Delphinum potentissimo stipatum exercitu illuc ablegavit, cum interim Dux Guisiacensis intra fines Luxemburgensium ingentes quoque virorum bellicosorum turmas immitteret. Delphinus ergo Perpignianum obsedit, quam ex insidiis capere moliebatur, res autem illi ex adverso cessit; cum namque Hispanus omnes belli machinas, ex devicta Algerensi civitate asportatas, ibi deposuisset, & 8000 hominum præsidium insuper adjecisset, tanto ardore milites erupere, ut expulsis Delphini cohortibus, omnia pene Gallorum tormenta ceperint, iisdem postea Perpignianum advectis. Eapropter soluta est, non absque Francorum clade, Perpigniani obsidio. At forte insignem hujus triumphi gloriam Ludovico Iusto sors reservarat; qui summa omnino prudentia, non satis prospiciente Duce-Comite, urbem hanc invasit. At non solum quanti sit momenti Perpignianum, sed & quanti sit Francis emolumenti perspiciamus. Primò quidem Perpignianum Oxitaniam in tuto servat, adeò, ut quæ olim civitates tanto in pretio fuere, Narbonna nimirum & Leucata, nunc præsidia tantum, aut propugnacula quædam Statui inutilia censeantur, cùm fortioribus prævaleat apud inimicos: Regiam quoque dominationem ad Comitatum Franciæ finitimum extendit, qui & amplitudine, rerumque omnium abundantia gloriatur, quique ab Historiographis, Hispaniæ brachium & medulla cognominatus est: Liberam quoque viam aperit in Catalauniam; quæ quidem provincia nunquam non Franciæ, difficilis custodiæ visa est. Tandem etiamnum Franciæ Regi paret civitas Perpignianensis; at de ejusdem novissima obsidione ampliorem nequaquam mentionem facio, cum ipsa omnibus innotuerit: Gradum itaque faciam ad alias Gallorum victorias, quarum alibi descriptiones exhibebimus: in præsenti autem sufficiat nomina tantum indicasse.

Aliæ Gallorum victoriæ.

Nuper multis emicuere victoriis LILIA, arma nempe Regum Ludovici XIII, ac XIV, ejus filii. Primò namque in Belgica Flandrica captæ fuerunt urbes Atrebatensis, Bapalmensis, Hesdinensis ad Canchium amnem, S. Pauli, Bethunensis, Rentyensis, Lillersensis, S. Venantii, Bourbourgensis, Mardicensis, Wattensis, Cassellensis, Licensis ad Aa flumen, Basseensis, Lens, &c. In Comitatu vero Hannoniensi, oppida de Landrecy, Quercetum, Condæum, S. Gisleni, &c. In Ducatu Luxemburgensi, Thionisvilla ad Mosellam, Damvillierium, Montmedy, &c. In Belgica Germanica possidet Rex Christianissimus subsequentes civitates, quas vulgari idiomate referam, nempe: *Hagenau, Zabern sive Savern, Molsem, Bensfeld, Schlestat, Rheinfeldt, Colmar, Ruffac, Defford*, &c. Nec plura de Brisacensi civitate ultra Rhenum, in Regione Brisgaviensi; Badensem quoque Marchionatum, Ducatumque Wirtembergensem, Sueviam, Inferiorem Palatinatum Cis-Rhenanum, ac demum urbem Philipsburgensem silentio transmitto. In finibus Sequanorum recensentur & alia non ignobilia loca, scilicet, Bletteranum, Oppidum S. Amoris, Arbosia, Polignium, Lura, Vesolium, &c. Inde Comitatus Montis-Beliardi, Porentrusia, Comitatus Pfirtensis seu Ferretæ. Sunt etiam plures aliæ tum Catalauniæ, tum Italiæ civitates, quas enumerare supersedeo; cum enim jam quieverint horrenda belli tonitrua, nec non & in terris utrique Coronæ subjectis Oliva Pacis revirescat; peracta res est; & novit unaquæque civitas, quisnam sit Rex cui & præstare debeat obedientiam, & apprecari Salutem & Felicitatem.

S A-

SABAUDIÆ DUCATUS.

Sabaudorum origo.



SAbaudorum nomen à Sabaudo Archiepiscopo Arelatensi, sub Childeberto rege Sedis Romanæ in Franciâ Vicario legatoque Apostolico traxit originem, qui imbutæ à se fide Catholicâ genti montanæ nomen in Baptismatis sacramento suum imposuit, quemadmodum Duces seu Reguli eorum *Celsitudinis* titulum sibi vendicarunt, cùm is primùm in Italia cœpit esse in usu, cui deinde adjectivum Regiæ appositum, ut à minoribus seu inferioribus distinguerentur.

Sabaudiæ montes.

Ceterùm Sabaudica gens vastis celsisque montibus includitur: in quibus novitate varietateque rerum confunduntur viantes; modò enim montes illi viarum transitus aperiunt, quos paulo post occludunt; hîc videas sublimia juga attolli, alibi rursum deprimi; hoc loco montes longiore tractu protendi, isto contrahi; nunc in planitiem solum diffundi, ac deinde arctari in vallem: unde natum de Sabaudiâ proverbium, esse eam discordis instar symphoniæ, ejusque vias tonorum imitari naturam varietatemque.

Incolarum mores.

Innata quædam huic genti stupiditas est, quam etsi aliquâ parte frequentatione exterorum videatur amittere, eam tamen quam maximè retinent in dictis scriptisque suis. Persuasissimum est illi Ducem Sabaudiæ primum Orbis terrarum Principem esse; patriam, terram miraculorum; montes, auro atque argento gravidos; & si tot hîc flumina essent, quot numerantur torrentes, non dubito, quin montes suos terrestrem paradisum esset dictura.

Vires.

Situs ditionum Sabaudicarum & ad exercenda commercia, & ad prohibendum in Italiam transitum est opportunus, maximis quibusque facinoribus à Romanis aliisque Italiam tentantibus in Alpium theatro patratis.

Præsidiis instructiora loca sunt *Verceil*, *Ast*, *Nice*, *Carmagrolle* & *Montmeillan*, singula etiam pacis tempore quadringentis aut etiam quingentis militibus custodita.

Porrò ex omni Sabaudiâ, militum seu ferendis armis maximè idoneorum habito delectu, Dux facilè peditum colligit viginti millia, equitesque ter mille ac quingentos, quorum plerique sunt nobiles. Maritimæ Ducis vires in quinis aut senis triremibus consistunt; nec tenue adjumentum à. S. Mauritii sanctique Lazari Equitibus accedit, qui ex flore Nobilitatis delecti, quadringenti esse debent, singuli candidâ in pallio cruce decori. Ceterùm Sabaudicis copiis præesse quidam solet Admiralii titulo. Regiminis seu gubernationis ratio ab ipso Duce tanquam à fonte proficiscitur, qui Senatus adjuvatus consilio, quod ex magno Cancellario, pluribusque consiliariis è Clero, Nobilitate & Magistratibus delectis, compositum est.

Regimen.

Iustitiæ administratio est penes tria Parlamenta, quorum primum Cameriaci sedet, pro Sabaudiâ, alterum Taurini pro Pedemontio, tertiumque Nicææ pro Comitatu cognomine ac Vallibus ab eo dependentibus. Dux Nemorensis Sabaudicâ è Domo Princeps pro Genevensi tractu, qui assignata illi portio est, Tribunal stabilivit *Anicii*, à quo ad Cameriacensem Senatum licitè provocatur.

Ærarium.

Ærario provinciæ duo Præfecti præsident, alter cismontanus, ultramontanus alter.

Gubernatores provinciarum.

Sabaudiæ Ducatus Comitatusque Nicæus suum quisque Gubernatorem habet, Vicarii generalis sub titulo, quibus eadem quæ Gubernatoribus provinciarum in Galliâ auctoritas est.

Ceteræ provinciæ, ut & urbes ac Munimenta, suum quæque à Duce nanciscuntur Præfectum, functione eorum plerumque ad triennium durante.

Duci Sabaudiæ regio more ministratur.

Iam inde ab antiquissimis temporibus regio splendore seu pompâ ministratum fuit Sabaudiæ Ducibus à magnis Aulæ, Stabulo, Cubiculo, Venationi, aliisque functionibus præfectis. Custodes corporis ordinarii in quadruplici discrimine sunt, qui Aulam sedulò observant, prodeuntemque in publicum Ducem comitantur.

Sacellum Ducale.

Est & Duci domesticum sacellum vulgo *Chapelle* appellatum, iisque privilegiis exemptionibusque residentiæ gaudens, quibus sacri Canones summorum Regum affecere sacella; ingreditur id Dux clangente tympanorum tubarumque sonitu; neque Archiepiscopum aut Episcopum sacris operantem in Episcopali Cathedrâ se præsente permittit, illique prius quàm ipsi thurificatur Episcopo.

Successio.

Sabaudiæ ditionibus masculus semper potitur, exclusis fœminis, qui & in Franciâ mos obtinet.

Archiepiscopi Episcopique.


Per omnem Sabaudiam duo tantùm sunt Archiepiscopi, Taurinensis, & Tarentasinus, cujus sedes est *Mostiers* oppidum; Episcopi verò undecim, Genevensis, cujus nunc sedes Anicii est; Maurianensis, cujus sedes est Fanum S. Ioannis; Augustanus, Vercellensis, Ivreanus, Astensis, Albanus, Fossanus, Salucensis, Mondevianus, Nicæusque. Sabaudici etiam juris quondam fuere Episcopatus Bellicensis & Lausannensis, quorum ille in Gallicam, ille in Bernensium ditionem pertransiit.

Religio.

Solius Catholicæ religionis in universâ Sabaudiâ cultus est publicus, singulari fato vicinorum Genevensium religione Reformatâ exclusâ.

Ordo Equitum Annunciatæ.

Præter memoratos ordines Equestres, alius in Sabaudiâ est, ab Annunciatâ indigetatus, cujus primum insigne rosa fuit, postea verò Virginis Annun-


SABAVDIA
DVCATVS.
SAVOYE
Milliaria Gallica
Milliaria Italica
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
LACUS LEMANUS
Lac de Geneve
HELVETIÆ
FRANCIÆ PARS.
PARTIE DE BRESSE.
PAYS DE GAVOT
CHABLAIS
VALESIÆ PARS Vulgo WALLIS.
Alpes Graiæ
PIEMONT
LA TARANTAYSE
LA MURIENNE
PARTIE DU DAUPHINE
Geneva
Chambery
Mont Melian
Grenoble
Col di Susa
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeuw.

Annunciatæ imago, mutante Symbolum Carolo cognomento Bono, abavo Ducis hodierni, à quo recens Annunciatæ nomen invenit. Addidit ei Emanuel Philibertus Dux quinarium Equitum numerum, in honorem ac memoriam quinque vulnerum Christi.

Porrò ad antiquam Sabaudicæ Domus gloriam quod attinet, est ea post Francicam Domum, inter omnes Christianorum Principum familias, antiquitate Nobilitatis maximè inclyta, ut quæ continuâ successione exoratam Ducum suorum seriem ad hanc diem propagarit.

Limites hodierni. Sabaudia, in genere seu universè accepta, terminatur hodie ab occasu Solis Rhodano ac *Guier* fluminibus à parte Regionis Permutatæ; à Meridie Delphinatu; à Septentrionibus lacu Genevensium, & Vallesiorum regione; ab Oriente verò Pedemontio. *Amplitudo.* Longitudo summa directa linea accepta, si Vallem Augusti simul comprehendas, à Ponte Bellovacensium ab Occasu, usque ad Vallem Vallesæ Ortum versus, amplius duos longitudinis gradus occupat, ex quibus sexaginta leucæ Gallicanæ consurgunt; à littore vero lacus Lemani supra Hujanum sumpta, usque ad Delphinatus prope *Essilles* oppidum confines, implet latitudinis sesquigradum, qui leucas Gallicas quadraginta componit.

Verùm si Sabaudiam intra Ducatus terminos coarctes, extenditur ea à Rhodano amne ad Vallem Maurianam usque spatio leucarum circiter duodecim, continetque lacum *Bourget*, lacumque *Aiguebellette*, vulgariter appellatum, valles *Chantagnan*, præstantissimi vini feracem, Baugensem pascuis fœcundam, Sanpetrianam, Miolanamque frugum ac fructuum omnis generis eximiè fertilem; quemadmodum etiam omne illud spatium terrarum quod vulgò *la Combe de Savoye* nominant.

Præcipuè hoc loco observandi sunt montium latera, qui infra Cameriacum à loco, quem *S. Ioire* nuncupant, *Chenin*, *Tormeri*, *Montmeillan*, *Arbi*, *Crues*, *Sainct Philippes* oppida, ultra Miolanum porrecti vinum album subrubrumque producunt, quæ bonitate cum quibuslibet aliis æquo jure contendunt.

Vrbes aliaque loca. Vrbes præcipuæ sunt *Chamberi*, *Montmeillant*, *Rumilly*, *S. Genis*, *Aiguebelle*, *Aix*, *les Eschelles*, *S. Pierre d'Albigni*, *Miolans* & *Conflans*, præter haud exiguum castellorum vicorumque numerum, quibus hæc regio undique ornatur.

Cameriacum metropolis. Porrò metropolis hujus Ducatus est Cameriacum, antiqua Ducum Sabaudiæ sedes, ac Parlamenti nunc statio, quod Senatus appellatum nomine, compositumque ex quindenis Senatoribus, ac Præsidibus quatuor, non solùm domi, sed etiam foris ob accuratam juris redditionem inclaruit; decisiones quippe seu decreta ab hoc lata Parlamento, atque ab Antonio Fabro primo Præside collecta, in omnibus penè Tribunalibus allegantur. Quidquid terrarum cis montes est, ad hujus jurisdictionem Parlamenti spectat.

Ceterùm Cameriacum ingens quondam urbs fuit, at incendio ante bina circiter secula vastata, angustiorem murorum circuitum accepit. Stipatur nihilominus adhuc suburbiis ternis, ex benè materiatis domibus compositis. Situs ejus mirè amœnus est, sortitus planitiem, coronatusque undique fœcundis collibus, quos crebræ passim arces ac prætoria seu voluptatis secessus illustrant. Vrbs ipsa crebros in fontes limpidissimarum aquarum erumpit, què è S. Martini colle scaturientes, per multiplices aquæductus sive canales in varia urbis loca dispertiuntur. Duo præterea amniculi, ac præsertim Albana, pleraque sub ipsas urbis vias decurrens, purgandæ urbi, ac aliis incolentium commoditatibus inservit. Porrò insignis arx urbem tuetur, quæ tamen adhuc imperfecto opere conspicitur, quemadmodum etiam Sacellum sanctum, in quo olim sacratissimum erat repositum Sudarium. Peragunt in hoc Sacello seu templo divina viginti duo Canonici, atque unus Decanus, qui Sabaudici Cleri sub Gratianopolitano constituti Episcopo est caput. Constat autem Episcopatus Gratianopolitanus Decanatibus quatuor, è quorum numero Sabaudicus est, cui Prioratus ac parœciæ complures, ut *Lemens*, *la Motte*, *S. Ioire*, *Bessi*, *Entremont*, *S. Bardot*, aliæque subjectæ sunt.

Sunt Cameriacenses valdè Catholicæ religionis cultui addicti, quod in urbe & suburbiis variorum templorum decens ornatus testatur.

Fœminæ Cameriacenses inconcinne vestiuntur. Mulieres Cameriacenses inconcinno prorsus more vestitæ, speciem exhibent venustarum fœdo carcere inclusarum, aut syderum obscurâ circumdatorum nube: quidquid enim pulchritudinis corporibus earum natura concessit, id indumentis suis ab omni elegantiâ alienis deturpant. Diceres profectò eas studio quodam in istum absurdum ferri ornatum, aut similes esse muribus istis, qui montanis in locis nascuntur. Est animal hoc magnitudine felis, cruribus brevibus, crine aspero, ore auribusque sciuri, cujus carnes præterquam quod salubres sint stomacho, plurimis adferunt morbis medicinam. Idem sex aut septem mensibus continuis, à medio Septembri scilicet ad Martium mensem usque sine ullo alimento in- *Mures Alpini.* dormit, Augusto mense fœnum conquirens, supra quod se componendo quietam hyemem transigat.

Struma frequens in Sabaudia malum. Quanquam flumina complura suas aquas ad purgandam hanc urbem contribuant, nihilominus tamen multi ex incolis strumatici sunt; quod malum frequens apud Sabaudos est, ex aquarum frigiditate causatum. Eandem ob causam in obstructis à Sole locis glacies se per plura secula conservat, quotannis sua assumens augmenta, ac montium verticibus prædurum tegmen præbens. Porrò se ipsâ purificata ac per- *Glacies in crystallum mutatur.* spicua reddita, duritiem crystallinam cum tempore sibi adsciscit, eo prorsus modo, ut dubites effossane sit è terræ visceribus crystallus, an glacies, quæ quibusdam in locis in Germanam mutata crystallum, Mediolanum expolienda portatur. Liquefacta hæc, aut contusa in pulverem glacies, si adhibito vino sumatur, certis quibusdam morbis medetur.

Cameriacensium ædificia magnam habent cum Genevensibus affinitatem, in ipsas vias columnarum adminiculo protrusa, ut deambulantes à Sole ac pluvia præstent immunes. Arx supra portam Victoris Amadei Ducis, ejusque conjugis, veluti duorum hujus patriæ geniorum, signa osten-

ostendit, cum simulachris Prudentiæ Pudicitiæque; quæ duæ virtutes vera sunt Principum ad rectè gubernandam provinciam, ac immortalem consequendam gloriam ornamenta.

Isara amnis.

Ægre Miolanum aut Montemelianum oppida attingas, nisi Isaræ amnis eò te alveus deducat, cujus origo in Sabaudia statuenda est, eo loco, quo Arcus & Mengiva amnes alveos miscendo, in novum flumen transire videntur. Inde Delphinatum prope Montemelianum ingreditur, ac jam navigiorum fit patiens, quæ Gratianopolim, ultraque in Rhodani alveum devehit.

Arcus fluv.

Ad Arcum flumen quod attinet, ortus is in loco, qui *le Col du petit Bernard* indigetatur, Tarentasiam percurrit, vallemque Augusti irrigat, lambensque Munimentum S. Iacobi, accessu difficili transit *Monstiers*, oppidum, antiqui Archiepiscopatus sedem, sacris Conciliorum monumentis celebratam; de qua commodior erit loquendi inferius occasio. A *Monstiers*, ubi divisum alveo ejus interfluente oppidum saxeus pons jungit, ad Munimentum *Briançon* devolvitur, præcelsæ rupi impositum, à solo fluminis latere accessibile, ubi ducenti aut trecenti gradus ascensum præbent; & tamen Lesdiguierius sub Henrico Quarto, Rege Galliæ, imperator exercitus, expugnato Munimento hoc, artem & naturam superavit. Ad Confluentes oppidum Arcus & Mengiva unum in alveum coëunt, quorum hic ad radices montium *Fossigny*, è cognomine vico prorumpens, cum Arco Isaram flumen componit.

Munimentum Briançon.

Mengiva fluv.

Conflans oppid. munitum.

Conflans oppidum munitum est, ad Isaræ amnis in Tarentasiam ingressum locatum, incolis frequens, ceterisque rebus omnibus, & ad tolerandam obsidionem, & ad claudendum in valles aditum probe instructum. Ceterum cognominis Marchionatus est caput.

Miolans oppid. firmum.

Vix Isaræ amni origo & nomen constitit, cum illico Miolanum attingit, veteris Baronatus caput, imposita rupi arce defensum, quæ horrendis licet præcipitiis tutissima esse videatur, tamen in Magni Henrici regis potestatem vicino metu concessit, oblatam gratiam dubio Martis præponens eventui. Hinc procul Arcus amnis conspicitur, cui conveniens nomen obtigit, quod in modum arcus intensi fornicatum alveum sortiatur. Originem ejus in monte Cenis locant, haud longe ab incunabulis *Semar*, aliud Sabaudiæ flumen, quod violenter Montem Cenis egressum, & ingenti strepitu ima rupium compulsans, ad Fanum D. Ioannis in valle Mauriana devolvitur; indeque positam in rupe ad montium fauces arcem *Charbonniere* salutat, ad cujus turrim, quæ quædam arci frons est, unica rupi incisa via te mittit. Locus hic duabus celebratur de causis, cum quod in primum hujus provinciæ Munimentum fuerit dicatus; tum etiam quod Thomam, Humberti filium, Sabaudiæ Comitem ac Pedemontii Principem ediderit in lucem. Ceterum amnis Semar Isaræ demum supra *Chamoasse* locum miscetur.

Semar fluv.

Montmeillan Munimentum.

Isara Arci aquis auctior ac potentior factus, Montemelianum, locum munitum petit, quem per plana locorum porrectum, deindeque inclusum montibus, cum *Mantula*, celebri in Burgundicâ Historiâ loco, nonnulli confundunt. Oppidum ipsum exiguo circuitu, nec firmo mœnium & propugnaculorum opere, nec numero incolentium instructum, arcem habet in summa rupe, è media surgente planitie, exstructam, ab oppidi parte duntaxat fossis munitam, quinis immanibus propugnaculis, ac crebris tormentis bellicis defensam; quod exprimere Sabaudi proverbio solent, cum quid firmiter se statuisse declarant: *Ne omnes quidem Montemelianæ arcis machinæ bellicæ à mea me sententia dimoveant.* Isara hoc loco ponte instruitur, alioque ad Gussolinum, oppidum Montemeliano ac Gratianopoli interjacens.

Montemelianum & Cameriacum inter conspicitur cœnobium illud, quod *Nostre-Dame de Mians* incolæ appellitant, Fratribus S. Francisci strictioris Observantiæ possessum, multitudine miraculorum celebre, præcipueque ideo, quod unicum hoc loco sacellum, cum gravissimus terræ motus, sub Friderici II, Imper. dominatu, S. Andreæ oppidum, cum quinque Parochiis vicinis evertit, constiterit inconcussum; quamobrem vicina circùm loca *Abyssi* nomen hodieque retinent.

Natura loci ac cura Principis inexpugnabilem Montemelianam arcem reddidere; est ea quippe extra cuniculorum minas locata, nec scalis ascendi potest præcipitiorum de causa, tormentorumque globi in ipsos recidunt obsidentes. Solis ea avium patet volatibus, ac fami sitique, spiritibus cuncta locorum pervadentibus. Porro ipsa in rupis vertice excisum puteum habet.

Montemeliana arx diripitur à Gallis.

Sub Henrico II Galliarum rege, Brandisio Comite arcis Præfecto, expugnata ea fuit, perductis in altissima vicinorum montium supra fidem humanam tormentis bellicis quadragenis.

Serram fl.

Rumilly oppid.

Non procul hinc Albana tenuis amnis se in Isaram flumen exonerat. De Serano amne quod est, Isarum subit apud *Rumilly*, oppidum non magnum, at frequens incolis, fertili conditum loco, arcium circumpositarum varietate amœnum, sedesque Nobilitatis antiquæ, quæ excelsa montium sibi domicilium elegit, ut puriore nobilioreque spiritu donatum. Vicinum est Munimentum Annuntiatæ, ac Abbatiali titulo insignitum virginum nobilium Monasterium, *Bonlieu* appellatum.

Annuntiatæ Munimentum.

Aix oppid.

Aquæ, vulgari vocabulo *Aix*, exile oppidum est, caput cujusdam Marchionatus à Camberiensi familia possessi. Celebre id est Decanatu, & Canonicorum secularium capitulo, in quorum templo asservatur è ligno (ut creditur) Sacrosanctæ Crucis à D. Hieronymo crucula confecta. Thermæ hic aluminosarum sulphurearumque aquarum magno ægrotantium seu morbidorum concursu frequentantur, qui his ipsis aquis malunt lavari, quam Apothecariorum ignotæ sibi virtutis pharmaca sumere; quæ, præterquam quod majore precio emantur, longe incertioris sunt quam aquæ hæ operationis.

Hautecombe Abbatia.

Hautecombe Abbatiæ titulo decoratus locus, ad lacum *Bourget* conspicuus, veterum Sabaudiæ Comitum sepulchralibus monumentis notissimus est.

Gallia. Ggggg Fons,

Fons admirabilis.

Fons, quem *Miraculosum* appellant, ac *Hautecombensem* Abbatiam illustrat, ad singulos horæ dimidiæ decursus patitur decrementa, simillimus in eo Bellestatio fonti, qui spatio horarum duodecim vicibus totidem copiosus profluit, totidemque arescit, temporum dimensione tam æqua, ut nec horologium suas accuratius horas recenseat; at hic tanto mirabilior existit, quod ante profluvium horrendum fragorem prodromum emittat, haud alienum ab eo, quem, aut exonerans se in mare copiosior amnis excitat, aut tonitruorum vi depulsa nubes, quasi natura in hoc miraculo producendo summe eniteretur.

Les Eschelles.

Les Eschelles, seu Scalæ, à via regia, ad quam incisæ sunt rupi, originem nominis traxere. Persuasum fuit nonnullis, hoc loco Hannibalem ferro, igni atque aceto aditum in Italiam suo aperuisse exercitui. Celebris hic locus est quadam Ordinis Equitum Melitensium Commendaria, sepulchroque marmoreo, à quadam Sabaudiæ Ducissa exstructo, in quo statuæ artificiosissime elaboratæ ejus repræsentant affinitatem.

Familiæ illustriores.

Illustriores in Sabaudia familiæ sunt Marchiones Cameracenses, sanctique Mauritii è Chabotorum domo, Comites Montis majoris. Barones Serrani, gens Grolæa, Chasteaufortia, Seisselia, Moussia, Chastillonia, Turnonia, Escheralia, Gruffia, Sonnasia, aliæque complures.

Chablais Ducatus. *Limites ejus.*

Genevensem Ducatum sequitur Chablæus, sub quo Ternier & Gaillard Baillivatus, agrique S. Victoris & Capituli. Terminis clauditur à Septentrionibus lacu Lemano, Vallesiorum regione ab Ortu, agro Fossinensi à Meridie, & Genevensi ab Occidente. Longitudo ejus ad novem aut decem porrigitur milliaria, latitudine tribus aut quatuor summum milliaribus contenta. Sedes hic veterum Veragrorum, ac pars forsitan Coloniæ *Equestris*, unde nonnulli appellationem nominis à Caballis derivant. Regio ipsa fertilis est atque amœna, variis castellis arcibusque distincta, antiquæ Nobilitatis Sedes. Inter hæc quoque Marchionum Lullinorum domus locum sortitur. Familiæ nobiliores sunt Armancia, Lucingia, Alingesia, in cujus potestate Munimentum est; Chastelardia, Monthonia, Corsingia, Vallonia, Charmosia, Sanpaulina, ac multæ præterea aliæ. Spectant ad hunc tractum Valles *Aux* & *Abondance*, quarum utraque veteri Abbatia claret. *Tilly* ad Lacum itidem Abbatiâ superbit.

Familiæ nobiles.

Tonnon caput Ducatus Chablais.

Caput Ducatus est *Tonnon* ædificiis bene materiatis, pulchrisque viis instructa urbs, Palatio publico, ædibusque Marchionis Lullini ab hortensi adjuncta amœnitate arearumque varietate laudatis conspicua. Cœnobia hic sunt Capucinorum, Barnabitarum, collegiumque Presbyterorum, quale PP. Oratorii solent habere. Portæ urbis in prata, arva ac vineas Serraninas te mittunt.

Ducatus Aoste. *Limites & dimensio.*

Aoste Ducatus è senis late patentibus vallibus componitur, præter eam, à qua ipse nomen suscepit. Porrigitur is spatio leucarum triginta, à *Courmajeur*, loco Fossinensi agro vicino, usque ad locum *Varal sur la Sesia*, ad Mediolanense territorium spectantem. Terminos habet Novarensem, Vallesianum, Fossinensem, Tarantesiacum, & Pedemontanum agros. In valle cognomine plurima Romanarum antiquitatum monumenta inveniuntur. Est autem Ducatus hic, ut & Chablæus, avitum Sabaudicæ Domus patrimonium. Comites Sabaudiæ hinc Ducatus titulum sumebant, antequam in Ducatum eveheretur Sabaudia. Chalantia gens quondam Vicecomitis *Aoste* usa est titulo, in ejusque ditiones fuere arces hujus tractus pulcherrimæ. Rarior hic Nobilitas est; nam præter Chalantios, qui à Chastilloniis Fenisiisque descendunt, Avisi, Vallesii, Clii, Nusii Serresiique notantur.

Nobilitas.

Augusta Prætoria metropolis.

Caput hujus Ducatus est *Augusta Prætoria*, quondam Romanorum Colonia, Episcopali sede jam olim clara, satis elegantibus ædificiis media in valle ornata, ac triumphali Augusto Cæsari dicato arcu prope integro, amphitheatroque, ac aliis Romanæ magnitudinis monumentis insignis. Ager ejus angusto se spatio explicat; fertilis tamen est, inprimisque vini apiani. Reliqua loca præcipua sunt *Bard*, arx munimento suo clara, qua vallis occluditur; *Donas* locus sub scalis, hoc est, via ducentis & amplius gradibus rupi incisis ascendente, quo loco pervasisse in Italiam Hannibalem multi existimant; *Mont-Iovet*, qui locus Priscis *Mons Iovis*, & *Mons Bardum* appellatus, Munimentum est rupi incubans, quæ valli dominatur subjectæ; Fanum S. Vincentii; *Verrez*, arx munita; *Chastillon* oppidum cum arce; *Cly*, *Hur*, *Fenis*, *Issoigne*, *Morges*, *Avise*, castella sunt haud contemnenda, præter multa alia, quæ Vallis Valeisana includit; *Gressonay*, *Gresenche*, *Rema*, *Courmajeur*, & *Cogne*.

Bard. *Donas.* *Mont-Iovet.* *Chastillon.*

Vallis Mauriana.

Vallis Mauriana ad octodecim circiter leucas porrecta, prima Comitum Sabaudiæ sedes, atque antiquissimus eorundem titulus fuit. Initium hujus vallis est supra Montemelianum apud confluentes Arcus & Isaræ, terminaturque qua mons *Cenis* se paulatim in planitiem demittit, Sabaudiæ Ducatui, Tarantesiæ, Delphinatui & Pedemontio contermina, minores valles alias à latere complexa. Illa tota extare in rupes videtur, pascuis tamen vinoque Australi in parte, frumento sufficienti, & croco eximio abundat. Parochiæ in ea frequenter omnes incultæ centenario numero sunt. Cameracensis gens quondam majorem ejus partem possedit. Arces præcipuæ jussu Ducissæ Blancæ ob Cameracensium conjurationem fuerunt demolitæ. Rara hic quoque Nobilitas est; incolæ enim montanis educati in locis ægre Nobiles tolerant, ad sola commercia nati. Pontia gens tamen Gallicanis monumentis celebratur, Petri Pontii de causa.

Fanum S. Ioannis in Valle Mauriana.

Metropolis hujus Vallis est Fanum S. Ioannis, urbs media in valle conspicua, antiquo Episcopatu inclyta, ac jam inde juxta viam regiam à temporibus primorum Burgundiæ Regum celebrata. Cetera loca sunt *la Chambre*, *S. Iulian*, *S. André*, locus optimo caseo notissimus; *Modune*, cui Deiparæ cognomento Carmelitanæ templum, magna in veneratione oppidanis habitum imminet; *Vsse*, *Braman*, *Lanebourg*, præter alia dispersa per montes loca.

Tarantesia.

Tarantesia vetus Comitatus est, leucarum duodecim circiter procurrens, ac Sabaudiæ Ducatui, valli Maurianæ, Fossinensi agro, vallique Au-

Amplitudo & loca ejus. Auguſtæ confinis. Numerantur in hoc Comitatu caſtella ſeu vici viginti quatuor ſatis frequenter inculti; complectitur vero Tigneſiam atque *Tignes & Iſere valles.* Iſaranam valles, quarum poſteriori ſuum debet Iſara nomen originemque, quemadmodum etiam familia quædam, à qua Comitatus titulo tenetur. *S. Maurice Marchionatus.* S. Mauritii vicus cujuſdam Marchionatus eſt caput, qui ſat longo ſpatio verſus S. Bernardum minorem protenditur, quo loco *Columna Iovis* viſitur, famigeratus diabolica olim in viantes tyrannide locus. *Columna Iovis.*

Atque hinc paulo poſt in Vallem Auguſtam ingreſſus eſt, quæ ſublato ponte, qui flumini impoſitus, inacceſſa videri debet. Marchionatum hunc quondam Centrones tenuere, populi ex Alpibus Grajis profecti. Romanorum temporibus caput ejus erat *Forum Claudii*, quod deinde *Tarantaſia* vocitatum, univerſæ regioni nomen impoſuit: hodie *Moſtiers* appellationem invenit, *Moſtiers Archiepiſcopatus.* clarum antiquo Archiepiſcopatu, cujus frequens in Conciliorum decretis fit mentio. Oppidum ambitu exiguo Iſaram flumen per medium ſui ſecundum Palatium Archiepiſcopale admittit, quo loco utraque fluminis ripa lapideo ponte jungitur, tranſituſque ex hac in illam oppidi partem eſt. Situm porro in amœna ſortitur planitie, quam ab omni parte alta montium circumdant; ſuntque perdifficiles acceſſus, torrentibus ac præcipitiis periculoſiores viarum anguſtias reddentibus.

Salinæ Ducis hoc loco cernuntur, à quo arx *Briançon* unica duntaxat leuca abeſt. Communis hic item ex Sabaudia in Tarantaſiam, & hinc in Italiam eſt tranſitus, cuſtodiri facillimus. *Munimentum S. Iacobi.* Munimentum S. Iacobi eodem ſitu oſtenditur, acceſſuque item difficili. S. Mauritii vicus adhuc rudera quædam murorum ſuorum exhibet.

Sabaudici ſoli qualitas. De qualitate Sabaudiæ in particularium deſcriptione locorum meminimus, nunc de ea univerſe dicendum eſt nobis. Habet igitur Sabaudia colles valleſque frumenti eximie fertiles, ac montes maximam partem in fœcunda paſcua diffuſos, alibi tamen ob nivium frequentiam frumenti parum feraces, ſiligine ad tertium decimum menſem hærente ſub terra: ſeritur enim Auguſto menſe, nec ante metitur, quam anni ſequentis September illuceat, niſi nives forte & tum meſſem impediant. Ad armenta gregeſque alendos paſcuorum hic plus ſatis eſt; unde illa carnium, lanæ, coriorum, butyri caſeique copia exiſtit. Mittit has merces Foſſinenſis ager partim ad Genevenſes, partim ad Lugdunenſes, partim etiam ad Germanos; idem minutiore frumento, avena, ac præſtanti genere leguminum abundat. Montemelianum, Chantanium, ternis à Camberio leucis, *Coſterouge*, Inferiuſque Foſſinium excellentia vina producunt, ut & Maurianus ac Genevenſis agri, in quorum hoc lacus Anicius eſt, truttis delicato piſcium genere per omne anni tempus abundans, carpionibus item, idque Majo menſe.

Fructus. Nuces exprimendo oleo, caſtaneæ alimento montanorum idoneæ, poma, pyra, aliique fructus copioſe naſcuntur in vallibus. Cameriacenſes Anicianæque tam opportunæ tinctoribus ſunt aquæ, ut ſerica textilia his in locis tincta, aliorum textilibus locorum mercatores anteponant. Strumæ vulgarem morbum ſoli aquarum nimiæ frigiditati attribuunt. Auſtralia Vallis Maurianæ valliſque Auguſtæ, & Ganavezii crocum eximium, univerſiſque ſufficientem Sabaudis producunt.

Animalia. In montibus ſylviſque frequentes feræ vagantur, ut apri, cervi, damæ, hinnuli, cercopitheci, qui huic regioni (ſi Delphinatum excipias) ferme peculiares ſunt, ſapidiſſimam carnem præbentes. Lepores albi ceterique vulgares, ac omne volatilium genus, perdices albæ vallis Maurianæ, & attagenes in Sabaudiæ Ducatu excellunt. In Genevenſis agri juniperetis mira turdorum eſt hybernis copia temporibus. Pelles leporum alborum, quod ſingulari virtute fovendi ſint præditæ, ſtomacho ſolent applicari. Ceterum lepores iſti æſtate amiſſo pilo albo cinereum recipiunt, quem deinde accedente hyeme, denuo in album commutant. Phaſianorum attagenumque duplex hic genus eſt; perdicum vero triplex, album, rubrum, cinereumque. Lacus Lemanus, qui inter ima collium variis ſinubus intervallo leucarum ſeptendecim inflectitur, ac varia à locis quæ tranſit nomina adſciſcit, Sabaudiæ piſces copioſe ſuppeditat, idem beneficium ceteris lacubus præſtantibus. Bourgetanus ſiquidem lacus, duabus à Cameriaco leucis diſſitus, truttas ac piſcium genus, Gallis *Lavarets* dictum, rarum alibi locorum, ſubminiſtrat. *Fons*, qui Miraculoſus appellatus in Hautecombenſi Abbatia conſpicitur, in hunc ipſum lacum devolvitur. Piſces prædictorum lacuum fluviatili piſcium generi debent præferri, cum quod ſolidius præbeant alimentum, tum quod claris ſpatioſiſque in aquis nutriti, medio quædam inter marinos ac fluviatiles ſapore exiſtant. Salinæ Sabaudiæ nondum omnes exploratæ; una Tarantaſia hanc à ſalſarum aquarum fonte ſuo prærogativam habere videtur. Fontis iſtius origo eſt in vico *Salins* dicto: at deinde à tempore non multo alii ſalſarum aquarum ſunt fontes reperti, è quibus ſal candidus efficitur univerſæ regioni ſufficiens, vicinis carbonum fodinis utilem ei coquendo materiem largientibus. Lignorum ex genere frequentior ſe offert abies, quercus & picea trabibus aptæ, aliæque minores ad aſſeres idoneæ. Crebrior nux conficiendis ſuppellectilibus commodam præbet materiam, quo uſu buxus quoque laudatur. Vbi tegulæ nequeunt terræ idoneæ defectu haberi, harum defectum ſupplent ſubtiliores ardoſiæ, longe profecto concinnius, tectum domibus præbentes: ſua calci ac marmori reliquoque lapidi laus conſtat, qui bene politus cum porphyretico aut marmoreo Italiæ ac Græciæ lapide contendat. In valle Auguſta thermæ ſunt mineralium aquarum, quæ ob difficilem acceſſum minus ſunt cognitæ, minuſque frequentantur. Aquenſes apud Cameriacum thermæ à Genevenſibus, Lugdunenſibus, ac Gratianopolitanis magno celebrantur concurſu, quod aquæ earum ſulphuream aluminoſamque pervadentes terram, admodum ſalutares exiſtant. Sal nitratus, ſulphur, & quidquid præterea ad bellicum pulverem conficiendum requiritur, hic affluit; quapropter ad avehendas has rerum ſpecies crebri

exteri

exteri accurrunt, Montemelianis nihilominus adſidue in hoc pulvere conficiendo deſudantibus. In ſuperioris Foſſinii Valliſque Auguſtæ locis glacialibus perfecta invenitur cryſtallus, quam incolæ Mediolanum exportant, qua in urbe omnium affaberrime politur. Sub glacialibus locis iſtis & herbæ ſeu gramina creſcunt, & ſuam frumentum maturitatem aſſequitur. Sanguis ac pinguedo rupicaprarum (quæ animalia ſunt calidiora, colore cinereo, magnitudine cervina, atque agilitate,) ſingulari medendi plurimis morbis virtute ſunt prædita. Damæ ea copia capiuntur à ruſticis, ut per totum annum his carnibus veſcantur. Cercopithecus, alpinum animal, carnem habet ſalubrem ſtomacho, ac pinguedinem ad multorum curationem morborum utilem. Vrſus, lupus, lynx, ceterarumque ferarum genus frequens in montibus vagatur; in quibus etiam cryptas puteoſque Sallancam verſus invenias, cum fontibus aquarum ac fodinis aluminis. Ceterum arenâ cryſtallinis vitris conflandis idoneâ Vallis Auguſta abundat; unde eam mercatores Mediolanenſes & Lotharingi frequentes avehunt.

FINIS.



HELVETIA,

QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER XV.

HELVETIA.

Nomen.



Elvetiæ nomen admodum antiquum eſt, hodie Suitzia, vulgariter *Schweitzerlandt* dicitur, non à Vitis Saxoniæ populis, à Carolo Magno ſedibus quondam privatis, & in Alpes conjectis, ut curioſe nimis quidam argumentantur: nihilo magis à Suetiis, qui tempore Segeberti Regis in Helvetiam commigrarunt, ſed à Suitio pago, vulgo *Schweitz* dicto, vel quod primum pro libertate in eorum agro pugnatum ſit, vel quia diutiſſime cum Eremetanis contenderint, & primi omnium ex Pagis tribus Auſtriacorum irruptioni expoſiti fuerint, & inter tres Pagos maxima eorum fuit potentia. A fœdere verò, quod inter ſe pepigerunt, malunt *Eydgenoſſen*, id eſt jurisjurandi participes, aut eodem juramento devincti, dici; eoque nomine ſeſe appellant.

Limites.

Helvetiorum veteres limites nemo Iulio Cæſare melius circumſcripſit. Ita enim de Orgetorige apud Helvetios, ea tempeſtate facile Principe, ad capeſſendum Galliarum imperium populares incitante diſſerit: *Id hoc facilius*, inquit, *eis perſuaſit, quod undique loci natura Helvetii continerantur: una ex parte flumine Rheno latiſſimo atque altiſſimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit: altera ex parte Monte Iura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Helvetios: tertia lacu Lemano & fluvio Rhodano, qui provinciam noſtram ab Helvetiis dividit.* Nunc Helvetia omnis, Rætiaque, Germaniæ pars, ab ortu, Norico & Tirolenſi Comitatu; à ſeptentrione Suevia; ab occidente Allobrogum Ducatu terminatur; à meridie Italiam oſtentat: vaſtis undique altiſſimiſque cluſa montibus eadem & obſeſſa: clementius inſurgentibus montium jugis, qua Vindelicis, Rauraciſque; ad miraculum editis, qua Noricis Inſubribuſque obtenditur. Iis & ipſi inter ſe, & undique ab aliis ſeparantur; præſcribente ſuis cuique finibus terminos ipſa natura & eaſdem muniente.

Extenſio.

Cæſar longitudinem CCXL paſſ. mill. latitudinem CLXXX definit. Quantum ad longitudinem, calculatio certa; Nam à *Stat* ubi Helvetia incipit, ad clauſtra Rhodani infra Genevam, numerantur milliaria Helvetica triginta, ex quibus unumquodque VIII M paſſ. Italicorum conficit; quæ ſi inter ſe compares, rationem numerumque exactum reperies. de latitudine res paulo implicatior, tamen ſi à montis Iuræ culmine ubi *Laver* aut *la Verriere* dicitur, lineam ad cacumen Grimſel, unde Arulæ ſcaturigo, maximaque Helvetiæ latitudo, producas, aut fallor, vel millia à Cæſare notata offendes.

Diviſio antiqua.

Olim dividebatur Helvetia in quatuor pagos, Tigurinum, Vrbigenum, Aventicenſem & Antuatem.

Pagus Tigurinus;

Tigurinorum tractus, hodie antiquum *Turgouw* retinens nomen, diœceſis Conſtantienſis eſt, complectiturque Tigurinos, Tuginos, Vranios, Glaronenſes, Abbatiscellanos, itemque S. Gallum, Rupertivillam, Terminos, Toggeburgenſes, & eam regionem univerſam quæ circa Podamicum eſt & Rhenum.

Vrbigenus;

Vrbigenus pagus, qui hodierna notatione *Argouw* videtur dici, à Tigurino dividitur Vrſa fluvio & Vchtlandia, ab Aventicenſi Arula fluvio. Hujus pagi ut partes diverſæ, ita nomina. Circa Burghdorff oppidum & Salodorum, *Imburgeden* & *Burgenthal*, à burgis & caſtellis quæ illi parti frequentiſſima: prope Emmatiam fluv. *Emmenthal.* A Vietlisbach Oltam uſque *Buchsgovia* ab arce Buchſen, & ſimpliciter Govia, *Geu.* Circa monaſterium Muri, *Vaghenthal* & libera præfectura, itemque *Ruſthal* ſive vallis Vrſæ. Apud Silvanios infra ſilvam *Surichgovia* à flu. Surina. Habuit Vrbigenus pagus proprium Epiſcopum, cujus Cathedra Vndioniſſæ. Ejus ſunt oppida Aquæ Helvetiæ, Bremgarte, Tobinium antiqua. Comitatus Lentzburgiorum, Aquenſium, Habsburgiorum.

Aventicenſis.

Aventicenſis pagi contra Vrbigenum jam terminos poſuimus; verſus meridiem ſeparant Valeſiani montes ab ea gente ſecundum fluviorum derivamenta; his in Arulam aut Sanam, aliis in Lencarum decidentibus. Tum vero montes illi, qui à caſtro S. Dionyſii, ſe Minnidurum inter & Loſannam Turaſſum uſque inflectunt, Antuateſque ab eo ſecludunt. A ſeptentrione ejuſdem Iuræ ſummitates ad ortum uſque Siggeris prænominati, Aventicos à Sequanis, Rauracorumque parte dividunt. Hujus ut cæterorum partes plures per varia nomina. Antiquum & ingenitum vocabulum ſolum circa Friburgum retinuit, ubi Aventici ruinæ, ut totius olim Helvetiæ capitis. Regio nominata Vchtland, & lacus quem hodie à vicino oppido Moratenſem vocant, in antiquis inſtrumentis *Vchter See*, ſive lacus Aventicus. Pars ſuperior hujus pagi in plures valles tributa, unde hæc *Haſterthal*, *Sibenthal*, *Sanerthal*: ab altero latere *Vatteverthal*, Latine Vallem transverſam nominant, Valendis, quæ vallis Angma etiam dicta. Quæ vero Neocomo ſive Neoburgo Salodo-

HELVETIA, cum finitimis regionibus confœderatis.

Burgundiæ pars.

Sabaudiæ pars.

Sueviæ pars

Das Lechtal

Italiæ extrema

Occi dens.

Oriens.

Boden see

Genever see

ZVRICH GOW

TVRGOW

AR GOW

PVRGER GOW

WIFLIS

WALLIS

LEPONTII.

RHETIA

Milliaria Germanica communia

1 2 3 4 5

Describebat Gerard' Mercator, et excudebat Guiljelmus Blaeu.

Milliaria Helvetica.

1 2 3

68

lodorum usque sunt, *Salgeu* antiquitus appellabatur sive Salengeu, quorum oppidum Salodorum Salensium. Habuerunt etiam Aventici suum Episcopum. Oppida antiqua Aventicum, Salodorum, Paterniacum, Minnidurum, Pyrenesca, Ebrodunum, Vrba, Noidenolex, Bramagus vicus. Comitatus Neocomensis, Strasbergensis, Arbergensis, Rotundomontanus, Gruriensis. & Comites de Glana præcipuæ nobilitatis, utpote ab antiquis Burgundiæ Regibus.

Antuatum. Quartum pagum Antuates habuerunt utroque Lemanni latere. Complectitur is Alpes & valles omnes à S. Mauritio Genevam usque & Rhodanum, qui apud illam urbem lacu egreditur: versus orientem & Aventicos, limites jam collocavimus. A meridie montes illos habet, qui Salassos & Centrones, Allobrogumque partem ab illis dividunt. Versus occidentem demum Genevam & Rhodanum usque dum Iuram attingit, qui Allobroges; tum ipsum Iuram, qui Sequanos ab iis separat. Ejus pars quæ dextro Rhodani, qua exitum ducit, Lemannique latere, continetur, postquam ducta eo Romana equitum colonia, Equestris dicta, incolæ equestres, alteram quoque ripam sive sinistram complexi, quæ nunc quoque Chablais dicitur, à Caballo. Amedeus III Sabaudiæ Comes in Ducatum evexit anno 1251, adjuncta Augusta Salassorum. Altera pars sive superior antiquum nomen retinet, Vaat. Ejus sunt oppida antiqua Lausunum vel Lausodunum, hodie Losanna, Bibiscum, Alæ Penne, quam Neapolin aut novam civitatem vocant, ad caput Lemanni, Clarona, Dina, Nevidunum sive civitas equestrium, Comitatus Lausannensis.

Secunda divisio. Hæc antiqua Helvetiæ in quatuor pagos divisio, postea omnis in duas partes distributa: unam Allemanni, quæ Allemannia, & in Ducatu illius gentis ad Vrsam usque & pagi Tigurini terminos: Tigurum enim, Tugium, Vrania & Glarona Allemanniæ Ducatus fuere, ut patet ex veteribus instrumentis: cætera Burgundi tenuerunt, & Burgundiam minorem dixere.

Hodierna divisio. Hodie quoque omnem Helvetiam in quatuor partes dividunt, Zurichgouw, Wiflispurgergouw, Argouw & Turgouw; Dividitur quoque hodie in tredecim populos, Itali *Cantones*, Helvetii *Ort* dicunt; sunt autem hi Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Suitia, Vnderwaldia, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Schaphusium, & Abbatiscella. Hisce se adjungunt eorum Socii atque confœderati. Abbas & oppidum S. Galli, Rætorum confœderati populi, Episcopus Sedunensis & tota Valesianorum regio, Rotweila, Mulhusium, Bipennæ, Neocomum, & Geneva, aliique, qui communi Helveticorum pagorum imperio reguntur, quemadmodum infra latius.

Soli qualitas. Montium Helvetiæ hi perpetuis nivibus albicant: illi procul aspicientibus nihil promittunt nisi saxa durissima, postquam inscenderis, prata pinguissima offendis; alii vero & aspectu sunt amœni & reipsa. In iis per æstatem menses ad summum tres pascuntur cum greges, tum vaccæ, è quibus tanta emolumenta, ut brevi oratione nemo possit consequi. Nam serum inde, caseus, butyrum, aliaque lactaria tanta fiunt copia, ut non tantum Helvetia iis rebus expleatur, sed finitimæ quoque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Iuram montem, in Italiam, multaque alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi possit. Illud mihi compertum, ex viginti vaccis fructum esse annuum centum coronatorum, præter sumtum omnem, quem in familiam, famulos & famulas distribuere necesse est. Omitto fœturam copiosissimam, lac & liquidum & concretum, quæque ex lacte adhuc alia conficiuntur in quotidianum usum. Hinc est quod tantus populus, in tam angusto circulo enutritur, quod adeo pauci mendicant. Ager Bernensis, Friburgensis, Salodorius, Herogea & Durgea frumento mire exuberant. Colles autem Schaphusiani, Moretenses, Aventicenses, Bretenses & Thermopolitani vino. Apud Tigurum & Basileam utrumque non mediocriter crescit. Sunt & alia insuper loca per Helvetiam, quibus neutrum deest, sed minor copia.

Metalla. Habet Helvetia suas ferri & chalybis optimi fodinas; sed & argenti venas in montibus Glareanis, aliisque vicinis repertas fuisse constat. Vrsa flumen aurum arenis trahit: Idem Emanna minor, qui Vrsam influit, præstat; magno argumento in montibus in quibus oriuntur aurum nasci. Sunt qui existiment esse auri venas eo loci, quo thermæ Fabarianæ scaturiunt, cujus satis manifesta signa in petris appareant. Cæterum in Helvetia nullæ fere præter ferri secturas sunt: Gens enim militiæ dedita rem metallicam, cujus ignara est, negligit: neque patitur peregrinos fodinas facere, ne sylvæ cæduæ in carbonum usum cædantur, & pascua in montibus optima pereant, aut vastentur, & regione peregrinis repleta, indigenis inde multa & magna incommoda nascantur.

Montes. Hic fama celebratissimæ illæ Alpes, jam olim Herculis & Hannibalis trajectu notæ: Pœninæ summæ, Cottiæque, apud Salassios Viberosque: Adulæ, Grajæque, Misaucos penes & Lepontios: In Engadinorum ora Iuliæ. Vatarus & Brantius montes apud Venones: Rætico in Rucantiis, & notatus magni Cæsaris scriptis Iura mons, Lemanno imminens lacui. Adduntur & Abnobæ montes in

in Tulingorum finibus, falso Danubii origine clari. Horridi sylvis omnes, vagi solitudine, & informes terris plerique; sed asperiores cœlo, tristiores cultu aspectuque qua Italiam monstrant, Rætis Sedusisque habitati. Vastum in verticibus ubique silentium, ingens solitudo; in crepidinibus vestiti sylvis. Amnibus passim torrentibusque perfunduntur. Frigus habitat pæne perpetuum, nivesque etiam æstivæ; sed clementiores tunc sine damno: hybernis mensibus durius inimicæ: onerosa quippe nix, ventorum intemperie declivi montium acta, in ima vallium, incredibili cum immanitate præceps it, & villas vicosque subvertit; unico in hunc hostem remedio, muris ædes molibusque parietem munire; nullum quippe hostem gravius metuunt, ad integros sæpe menses obsidentem; dum frigoris niviumque injuriam intra domorum claustra hypocaustis superant, quoad æstatis & Solis subsidio leventur. Parva videantur hæc, considerantibus, eam esse locis quibusdam severitatem rigoremque naturæ, inter contiguitates præsertim montium, ut ad defectum terræ mortuorum corpora glacie condantur; ingenti stoliditatis humanæ argumento, quasi non alibi felicis terræ abunde sit, ut eam nobis & viventibus negemus & demortuis. non deserit nos natura, sed illam nos. Habet tamen etiam infelix hæc habitatio avaritiæ humanæ fomenta: in cacuminibus & convallibus summorum montium armenta alunt; lactis caseique perquam optimi ex eo numerus simul & pretium: at miserum mehercle genus hominum, & nihilo suis armentis felicius, quibuscum ad custodiam excubant; secreti à consuetudine, à commercio; nulla nisi pecudum societate; iisdem illis magis quam sibi similes; quippe quibus & sermonis nonnunquam longa intermissione oblivio eveniat. Lenitur hæc asperitas leni quoque ope opibusque naturæ: Venas quippe metalli, plumbi, ferri, æris, argenti ostendit potius natura quam dedit. Crystalli ingens copia, effossi terra partim in summis montibus, partim præruptis in montibus collecti. duûm id generum, clarum unum & pellucidum, pretii majoris; subfuscum alterum ac livens colore subluteo. magnitudo variat, sicut omnium è terra nascentium: ad quinquaginta pondo integrum & non vitiatum compertum est. Apud Sedunos carbo bituminosus metalli instar effoditur; is in calcaria fornace combustus, strue lignorum adhibita, in calcem convertitur, novo & eleganti modo. Abundat & larice: ex qua agaricum, inter purgantia celebre; & resina, qua terebinthinæ loco ipsa gens utitur. In tanta austeritate locorum rerumque penuria vivit tamen illa gens; sparsis passim domibus, & quibusdam locis adeo iniquis, ut visu, nedum habitatu, durum sit. Retrusissima inibi ædificia, ædesque etiam sacræ, montium crepidinibus præcipitiisque adhærent; in hoc urgente religione, tanquam major ibi ejus sit reverentia, ubi major solitudo; & cultus potior, ubi major labos. Sic Iabariæ illa, sic Bremisa, sic apud S. Bernardi Divæ Virgini sacra, sic infinita surrexerunt: in tantum aucta superstitione, ut idolo, quod ibi antiquitus prætereuntium cultui habebatur, sacellum circumstruxerint; nugante vulgo & credente, dejectos hic à D. Bernardo dæmones ibidem includi. Sed in his Alpium tractibus maxime mirum, variare sub eodem cœlo tempestates, eodemque die iter facientes in hyemem, in ver, in messem incidere. summis in montibus nives & gelu; in depressioribus eorum partibus pascua perpulchre viridantia conspicari est; ad radices colligi fœnum; simulque imis in vallibus frumenta secantur.

Animalia. Animalia eadem fere quæ apud nos, sed & rariora generat. Frequentiores capreæ montanæ in summitatibus duntaxat montium agunt; *Capreæ montanæ.* saltu montes integros metiuntur: nive victitare ajunt; ligno & foliis rarius: calorem aversantur, nec ferunt, certo experimento, in valles expulsas statim deficere. non nisi primis annis capi à venatoribus ferunt: excellentissimas solas, invidia gloriaque pulchritudinis, capiuntur, sicubi à matribus imperitia viarum deerraverint; cæteroquin captu difficillimæ.

Ibex. Est & ibex, velocitate admiranda; licet capite vasto, cornuum pondere onerato, mira & incredibili pernicitate è monte alio in alium transiliens. Librat se in cornua: ut tormento aliquo rotatus in petras, visu celerius huc aut illuc exsultet. sed magis mirere, loci illi tantillum sufficere, quantum capiendis extremis ungularum tibiis satis sit; eas arctissime conjungit, & uno impetu assurgens tanquam vento raptus, oculis eripitur. Etiam venatori cautio est, arcte saxis aut montibus inniti, ne quid spatii medii sit; transversis siquidem cornibus in præceps agunt, si quem erectum montibus distare viderint.

Mures Alpini. Hic & mures illi, à loco nomen sortiti Alpini, magnitudine felium: somniculosi à continuo somno dicti, quem ad sex fere menses protrahunt: ad eum ante se instruunt, pabulo in specus convecto, non devorando, sed cui mollius incubent. Videas alternos marem ac fœminam, supra se complexo fasce herbæ, supinos cauda mordicus apprehensa invicem detrahi ad specum; ideoque illo tempore detrito sunt dorso. Mox citant se excitantque alto sono; eodem, & à venatoribus insectati, produnt se, aut fugam mutuo monent. Comedunt innixi natibus, pedibus anterioribus vice manuum fungentibus; posterioribus & solis gradiuntur.

Reliqua animalium, ursi, lepores, colorem pro tempestate anni variant. Albi hyeme; succedente æstate, paulatim naturalem colorem induunt; intermedio temporis maculosi. sed & copia est: quinquaginta una die lepores una in domo distrahi visi sunt. Immensæ supra fidem magnitudinis boves, quorum in Italiam quotannis infinita aguntur armenta. Sunt & lupi, rhoes, lynces; similiter phasiani, perdices, utriusque generis otides; lagopodes, sed sylvestres.

Aquæ. Caussatur frequens nix aquas copiosiores: coactæ & quasi inhibitæ montium obstaculis nubes, nivem ponunt, quæ subinde diversos per meatus decidua de montibus aut impetu acta, aut mollius collecta, in torrentes abit, & hi conjuncti in fluvios; quibus deficiente alveo, ac stagnantibus, lacus excitantur multi magnique. Videas passim aquarum collectos gurgites magno cum pondere, de montium cacuminibus, factis spatiis, decidere, excitato per impetum casumque violentum pulvere fumo simili: sed illæ mira gentis solertia usui passim urbium domuumque accommodatæ & ornamento: diductis subinde per urbes aquis & in canales coactis, aquarum simul inopiæ consulunt, & munditiei oppidorum: decursu quippe earum sordes & illuvies cœni efferuntur. Corrigitur aliquando natura, sicubi deficiat. Eadem arte & sterilitati medentur agrorum, deflexis passim fluminum ac torrentium cursibus, aut correctis; prætereuntemque & otiosam alias aquam suis egestas humana usibus accommodavit. Apud Lepontios non procul à Rheni capite, traductum ex vicino monte est flumen, in proximum, qui cæterà satis amœnus aquarum indigebat, ingenti & gigantea prorsus mole. suppositis tibicinibus & canteriis canales & aquæductus lignei suspensi sunt, cæsis ante nudarum rupium lateribus. Non agnoscit ingratitudo humana naturæ bona, nisi labore emantur. Nec is tamen sine usu aut usura labos: ad labentis aquæ impetus molas frumentarias adhibent, alibi pro sua quisque necessitate subducit partem quam ad suos usus referat. Sic & ad signandam monetam, alibi ad tornandos lebetes aheneos accommodatæ sunt, miranda felicitate inventionis.

Fontes. Augent aquarum copiam fontes per universum hunc tractum frequentiores, diligentia majori & operositate, quam arte aut ornamentis, ad incolentium usum diductæ; inter quos usu salubri nonnulli, & calidæ aquæ, morbis medentes, etiam experimentis claræ.

Thermæ. Notæ præter cæteras aquæ Helveticæ, in modum municipii auctæ: quæ apud Sedusios nomine tantum & fama valent. utiliores Ræticæ in Engadinorum tractu, gustu vini; ut alio potu peregrino non utantur. Sed omnium magis mirandæ Fabariæ, à vicino Benedictinorum cœnobio nomen sortitæ, in Racantiorum ambitu, intra montium fauces portentoso aspectu, aditu difficiles, infernali trucique situ; ac, velut horrendo in barathro, strepitu præterlabentis per vicina saxa cautesque fluvii, & continuo ruentis aquæ impluvio, pulsantur. Nec deterret ea loci facies ab ingressu, cum frequentes eo morbidi conveniant. Mirum vero, periculum homines sanitatis facere, ut sanitatem acquirant: quis namque inter fœtorem, fumos, contagia, speret morbos depellere, cum ex ipsis fiant? fingunt tamen exempla miseri, & credunt: sanatosque audiunt semper alios; se vident nunquam. Non tanta terræ aquisque societas nobiscum est, ut eas cuivis morbo medicinam facere posse putemus.

Flumina. Abeunt tandem conjunctæ hæ aquæ in fluvios: ex quo præcipuis Europæ fluminibus hinc origo. hinc fama celebratissimi Rhenus & Ister, hinc Rhodanus, hinc Ænus, junctis pene initiis, diversissimas per oras in maria evomuntur.

Rhenus. Rheni duplex ac dubia origo in ambiguo reliquit, anteriórne an posterior (nam ita distinguuntur) verum illius caput. Ille apud Antuates summas pone Alpes; hic penes Misaucos incipit. ego veram originem neutri assignaverim; cum infinitis pene initiis, Rheni omnibus nomine insignitis, utrimque nascatur; quibus in unum tandem coactis, & apud Iliantum supra Curiam unum in alveum confluentibus, continuo & minime interrupto cursu it, donec aliorum quoque interventu fluminum augeatur: Lacum deinde Podamicum ingressus, & sub Scaphusia cataracta præcipiti interruptus, Germaniam in occidentem versus æquus præterlabitur, donec apud principium agri Batavici nomen simul perdat & cursum; obturato olim per casum vero & antiquo ejus ore, reliquo Mosa aliisque fluminibus hausto.

Rhodanus. Vicinus Rheno Rhodanus, adversa summarum Alpium parte è monte glaciali ac nivoso natus, soluta Sole glaciei nivisque vi, & adjuta fontis copiosi scaturigine, citato statim cursu ingens à primordio rapidusque per Sedusios ruit: dein per Allobroges inter rupes & saxa coactior, latiore mox ac liberiore alveo Galliam præterlapsus, supra Arelatenses in Mare mediterraneum effunditur.

Danubius. In conterminis Helvetiorum finibus supra Tulingos Danubius surgit, non longe ab Abnobæ montis jugis hactenus credita origine, pellucido è fonte, ab ejus ditionis dominis superbo ædificio circumjecto, ebulliens: auctus statim ditatusque vicino flumine, & aliis mox, ac infinitis sese insinuantibus, per Germanias, Pannonias, Daciasque diversis anfracti-

fractibus meat: donec in mare Ponticum sex meatibus irrumpat.

Ænus. Ænus, apud Venones tribus lacubus in Iuliis Alpibus ortus, Noricos præterfluit, donec & idem Danubio misceatur.

Duras. Duras, cujus apud antiquos nulla mentio, oritur in finibus diœceseos Curiensis, valle quam Sancti Ioannis vocant, fluit per Doggios (*Doggenburger* vulgo) & populum quem nominant Durgouw; in Rhenum exit circiter duo millia passuum supra Eglisow oppidum ditionis Tigurinæ; ab hoc flu. multa nomina derivantur, ut Durtal, Wintherthur, sive Winterdur, & quædam alia.

Limagus. Limagus veteribus æque ignotus; oritur apud Glaronenses, & ibidem vocatur Linthus; ex lacu autem Rivario alius effunditur nomine Magus, qui influit in alterum, atque tum Limagus appellatur. Posteaquam autem ab origine circiter X M passuum Claronam, atque infra eam Castra & Marcam duas regiunculas irrigaverit, intrat lacum Tigurinum, & medium urbis transiens, cursu circiter CC stadiorum confecto, primò in Arolam, brevissimo autem post spacio in Rhenum influit.

Rusa. Vrsa, hodie Rusa, ex monte quem Furcam appellant, oritur; fluitque per loca confragosa, donec non procul à vetere pago in lacum Lucerinum, hodie *die Lucerner See*, & *Waldstett See* ingrediatur, inde Luceriam pertransiens, & in multos circumductus gyros Arolam intrat, non multum sub Brugis Herogeæ oppidulo.

Arola. Arola ex montibus erumpit, unde fluit Rhodanus: per lacum Haslensem & Thunum labens, venit Bernam, quam totam pene concludit; alluit Salodorum; cursu longissimo deinde confecto, & Rusa atque Limago acceptis Rheno miscetur.

Lacus. Nihilo inferiores fluminibus lacus, quos pene singula, quædam & duplices faciunt: Rhenus, Venetum & Podamicum; Lemanum, Rhodanus; Rivarium & Tigurinum nobiles, Limagus ignobile flumen: Lucerinum Vrsa facit: cæteros, Verbanum, Gaunum, Larium, Semnium, Benacum, in meridie omnes, sui quemque fluvii gignunt. Amplissimus Lemanus, adjectu clararum antiquarumque urbium nobilis; sed cui non cedat Podamicus, nunc Brigantinus, nunc Acronius, nunc Venetus, cognominatus. certo & olim creditum, Rhenum præterlabentem non miscere undas; quod & de Benaco memoriæ traditur. Cinctus undique amœnissimis locis & castellis in delicias exstructis, speciem præbet mirabilem: addit decorem sub ipsa fauce etiam ponte clusum oppidum Constantia, claras mox inter urbes memoranda. Notati & fama celebratis urbibus Tigurinus & Lucerinus; sed ille etiam ponte memorabilis ad duo millia aut eo amplius passuum excedente, Rapperswilam prope, qua ad Eremitas, Divæ Virgini sacram ædem, iter est. Rivarius editissimis & visu horrendis undique montibus clausus metum facit inspectanti, tanquam nusquam exitus sit. Est & Pilati lacus, miraculo & vanitate notatus; injectu quippe sordium irritatum ciere tempestates ajunt: quod tamen ego in medio reliquerim; ac, sicut probare argumentis longum, ita refutare supervacuum sit. Cæterum qualiscunque is lacus supra Lucernam est, summo & acclivi montis jugo, sylvis undique circundatus, tanquam hæc illi munimenta natura fecerit, ne temere irritetur. Non est tamen prætereundum, aquam suo alveo inclusam, nec flumen in se ullum recipere, nec habere exitum; fluviis tamen nivibusque nec augeri unquam, nec minui; sed sibi semper similis, nigras & suas tantum tuetur undas. adire locum peregrinis nefas; ne temere re quapiam injecta, vicina regio periclitetur.

Feraces hi omnes piscium; inter quos & rariores quidam, & proprii suis quique lacubus. Truttarum nusquam major copia. adverso fere flumine eunt, frigoris captandi causa. hinc est, quod maximas & ad triginta pondo sub primordio Rhenus Rhodanusque alant. In tanta tamen aquarum copia raræ naves cymbis in Liburnicarum modum utuntur: nec semper vento, ut nostrates. non nisi secundo navigant: obliquare sinus nesciunt: remis fere adsident. ita obtinuit, ut ubi incedi terra possit, aqua non volentes utantur. id ex equorum copia fit, securius celeriusque euntium: nam ex vento pendere, aut sulcare undas lento itinere, ubi per negotia urgeare, permolestum est. etiam regio montosa ventos arcet, unicum navigationis præsidium.

Valles. Talis vera & genuina Helvetiæ facies situsque: nam & clementius alibi salubreque & fertile solum, sed qua aut Galliæ, aut qua Germaniæ adjacet. Plurima apud Bernates & Tigurinos vineta, & alibi & pascua & viridaria omni fructiferarum arborum genere consita. cætero sterilior, nisi quod valles quædam amœnæ juxta ac feraces frugum. Qua Rhodanus fluviorum Galliæ fertilissimus apud Lepontios Viberosque oritur, vallis est modice lata; undique præruptis altissimisque montibus cincta, sinuante se fluminis cursu porrigitur; & inferente se mox angustiis in lacum faucibus fluvio, coeuntibus pene in unum montibus clauditur. eam vallem hodie Valesii habitant, præcipuam fertilitate, & ferendo vino fructibusque nulli parem; (nisi quis primas Volturenæ detulerit Italico cœlo soloque;) nihil ex vicinorum Rhætorum austeritate retinentem; atque hoc ipso campis ac planicie feliciorem, quod oppositorum

torum montium reflexione calor augeatur; bis quippe annuatim reponit commissas fruges. vina ejus, & olim celebria, & Mantuani vatis carminibus decantata, summo hodie in pretio sunt. Includitur hæc quoque montibus, sed arctior & restrictior orientem versus, difficili ad Tridentinos aditu; utroque etiam latere continuis montibus obsesso, sed sterilibus, qui septemtrionem Rætosque; fertilioribus, qui meridiem Galliamque Cisalpinam spectant. patet in occidente declivis jugis; & à dextra alia quoque valle sese aperiente, lacum Larium ostentat. Cæteræ vallium aut modice fecundæ aut steriles. quædam tamen, arctæ licet, & exiguæ, fertilitate supra reliquas sunt ex incolarum diligentia: industrii enim ac solertes vincunt sterilitatem loci. Operæ haud parum in derivandis aquis ponunt; prata, hortos, vineas irrigant. Apud Rhætos vallium eæ pene populosæ magis quæ steriles; Iliantum, Longanissa, aliæque: Ibique demum vera Rhætia est, non alienis imbuta moribus, non corrupta deliciis; solas nives, solas solitudines veneratur: hic ambitionis meta, hic cupiditatum terminus, hic manent, hic generant; nec extra, nec ultra norunt; hic sui similis natura suas tantum leges sequitur, nec præpostera aut præmatura Venere corrupta numerosas validasque gentes alit.

Strumæ. Sunt & in his vallium nonnullæ strumosæ dictæ, eo quod earum incolæ grandibus sub gutture strumis sint. aquarum id vitio fieri autumant, falsa ratione; cum & idem divitibus aquam perraro bibentibus eveniat: nugantur alii, implere pituita artus, & inflare aquas venis metallorum infectas. ego incertas rei causas in medio relinquam: nisi quis & loci vitio adscripserit; cum eadem ratione naturæ, iisdem in locis sint & pagi fatuis referti. nullo ii cibo humano, quidam & stercore & excrementis, alii fœno pascuntur: nudi etiam per hyemem incedunt: sono magis quam sermone utuntur, quippe qui à nullo mortalium intelligatur. Monstratur tamen & fons in agro Tigurino paulo supra quà Taurus Rhenum ingreditur, cujus aqua hausta strumosos efficiat; & in Cicera valle amnis qui fatuos ac stolidos: quarum rerum causæ in occulto latent. Et, quod magis mirere, dicunt in Bernatibus, mulierem ad decem annos citra omnem cibi potusque humani usum vixisse tamen, sed per miraculum ostentatam; torquentibus se frustra Medicis & causam quærentibus, cum supra infirmitatis humanæ terminos sit.

Fructus. Fructus tractus hujus in conterminis Italiæ viciniæ feliciores, alibi agrestes: vinum, cujus avidissimi sunt, locis etiam parum idoneis colligunt; inde ægre maturitas; nec eadem ubique bonitas. quibus omnino deficit, à Sedusiis Volturenisque, junctis sarcinariis, exportant. Fert & Valesia crocum, magno gentis lucro.

Incolarum genius & mores. Regio ipsa montana, & multis locis aspera atque difficilis cultu, tum etiam olim magna sui parte sylvestris & inculta: hominum genus non modo laboriosum, sed asperum durumque alit, atque ideo militiæ optimum. Cæterum uti natura Europa bellicosiores populos & ferociores plerunque habet Asiaticis; ita in ipsa Europa, qui regiones asperas, montanas & frigidas incolunt, bellicosiores aliis esse perhibentur. Idque testantur Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Longobardorum, Francorum, & aliarum gentium res gestæ, quæ ex Septentrionis asperrimis regionibus egressæ, cultissimas Europæ provincias vastarunt aut occuparunt, & Romanam potentiam omnibus quondam terribilem contriverunt. Simili modo frigidissimæ Alpium regiones, uti procerissimas arbores & armenta præstantissima educant; sic, cœli solique natura ferente, homines quoque robustissimos & fortissimos gignunt. Itaque in plerisque regionibus alii sunt milites, alii agricolæ, alii opifices; in Helvetia omnes quodammodo milites nascuntur; neque quisquam est integro corpore & ætate, in quo non militaris quidam spiritus eluceat. Cum autem Helvetiorum libertate vicini pene omnes, & præsertim Austrii Principes, continuis bellis opprimere conati sint, per annos propè ducentos; necessitas ipsa militiæ studiosos eos effecit; dum pro conservanda libertate, pro finibus tuendis, pro uxoribus & liberis, arma quotidie sumere cogerentur. Atque ut Agesilao, cum à Thebanis vulneratus fuisset, dictum est, eum dignam suæ disciplinæ mercedem accepisse: ita nobiles illi, qui priscos Helvetios agriculturæ & rei pecuariæ studiosos bellare & pugnare coëgerunt, ipsi quoque parem disciplinæ suæ mercedem acceperunt, toties prælio victi & ex Helvetia profligati. Inde factum est, ut leges & consuetudines ad exercitia belli accommodata sint.

Exercitia. Nam, cum apud multas gentes plebi armorum usus interdicatur, contra in Helvetia omnis, tam urbana, quam rustica plebs, etiam mercenarii & capite censi, arma pro facultatum ratione sibi comparare, & domi conservare coguntur. Et, quia nostra ætate tormentorum, quæ bombardas à sono & sclopetos nominant, maximus in militia usus est, publice præmia his proposita sunt, qui se in hoc armorum genere exercent;

Arma. idque non tantum in urbibus, uti in plerisque Germaniæ locis fit, sed in omnibus frequentioribus vicis; quin pueris arcu certantibus, ut ad alia tormenta aptiores sint, itidem præmia proponuntur; ac ab ipsa adolescentia bombardis uti discunt. Ludicra alia exercitia omnia bellicum quid spirant; non enim ad ullos conventus celebriores & festos dies,

dies, uti ſunt eccleſiarum dedicationes, nuptiæ & ſimiles, plebs abſque tympanis militaribus convenit: & hic honor ingens ſponſo exhibetur, ſi quamplurimi non invitati, haſtati & bombardarii, aut ſponſæ obviam procedant, aut ſua pompa, in qua militari gradu incedunt, feſtum exornent: ſæpe etiam pueri octo aut decem annorum, & his juncti adoleſcentuli paulo adultiores, cum vexillis & tympanis, armis inſtructi, militari more incedunt; ac videas alios ſclopetos geſtare, alios haſtis aut halabardis armatos, quibus vix credas animum ad hæc contrectanda, aut vires ad geſtandum adeſſe. Atque ita qui nunquam Vegetii aut aliorum præcepta de re militari viderunt, nullius imperio, ſed ſponte & naturali quodam armorum ſtudio à pueritia ad arma geſtanda & militarem gradum ſeſe adſuefaciunt. Multis in locis magiſtratus quotannis, aut certo annorum ſpatio, populum armatum luſtrare ſolet, etiam in altiſſima pace, non minus quam ſi certo hoſte imminente delectus habendus eſſet. Ac fiunt hæ luſtrationes nonnunquam in eccleſiarum ſeu templorum dedicationibus, alibi in nundinis: pleriſque in locis, quando ſubditi in præfecturis ſacramentum dant novo præfecto, armati luſtrantur.

Exercitia.

De aliis exercitiis quæ ad militarem virtutem præparant, non eſt quod multis agam; uti ſunt curſus, ſaltus, lapidis projiciendi, inſtar diſci, veterum ludus, vecte certare, lucta, digladiationes, & certamina in omni armorum genere; quibus fere ſingulis quotannis publica præmia proponuntur. Nullam præterea credo gentem eſſe in Chriſtiano orbe quæ ita ſe natando exerceat, ut lacus maximos, quibus regio abundat, & flumina rapidiſſima, facile natatu ſuperent. In montibus, quoties à ruſticis operibus ociantur, venatione aſſidua ſe exercent; & modo capreas & rupicapras atque ibices per montes ſummos & præruptas rupes inſectantur; modo cum urſis & lupis, & lyncibus atque apris, congrediuntur; & honori ducitur, ſi quis urſorum aut luporum capita, quos interfecerit, poſtibus præfigat; quin & à magiſtratibus præmia plerunque accipiunt. Aprorum etiam capita veteri Græcorum conſuetudine honoris ergo claris & nobilibus viris, aut regionum præfectis, quaſi ἀριστεῖον quoddam venationis, donantur.

Arma.

Milites Helvetici domi plerumque armis ornantur, nonnunquam etiam ex publicis civitatum armariis, ſi non bene inſtructi videantur. Sunt autem eadem fere arma Helvetiorum quæ & reliquorum Germanorum; ſclopeti, ut nunc vocant vocabulo ab Italis accepto, recentiſſimum armorum genus; haſtæ fraxineæ prælongæ pedum 18; ingentes ſecures præfixa cuſpide ferrea, quas alabardas vocamus; aliæ his minores, nulla cuſpide præfixa, quibus tantum cæſim hoſtem ferire licet; prælongi gladii, quos humeris geſtantes ambabus manibus in prælio regunt: lateri quoque prælongum enſem accinctum ſinguli geſtant: veteres Helvetii brevioribus longe uſi ſunt, qui ad fœmora dependebant, apti ad punctim feriendum è propinquo hoſtem: nunc præter enſem ſinguli pugionem præacutum geſtant, quadrantali fere juxta manum latitudine; hunc ditiores auro & argento laborioſe exornant. Corpus alii lorica, alii thorace aliaque armatura è ſolido chalybe facta, muniunt. pauperiores & levis armaturæ milites galea ferrea contenti ſunt. Quidam boum aut urorum coria armorum loco habent. nonnulli linea tela multiplicata & undique conſuta & foraminata utuntur; tanta enim telæ durities eſt, ſi minima foramina junctim filo optime conſuantur, ut vix ullis ictibus penetrari queat. Cæterum, ut Polybius ſcribit, Romanum militem adornari corolla plumea, penniſque tribus puniceis aut nigris erectis, longitudine ferme cubitali: his enim additis reliquæ armaturæ, virum duplo majorem videri quam ſit, & pulchrum aſpectu hoſtibuſque terribilem fieri: ita Helvetii milites, qui ſuam operam præ cæteris conſpicuam eſſe cupiunt, plumis partim albis, partim alterius & ejuſdem fere cum vexillo patrio coloris, ornantur. Singuli armis crucem albam rectangulam imponunt; hæc enim omnium Helvetiorum militare ſignum eſt. Sui Pagi vexilla & ſigna ſinguli ſequuntur. Tympanis & tubis & tibiis utuntur, ita tamen ut facile diſcrimen inter Germanorum & Helvetiorum tympaniſtas animadvertas, quod Helvetiorum pulſus gravior eſt & tardior, illorum longe tumultuoſior. Vranii tamen in bello ſylveſtris uri cornu operoſo argento circa labra ornatum inflant, quem taurum Vranienſem vocant, *den ſtier von Vry*. Simile vero cornu Vnderwaldii quoque in bello ſecum ferunt. Lucernates æreis cornibus quandoque utuntur, quibus ſe à Carolo Magno donatos jactant, *Härhörner* vocant.

Militum delectus.

Delectus vero militum hæc eſt ratio. Si bellum patriæ inferatur, & domi geratur, ut Romæ nulla excuſatio admittebatur cum Hannibal ad portas eſſet, ſic abſque mora ſponte, tanquam ad commune incendium reſtinguendum, omnes qui bello utiles ſunt, concurrunt. Neque tamen quicquam abſque ordine & tumultuoſe fit, quoniam pacis tempore ſinguli Pagi delectos certoſque duces & ſigniferos, horumque optiones conſtituunt, ut, quæcunque neceſſitas ingruat, ſemper parati ſint. Sed quia ſæpe longius copias educere neceſſe eſt, neque omnes educi poſſunt, ne regio omni præſidio vacua hoſtibus prædæ ſit; itaque tum delectus habetur, & plerumque vir virum legit, ac Xenophontis judicio fortiſſima

acies est quæ ex amicis & sociis congregata est. idem cum sentirent Helvetii veteres, non tantum in delectu hoc spectarunt, ut homines inter se noti & amici conjungerentur in unam aciem, sed legibus quoque sancierunt, ut omnes Helvetii in bello sese totis viribus mutuo juvent, & amore fraterno prosequantur, depositis omnibus si quæ ante habuerint privatis odiis. Ac apud cæteros Germanorum milites usu receptum est, ut se mutuo fratres nominent; (unde etiam veteribus Germani dicti videntur;) interim quotidie fere inter se digladiantur & tumultuantur; & plerunque truculenti illi *Landsknechti*, quorum facies concisa & cicatricibus plena Martem spirare videtur, plura ab amicis & sociis quam ab hostibus vulnera acceperunt; ut jure Cadmæi fratres dici possint. Contra in Helvetiorum castris summa plerunque pax est & tranquillitas, & singuli alios, quos tantum Helvetios sciunt, cætera ignotos, non aliter quam fratres complectuntur: acerrimaque odia sincere causa reipubl. deponunt. Cujus rei memorabile exemplum, commemorare non piget. Erant inter se duo Helvetii jurati hostes, Arnoldus Vnderwaldius, qui magnum in militia nomen postea assecutus est, & Zerchintes Tigurinus; ambo viri fortes & bello utiles. Cum igitur bello Suevico ambo in castris eisdem essent, à ducibus belli edictum illis fuit ut amicitiam colant, & veterum inimicitiarum belli tempore obliviscantur. Accidit autem forte ut excursione quadam Arnoldus ab hostibus circumveniretur. id conspicatus Zerchintes, illi cum sociis auxilio venit, eumque præsenti periculo eripuit. Cæterum cum sub vesperam in castra rediissent, Arnoldus ad tentorium Zerchintæ accedens, eum nominatim evocat. contubernales totius rei ignari, atque existimantes, eum hostili animo advenisse, ipsi progrediuntur, & Arnoldum pacis indictæ admonent, caveat ne tumultum in castris excitet. ille se amico animo adesse respondet; &, quid acciderit, commemorat: simulque bellatorem equum, quem illa excursione ceperat, Zerchintæ dono adducit. atque ab eo die mutuam amicitiam firmiter ad obitum usque coluere. Atque ut in adjuvando & auxiliando fraternum amorem exegerunt Helvetii, atque etiam præstiterunt: ita in partiunda præda idem ab illis observatum est. Nam primum capitali pœna ab illis cautum est, ne cui prædandi causa ex acie excedere liceat, donec hostes prorsus profligati fuerint. postea, ubi prædandi potestas facta est à ducibus, quicquid partum fuerit, id omne confertur in publicum, & viritim distribuitur. Et quia singuli Pagi publice etiam inter se fraterna societate devincti sunt, publica quoque præda, uti sunt tormenta bellica, arces & regiones bello captæ; vectigalia & alii reditus, inter ipsos ex æquo dividitur; quamvis nonnulli Pagi duplo aut triplo sæpe, etiam aliqui quintuplo majores copias aliis educant. Attamen ob rem fortiter gestam, extra ordinem & privatim illis militibus quorum fortitudo singularis & excellens fuit, & publice quoque Pagis qui præcipuam operam navarunt, præmia dantur. Quoniam vero commeatus maxima ratio in bello habenda est, lege sancitum fuit à priscis Helvetiis, uti hi qui Helvetiis annonam, arma aliasve res necessarias venales præbent, & in castra adducunt, ab injuria omni defendantur, non aliter ac si Helvetii essent. Perpetua etiam lex est, jam olim ab iis sancita, ut in omni bello nulla vis & injuria locis sacris inferatur, ut parcatur muliebri sexui, nisi si qua mulier arma hostibus subministret, aut ipsa etiam jaciendo lapides, aut quovis alio modo damnum det. Porro, quod ad castrametandi rationem, & aciei dispositionem spectat, singula exponere, quæ Helvetiis cum Germanis aliis communia aut peculiaria sint, non mei instituti. hoc tantum dico: nostra & patrum memoria inter omnem peditatum maximam laudem promeruisse phalangem Helveticam: quam, cum densatis hastis eam aciei formam, quam erinaceum vocant, efficit, optime omnium equitatui resistere posse, homines militares judicant; & ita esse reipsa compertum est. Nam ad Novariam peditatus Helvetiorum, omni prorsus equitum auxilio destitutus, non tantum peditatum Gallorum, sed florentissimas & fortissimas equitum copias, fudit & profligavit. Post vero, ad Marignanum cum Francisco rege duobus continuatis diebus pugnantes, & tormentorum vi & multitudine superati, quamvis victi, ita densatis ordinibus Mediolanum rediere, ut receptus eorum nihil fugæ simile haberet, neque victores persequi & vestigiis eorum insistere auderent. Pòst quoque bello Gallico, quum ad Druidum fanum pugnatum est, cum equitatus Gallicus atque Germanicus magna vi in phalangem Helveticam impressionem fecisset, & plerosque è primariis centurionibus concidisset; nihilominus tamen tertio aciem suam instaurarunt, & ordines conservarunt, ita ut hostium quoque judicio magnam bellicæ fortitudinis laudem eo prœlio consecuti sint. Sed nos hæc hominibus militaribus relinquentes, ad pacis studia, quibus à juventute innutriti sunt, accedamus. Primum vero literæ, quæ principem locum tenent, non ita cultæ fuerunt apud Helvetios veteres; quod ingenue fatendum est, non magis quam apud veteres illos Romanos, quando assidue adhuc cum Æquis & Volscis & Vejentibus alisque vicinis populis bellum gerebant. Nam ut illi tantum carminibus impolitis majorum suorum

Pacis studia.

rum

rum fortia facta canebant: ita apud Helvetios, victoriæ bello partæ simili carminum genere vernacula lingua celebratæ sunt. Latinæ linguæ artiumque cognitionem rudes & militares homines tantum ad eos pertinere judicabant, qui sacris initiati essent. Nostra autem ætate in omnibus Helvetiæ Pagis, omnium ordinum viros invenies variarum linguarum & artium peritos. Multi quoque qui linguæ Latinæ usum non habent, nihilominus historias omnis generis, & quæ ad mores & rempublicam, aut ad religionem pertinent, ex veteribus auctoribus Germanice aut Gallice redditis diligenter cognoscunt, & vulgari lingua scriptis libris instructissimas bibliothecas habent.

Scholæ. Scholæ vetustissimæ in Helvetiis olim fuerunt in cœnobio S. Galli, & in Curiensi collegio, uti alibi ostendimus; quibus tamen in locis aliquot jam seculis bonarum artium & literarum studia frigent. Sed Basileæ à Pio Papa, olim Æneа Sylvio dicto, Academia instituta multos clarissimos doctissimosque viros protulit; quos nominare non necesse est, cum scriptis suis noti & celebres sint. Sunt quoque celebres scholæ Tiguri & Bernæ, & alia Lausannæ à Bernatibus instituta. Neque prætereundæ sunt celeberrimæ officinæ Typographorum, quæ Basileæ & Tiguri & Genevæ sunt instructissimæ, ut nullis aliis per Germaniam cedant.

Iustitia. De literis dixi, sed præter literas omne virtutis studium, & præsertim justitiæ, ad pacis functiones pertinet: rempubl. vero Helveticam summa æquitate constitutam esse, & justitiæ laude claram semper fuisse, ex legibus, fœderibus, institutis & moribus veteribus, plurimis denique factis & exemplis constat.

Leges. Leges commemorare nolo, quia non dissimiles sunt aliarum rerumpublicarum, quæ optime constitutæ sunt, legibus; in quibus maleficia & scelera acerrime puniuntur; neque hic ullus personarum respectus habetur. Fœdera ipsa maxima justitiæ cura & studio conscripta sunt, quorum hic scopus est, ut quisque pacate suo jure frui possit, & omnis vis injusta à singulis communi studio & opera prohibeatur. Hoc ut æquissima ratione fiat, primum in bello suscipiendo summo studio cavetur, ne temere & absque justa causa cuiquam arma inferantur. itaque priusquam arma capiantur, optimi & prudentissimi quique publico consilio causas belli cognoscunt, an justæ & legitimæ sint. Deinde in propulsanda injusta vi accurate cavetur, ne ulla fraude dolove utantur hi qui fœdere tenentur ad suppetias ferendas: itaque si per nuncios, per literas interpellari, si viis obsessis interpellari non potuerint, nihilominus pro viribus suppetias ferre jubentur. Præterea quia propter æs alienum sæpe in exigendo graves lites & controversiæ existunt, sic ut nonnunquam ex hujusmodi privatis causis respubl. ipsæ inter se committantur; fœderibus Helvetiorum diligenter cautum est, quomodo exigendæ pecuniæ, & pignora capienda, ut neque creditoribus nimia concedatur licentia, neque debitores fraude uti possint. Quæ certamina æris alieni causa in Romana repub. exorta sint, quoties plebs iniquitate fœneratorum & potentum oppressa secessionem fecerit, aut novas tabulas postularit, nemo, qui historias attigerit, ignorat. At Helvetiorum prudentia & æquabili jure ab illis constituto factum est, ut inter assidua bella, in regione non ita copiosa, nunquam novæ tabulæ postulatæ sint. Cum autem homines militares sæpe ira conciti ad arma ruant, & inter hujusmodi frequentes pugnæ existant, quibus falso quidam fortitudinem ali excitarique arbitrantur, cum tales potius sint injurii rixatores quam fortes viri; huic quoque malo Helvetii mederi conati sunt: primum graves mulctas illis imponentes qui injuriarum auctores fuissent, & alios contumelia aliqua affecissent. sed quia ira non semper reprimi potest, ne aliquo modo erumpat, aliud remedium addiderunt, ne ad cædes usque facile progrederentur, quod quivis astantium, qui rixæ alicujus spectatores & testes sunt, eam pro viribus dirimere legibus tenentur. quod si quis his minus paruerit, acerrime à magistratu punitur: noluerunt enim quenquam ita ira superari, ut legum admonitus illis non obtemperet. Qui vero cædem aliquam patrarit, etsi magistratuum manus effugerit, nusquam tamen in ullo Pagorum locum habet, sed quemcunque suus Pagus ob crimen proscripserit, ab aliis quoque finibus arcetur, nisi testibus evicerit se tuendæ vitæ causa cædem fecisse.

Pacis studia. Porro ea semper fuit æquitas magistratuum in jure dicundo, & puniendis sontibus, ut multi extra Helveticam civitatem ad illorum opem confugerint, aut causas suas ad eorum cognitionem detulerint: videbant enim nemini injuria affecto opem denegari, quando multos à potentibus injuste bonis suis spoliatos, vel legationibus missis, vel etiam armis sumptis, in integrum restituerunt: sic contra Austrios Principes pro Fulachiis civibus Scaphusianorum, Gradleris fratribus è Styria, Helvetii arma sumpserunt, & Principem adegerunt, ut vi ereptas possessiones ipsis restitueret. Simili, sed graviori in causa, pro Renato Lotharingo contra Carolum Burgundum; qui illum omni fere ditione sua spoliarat, feliciter depugnarunt. Sic sæpe bellum illatum est his, qui falso nobilitatis titulo se ornantes, mercibus suis mercatores spoliabant: atque non tantum in ipsa Helvetia, sed longe extra ejus fines, cum aliis urbibus amicis socia arma ad hujusmodi grassatores debellandos junxere. Factum est au-

autem hac cura, ut tutiſſima ſemper itinera fuerint per omnem Helvetiam, ſic ut mercatores opulentiſſimi iter fecerint faciantque liberi, & ſuas merces ultro citroque tranſportent abſque ullo ſtipatorum comitatu, aut commeatu peculiari: quin in proverbium abiit, ſi quis aurum in baculo à tergo dependens palam geſtet, huic licere tuto per Helvetiam iter facere. Proxima juſtitiæ eſt liberalitas, ſub qua hoſpitalitas comprehenditur, cujus nomine gens Helvetica ſemper commendata fuit. Non adſunt Helvetiis lautitiæ Italorum & Gallorum; quamvis & hæ quibuſdam locis non deſint: at illa patriæ terræ munera, lac, butyrum, mel, liberaliter largiuntur: Non deſunt tamen Helvetii optimæ carnes, feræ, & volucres, piſces quoque lacuſtres & fluviatiles variorum generum: atque apud eos, ut veteres heroes, cum civibus tum hoſpitibus frequenter carnes, & præſertim ferinæ, optimique piſces, inter hoſpitalitatis munera offeruntur. Præcipue tamen Helvetii erga egenos & mendicos benefici ſunt, quorum alii hoſpitium, alii victum aliaque neceſſaria abunde illis ſuppeditant: itaque tanta peregrinorum, qui emendicata ſtipe victitant, apud eos eſt copia, quanta vix alibi inveniatur. non diſputo rectene faciat magiſtratus qui tales ferat; hoc eo tantum attigi, ut oſtenderem, ſingularem eſſe gentis in egenos beneficentiam, quæ illos allicit ut frequentes huc confluant. Populus vero ipſe Helveticus maxime omnium publicis conviviis delectatur. in urbibus quidem opificum collegia, aut civium ſocietates, peculiares ædes habent his conventibus deſtinatas; in agro vero vici fere ſinguli publicam domum habent, quam, quod amicitiæ cauſa eo conveniant, ſociorum domum nuncupant. Conveniunt autem ſæpe viri; aliquando etiam cum maritis uxores ad eadem convivia vocantur. neque tamen ſumptuoſe illic vivitur aut delicate; uno aut altero carnium ferculo plerumque convivium finitur: ſæpe etiam collatis ſymbolis cœnant, dum quilibet in commune confert quod domi ſibi paraturus fuerat. Et ſunt in eodem cœnaculo omnes tribules, & ſocietatis illius principem locum magiſtratus & ſeniores tenent. Rarus eſt in hujuſmodi conviviis muſices uſus, quod majorem ex mutuis colloquiis, in quibus ſæpe de rebus privatis, plurimum de publicis diſputant, delectationem percipiant; præſertim vero ſenioribus commemorantibus res præclare geſtas, quibus vel ipſi interfuerunt, vel quas à majoribus ſuis acceperre: ſæpe etiam qui voce valent, clara majorum facta decantant. Ac fuit olim Helvetiorum ſumma cum in omni re, tum in publicis conviviis moderatio & temperantia, ut rarum eſſet, & ignominioſum haberetur, in tali conventu ebrium videri: at, etſi major adhuc ſit moderatio in publicis conviviis Helvetiorum quam apud pleroſque alios Germaniæ populos, non tamen prorſus ab his ebrietas exulat, neque tam dedecori eſt hodie atque olim habebatur.

Liberalitas.

Convivia publica.

Veſtitu à Germanis diſtinguuntur locupletiſſimi, fluitantibus & verſicoloribus braccis, tegmine quondam veterum Gallorum. Cæteri ſtrictis & ſingulos artus exprimentibus. Rari ſagulo aut pallio utuntur. Domi tamen frugalior, & rudi craſſaque lana; foris cultior; per urbes, per itinera ornatiores incedunt, uno atque altero ſervorum comitati. Fœminarum habitus elegantior. opulentiores ſerico, aliæ lineis amictibus velant; utræque purpura aliiſque coloribus variant: nigro fere, etſi diverſo capitis velamine, pilei in modum; nam centone non utuntur. Nudæ quædam brachia, apertæ ſinus, & pectora monſtrata potius quam detecta: raris ea linteis tegunt, fallendo ſimul viſui, & alliciendo. ornatiores operaturæ ſacris incedunt, raro ſine comitatu. Formæ naturali arte & tempore lenocinantur, velata parte oris, ne ſatient aſpectum, & quo venerationis plus inſit. Omnium ornatiſſimæ Baſilienſes veſtiunt, non abludente naturali venuſtati cultu quoque corporis. utroque cæteris præcedunt, cedente jam olim formarum laudem Baſileæ Tiguro; ne hic quidem ſtabili natura, ſed & ſubinde variante, alternatim fovendo ac præferendo ſingulos. Dominum ac ſervum vix ulla neque veſtium neque ordinis differentia dignoſcas; ſimul incedunt, ſimul accubant, ſed ſerius accedens ſervus, prior convivio abit. quod mirum; cum inter pares difficiles loci prærogativæ & æmulationes ſint.

Veſtes.

Sermo Germanus, ſed incomtior & ſine ornamento. Rhæti Seduſiique lingua utuntur ante omnia deformi. incolæ Romanam vocant, nonnulla veteris linguæ ſimilitudine: ſed aliarum interventu corruptior: minime dubio contractæ olim cum S. imperio ſocietatis teſtimonio. In confinio Italiæ idiomate Italico; plures ex crebra converſatione Gallica utuntur. Latina vetus nuſquam vulgarior; minime mirum, tanto in otio & quiete. Literas ſcire quam videri malunt; multique ſciunt multa, & multos multa etiam latent. Injurias neque faciunt libenter, neque accipiunt; acceptas graviter ferunt: nec ſilentio iras nutriunt: ſtatim aperiunt, ſtatim conciliant. Cauſæ liteſque omnes nono fere die aut octavo interciduntur, nec ducunt ultra protrahuntve. hic tantum nondum adeo corruptis moribus, ut vendant magiſtratus, emant judicia.

Sermo.

Poſtquam Romani longo temporis tractu in Helvetia dominati eſſent, Burgundi, imperante Honorio, anno verò ſalutis noſtræ

Hiſtoria.

406,

406, sedibus suis egressi & Provinciam Sequanorum Gallicam, quæ hodie Burgundia Comitatus est, adepti, Occidentalem quoque Helvetiæ partem, quam ab Orientali *Russ* fluvius dividit, occuparunt: anno dein 450 Orientalior pars Alemannis invadentibus cessit. Clodovæus verò expulsis Alemannis anno 499 dominium ejus sibi asseruit, nec longo post tempore Occidentalis quoque, qua Burgundi potiebantur, possessionem Franci adepti. Cum verò Francos Helvetia agnosceret dominos, in hunc fere modum dividebatur: Turgoviæ eique circumvicini agri jus sibi vindicabant Alemanniæ, sive Sueviæ Duces; reliquis provinciis Gubernatores præerant; quos ejus sæculi scriptores Minoris Burgundiæ Vice-Regentes sive Gubernatores vocabant, quandoque etiam Duces Trans-Juranos. Ludovicus verò Franciæ Rex, Helvetiæ, Alemanniæ, nec non Burgundiæ Carolum Calvum filium anno 858 præfecit: ast Ludovico fatis functo, filii ejus Lotharius, Ludovicus & Carolus Calvus patris regna & provincias, æqua divisione instituta, partiti sunt; & quidem Lothario Italia, Provincia, omnesque terræ ab Alpibus, ultra Rhenum Mosamque fluvios sitæ; exceptis iis, quæ ad Alemaniam pertinerent, una cum titulo & dignitate Imperatoris obtigit. Carolus Francia potitus est, at Ludovicus Bavariam, Saxoniam, Thuringiam & Alemanniam acquisivit; adeo ut Helvetia Alemanna Ludovico cesserit; Burgundia Lothario; abhinc Regum Franciæ dominio exemta, Helvetia in Imperatorum, vel Alemaniæ Bavariæque Ducum potestatem transiit. Dein Comitibus Burgundiæ & Zeringensium Ducibus cessit dominium; qui se Dei & Imperatorum Gratia Burgundiæ Gubernatores dictitabant, judicum & Advocatorum seu Protectorum totius Turgoviæ titulum quoque assumentes.

Bertholdo vero Quinto, ultimo Zeringensium Ducum è vivis abrepto, circa annum 1246, & Imperii habenas moderante Friderico II, diversa rerum in Helvetia fuit facies. Sueviæ enim Duces nulla in Orientaliore ejus parte pollebant potestate. Tigurensium civitas pagi totius caput Canonicorum & religiosorum parebat collegiis, quamvis nonnullis quoque privilegiis à Regibus & Imperatoribus concessis frueretur. Non contemnendus porro terræ tractus Kiburgensibus parebat Comitibus, quorum postremus, circa idem fere tempus fatis fungens, hæreditatem suam Rudolpho Comiti Habspurgensi sororis suæ filio, post ad Imperatoriam Majestatem evecto, reliquit. Toggemburgenses quoque Comites præpollebant dominiis & viribus; nec non S. Galli Abbates, quorum dominium Abbatis Cellenses, majorque Turgoviæ pars agnoscebat. Rapperswylenses quoque Comites non postremum occupabant locum; Habsburgenses vero Tugium, terrasque circumvicinas, atque majorem Zuitii pagi possidebant partem. Vrii fere omnes Religiosis Tigurensibus, sive Monasterio Vettingensi. Abbatia Murbachensis Lucernæ, & potiori territorii circumjacentis parti dominabatur. Habspurgensium præter Comitatum cognominem Badenses & Lentburgenses erant. Barones etiam Volhusenses & Schembachenses admodum magna gaudebant authoritate, Kiburgensesque Comites Burgdorfiæ commorantes, omnia circa Arbergam, Nidoviam, Buochs & Falkenstein possidebant. Berna vero se Sabaudiæ Ducibus, Friburga Kiburgensibus Comitibus tradiderant. Salodorum erat sub imperio Canonicorum S. Ossi. Vchtlandia, isque terrarum tractus qui Iuræ monti adjacet, partim ad Sabaudum, Comites Gruyeræ, & Neocastri, Barones Granson, & Episcopum Basileensem, pertinebat. Ager Vallensis Sabaudici juris erat, vel Lausanensem agnoscebat Præsulem. Schaphusia denique ad monasterium Omnium Sanctorum spectabat. Cæterum habitabant etiam in Helvetia innumeri fere natalium splendore illustres. Monasteria vero & Canonicorum collegia immediate ab ipso dependebant Imperatore.

Friderico II autem ab Imperio remoto, in Concilio Lugdunensi anno 1255, tantis tumultibus Germania & Italia turbatæ fuere, ut ipsa Helvetia quoque eosdem experta fuerit. Earum enim Civitatum quæ Ecclesiasticis parebant, quædam Imperatoris, aliæ Pontificis Romani fovebant partes. Tigurenses, Solodurenses, & Schafhusienses Senatum, Consulesque creandi, aliosque magistratus instituendi plenam potestatem, consentiente ad id Friderico, Ecclesiasticorum inimico summo, arripuerunt. Præterea Vrienses, Suitienses atque Vnderwaldenses libertatem à solo Imperio dependentem tum consequuti sunt. At post Friderici obitum, cum in illo multorum annorum interregno dissidia in imperio non sopirentur, usque ad Rudolphi Habspurgensis Imperatoris electi coronationem, Nobilium quoque in his regionibus licentia cresceret, tres supra memorati Pagi Rodolphum, propter eximiam virtutis opinionem, ad defendendam armis libertatem, si opus foret, numerato annuo stipendio, ducem ascivere, & fœdus cum eo fecerunt; quod post Tigurini & Basileenses secuti sunt. Vrienses Wernerum Baronem Attinghusanum, Suitii Arnoldum Stauffacherum, illustribus natalibus ortum, duces ad tuendos se ab omni injuria elegerunt. Rodolphus vero post ad imperii fastigium evectus, quamvis laboraret plurimum in augenda potentia Habspurgicæ Domus, Helvetiis tamen libertatem suam intactam

tactam reliquit. Rodolpho extincto Adolphus Nassavius rite in Imperatorem electus est, cui Albertus Austrius Rodolphi filius, imperium ambiens, sese omnibus viribus opposuit; & tandem Adolpho, in acie occiso, successit, & Imperatoriam dignitatem consecutus est. Adolphus autem cum Helvetiis privilegia ipsorum confirmasset, iique partes ejus contra Albertum fovissent, in grave Alberti odium inciderunt. Albertus itaque, jam in ipsa Helvetia Kiburgensium, Habspurgensium, Badensium & Lentsburgensium in confiniis Alsatiæ Princeps, novum in Helvetiis Principatum instituere cœpit. Quoniam vero Ecclesiasticorum magna erat potentia, ubique satagebat, ut vel suas jurisdictiones sibi venderent, vel ipsum liberosque hæreditarios perpetuosque Tutores, & Advocatos sive Patronos assumerent; postulavit enim id ab Argentinensi, Basileensi, Constantiensi, & Curiensi, Episcopis, Abbatibus, & Collegiis S. Galli, Murbacensi, Tigurensi, cæterisque. Pari ratione Helveticarum regionum Comites & Barones, Villisovianos, Rotenburgios, Regensburgios, Eschenbachios, Arburgios, Wolhusanos aliosque sollicitabat & urgebat. Verum Abbas S. Galli, Collegia duo urbis Tigurinæ, Comes Homburgius, & quidam alii; Austrios neque patronos, neque Advocatos ut assumerent, neque quidquam jurisdictionum, ut iis venderent, adduci potuere. Cæterum multi alii, & inter alia Monasteria Secconiense, Murbacense, D. Virginis ad Eremum; Collegium Lucernense, sua jura Alberto dederunt, quæ ipsi apud Glaronenses, Lucernenses, Switios & Vnderwaldios habebant. His artibus vicinas regiones cum jam occupasset, arcesque nonnullas in ipsis pagis sibi comparasset, de ipsis Switiorum, Vriorum & Vnderwaldiorum pagis in suam potestatem redigendis agere cœpit, legatosque ad pagos misit, qui illis suaderent, ut se in clientelam Familiæ Austriacæ dederent, cum cæteri omnes vicini jam sese ei dedissent. Pagi vero responderunt, se, membra imperii, ab Alberto Imperatore petere, ne ab eo divellantur, simulque amplissima Regum & Imperatorum Romanorum privilegia ostentarunt. Hisce exacerbatus Albertus, duos Imperii nomine Præfectos, qui duro & aspero imperio populum premerent, civesque harum regionum nullis, aut levibus de causis in carceres conjicerent, novasque exactiones exigerent. Grisslerus Eques, qui Suitiis & Vriis præerat, postquam, prope Altorffum in Vriorum pago arcem extruxisset, quam *Zwing Vry under die stage* nuncupavit, id est jugum Vriorum, quo in extremam servitutem redigendi sunt; Altorffi in foro pileum prælongæ perticæ imposuit, jussitque omnes nudato capite, flexisque genubus honorem eum pileo exhibere, quo se præsentem afficere consuevissent. Hæc, aliaque insolentia Præfectorum acta, Waltherum Furstium Vriensem, Wernherum Stauffacherum Suitium, & Arnoldum de Melchthal Vnderwaldensem excitarunt, ut jurejurando se invicem obstringerent, ad Patriam communi consilio & auxilio tyrannide liberandam. Mox autem non solum plebis, sed Nobilitatis quoque maxima pars in his pagis Fœderatorum partes sequuta est; nam Præfecti non minus Nobilitati, quam populo infesti erant, & vulgo ab his nobiles pagorum rusticis amumerabantur, & rustici nobiles, & rusticorum tribules appellabantur: eorum quoque jura Præfecti Austriis paulatim asserere cœperant. Interea temporis accidit, ut apud Vrios confœderatorum unus, Wilhelmus Tellius, aliquoties pileum stipiti impositum præteriret, nullo reverentiæ aut honoris signo exhibito. Præfectus è liberis ejus filiolum unice patri charum deligit, & in vertice ejus pomum impositum sagitta petere jubet. Tellius arcu sumto, Deo haud dubie jactum gubernante, pomum è filii capite dejicit, illæso puero. Verum cum Præfectus alteram sagittam thoraci Tellii insertam cerneret, quæsiit in quem usum hanc quoque è pharetra deprompserit; ille ingenue se hoc consilio sumsisse ait, ut si priore filium feriisset, secunda præfectum peteret. Re cognita, Præfectus Tellium vinctum navi imponi jussit, ut eum ex Vriorum regione Cussenacum in perpetuos carceres abduceret: ast Tellius gravi oborta tempestate occasionem evadendi natam arripuit, & postera die Præfectum ex insidiis obtruncavit. Cum autem tandem Kal. Ian., præstituto facinori die, advenissent, ex insidiis & stratagemate insigni Vnderwaldii Rotzbergicam & Sarnam arces occuparunt. Eodem die Vrii novam arcem Vriæ jugum nondum absolutam destruxere, & apud Suitios Stauffacherus cum suis Lovertiam arcem in lacu positam cepit & diruit. Postridie tres Pagi Legatis missis publicum fœdus in decennium fecerunt, & illud jurejurando sanxerunt. Albertus cognitis his rebus, graviter commotus, statuit pagos bello persequi, & vi sub jugum redigere; sed non multo post cæsus à fratris filio & conjuratis, bellum, quod animo destinaverat, persequi non potuit. Alberto successit in Imperio Henricus Lutselburgensis, VII ejus nominis: hic trium Pagorum privilegia & veteres immunitates illis concessas confirmavit. Interea temporis Alberti liberi, vindictam necis paternæ spirantes, armata manu Helvetiam ingressi, anno 1309, multas munitissimas arces diruerunt, nobilissimasque plurimas harum regionum familias delerunt; arce enim Farvanga capta, uno die 63 nobili stemmate oriundi capite mulctati sunt. Mor-

Fœdera.

Socii.

Mortuo autem Henrico, dissentientibus Electoribus, Ludovicus Bavarus, & Fridericus Austrius, Alberti filius, ambo electi sunt: Pagi autem dicti, qui Austrios oderant, Bavaro adhæserunt; quamobrem à Constantiensi Episcopo excommunicati, & à Curia Imperiali Rotweilana proscripti sunt. Bavarus autem eos rursus excommunicationi & proscriptioni exemit. Leopoldus vero Austrius, Princeps præpotens, quique paternum odium pectore alebat, à Nobilibus profugis instigatus, exercitum 20000 armatorum in Switios duxit. Pagi interim copias suas collegerunt, & 1300 numero locum *Morgarten* dictum, munierunt, & castra in edito monte posuerunt, copiasque Leopoldi 16 Novembris anni 1315 penitus delerunt. Eadem fortuna paucis post dies Vnderwaldii Strasbergium Comitem à Leopoldo, ut regionem eorum vastaret missum, debellarunt. Hæc autem victoria fundamentum firmavit Helvetici fœderis, quod, antea ad decennium factum, tum primum tres Pagi in perpetuum pepigerunt, & in litteras retulerunt.

Fœdera. Conjuratio ab Austriis eorumque asseclis contra Lucernam instituta fœdus Helveticum acceleravit, eo quod Lucernates, cum cernerent odia & insidias Nobilitatis, fœdus cum Vriis, Switiis & Vnderwaldensibus inierunt anno 1332. Mox Tigurini anno 1351 cum præcedentibus fœdus confecerunt, & quamvis quinto demum loco fœderi accesserint, nihilominus propter urbis eorum potentiam, princeps locus omnium consensu illis datus est. Tugienses una cum Glaronensibus anno 1352 fœderi nomen dederunt. Bernenses vero anno 1353 fœderatis se junxerunt, secundusque iis locus in fœdere concessus est. Anno vero 1481, Friburgum & Solodurum Helvetica civitate donatæ sunt, & Pagis annumerari cœperunt; Basilea autem & Schaphusia, anno 1501 eadem jura consequutæ sunt; ultima vero Abbatis-Cella à reliquis admissa est, adeo ut Pagi hodie numerentur tredecim.

Socii. Socii verò, Helveticis pagis juncti, sunt sequentes: Abbas S. Galli fœdus perpetuum iniit cum Tigurensi, Lucernensi, Suitiensi & Glaronensi pagis anno 1451: Civitas vero S. Galli cum Tigurensibus, Bernensibus, Lucernensibus, Suitiensibus, Tugiensibus, atque Glaronensibus convenit, anno 1454. Rhæti sive Grisones inter se uniti, perpetuum fœdus cum omnibus Helvetiis percusserunt anno 1498. Valesii multa fœdera cum Helvetiis variis temporibus sancierunt; anno 1250 cum Bernensibus; anno 1417 cum Lucernensibus, Vriis & Vnderwaldiis; verum anno 1533 exortis de fide controversiis, Sedunensium Episcopus cum septem pagis Catholicis fœdus fecit; Rotweila in Suevia anno 1519 recepta est ut fœderata ab omnibus Pagis. Mulhusium in Alsatia quoque, urbs Imperialis, anno 1515 ab universis pagis aggregata est: Bienna variis fœderibus Helvetiis juncta fuit, tandem fœdus omnino firmatum anno 1547. Neocomenses Comites amicitiam singularem cum Bernatibus colunt, iis & Lucernatibus ac Friburgensibus fœdere juncti anno 1529. Geneva cum solis Bernatibus contraxit anno 1536, nondum publico fœderi adjuncta.

Reipub. Helveticæ forma. Nonnulli Helvetiorum Pagos unam Civitatem, unamque rempublicam constituere æstimarunt; alii apud eos nullam imperii societatem & conjunctionem esse; ideoque unam rempublicam dici non posse, arbitrati sunt; Pagosque singulos rempublicam singulam constituere, esseque totidem respublicas æterno fœdere inter se junctas, præsertim cum non solum limitibus inter se distinguantur, sed plane diversis legibus, nec non moribus, diverso quoque regiminis modo utantur. Sed cum unum sit totius gentis Consilium, & communi imperio provincias plerasque administrent, de pace & bello omnes simul statuant, si non una sit respublica, saltem quam proxime ad unius reipublicæ formam accedere, dicendum est. Porro regimen Vriorum, Suitiorum, Vnderwaldensium, Glaronensium, Abbatis Cellensium, & Tugiensium, Democraticum est, quoniam omnia ad populi deliberationem referuntur. Tigurini, Bernates, Lucernates, Friburgenses, Salodurenses & Schafhusiani regimine utuntur quam proxime ad Aristocraticum accedente; hi enim ab Optimatibus, quos Dominos vocant, reguntur; quamvis in eo Democratiæ quid habeat, quod populo Dominorum competat electio.

Pagorum singulorum Magistratus. Quidam pagorum summum magistratum, seu publici Concilii capita *Ammannos* vocant; & hoc quidem magistratu utuntur Pagi qui oppidis carent & vicatim habitantur: atque in his summa imperii penes universam plebem est: cujus consilio res majoris momenti definiuntur. in hoc numero sunt Vrania, Switia, Vnderwaldia, Tugium, Glarona, & Abbatis Cella. Alii Pagi sua oppida habent, penes quæ est imperium totius Pagi. Sed tamen in his duæ sunt rerumpub. formæ; quædam namque, & præsertim ea, quæ vel à Principibus condita, vel eorum imperio subjecta aliquando fuere, à Sculteto, vernacule *Schultheis*, & à Senatu, qui libera electione ex omnium civium numero delectus fuerit, administrantur; & hæc forma inter omnes maxime est Aristocratica: ac Berna, Lucerna, Friburgum, Salodorum hoc modo rempubl. gubernant. quædam vero oppida sunt in Tribus certas distributa; atque ex his plebis suffragiis tributim magistratus creantur. hi summum magistratum & caput publici consilii

Bur-

Burgermeyster, civium magistrum, vocant: hujusmodi reip. forma est Tiguri, Basileæ, Schaphusiæ. de singulari singulorum pagorum regimine suo loco differemus. Cæterum id commune est omnibus civitatibus præcipuis, quod bina iis sint Consilia, grande & minus. Majus constat ex Consiliariis aliquot, qui nomine totius populi congregati, res majoris momenti, & ad Rempublicam pertinentes, disceptant. Minus, quod singulis diebus cogitur, sopiendarum inter concives litium, est. Consiliarii vero dicti vel è Nobilium, civiumve qui mercaturæ operam non impendunt, societate, vel tribubus, quos *Zunfft* vocant, eliguntur. Cæterum, præter dicta Consilia, pagi Calvini doctrinæ addicti, Consistoria habent, ubi de rebus Ecclesiasticis agitur.

Senatus Helveticus, vulgo Landtdagh.

Præter dictos Magistratus & Consilia, Consilium, sive Conventus celebrari solet generalis Helvetiorum, quem vulgari idiomate *Landtdach* vocant. hic Senatus non idem semper est numero; quandoque enim conveniunt præter pagos etiam alii Socii & fœderati civitatis Helveticæ; & præcipue ex his S. Galli, Rhætorum sive Grisonum & Mulhusianorum Legati: atque hic est maximus & frequentissimus Senatus, & qui rarius convocatur; ubi de bello, aut pace, aut aliis rebus agendum est, quæ ad omnes Confœderatos ex æquo pertinent. Plerumque tamen solùm Pagorum tredecim Legati conveniunt, & de rebus ad civitatem Helveticam spectantibus deliberant, & singuli par sententiæ dicundæ & suffragii ferendi jus habent: itaque cum ab aliquo Pago bini legati mittuntur, unum tantum suffragium habent, quoniam hæc juxta pagorum, non Legatorum numerum æstimantur. Attamen non semper omnes Pagi intersunt Senatui: verum ubi agitur de præfecturis, quæ à septem octove Pagis reguntur, aliisve de rebus quæ tantum ad horum cognitionem spectant, tum septem aut octo solummodo Legati conveniunt. cæterum ubi de Præfecturis Italicis agitur, quæ 12 Pagorum imperio parent, eorundem legati conveniunt: in his autem rebus, quarum totius reipublicæ interest, conveniunt omnium Pagorum Legati, plenumque & justum Senatum constituunt. Postquam vero Helvetia propter discrepantes de religione sententias in partes abiit, peculiares quoque conventus instituti sunt, & frequentissime conveniunt, & proprium senatum habent.

Per quos haberi possit.

Convocandi vero & consulendi Senatus summa auctoritas, more majorum est penes Tigurinum pagum, qui veteri privilegio primum locum & ordinem inter pagos tenet. Hi ubi publicus conventus habendus sit, singulis pagis per litteras causam, tempus, & locum conveniendi indicant. Legati etiam exterorum Regum & Principum à Tigurino pago jus adeundi senatum postulant, & quandoque extra ordinem sibi haberi senatum petunt. At in peculiaribus conventibus alia ratio est. Nam quatuor pagi Calvinistici à Tigurinis convocantur; at senatus septem pagorum Catholicorum plerumque à Lucernatibus cogitur. Sunt etiam peculiares conventus illorum Pagorum, qui Gallorum Regi fœdere juncti sunt; hos Legatus Regius, qui Salodori commoratur, convocat, idque regiis sumtibus.

Locus habendi Senatus.

Helvetii veteres locum habendi Senatum nullum certum perpetuumve habuerunt; at hac nostra ætate non lege aut decreto ullo, sed more & consuetudine receptum est, ut publicus Pagorum senatus Badæ in Curia oppidi habeatur, idque ob rerum ad victum necessariarum abundantiam, nec non ob situs amœnitatem & commoditatem; quia in medio fere Helvetiæ situm, pene pari itineris spatio ab extimorum pagorum Legatis adiri possit. huc accedit, quod cum 8 Pagorum imperium agnoscat, ut major pars idem, parque jus ibi habeat. Peculiares Conventus quatuor urbium Calvinisticæ religioni addictarum Aroviæ, Bernensium in oppido, plerumque habentur. At pagi Catholici dicti, plerunque Lucernæ, aliquando Bechenriedæ in Vraniis, aut Brunnæ Switiorum conveniunt. Cum autem Legatus Gallorum Senatum Helveticum conscribit, & militem petit, Salodorum eos evocat.

Tempus & ratio agendi in eo.

Quotannis vero more majorum Senatus legitimus circa solstitium Badæ habetur: & tum Præfecti publicarum provinciarum coram Senatu rationes reddunt, & provocationes ex singulis provinciis audiuntur. Indictus autem Senatus vel ex decreto publici Senatus, ex formula recessuum, ut vocant, habetur. Nam plerumque graviores causæ primo conventu non definiuntur, vel quod non liqueat Senatoribus, vel quod non habeant plenam Potestatem; itaque alius conventus indicitur communi decreto, & interea Legati singuli domi Magistratus suos, imperium summum obtinentes, consulunt. Etsi autem indictus Senatus tantum propter causas publicas habeatur, tamen ubi illæ finitæ fuerint, si qui privati ex provinciis illuc venerint, & suas causas agere voluerint, audiuntur. Consident autem Legati in Senatu juxta Pagorum ordinem & numerum, ita ut primum locum teneat Tigurini pagi Legatus, editiore subsellio mensæ adsidens; proximum locum Bernas habet: post hunc Lucernas: & deinceps reliqui juxta pagorum ordinem. Tigurinus exponit quibus de causis Senatus indictus sit, additque, quid de iis à Magistratu suo in mandatis acceperit. Idem faciunt ordine reliqui. Hisce factis præfectus Badensis, ex quocunque pago is fuerit, sententias ex

ex ordine rogat, sententiis dictis suffragia ab eodem numerantur juxta Pagorum, non autem Legatorum, numerum.

Res de quibus cognoscit Senatus.

In hisce conventibus ventilantur magni momenti quæstiones, quales sunt, de bello inferendo, seu pace conficienda; Si aliquis pagorum gravi injuria affectus sit, ad Senatum prius refert, ut ille statuat an justa sit belli causa; & si videatur è Republica esse, ut bellum moveatur, proxime deliberatur de modo & ratione belli gerendi. Vt autem in bello suscipiendo Senatus consulitur, ita pagi non singuli separatim, sed communi consilio de pace agunt. fœderum quoque sanciendorum jus Senatui competit. In his tamen hoc servatum, ut si pagus aliquis nollet, cum aliquo, novo fœdere illigari, id illi liberum esset. Legumlatio quoque ad Senatum pertinet. Quamvis enim singuli pagi peculiaribus legibus & moribus utantur, nihilominus communi consensu multa quandoque Helvetii edixerunt, & observanda statuerunt. Si quoque Legati extra Helvetiam mittendi sint ad controversiam dirimendam, ad fœdus faciendum, ad gratulandum, ad cohortandum, aut etiam imperandum, aut postremo res repetendas, aut ad bellum indicendum; sive etiam in ipsa Helvetia cum Pago aliquo, aut civitate per Legatos agendum fuerit; de his omnibus Senatus deliberat & decernit. Est etiam in Senatus cura & arbitrio positum, quid cum Legationibus Regum, & Principum exterarumve civitatum, agendum; quidve eis respondendum. Postremo provinciarum, quæ publico pagorum imperio reguntur, Senatus summam curam habet, ut recte administrentur. Et primum, quoniam plerique officia quædam lucrosa habent, ut sunt, Secretariorum, Commissariorum, Officialium, Interpretum, & in Turgea *Landman* & *Landweibel*; quorum is, nomine decem Pagorum, Iudiciis capitalibus præest; hic, causas capitales agit: omnia hæc certis hominibus à Senatu conferuntur; neque Præfecto tales suo arbitratu deligere licet. Deinde si quæ controversiæ difficiliores in Provinciis oriantur, de quibus præfecti nolint ex suo consilio sententiam ferre; hæ ad Senatum referuntur: aut si Præfectorum sententia alterutri parti iniqua videatur, ad Senatum provocare licet; & causas quidem Italicarum præfecturarum Legati, qui quotannis Iunio mense illuc mittuntur, cognoscunt: reliquas, qui Badæ conveniunt: & ad hunc Conventum ab altero provocare licet, quod hujus sit major autoritas. Postremo vectigalium, redituum, item mulctarum à Præfectis ratio coram Senatu reddenda est; & annui reditus singularum Præfecturarum, inter illos pagos æqua portione distribuuntur, penes quos illius præfecturæ imperium est. Cæterum sunt quoque cœnobia quædam in publicis præfecturis, quorum Advocatio ad Helvetios pertinet. Atque ut summatim dicam; quidquid ad provinciarum communium administrationem spectat, de his Senatus cognoscit, & eorum cognitio penes Senatum est, quæ ad publicam salutem, & tranquillitatem in præfecturis, ipsisque pagis pertinet.

Iudiciorum in Senatu ratio.

Siquis causas habet, quas coram Senatu agat, primum à Tigurini pagi Legato petit sibi Senatum dari. is diem illis constituit, ac nomina eorum in Albo Curiæ annotat. Post ubi coram Senatu causæ agendæ sunt, alii quidem ipsi suas causas agunt, alii Causidicis (quos *Führsprech* vocant) utuntur, quos vel domo secum adducunt, vel è præsentibus, nam magna huc tunc confluunt copia, deligunt: illud vero imprimis hic notandum, causas hic non ex Romano jure & Iurisconsultorum responsis, sed ex æquo & bono, & legibus atque consuetudinibus singulorum populorum disceptari.

Iudicia publicarum controversiarum.

In publicis controversiis, quæ existunt inter duos, pluresve pagos, aut inter privatos homines & pagum aliquem, utraque pars ex suorum numero duos judices deligit. hi absolvuntur jurejurando, quo suo Pago obstricti sunt: & fidem dant, se ex jure, æquo & bono controversiam cognituros; daturos quoque operam, ut quam primum controversia vel amice componatur, vel jure decidatur. Certa vero loca sunt antiquis fœderibus constituta, in quibus hæc judicia fiant.

Loca judiciorum.

Septem antiquiores Pagi, si qua lis inter ipsos existat, Legatos & judices suos mittunt ad Eremitanum cœnobium. Glaronensium antiquissimo fœdere hoc nominatim sancitum est, si controversiam habeant cum aliquo è tribus pagis: Cum Vraniis ut Mercham, cum Switiis ut Bergeram, cum Vnderwaldiis Brunnam conveniant; ac tum reliqui pagi causa cognita sententiam ferant.

Bernenses, & tres pagi, Vrii, Switii & Vnderwaldii, in loco conveniunt, qui *Kienholts* dicitur. Tigurini verò & Bernates Soffingæ. Friburgenses, & Salodorii, si litem habent cum octo Pagis, aut aliquo eorum; si quidem ipsi autores sint, Losingæ judices conveniunt; si rei, Wilisovium veniunt.

Basiliensium, Schafhusianorum, & Abbatis-Cellensium causæ Badæ disceptantur: ibidem etiam Conventus habetur in controversiis Helvetiorum, cum Rotweilensibus & Mulhusianis: sed civitatis S. Galli controversiæ disceptantur apud Eremitanum cœnobium: Grisonum vero, Wallenstadii, quod oppidum est ad caput Rivani lacus in Sarimetana præfectura.

Fœdera cum Gallis;

Fœderum, quæ Helvetii cum exteris habent, primum & præcipuum est Gallicum. Primus Regum Galliæ Ludovicus I post cæsum

ſum ab Helvetiis ad Moratum Carolum Burgundiæ Ducem, cum Helvetiis fœdus decem annorum fecit, anno 1476. Porro filius ejus Carolus VIII, anno 1483 paternum fœdus cum iis renovavit. Qui vero huic in imperio ſucceſſit Ludovicus XII, fœdus quoque in decennium cum illis conjunxit; quo finito, cum gratias Helvetiis egiſſet, & publicas & privatas penſiones, quas illis perſolverat, renuntiaſſet, ii exacerbati, cum Iulio II, Pontifice maximo, fœdus inierunt. Franciſcus I, Ludovici gener & in regno ſucceſſor, Helvetios cum ad Marignanum memorabili prælio ſuperaſſet, cum iiſdem perpetuam pacem facere, eoſque regno Galliæ firmo ſtabilique fœdere conjungere conatus eſt. quod tandem anno 1521 utrimque præſtitum fuit. Finito hoc, ob mortem regis Franciſci, filius Henricus II, iiſdem quibus Pater conditionibus novum fœdus cum Helvetiis iniit. Idem poſtea fecere Carolus Nonus, Henricus IV, Ludovicus XIII, & qui hodie Gallici regni habenas moderatur, Ludovicus XIV, cujus ad Helvetios Legatus, more ſolito, Salodori commoratur.

Cum Auſtriacis & Burgundis;

Sequuntur fœdera Auſtriaca & Burgundica: & primum quidem Helvetii inducti perſuaſione Ludovici XI, Galliæ Regis, cum Sigiſmundo Friderici filio Auſtriæ Archiduce, hæreditarium fœdus inierunt; quod de novo confirmatum eſt à Maximiliano Imperatore anno 1511; eodem Carolum nepotem, Hiſpaniarum tum temporis Principem, obſtringens. Anno quoque 1543 id à Ferdinando Rege Rom. Caroli Imp. fratre, agnitum eſt.

Cum Mediolanenſibus;

Porro Lucernates, Bernates, Vranii, Swítii, Vnderwaldii, Tugienſes, & Glaronenſes, fœdus antiquum cum Galeatio Sfortia Mediolanenſium Duce renovarunt anno 1416. Et quoniam Mediolanum ſæpius dominos mutavit, capitula hujus fœderis aliquoties confirmata atque renovata ſunt; ac poſtremo anno 1552 Ferdinandus Gonzaga, Mediolanenſium Gubernator, nomine Caroli V, cum Helvetiis conventionem hanc renovavit. Philippus II, Hiſpaniarum Rex, & Mediolani Dux, fœdus fecit cum ſex Pagis Catholicis, Lucerna, Vrania, Switia, Vnderwaldia, Tugio & Friburgo. Litteræ de ea re datæ Lucernæ anno 1587; juratæ & confirmatæ Mediolani 1588. in eandem quoque ſocietatem venerunt Abbatis Cellanorum Catholici anno 1597. Hujus confœderationis ergo Regis Hiſpaniæ, tanquam Ducis Mediolanenſis, nomine, Legatus Lucernæ commoratur.

Cum Sabaudis.

Sabaudiæ Duces antiquitus fœdus & amicitiam, cum Bernatibus præcipue, Friburgiis & Salodoriis coluerunt multis annis. Cæterum cum omnibus Pagis Helveticis Carolus III, in annos 25 fecit anno 1512. Emanuel Philibertus cum ſex Pagis, Lucerna, Vrania, Switio, Vnderwaldia, Tugio & Friburgo fœdus iniit ad vitam ſuam, filiique ſui. anno 1577 Carolus Emanuel fœdus id confirmavit. Ducum horum nomine Friburgi fere ſemper reſidet Legatus.

Cum cæteris Principibus.

Fecerunt Helvetii fœdera nonnunquam in paucos aliquos annos cum Romanis Pontificibus, cum Angliæ & Hungariæ Regibus, Wirtembergæ, Tuſciæ, & Burgundiæ Ducibus, cum Epiſcopis Conſtantienſi, Argentinenſi, Baſileenſi: cum urbibus Vindelicis ad Lacum Acronium, cum Suevicis item, & iis quæ ad Rhenum ſunt.

Nobilitas.

Falluntur ii quam maxime, qui apud Helvetios nullam proſapiæ curam, nullum ſanguini & natalibus honorem haberi exiſtimant. quamvis enim verum ſit, Helvetios, nobiles eos vel morte vel exilio mulctaſſe, qui armis contra eos ſumtis, libertati inſidias intentabant: at ii qui communi cum Pagis conſenſu arma pro libertate aſſumſere, ſemper, eorumque poſteri in hunc uſque diem honoribus affecti ſunt. In bello quoque, quod cum Auſtriis Principibus geſſere, non exiguus Nobilium numerus periit; nihilominus ſuperſunt nonnullæ Baronias aliaſque poſſeſſiones & feuda poſſidentes: aliæ, paupertate oppreſſæ, nobilitatis & ſanguinis claritudinem oſtendere vetantur. Apud Bernates non paucæ ſunt familiæ antiquum natalium ſplendorem conſervantes; ſed maxime inter eas elucent, *Erlachii*, *Diesbachii*, *Bonſtettenſes*, *Luternavii*, *Vatevillæ*, & *Mylinenſes*. quibus privilegio conceſſum eſt, immediate poſt majores Magiſtratus incedere, quamvis iiſdem, quibus cæteri cives, legibus obſtricti, in dominiis tamen ſuis omnigena juriſdictione gaudentes. *Eſcherii*, *Schmidii*, *Stuckii*, aliique apud Tigurinos: *Sonnenbergii*, *Fleckenſteynii*, & *Setheynii* apud Lucernates, ſanguine antiquo & illuſtri oriundi ſunt: apud Friburgenſes nonnulli ex Erlachiis & Diesbachiis degunt, qui Bernam patriam ob exercitii Religionis Catholicæ prohibitionem reliquerunt. Schafhuſii Dominorum Thurnenſium antiqua & illuſtris proſapia, uſque in hodiernum diem clara eſt, publiciſque quandoque Reipub. muniis præficitur. Salodori, apud Switios aliosque pagos reſtant nonnulli ex antiqua nobilitate, qui Magiſtratum aliquando gerere conſueverunt. Baſileæ nullus fere antiqua illa nobilitate viget; verum ii, qui Nobilium gradum & honores poſſident, eum poſtmodum ob cauſam quamcunque honorificam conſequuti ſunt. Horum Nobilium nonnulli extra civitates in dominiis, arcibuſque ſuis victitant, juriſdictionibus, exemtionibus, privilegiiſque ſuis gaudentes; verum Iudicio quique Pagorum ſuorum ſubjecti. Alii in Civitatibus degunt, & non raro Magiſtratibus admoventur, nonnunquam

quam Præfecturis, militiæ, armisve præficiuntur.

Religio. Septem ex Helveticis pagis, Lucerna, Vrania, Switia, Vnderwaldia, Tugium, Friburgum & Salodorum Religioni Catholicæ Romanæ quam constantissime addicti sunt. Bernates verò, Tigurenses, Basileenses, & Schafhusiani, Calvini sententiam, & religionem, quam Reformatam dicunt, amplectuntur. Abbatis-Cella, & Glarona ab utriusque generis civibus promiscue habitantur; Magistratus autem ex utriusque professionis Senatoribus constat.

Totius Helvetiæ Status & Divisio.

HElvetia communiter dividitur in tres partes principales, I, Cantones sive Pagos: II, Eorum Socios & Confœderatos: III, Præfecturas.

I. Pagi, quos Itali *Cantones* vocant, in universum sunt tredecim, Tigurum, Berna, Lucerna, Vria, Switia, Vnderwaldia, Tugium, Glarona, Basilea, Friburgum, Salodorum, Schaphusium, & Abbatis Cella.

II. Pagorum Socii & Confœderati sunt; Abbas & oppidum S. Galli; Rætorum, vulgo *Grisones* dicuntur, confœderati populi; Episcopus Sedunensis, & tota Valesianorum regio: Civitates quoque Rotevilla, Mulhusium, Geneva, Neocomum, & Bipennæ.

III. Præfecturæ dividuntur in eas quæ communi imperio reguntur, & alias, quæ sub cujusque Pagi sunt regimine.

Prioris generis sunt Turgovia, Badæ, Ragusca, Provincia quæ Libera dicitur; Trans-Alpinæ quoque hæ Luganiorum, Locarnensium, Mendrisianorum, Vallis Madiæ. Prædictæ autem duodecim, octo, septemve pagis unitis obediunt.


Bellizona, Riveria & Briena, à tribus pagis Vriensi, Switiensi, & Vnderwaldensi reguntur.

Moratum, Schwartzenburgum, Gransea, & Orben, Bernensem & Friburgensem pagos agnoscunt.

Gastal, Vsnach & Gams, Switiis & Glaronensibus parent.

Badæ, Bremgarten, Frawenfeld, Rapperswila, Diessenhofen & Meyling, suis privilegiis gaudentes, sub protectione Pagorum antiquas libertates retinent.

Vallis Tellina, Clavenna & Bormio ad Grisones pertinent. Et hæ quidem regiones, conjunctim sumtæ, Corpus illud constituunt, quod Helvetiam vocamus.



P A-

PAGVS TIGVRINVS,

vulgo

ZVRICHGOW.

Nomen.



Agus Tigurinus, qui à primaria urbe Tiguro Zurichgouw dici solet, *Termini.* ad Septentrionem Hegoviam, & Kleckgoviam Sueviæ partes, nec non Schafhusianum pagum respicit; ad Occidentem Argoviam habet conterminam; ad Meridiem Tugiensi & Lucernate terminatur pagis; ad Orientem Turgoviæ parti annexus est.

Divisio. Dividitur in novem præfecturas majores, minores vero viginti duas. Majores sunt *Comitatus Kyburgensis*, *Gruningen*, *Andelfingen*, *Grifenzee*, *Eglisow*, *Provincia Libera*, *Regensberg*, *Wadischwyl* & *Laufen*. Minorum nomina præteribimus, id solum notantes, nonnullas earum ambitu & frequenti populo majoribus esse superiores.

Vrbes & oppida. Hujus pagi caput & Metropolis est Tigurum, vulgo *Zurich*, urbs antiquissima, & situ admodum amœno, inter duos montes ad oram lacus Tigurini, ubi Limagum, quem infra Glaronam excepit, rursus effundit. Limagus urbem in duas partes dividit inæquales, majorem & minorem, quæ tribus pontibus junguntur; publica ædificia pulcherrima sunt, inprimis templa; privata quoque splendida, sed plateæ angustiores. Cæteræ hujus pagi urbes sunt: *Grieffensee*, ad lacum cognominem sita: *Winterthur*; *Eglisow*; *Laufen*, ad Rheni cataractas; *Stein*, ad Rheni ex lacu *die Vnderzee* exitum, *Gruningen* & *Regensberg*. Kyburgensem Comitatum Tigurenses Budæ ab Imperatore Sigismundo, anno 1424, precio persoluto, adepti; tum rursus Friderico III, anno 1442, restituerunt, sed ab eo Comitatum anno 1453 rursus consequuti sunt. *Wintherthur* & *Steyna*, duo amœna oppida, quoque Tigurinis parent: proprios enim quamvis Magistratus habeant, Tigurinorum tamen edictis tenentur, & in bello illis militant, attamen propriis signis utuntur: illud ab Austriis Principibus coëmtum; hoc sponte sua anno 1484 Tigurinis se submisit. *Eglisouw* oppidum Comes Tengensis Tigurinis vendidit. Liberam verò Provinciam in feudum ab Imperatore Sigismundo accepere. Præterea possident legitimis heredibus extinctis Dominium *Sax* sive *Hohen Sax*, quod *Rheinthal*, vel Rheni valle, Werdenbergensi Comitatu, Rheno fluvio & montibus includitur: pagos verò complectitur, vicosque nonnullos non comtemnendos, arcemque *Forsteck* apici rupis, cui nullus inter vicinos montes dominatur, impositam. *Qualitas.* Territorium, quamvis aspicientibus fragosum & rude videatur, nihilominus frumenti vinique apprime ferax est.

Ager circa Tigurum frumenti ferax, etiam vitium, præsertim colles, & mons, qui ab urbe ad orientem excurrit, pene ad tria milliaria: sed vinum acerbius est, & minus laudatum, quia uvæ non satis ad maturitatem perveniunt.

Incolæ. Cives & incolæ formoso & venusto admodum sunt aspectu, quod iis, cum omnibus Turgoviam incolentibus est commune. Mulieres passim pulchritudinis laudem merentur; quod mirum inter rupes & aspera montium juga videri posset.

Regimen. Tigurinorum frequens & celebris mentio est in Romanis historiis, quia & cum Cimbris adversus Romanos militarunt, & Cassium Consulem profligarunt, postea vero à Iulio Cæsare victi & cæsi sunt. post in Francorum potestatem, & inde ad Imperatores Germanos pervenerunt, à quibus & urbi & Collegiis Præfecti, per trecentorum annorum spatium iis fuere præpositi, usque ad annum 1215. Cæterum illis temporibus urbs nihilominus suum Magistratum habebat virorum 36, è quibus 12 quadrimestri tempore imperabant. Tandem cum paulatim cresceret urbis libertas, collegiorum, penes quæ semper maxima ex parte urbis imperium fuerat, jugum excusserunt: cumque inter 36 viros, quorum 12 quadrimestri, ut diximus, spatio, imperio præerant, & plebem dissensio esset orta, Duodecim virorum potestas ablata est, & Magistratuum ratio popularis, approbante Ludovico Imperatore, qua tributim deliguntur, fuit instituta in hunc quidem modum: Civitas in duodecim Tribus, quas *Zunfft* Germanice nominant, divisa est, quarum una è Nobilibus constat, hæ in iis quæ ad rempublicam pertinent; & in electione Consulis, (iis *Burgermeister*) cujus potestas semestris est, vel Tribunorum, quos *Oberstermeister* vocant, qui Consulibus potestate proximi sunt, communi consilio & suffragiis omnia peragunt. Sunt autem præ-

cipuæ

cipuæ authoritatis duo publica Consilia; Majus, quod in gravioribus tantum negotiis, & quæ ad totam rempublicam pertinent, convocatur, constans ducentis hominibus. Minus, quod quotidie rempublicam administrat, & civium controversias cognoscit; idque ex singulis tribubus terni homines; ex Nobilium tribu seni desumti, duoque Consules, publici Consilii Capita constituunt. Præterea est & aliud Consilium, quod Quæstorium nominare possumus, quod rationibus publicis præest, & constat viris octo. Publica verò Iudicia apud Tigurinos duo sunt, unum rerum Civilium, *das Stattgericht*, constans VIII-viris, ac Prætore peculiari; alterum, quod controversias annuorum redituum dijudicat. Causas Capitales Senatus novus judicat, atque ei præfectus Imperii, *der Reichsvocht*, sive *Blutrichter*, qui ex ipso Consilii Corpore ab ipsis Senatoribus quotannis eligitur, præest. Præter judicia verò jam dicta, est & Consistorium, quod *Chorgericht*, sive *Ehegericht* vocant, in quo causæ matrimoniales & Ecclesiasticæ pertractantur. Constat autem hoc certo numero Assessorum, qui ex utroque Senatu publicis suffragiis deliguntur, iisque aliqui è Theologorum, aut Ministrorum suorum numero adjunguntur.

Præfecturarum regimen. Tigurinorum Imperium late patet, & Præfecturas plurimas, ut supra monuimus, complectitur: harum quædam à Senatu urbico administrantur; ita scilicet, ut præfecti in urbe maneant, & Senatorio munere fungantur, nihilominus pagis suis jus dicant: si quæ tamen causæ criminales & capitales fuerint, de his Senatus cognoscit: aliæ verò præfecturæ ampliores sunt, in quas Præfecti cum imperio mittuntur: atque hi non tantum civiles causas, verum etiam plerumque capitalia crimina judicant, & puniunt. Habent autem singulæ præfecturæ sua privilegia, suas veteres consuetudines; pleræque etiam sua peculiaria Iudicia, ex suo Corpore delectis Iudicibus: in his nihil omnino immutant præfecti, sed ipsis jura salva & integra relinquunt; Iudiciis eorum præsident, & juxta leges & consuetudines uniuscujusque præfecturæ jus dicunt.

Fœdus Tigurinorum cum aliis pagis. Tigurini, videntes Basileam & Argentinam, eorumque Episcopos, Friburgum Brisgoviæ, Colmariam & Selestadium in ruinam suam conspirasse, bellumque decrevisse; cumque in Cæsare Carolo IV, & Imperio nullam auxilii spem esse ante didicissent, cum Lucernatibus, Vriis, Switiis & Vnderwaldiis anno 1352 fœdus inierunt: Etsi autem Tigurum quinto demum loco Helvetico fœderi accesserit, tamen nihilominus ob urbis celebritatem, & potentiam, princeps locus omnium consensu iis datus est, quem hodie quoque aucto fœdere retinent in Comitiis, Legationibus, aliisque publicis actionibus. Postmodum anno 1400, Wenceslaus Caroli IV Imp. filius, Tigurinis omne Præfecturæ Imperialis, sive Magistratus, quem *Vogtey* vocant, constituendi jus, quod Imperatoribus competebat, vendidit, iisque ut ex ipso corpore Reipublicæ suæ in futurum præfectum eligere possint, concessit; quod postea ab Imperatore Carolo V, anno 1519 confirmatum est. Cæterum omnes, Tiguri, vel in pago Tigurino habitantes, Calvini doctrinam, quam Reformatam vocant, profitentur. *Religio.*

SALODORVM.

Termini. Pago Salodorensi ad Septentrionem vicini sunt Basileenses; ad Orientem & Meridiem Bernates; ad Occidentem verò adjacent terræ Episcopo Basileensi parentes. Pagi totius caput est Salodorum, vulgo *Solothurn*, antiquissima civitas, in majorem minoremque divisa, ponte super Arolam injecto conjungitur; & hæc quidem Constantiensis, illa Lausanensis diœcesis est. Oppidum validis est cinctum mœnibus, ædificiis pulcherrimis habitatum, inter quæ eminet palatium quod Franciæ Regis Legatus inhabitat. *Civitates.*

Pertinet ad pagum hunc, in Busgovia, *Oltten*, oppidum ad Arolam fluvium situm, emtione ab Episcopo Basileensi comparatum; *Balstal*, vicus sive oppidum admodum grande, & quod quamvis muris careat, merito inter civitates numerari posset. Arx quoque ejusdem nominis à Salodoris tenetur, ad dextram Birs fluvii ripam sita, unaque leuca à *Lauffen* dissita; præterea in Sisgovia ad Iuram montem loci nonnulli, quamvis exigui momenti, ad Salodorenses pertinent.

Qualitas. Ager fertilissimus est, præterquam quod vites non toleret; & juxta Balstal oppidum ferri fodina est quam Falkensteinensem vocant. Linguam loquuntur indigenæ Germanicam rudiorem, seu Helveticam. Anno 1351 Salodorenses cum Bernatibus fœdus perpetuum fecerunt, cæterorum quoque confœderatorum amicitiam magna fide coluerunt. Itaque bello Austriaco, quo Leopoldus cæsus est, finito, paribus conditionibus ac cæteri confœderati fœdus & pacem cum Austriis fecerunt, & in tabulis fœderatis conjunguntur, & cum iisdem communi consilio leges militares statuerunt, & jurejurando sanciverunt. Demum finito Burgundico bello, in quo fortiter & strenue omnium judicio se gessere, una cum Friburgiis in Pagorum numerum adscripti, & à confœderatis, quasi civitate donati sunt. Cæterum civitatis Salodorensis regimen quam maxime cum Republica Bernatum convenit; ideoque eò lectorem remittimus. *Fœdus.* *Regimen.*


ZVRICHGOW et Basiliensis provincia
Nellenburg Grafschafft
Hegow.
SVEVIÆ
Kleckgow.
Schwartz Wald
ALSATIÆ SVPERIORIS PARS.
Die Hardt
RAVRACI die Baseler.
Silzgow.
Buchsgow.
ARGOW.
Libere provinciæ
ZVRCHGOW
TVRGOVIÆ PARS.
Der Vnder see.
Zurich see
Lacus Tigurinus
Zuger see
Ober see.
Lucerna
Schafhausen
Zurich
Occidens.
Oriens.
Milliare Germanicum
Milliare Helveticum

69.

SCHAFFHVSIA.

Termini. SChafhusianorum pagus partem Kleckgoviæ, quæ Sueviæ est portio, situ occupat; ad Septentrionem terminatur residuo ejusdem provinciæ; ad Occidentem terras, quas Austrii Archiduces in Kleckgovia possident, habet vicinas, ad Meridiem & Orientem Tigurinorum pagum respicit.

Schaffhusia Civitas. Caput Pagi totius est Schaffhusia ad Rhenum in ripa Germanica sita, Helvetiæ tamen ponte jungitur; sub ea circiter 3 mill. passuum major Rheni cataractes est, ubi per ingentia saxa maximo impetu fertur, & tandem ex altissimis rupibus horrendo sonitu, & spumis, nebulæ instar, in altum sparsis, præcipitatur, ita ut nullius generis naves illic transire possint: quare omnes naves, quæ ex Acronio & Veneto lacu, secundo flumine descendunt, necesse est Schaffhusiæ exonerari; hinc urbi initium, nomen, & opes. Sola hæc civitas, & quædam Klecgoviæ pars, nam (reliquam Austriæ Archiduces, vel Comites de Zultz possident,) Pagum hunc constituit.

Qualitas. Territorium omnium rerum fere, quæ ad sustentandam hominum vitam requiruntur, abundat; nullibi vero in tota Helvetia majorem piscium copiam quam Schaffhusiæ invenies: opes civitati, ut jam monuimus, ex necessitate naves in ea exonerandi; nec non ex commercio quod in Gallia, & aliis remotissimis quoque provinciis exercent, lina, cuprum, aliaque metalla sua distrahendo. porro Civitas ipsa arce munitissima, quæque eam ab omni parte securam reddit, defenditur.

Regimen. Nellemburgii Comites tempore Henrici III, Imp. huic districtui dominantes, cœnobium Omnium Sanctorum condiderunt, idque Abbatis curæ demandarunt. id primam originem urbi dedit; alteram, & incrementum, Rheni cataractæ debet. Initio vero urbis maxima potestas penes Abbatem cœnobii fuit; qui & Magistratuum mediam partem elegit; cæterum paulatim cives eorum imperio se exemerunt, &, Romanorum Imperatorum beneficio, multis immunitatibus & privilegiis donati sunt. Verum Ludovicus IV, Bavarus Scaffhusiam ab Imperio alienavit, & Austriæ Ducibus divendidit; sed Sigismundus, 85 post annos, eam rursus Imperio univit, civesque ejus amplissimis privilegiis donavit; illisque cavit, ne unquam urbem eorum postea ab Imperio alienare liceret. Verum cum Fridericus Tertius, Austrius, Imperio potitus fuisset, conatus est rursus Austriæ Domui Schafhusiam asserere; & Sigismundo Duci potestatem fecit, ut Scaphusianos cives in verba jurejurando adigeret. Sed missi à Sigismundo ad id Legati, cum cives, privilegiis suis & immunitatibus nitentes, acriter obsisterent, eosque urbe arcerent, irrito conatu domum redire coacti sunt; & tum Schaffhusiani, ad melius conservandam libertatem, cum Tigurinis, Bernatibus, Lucernensibus, Suitiis, Tuginis & Glaronensibus fœdus in aliquot annos fecerunt anno 1454. quod anno 1479 in 25 annos sequentes renovarunt, comprehensis quoque Vriis & Vnderwaldiis, quibuscum hactenus nullum peculiare fœdus Schaffhusiani habuerant. cum verò postea & bello Burgundico & Suevico Schaffhusiani Helvetiis fidelem operam navassent, eoque nomine apud Helvetios magnam gratiam iniissent, & sibi non exiguam laudem comparassent; anno post bellum finitum proximo 1501, perpetuum fœdus cum II Helvetiorum pagis fecerunt, & in numerum pagorum adscripti sunt.

Schaffhusia civitas in undecim Tribus, vulgo *Zunfft* dictas, dividitur; quarum prima è Nobilibus constat, quorum præcipuæ familiæ *Stat* & *Thurn*. Senatus eorum major, constat 86 viris; minor autem 26 tantum, amborum præsides, sunt Consules. Cæterum Schaffhusiæ duo sunt Iudicia: Vrbanum, quod de debitis, contractibus, & similibus actionibus judicat, vocatur ab iis *das Schuldgericht*; si autem debiti summa centum aureos excedat, Senatus de eo cognoscit. Alterum judicium vocant *das Vogtgericht*, aut *Bueßengericht*; Præfecti, aut mulctarum judicium: propterea quod præfectus Imperii, seu rerum capitalium huic præsideat, & mulctas irroget. Cognoscit hoc Iudicium causas criminales minoris momenti, ut sunt leviores injuriæ & vulgaria convicia: nam de gravioribus injuriis & contumeliis Senatus pronuntiat. Schaffhusiani Latobrigorum majori parti imperant, & in eorum oppida ac pagos præfectos mittunt. Religionem verò Calvinisticam amplectuntur. *Iudicia.* *Religio.*

BADA.

Termini. BAdensis Comitatus Rheno fluvio, Bernensium & Tigurensium pagis includitur; omnium verò Præfecturarum Helveticarum splendidissima est.

Oppida. Hujus Præfecturæ caput est Bada civitas, quæ superior dicitur, ad discrimen oppidi ejus quod Marchionem Badensem dominum agnoscit; sita est ad Limagum fluvium, estque ex antiquissimis totius Helvetiæ; quippe cujus meminit C. Tacitus, qui appellat locum in modum municipii extructum, amœno aquarum salubrium usu frequentem. Antiquitus habuit duas arces: alteram in edita rupe sitam, quæ inde nomen apud Germanos accepit, *der Stein zu Baden*, ab Helvetiis destructa, nunc in ruinis jacet: altera ad pontem sita est, quam nostra ætate Præfecti ab Helvetiis missi

missi incolunt. Vicinos habet complures calidos fontes, quorum causa huc quotidie magna hominum vis confluere solet.

Oppida. Pertinent etiam ad Comitatum & Præfecturam Badensem duo oppidula, *Clingenovium*, & alterum vulgo dictum *Keysersstuel*, ac si dicas Cæsaris sedem ac tribunal; hoc ad Rheni ripas situm est, illud Arolæ aquis alluitur. Præterea inter utrumque jacet *Zurzack*, vicus ingens ad Rhenum fluvium, oppidi in morem exsultus, ad Clingenoviam præfecturam pertinens: hic celeberrimæ nundinæ bis quotannis celebrantur, ad quas mercatores non tantum ex Germania, sed ex Gallia quoque & Italia confluunt, cum tamen nundinæ, quod mirum est, uno die peragantur.

Qualitas. In districtu seu Comitatu Badensi sunt ultra triginta balnea tam publica, quam privata aquæ calidæ, ad utramque Limagi fluminis ripam disposita; quin imo in ipso Limagi alveo ferventium aquarum scaturigines ebullientes conspicere licet; ad balnea hæc quotannis plurimi utriusque sexus mortales confluere solent, morbis suis remedia quærentes. Circa oppidum ager est amœnissimus, hortique frequentes, vites quam plurimæ, sed quæ vinum minus generosum ferant.

Regimen. Bada Civitas, Tigurinis, Lucernatibus, Vraniis, Suitiis, Vnderwaldiis, Tuginis, Glaronensibus & Bernatibus paret, quamvis Magistratus suos habeat peculiares, Consilium minus, quod duodecim constat Consiliariis, & majus, quod quadraginta viri constituunt, Prætorem, quem *Schultheis* vocant, Consilii præsidem; Thesaurarios, aliosque minoris authoritatis officiales. Portus ad ipsam civitatem pertinet, telonium vero Cantonibus solvitur. Consilium porro minus non solum de rebus ad Civitatem spectantibus cognoscit, verum etiam lites tam criminalium quam civilium causarum dijudicat; Præfectus vero Badensis nullum jus in oppidum Badense habet, sed in Comitatum, qui in plures pagos & minores jurisdictiones divisus est; in his præfectus suos habet vicarios, qui una cum judicibus ejusdem pagi jurisdictionem ejus nomine exercent, mulctas impositas exigunt, & ad præfectum referunt; nonnunquam etiam ipsi præfecti hujusmodi Iudiciis intersunt. Sed ad Iudicia majoris momenti, & in quibus de crimine capitali agitur, Iudices 24, ex toto Comitatu Badensi conveniunt; hi vero deliguntur à Præfecto, ac semel delecti perpetuo munere funguntur. Iudices secundum leges de capite alicujus sententiam ferunt: attamen Præfectus, penes quem est summa potestas, sententiam eorum mitigare potest. Illud supra monuimus Præfectum Badensem in publico Helvetiorum conventu, sententias ex ordine rogare & colligere; ut plurimum quoque sigillo suo, id quod publici Consilii nomine scribitur, munire solet; quod si dispares sententiæ æqualem numerum teneant, suo voto differentiam dirimit. Inter officia Præfecti præcipuo loco est Scribæ totius provinciæ; quod munus cum dignius, tum etiam eo uberius est, quod hujus opera Helvetii in suis conventibus utantur. Proximus ab hoc est quem Sub-præfectum Badensem vocant.

Oppidorum regimen. Civitatibus *Keyserstuel* & *Klingenouw* Episcopus Constantiensis Præfectos imponit, neque in illis Præfectus Badensis ullam edicendi, aut imperandi, vel mulctas exigendi potestatem habet; sed Iudicia tantum capitalium criminum ad eum spectant. Cives vero horum oppidorum, cum cæteris Badensis Comitatus incolis, Helvetiis militare tenentur. *Zurzack* pagi celeberrimi jurisdictio ad Klingenoviensem Præfecturam pertinet; ideoque ab Episcopo Constantiensi Præfectus ei præponitur. Porro hic non edicit, aut mulctas imponit majores 10 libris; sed si crimen, nundinarum tempore commissum, quod gravius plectendum, aut etiam capite mulctandum sit, tum Præfecti Badensis apparitor Iudicium exequitur, & reum mulctat. Verum extra nundinarum tempus, capitalium criminum rei, primùm Clingenoviæ examinantur, & tum demum confessi & convicti Præfecto Badensi traduntur. Nundinarum autem tempore, adveniente Præfecto Badensi, jurisdictio omnis Episcopi cessat, & solus præfectus imperandi & edicendi jus habet ad finem usque nundinarum. *Religio.* Cives generatim religionem Catholicam Romanam amplectuntur; at ii qui Comitatum incolunt, promiscue vel Catholici, vel Calvinistæ sunt.

BREMOGARTVM.

Situs. Bremogartum oppidum est ad Russ fluvium, à quo media sui parte fere peninsulæ modo cingitur, infra Lucernam duobus magnis milliaribus Germanicis situm, admodum amœnum est, & ab artium mechanicarum magistris, nec non mercatoribus inhabitatur. octo veterum Pagorum imperium agnoscit; *Regimen.* Consilium suum minus est duodecim; majus vero quadraginta virorum, quibus præest Prætor sive Scultetus, à Cantonibus seu Pagis dominantibus electus. Oppidum vero imperat vicis aliquot ei proximis, quos vocant Cellæ præfecturam, *das Keller-ampt*. Summum vero imperium & animadversio in capitalium criminum reos Tigurinis competit. In his autem pagis, ad Cellæ præfecturam spectantibus, si qui Iudicio contendant, primò Bremogartum provocant; deinde Tigurum, si Bremogartensium sententia ipsis non probetur: in controversiis autem quæ tantum Bremogarti disc-

ceptatæ fuerint, provocationes ad 8 pagos fiunt.

MELLINGEN.

Situs. Ellinga exiguum oppidulum ad eundem Ruß fluvium, medio milliari Germanico infra Bremogartum, semper Comitibus Habspurgiis paruit. *Regimen.* Oppidum hoc, ut & Bremogartum, eodem bello, quo Bada ab Helvetiis capta nomine Imperii, & postea à Sigismundo Imperatore iisdem oppignorata sunt, hac conditione, ut illis omnia vetera jura, privilegia, consuetudines, salva maneant, & Helvetiis præstent eadem servitia, quæ antea Habspurgiis & Austriis dominis suis præstiterunt. Itaque octo veterum Pagorum, ut Bremogartum, imperium agnoscit.

RAPPERSWEIL.

Situs. Rapersvila oppidum est ad ripas lacus Tigurini; Tiguro distat quatuor sive quinque itineris horas. pontem habet è ligno constructum mille quingentos passus longum, qui utrasque lacûs ripas conjungit.

Regimen. Oppidum hoc, Vrii, Suitii, Vnderwaldii & Glaronenses, cum à Constantiensibus contumeliis affecti, bellum illis inferrent, anno 1458 stratagemate occupaverunt, civesque sibi sacramentum dicere coëgerunt, iisdem iis privilegiis servatis, quæ sub Austriis dominis habuerant; ab illo autem tempore in prædictorum quatuor Pagorum potestate permansit. *Religio.* Cives religionem Catholicam Romanam constanter profitentur.

LIBERÆ PROVINCIÆ.

Situs. Liberæ Provinciæ ad Rusam fluvium sitæ, diversæ ab ea Libera Provincia trans Albium montem, quam Tigurinis à Sigismundo Imperatore datam supra monuimus, appellantur Castella & vici, qui sunt ad sinistram Rusæ fluvii, supra & infra Bremogartum oppidum: *Nomen.* inde nomen videtur impositum, quod tres vici, quorum singuli suam jurisdictionem habuere, ac proprios Magistratus seu officiales, nempe *Meyenburgum*, *Richenzee* & *Ergouw*, vel Villa Verbigena, *Vici.* quasi provinciolæ quædam peculiares, in unam provinciam conjuncti sunt. Olim hæc regio appellata fuit Comitatus Rore.

Regimen. Lucernates (bello quo Helvetii, jussu Imperatoris Sigismundi & Concilii Constantiensis, Fridericum Austrium persequuti sunt) loca ad Ruß fluvium, & hunc quoque Comitatum Roræ in potestatem redegerunt; postmodum Tigurini, Suitii, Vnderwaldii, Tugini, Glaronenses, post etiam Vrii in hujus Præfecturæ societatem admissi sunt; itaque septem pagi Helvetiæ hodie huic præfecturæ imperant. Præfectus autem pagorum nomine non in hac regione habitat, quoniam regio hæc non admodum ampla est: sed cum usus postulaverit, juris dicundi causa aliquoties in anno illuc proficiscitur, & plerunque in Cœnobio Benedictini ordinis Muræ habitare solet.

WIF-

WIFLISPVRGERGOW.

B E R N A.

Limites.



Ernatum pagus ad Septentrionem terminatur Rhynfeldensi, Austriæ Archiducum Comitatu; ad Occidentem Salodororum pagum, Episcopi Basileensis terras, Neocomensem & Burgundiam, Comitatum habet vicinos; ad Meridiem Lemannum lacum, & Valesiotum Comitatum respicit; ad Orientem, terminos cum Badensi, & Bremogartensi territoriis, Lucernatum & Vnderwaldiorum pagis habet communes. *Extensio.* Pagorum omnium maximus, longitudinem itineris quinque dierum continet; complectitur autem majorem Argoviæ & terræ *de Vaux* dictæ portionem, mediamque totius Helvetiæ partem; numerans Præfecturas quadraginta tres, urbesque plures quadraginta, limitibus suis inclusas.

Berna Civitas. Totius Pagi metropolis, Helveticarum urbium potentissima, in longitudinem porrecta, ab Arula fere tota concluditur fossa profundissima: nomen consequuta dicitur ab urso, quem *Bern* vocant Germani, in venatione à Berchtoldo IV, Zeringensium Duce, capto (proposuerat enim urbi condendæ nomen à prima fera, quam caperet, imponere) condidit eam dictus Berchtoldus anno 1240; ædificia habet mirabiliter extructa; nam licet tutum circumire sub porticibus cameratis totam fere urbem, etiam pluviosissimo tempore; dorsum cui imposita est longius est plus minus mille passus, trium platearum, sed latissimarum, per quas amnis ab occasu, nempe Isthmo, qui continenti adjungitur, immittitur, ut rivuli limpidissimi per omnes non modo plateas, sed etiam domos meent, omnes sordes abluentes. Arula ipsa, à lateribus Meridionali, Australi, & Septentrionali eam cingens, tam profundo est alveo, ut locum, cui urbs est imposita, fere montem fecerit, urbemque munitissimam effecerit, utpote quæ per Occidentale latus seu Isthmum unicum præbet aditum, quem ex consilio Comitis Susæ, Bernensium exercitus Præfecti, munitionibus, vallo & fossis adeo munierunt, ut cuivis hosti resistendo jam sit idoneus; cum antea simplici interclusus muro, vim facienti facile pateret. Vniversa vero urbs fere è lapide quadro facta est, præbente materiam copiose, qui ad murum urbis est, monte sectili.

Helvetia.

Bernensium Civitates in Argovia. Reliquæ Bernensis pagi Civitates sunt, in Argovia; *Buren*, *Wangen*, *Arberg*, *Araw* & *Bruck*, ad Arulæ fluvii ripas sitæ; *Vndersee* ad lacum cognominem est, *Thun* inter lacum *die Thunersee*, & Arulam fluvium; *Louppen* & *Lentzburg* Comitatus, septuaginta pagorum caput, *Bugdorff*, *Erlach*, *Nidow*, & *Zoffingen*, quod Latinis Tobidium est.

Præfecturæ Germanicæ. In eodem quoque districtu Bernates Præfecturas possident *Brandis* oppidi & arcis; *Biberstein*, sub qua comprehenduntur tres pagi, *Lantshout*, *Rip*, *Schenkenburg*. *Frutingen* cum valle ejusdem nominis, *Save*, *Aelen* versus Rhodanum & lacum Lemanum, *Signaw*, *Sicomiswald*, *Drachselwald*, *Emmenthal*, sive Emmæ fluvii vallis, Haselia vallis, & Summia vallis, superior & inferior, vulgo *das Ober und Nider Simmerthal*: hæque omnes Præfecturæ dicuntur Germanicæ, quod Germanico utantur idiomate.

Pays Roman, ou de Vaux. Præterea Bernates possident fere totum illum terrarum tractum, qui vulgo Romanus, sive *de Vaux*, Helvetiis corrupto sermone *Waat* dicitur; initium autem sumit ille tractus inter *Versoy*, & *Coupet*, pagos non longe Geneva dissitos, ubi terminus lapideus Bernensium insignibus exornatus, jurisdictionem eorum incipere designat; inde juxta lacus Lemanni ripas extenditur, post Aventicum, vulgo *Avanches*, civitatem versus usque ad pagum *Fouz* dictum, exporrigitur, ubi ab Helvetia separatur prope Moratum: non est nimiæ longitudinis, utpote quam viginti sex horarum itinere totam peragrare possis. *Præfecturæ Gallicæ.* In hoc districtu Præfecturæ sunt octo, Gallicæ dictæ, quod indigenæ Gallico, seu potius Sabaudico sermone animi placita efferant: sunt autem hæ, Aventicum, vulgo *Avanches*, *Moudon*, *Yverdon*, *Lausanne*, *Morges*, *Nyon*, *Orbe*, *Aille* & *Vivay*. Præterea quatuor præfecturæ Bernatibus & Friburgensibus communes sunt; *Morat*, *Schwartsenburg*, *Granson* & *Scherlin*, sive *Chalansee*.

Wiflispurg. Aventicum quondam civitas celeberrima, & Aventici pagi caput, nunc vulgo *Wiflispurg* Germanis, Gallis *Avanches* dicta, tractu temporis mutata rerum facie, in ruinis jacet, nihil ex prisco splendore, qui ex nummis aliisque venerandæ antiquitatis monumentis, quæ hic effodi solent, colligi potest, retinens; hodie nullius fere est momenti oppidum, ad lacum Muratensem situm. *Morat.* *Moratum* oppidum est ad eundem lacum, cui nomen suum communicat, situm; ob decantatam Helvetiorum à Carolo Terribili, ultimo Burgundionum Ducum reportatam victoriam, stra-


DAS WIFLISPVRGERGOW.
Gerardo Mercatore Auctore.
Milliaria Germanica communia
Milliare Helveticum
Lacus Necomensis. Nüwenburger See.
Bieler see
Murten see
Thuner see
Lacus Lemannus, Losanner oder Genffer See.
Pais de Gavot.
Iura mons
Saner tal
Ober Sibental
Nider Sibental
Frutinger tal
Occidens.
Oriens.
Guiljel. Blaeu excudit.

gemque fere incredibilem 30000 Burgundis, ipsoque Duce, cæsis, admodum celebre. Memoriam victoriæ gloriosissimæ conservans sacellum pugnæ loco exstructum est.

Yverdon. *Yverdon*, antiquis Ebrodunum, inter præcipuas, & majoris momenti territorii Romani urbes, tam ob vicinitatem lacus Neocomensis, quam ob splendorem ædificiorum & nitorem platearum; accedit arx perampla ad suburbium sita, operibus munitissima; vinorum quoque aliarumque mercium transitus, portusque opportunitas; serici quoque cultura post annos aliquot hic vigere cœpit. cives sunt opulenti, & in hortis suis amœnissimis excolendis mire delectantur; cæterum cum civitas limitibus Burgundici Comitatus admodum sit vicina, & commode ob situs opportunitatem muniri possit, Helvetiorum inimicis semper petita fuit, quo ibi sedem belli figerent. *Losanna.* *Losanna*, quondam cathedrali sede conspicua, ampla & opulenta civitas, ad lacum Lemannum amœnissimum situm occupat, à Collegio suo celebritatem haud minimam consequuta. *Granson.* *Granson* ab Historicis celebratur ob victoriam memorabilem, quam Helvetii anno 1476 à Carolo Terribili Burgundiæ Duce reportarunt. *Orbe.* *Orbe*, non longe ab Yverdon civitate, ad ripas fluvii ejusdem nominis est. *Oppida* Geneva Helvetiam petentibus, primum Bernensium oppidum quod occurrit, est *Coupet*, una cum arce sua, Baronatus titulo insigne; succedit Nevidunum, vulgo *Nyon*, castello munitissimo defensum; Præfecti sedes ordinaria: est & *Morgex* parvum quidem, sed nitidum oppidulum, atque amœnum, plateis rectis, largisque, & quam optime stratis, ædificiis singulari artificio, omnibus eodem fere modo extructis ornatum: Præfecturæ quoque est caput, sub qua comprehenditur etiam Role vicus nobilissimus, Baronatus titulo insignis; *Lutry*; *Cuilly*; *Vivay*, quod Latinis Viviscum dicitur, Præfecturæ itidem caput; sub qua Xilon fortalitium munitissimum censetur. *Aigle* Rhodanum versus situm est. Præterea nonnulli in Comitatu Rhinfeldensi loci ad Rhenum Bernatibus parent; cæteri Austriæ Archiduces Dominos agnoscunt.

Qualitas. Solum circa Bernam, omnium rerum ad victum humanum necessariarum abundans, hordeum, avenam, secale, far optime producit; tritici non admodum ferax, cum frigidius sit, quam tritici semen requirit. Sylvas habet piniferis arboribus consitas; vinum vero hic minime magna fert copia, colles enim aliquot ultra Arolam fluvium, & ad Septentrionale civitatis latus, solummodo vineis sunt exculti. Nihilominus civibus non desunt vina, plaustris à Rheni ripa huc devectis, vel etiam in provinciis Bernatibus subditis nata, utriusque coloris, inter quæ excellunt Vallensia albi coloris in territorio *de Vaux* & prope *Susmont* nata; nec non ea quæ Savagnina vocant Xablesii Ducatus. Inter Viviscum & *Role*, in territorio de Vaux, colles omnes, pagique undique vineis sunt consiti, unde vina generosa & maximi pretii colligunt indigenæ, eaque Bernam, & Genevam lucri gratia devehunt. Præterea omnes, qui ditiores sunt, Bernæ cives in hoc tractu villas suas habere procurant; adeo ut hic districtus merito inter amœnissimos, ac fertilissimos, præsertim ubi lacui est propinquior, censeri debeat; nam colles vina pretiosissima proferunt, arva frumenti optimi, imprimis tritici sunt feraces, & pascua innumeris armentis & gregibus alendis sufficiunt. *Bonwald* sylva usque ad Arolam fl. pertingens, pinus & abietes fert magnæ proceritatis, quæque centum triginta pedum altitudinem quandoque attingunt: has Genevensium mercatores emtas Arolæ committunt, qui eas in Rhenum defert, hinc Rheni auxilio in remotissimas regiones quæstus ergo devehuntur. Porro regio tota piscibus mirum in modum abundat; Lemannus enim, Neocomensis, Muratensis, Thunensis lacus, fluviique & rivuli incredibilem tructarum, luciorum, anguillarum, aliorumque piscium suppeditant copiam. quinetiam nonnunquam ripæ horum lacuum, præcipue Ebrodunensis, anseribus, anatibus, aliisque id genus avibus obsitæ, indigenis aucupii maximam præbent copiam.

Incolarum indoles. Indigenæ hujus pagi robusti sunt, laboriosi, bello & paci accommodissimi, judiciosi, prudentes. Lingua utuntur Germanica præter eos, qui districtum Romanum, vel *de Vaux* incolunt; ii enim Gallicam, seu potius Sabaudicam loquuntur linguam; hic quoque commodiores tam mares, quam feminæ Gallico more vestiuntur; verum cæteri vestitu Helvetiorum communi uti solent. Feminarum Bernensium aliquæ pileos gestant pellibus prætextatos, aliæ capitis tegumentum, quod caput totum involvens, frontis quoque pauxillam tegit partem; nonnullæ capillos in duas partes divisos, libere per humeros vagari permittunt. cæterum in nuptiarum aliisque publicis solemnitatibus, Bernates, collum catenis sat magni ponderis aureis ornare gaudent, quibus dignitatem & opulentiam demonstrent. In omnibus vero hujus pagi Civitatibus, homines quidam à publico Consilio, seu Magistratibus, constituti sunt, qui noctu singulas horas alta voce intonent, & significent, quamvis campanæ sonitu satis imotescant. In iis vero urbibus, quæ Gallice loquuntur, simpliciter horarum numerum significant: in Germanicis autem versiculo vernaculo decantant; horas siquidem hisce versiculis annuntiant:

Höret,

Höret, das ich wil sagen,
Es hat Zehen geschlagen.

Quod Latine significat, attendite sermonem meum, decima jam audita est. Hicque mos jam ab antiquo obtinuit, ut cives in quemvis eventum alacres, vigilesque esse admonerent, & improbas actiones, noctu fieri solitas, reprimerent.

Opes. Bernatum porro Respublica ceteras Helveticas divitiis opibusque longe excellit, ob districtus, præ cæteris, longe majorem extensionem, & Ecclesiasticorum, præsertim Episcopi Lausanensis, reditus, qui in Reipublicæ usum nunc convertuntur. Ad quantam vero summam Reipublicæ reditus annui ascendant, nulli unquam extraneo, quod sciam, innotuit. indubitata autem opulentiæ immensæ signa sunt, quod diversis temporibus contra Principes potentissimos bella diuturna, etiam alieno in solo gesserit, militibusque suis stipendia justo quoque tempore persolverit; Comitique Susæ, Exercituum suorum Duci, duodecim millium Imperialium stipendium annuum numeraverit; præter immensos sumtus, quos diversis in locis eodem tempore, facere coacta fuit. Cæterum id solum Bernatibus deesse videtur, quod lacuum Lemanni & Neocomensis nulla sit communicatio; nam si fluvii utrumque influentes jungerentur, quod facillime fieri posse nonnulli existimant, adeo ut navigiis è Lemanno in Neocomensem pateret iter, immensis Respublica ditaretur opibus; è Neocomensi enim lacu facili negotio per Arolam in Rhenum fluvium descenditur. Quæstorum, qui duo Bernæ sunt, unus omnes proventus, quos civitas in Sabaudico agro colligit, administrat. Cæterum Respublica subditos nullo impositionum genere onerare consuevit, verum decimas, & possessionum feudalium census ab iis exigit. *Incolarum indoles.* Plebi ipsi otium, diversoria, lites, dissensiones & Præfectorum exactiones summam paupertatem conciliant. Ebroduni nundinæ quotannis celebrantur famosissimæ; & præterea singulis Mercurii diebus mercatus est, in quo sal, aliæque res comestibiles magna copia divenduntur. Vibisci casei laudatissimi Gruyerenses distrahuntur; Morgesii mercatum tritici ferrique habent copiosum; sed maxime celebres sunt nundinæ Nevidunenses, ad quas Genevâ, ex Sabaudia item, Burgundiaque innumeri confluunt mercatores.

Vires. Ante ultimi Germanici belli tempora Bernates duodecim millia militum electorum, continue stipendio persoluto in quemvis eventum parata tenere consueverant; postmodum vero numerum hunc, superadditis aliis sex millibus auxere; adeo ut semper octodecim millia militum conscriptorum Bernatibus militent. Si vero necessitas majorem exigeret numerum, fumo in vertice montis prope Bernam excitato, quadraginta armatorum millia, solo viginti quatuor horarum temporis spatio interposito, ex solo Bernensium Pago Bernam confluerent; si vero paullo majorem moram tempus concederet, alia viginti millia ex subditis Præfecturis & Provinciis iis addere posse, experientia docuit; hinc natum est proverbium, *Bernates cum Mediolanensibus æquipollere.* ex eo quoque, quod sola Alensium præfectura quatuor cohortes ordinarias, septem armatorum millia continentes, elargiatur, Bernensium potentia apparet. Ante dicta bella, Lacædemoniorum more, nulla in propugnaculis, murisve præsidia ponebant, in fortissimorum virorum constantia, Civitatum vires consistere existimantes. Verum necessitate munimentorum explorata, anno demum 1623 civitatem vallis, fortalitiisque munire cœperunt. Fortalitia vero præcipua, quæ Bernates tenent, hæc sunt; Sabaudiæ oppositum *Chilon*, ad limites Burgundici Comitatus, *Ebrodunum*, *S. Fourgues*, & *S. Crucis*.

Regimen. Berchtoldus V, Zeringensium Dux & Burgundiæ Præfectus, postquam anno 1240 Bernam condidisset, variisque nobilissimis familiis populasset, eam Imperio Romano attribuit, libertateque donavit, quam ejus donationem Fredericus II, Imperator, ratam habuit, & nomine Imperii urbi præfectum dedit, eamque post variis privilegiis & immunitatibus donavit, & à jure præfecti exemit. Cæterum Imperio valde turbato, Kyburgensis & Arbergensis, Nidoviensis & Strasbergensis Comites, aliique quam plurimi viri nobiles, libertatem urbis opprimere conati sunt; Bernates verò, cum nullum ab Imperio turbato auxilium sperarent, sese in clientelam Petri Sabaudiæ Comitis dederunt; qui postquam conatus inimicorum repressisset, urbis pomæria ampliavit.

Ab eo autem tempore Sabaudiæ Comitibus paruerunt, usque dum Eduardus, Amedæi IV filius, bello contra Burgundum, Galliæ Delphinum & Genevenses implicitus, Bernatibus polliceretur, si strenue auxilium ferrent, se re bene gesta præmium quodcunque petiissent, daturum. Nam illi fortiter pugnantes, hostibus devictis, veterem suam libertatem præmii loco à Sabaudo repetierunt; idque illis bona fide præstitum est; fœdus tamen & amicitiam ab eo tempore perpetuò cum Sabaudo coluerunt: à Kiburgensibus anno 1310 oppidum arcemque Thunensem coëmerunt; anno quoque 1351 Arbergensem Comitatum. anno 1384 Kiburgensis Comes iis Burgdorffiam vendidit: Loupam vero Civitatem Gransonii Domino oppignoratam, prævio Imperatoris consensu, & pignore persoluto, sui juris fecerunt anno 1324.

Cæteræ pagi partes, vel emtionis titulo acquisitæ, vel armis coactæ, vel etiam proprio & voluntario motu Bernatibus se submiserunt. Fœderi autem cæterorum Helvetiæ pagorum ascripti sunt anno 1353: secundum locum, quamvis Tigurinis primum locum obtinentibus, opibus & virium magnitudine antecedant, sibi in Comitiis aliisque publicis negotiis stipulati.

Consilia. Consilia publica Bernæ duo sunt: Majus & minus. Majus ducentis constat hominibus; minus 26 virorum est. Supremus autem Magistratus est *Schultheys*, Galli *Avoërium*, Latini Consulem appellant. *Magistratus.* Bellis Mediolanensibus grassantibus, hic Bernensium Ducis decorabatur titulo; durat autem Bernæ ejus authoritas per biennium, quamvis quotannis de eo sententiæ rogentur, & denuo eligatur. Hic Consilio præsidet, nomina eorum, quibus eo die concedetur audientia, albo innotat, Consilium convocat, & Sigillum ejus conservat. Ab hora quinta matutina, usque ad horam Consilii; rursus à prima pomeridiana usque ad quintam vespertinam, unicuique Consulem alloqui cupienti, patent ædes, liberque ad eum accessus conceditur. Post Consulem præcipuæ dignitatis sunt quatuor Signiferi, *Venner* sua lingua nominant; hi Tribunis & Conservatoribus plebis similem quodammodo gerunt Magistratum; Vrbis quatuor partes singulis signiferis singulæ commissæ sunt, qui arma singulorum inspiciunt, & curant quæ ad rem militarem pertinent, & quadriennio munere suo funguntur. Hos sequuntur Quæstores, sive ærarii Tribuni, quorum unus urbanos reditus & agri Germanici colligit, alter proventus agri Gallici curat. illud inprimis notandum, Consulem, Signiferos, Quæstores, addito præterea uno è numero ducentorum, arcanum & secretius Consilium, quod *den heymlichen Rath*, vocant, constituere. ad hoc autem primum referuntur ea quæ arcana sunt, & ad totam rempub. pertinent. Posteaquam vero Magistratus modo nominati ab utroque consilio electi & confirmati fuerint, de reliquis etiam publicis officiis sententiæ rogantur. Præterea Bernates in eligendo Senatu hoc peculiare habent, quod neminem in consilium recipiunt, nisi qui in ipsa civitate natus sit; liberi vero eorum, qui reipublicæ causa absunt, vel præfecturam aliquam administrant, tempore muneris extra civitatem nati, perinde habentur atque si in urbe nati fuissent. At in majus Consilium deliguntur etiam extra urbem nati, si modo cives sint, & in ea domicilium habeant, atque ex Helvetia, aut confœderatis populis nati sint; spurii quoque, & aliqua infamiæ nota insignes arcentur.

Iudicia. Iudicia apud Bernates sunt tria, atque omnes Iudices à Signiferis & Quæstoribus eliguntur, & à minori Consilio confirmantur. Primum Iudicium nominatur exterius Iudicium, *das Ussergericht*, huic Consul urbis præsidet, quamvis primus apparitor, quem *der Groosz-Land-Weybel* vocant, semper fere ejus vices obit; constat assessoribus duodecim, quorum postremo loco electus Signiferorum unus est, alius præterea è minori Senatu, reliqui decem è majori Consilio deliguntur. his omnibus adest Scriba, & duo apparitores. Iudicant hi de debitis, de levioribus injuriis & contumeliis, aliisque minoris momenti causis. ab hoc Iudicio provocatio ad minorem Senatum est. ab illo ad sexaginta viros; hi autem sexaginta viri nominantur Senatores minoris consilii, & præterea viri 36, quos è majori Consilio Senatores sibi adjunxerint. A Iudicio 60 virorum ad majus Consilium provocare licet. Conveniunt autem Iudices quotidie ad causas cognoscendas, Martis die excepto, quod eo mercatus seu forum habeatur. Alterum tribunal audit provocationes ex agro Sabaudico, & inde nomen habet *das Weltsch Appellatz-Gericht.* huic præest Quæstor Gallicus, qui assessores habet duos ex minori, octo ex majori Consilio, scribam peculiarem, & apparitorem. Ab his omnes appellationes ex agro Sabaudico deciduntur. soli Lausanenses ab hoc Iudicio exemti sunt; sed Quæstor cum aliquot assessoribus Lausannæ eorum provocationes audire tenetur.

Tertium Iudicium Consistorium vocatur, Iudices habens duos ex minori Consilio, qui alternis mensibus judicio præsident, duos è numero Ministrorum Ecclesiæ, quatuor è majori consilio, præterea scribam & apparitorem. Hi causas matrimoniales cognoscunt, morum censuram agunt, & disciplinam ecclesiasticam exercent.

Iudicia rerum Capitalium. Capitis judicium à peculiaribus judicibus Bernæ non exercetur, sed quoties de vita alicujus agitur, major minorque Senatus causam cognoscunt, & sententiam ferunt, Consul judicio præest, & sententias colligit. Sententiâ latâ mox Consul in trivio publice pro tribunali sedet, assistentibus apparitoribus; ac tum Scriba rei confessionem, & sententiam in illum latam recitat; postea Consul carnifici executionem mandat, & illi reum tradi jubet. Bernatum porro Præfecturæ propria habent Iudicia (*Landgericht* vocant) ubi judices ex tota præfectura convocantur, & præsidente Præfecto sententiam ferunt, attamen in Senatus Bernensis arbitrio positum est horum sententiam mutare, corrigere, vel probare.

Præfecturarum regimen. Habent autem Bernates, ut supra monuimus, plurimas præfecturas. Germanicas triginta, & unam; harum vero quatuor suburbanæ sunt, iisque quatuor Signiferi præfecti sunt,

sunt, & sub eorum signis in bellum proficiscuntur; cæteræ viginti septem Haseliæ vallis signum sequuntur. Hæc Ammanum habet ex suo corpore à Senatu electum, cui administrationis quoque rationem reddere tenetur. Vnderseæ oppido præponitur *Schultheys* ex Bernatum urbe. Simminia vallis superior & inferior castellanos habent, quos sua lingua *Schachtlan* vocant; Frutingen, Sane & Allen Gubernatores præfectos suos vocant. Laupen, Thunium, Burgdorff, & Pyrnestic, eodem modo, quo Vndersea, administrantur. Signaw, Trachselwald, & Emmia vallis à propriis Præfectis reguntur. Brandisii, loci dominus, qui unus è numero civium Bernensium est, præfectum constituit; Landeshut, Arberg, Nidow, Wangen, Aarwangen, Bibersteyn & Schenkenburg, Præfectos habent è vicinis electos.

Præfecturæ agri Sabaudici à Præfectis quoque administrantur. Lausannæ id singulari privilegio indultum est, quod à Sententiis à Præfecto latis appelletur ad 20 viros, ab his ad sexaginta virorum judicium: ab his si appelletur, Quæstor agri Gallici cum aliquot assessoribus Lausannam venit, & illic eorum provocationes audit. *Morat, Schwarzenburg, Granson* & *Chalansee*, Præfecturas, cum Bernatibus Friburgenses communiter possident. his alternatim per quinquenium Præfectos constituunt, sic ut Præfecto ex una urbe constituto, provocatio ad alterum fiat; & ab eadem rationes Præfecti examinentur. Præterea Cœnobiorum præfecturæ, quæ ad Bernates spectant, in Germanico agro novem sunt, è quibus sex civilem quoque jurisdictionem habent; in Gallico verò, solummodo tres sunt. Omnes Bernensem pagum inhabitantes, Reformatam Religionem, ut vocant, sectantur; nec ullum ibi Catholicæ religionis permittitur exercitium. Episcopus Lausannensis, cujus denominatio Sabaudiæ Duci competit, Friburgi hodie commoratur.

Religio.

FRIBVRG.

Termini.

FRiburgensium pagus, in Vchtlandiæ territorio situs, ab omni parte Bernensium terris cingitur. Primaria pagi civitas, à qua denominatur, Friburgum, à Berchtoldo IV, Zeringensium Duce, conditum, urbs est sat ampla, & populo frequens; ad Sanæ & Gavernæ amnium confluentes sita, à meridie, oriente & septentrione, omnia altissimis rupibus sunt prærupta, latus occidentale profunda fossa tegitur.

Friburgum urbs.

Oppida.

Cætera alicujus momenti loca sunt, *Illingen* & *Corbers*, ad Sanæ ripas; *Wipping*; *Tavernach*; *Plaffey*; *Bol* & *Borry*. In eorum quoque districtu est *Remond*, sive *Romont*, Comitatus caput, quod à Bernatibus, qui id anno 1536 Sabaudiæ Duci eripuerant, acceperunt. *Gruyera* quoque Friburgensibus paret, caseis delicatissimis famosa, cum suo Comitatu. Præterea cum Bernensibus conjunctim possident Præfecturas *Morat*, *Granson*, *Schwartzenburg*, & *Chalantzee*.

In plerisque hujus Pagi locis lingua utuntur Gallica corrupta, sive Sabaudica: Fryburgi promiscue linguam jam dictam, & Germanicam loquuntur.

Lingua.

Friburgum, urbs à Conditore suo, Berchtoldo IV, Zeringensium Duce, privilegiis & immunitatibus eximiis ornata, libertatem à Berchtoldo V, prioris filio, consequuta, & sub Imperii protectione ab Imp. Friderico II recepta est. Postmodum cum Helvetia gravissimis motibus exagitaretur, post remotum ab Innocentio IV, Pont. Max. ab Imperii regimine Fridericum, Friburgum in potestatem Comitum Kyburgensium, qui Burgdorffiæ habitabant, pervenit. Postea è Kyburgica familia per nuptias Annæ Kyburgensis, unicæ Hermanni Comitis filiæ, cum Everardo Habspurgensi, Lauffenbergii domino, initas, ad Habspurgios transiit ejus possessio. Rudolphus vero Habspurgius, cum Imperii habenis admotus esset, considerans Friburgum ab ea parte munitissimum esse contra Sabaudiæ Comitem, (cui Bernates voluntarie sese dediderant) propugnaculum, eam à consobrino suo Everhardo coëmit, ac deinceps sub Austriacæ Domus imperio annis fere ducentis mansit. Anno autem 1403 perpetuum fœdus cum Bernatibus fecere Friburgenses, agnoscentes nihilominus Austriorum imperium; donec Albertus Austrius, irritatus, quod bellum contra Bernates suscipere major & sanior civium pars detrectaret, aulæ Magistrum Friburgum misit, qui cives omni alicujus precii supellectili, ad exornandam, ut ferebat, urbis Curiam, quo splendidius Principem adventurum exciperent, corrogata spoliavit, gravique eos insuper contumelia affecit. Qua moti Friburgenses, arctiori fœdere se cum Bernatibus junxerunt anno 1350. Itaque usque ad annum 1477 Sabaudiæ Ducibus paruerunt, donec post libertatem & veteres immunitates iis à Violanta, Philippi filii sui impuberis Sabaudiæ Ducis tutrice, concessas, pro insigni, quam Friburgensibus debebat, pecuniæ summa in numerum pagorum inscripti sint anno 1481.

Historia.

Friburgum urbs hodie dividitur, sicut Berna, in partes quatuor, quarum una à Burgo, altera ab insula seu Prato, tertia Novæ Civitatis, quarta à domo Hospitali nomen habet. Ex his partibus ii deliguntur, qui publicis Consiliis præsunt: sunt autem hic, ut alibi, Consilia publica duo; majus 200 hominibus, minus, vinginti quatuor constans. Vtrique præest Consul, illis *Schuldheyss*. Proximi à Consule

Regimen.

sule sunt quatuor Signiferi, qui quatuor urbis partibus præsunt; hique, quamvis ex ordinario Senatorum minoris Consilii numero non sint; intersunt tamen minori Consilio nomine totius plebis, ac suum suffragium habent, præterquam in appellationibus.

Est post hos Quæstor, sive ærarii Tribunus, cui Civitatis thesauri & omnes reditus commissi sunt. Cæteri majores minoresque officiales iidem sunt, iisdemque muneribus funguntur, ut Bernæ. Cæterum à minori Consilio res urbanæ, ac provocationes subditorum audiuntur, præterquam ex Præfecturis Sabaudicis bello acquisitis. Majoris momenti negotia tractantur, examinantur, & deciduntur in 200 virorum Senatu, quod Consilium Status quodammodo referre videtur.

Iudicia. Vrbanum Iustitiæ Tribunal, quod *das Stattgericht* vocant, ex peculiari Iudicum consessu constat, qui civium causas cognoscunt, eas dijudicant, captivos examinant, quæstionibus subjiciunt, ac deinde ad Senatum minorem singula referunt. Alter Iudicum consessus vocatur *das Landtgericht*, atque hic rusticorum causas judicat. In unoquoque judicio duo sunt è minori, & octo ex majori Consilio, & ab eorum sententiis ad minorem Senatum provocatur. Præterea Friburgi tribunal est, quod duodecim judicibus constat, ex utroque Consilio delectis; hi provocationes Præfecturarum, quæ bello quod Helvetii contra Sabaudiæ Duces gessere, captæ sunt, audiunt, & de his pronuntiant. Conveniunt autem hi singulis mensibus, & ab eorum sententiis non datur provocatio.

Præfecturæ. Præfecturæ Friburgensium suburbanæ quinque sunt, quæ à singulis singulæ Senatoribus, in urbe habitantibus, & Senatorum munus obeuntibus administrantur. Cæteræ, in quas Præfecti cum imperio mittuntur, & illic habitant, sunt quatuordecim, præter quatuor, quas cum Bernatibus habent communes. Præfecti autem hi ab utroque Consilio delecti, quinquennio Præfecturis suis præsunt, sed singulis annis coram minore Consilio rationem reddere tenentur.

Si Friburgi debitor ad constitutum diem non solvat, creditor unum, duos pluresve famulos cum equis mittit in publicum diversorium; his omnes sumtus debitor suppeditare & solvere cogitur, donec creditori satisfaciat: executionem hoc modo factam, & vadimonia, *troſtungen* & *Leyſtungen* vocant.

Religio. Pagi hujus incolæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sunt addictissimi, & in spiritualibus Episcopo Lausannensi parent: qui Lausannâ à Bernatibus, Calvini dogmata sectantibus, exclusus, Friburgi habitat.

BIENNA,
vulgo
BIEL.

Bienna, aut Bipennium, oppidum est ad exitum lacus, quem vulgo *de Bielerzee* vocant, in dominio Episcopi Basileensis; Biennæ imperio autem subditi sunt vallem S. Imery incolentes. Quamvis vero in temporalibus & civilibus dominum agnoscat prædictum Præsulem, nihilominus regimen suum habet peculiare, & propriis privilegiis, & immunitatibus fruitur. Episcopus vero summum Magistratum oppido constituit, quem Majorem, *den Meyer*, vocant; sed ex oppidi Senatoribus unum, qui Senatui se jurejurando obligat, & Senatus vicissim ipsi jurat. Præest judiciis capitalibus, atque cum Senatu criminales causas cognoscit. Mulctarum, quæ ternas libras excedunt, pars media Episcopo cedit, præterea decumæ quædam & reditus. Portoria, telonia, vectigalia & tributa civium sunt, non Episcopi; neque illi licet tributum, vel aliquod onus civitati imponere, aut urbem oppignorare. Verum si forte Episcopo bellum gerere contingat, cives ei militare tenentur, propriis sumtibus, non tamen longius ab oppido, quam ut eodem die domum reverti possint: quod si ulterius progredi velit, eorumque opera uti, stipendio eam conducere obligatur. Cives omnes in sex societates distributi sunt: Consilia publica duo sunt, majus constans triginta; & minus, viginti quatuor Senatoribus, qui ex omni civium numero libera electione creantur. Publico Consilio præest Civium Magister, vulgo *Burgermeyſter*, qui ab utroque Senatu eligitur, & primam potestatem & auctoritatem post Majorem obtinet. Si verò in Senatu de Republica deliberetur, & res civiles tractentur, Major, cæterique, qui aliquod officium Episcopi nomine administrant, Senatu excedunt, & Civium Magister ibi præsidet. Post Consulem, hæc maximæ dignitatis munera sunt, Quæstorum, Signiferorum, Ædilium, & Consistorii Iudicum. Iudicum insuper peculiarem conventum Bienna non habet, sed omnes controversiæ civiles & criminales à Senatu dijudicantur. Vallis Immeria, quæ etiam Dominium Ergue dicitur, in plures conventus dividitur, quorum singuli proprium Majorem, sive Ammannum habent. Præfectus autem huic dominio à Biennensibus non imponitur, sed singuli conventus propria Iudicia exercent; ac ubi sententiæ diversæ fuerint, causa ad Senatum Biennensem remittitur; ab eodem quandoque assessores aliqui mittuntur, qui judicio paganorum

norum finem imponant; sed ab eorum judiciis ad Senatum datur provocatio. Vallis hujus incolæ sub Biennensium signis militare tenentur. Bernensibus autem hoc oppidum perpetuo fœdere se conjunxit anno 1352. postea cum Saladoriis anno 1382, perpetuum fœdus fecit: & tertio cum Friburgensibus anno 1407. atque ita cum his tribus pagis fœdus perpetuum habent. Incolæ omnes Calvini doctrinam profitentur.

NEOCOMENSIS PRINCIPATUS.

Termini. Principatus hic, Neocomensem, & Vallanguinensem Comitatus comprehendens, antiquæ Helvetiæ, à Cæsare descriptæ, limitibus includitur; ad Septentrionem vicinas habens Episcopi Basileensis & Biennæ territoria; ad Bonnevillam oppidum Bernatum pagum jungit; ad Occidentem Burgundia Comitatus est; ad Meridiem Bernensium, & Friburgensium terræ: ad Orientem verò lacu Neocomensi terminatur, cujus ulteriorem ripam Bernatum & Friburgensium loca quædam occupant.

Magnitudo. Extenditur longitudo ejus, si à Bonavilla incipiens, usque ad terras Gransonii progrediaris, novem itineris horas. Latitudo vero à lacu usque ad limites Burgundici Comitatus sumpta, quinque horarum spatio terminatur.

Neocomum urbs. Totius ditionis, & specialiter Comitatus cognominis caput est Neocomum Latinis, incolis *Neufchastel*, Germanis *Newburg*. sita est urbs ad ripam lacus, qui nomen hodie ab oppido habet, olim, ruinis id testantibus, multo amplior, quam hodie conspicitur. Antiquitatis in ea non contemnendum vestigium est turris magnifica, à Cæsare quondam, ut fertur, ædificata è lapidibus ex rupe, quæ in medio civitatis existit, excisis; præcipuum oppidi ornamentum Castellum est, Principum sedes, pulcherrimi operis, ita positum ut oppido dominetur, turrisque ejus villas pagosque suburbanos in officio continere queat. Ecclesiam præcipuam à Bertha Burgundiæ regina conditam ferunt. Oppidum denique ipsum ædificiis pulcherrimis ornatum, fontibus limpidissimis irriguum, non minimam pulchritudinis & amœnitatis meretur laudem.

Oppida. Cætera Principatus hujus oppida sunt, *Landeron*, non longe à Biennensi lacu, ob situm & civium fortitudinem ac constantiam inexpugnabile æstimatum, & *Baudrii* Baronatus titulo insigne, arce pulcherrima exornatum, ad Principem Neocomensem spectans. Prætorium hic visitur, unica leuca ab oppido distans ad lacus ripam excitatum, hortis sylvisque mire amœnis cinctum, quod delectationis gratia constructum est. Præterea Comitatus Neocomensis complectitur Præfecturas nonnullas majores, vel etiam castri alicujus; ut sunt, *Pontis Tiellensis*, *La Coste*, *Colombier*, *Cortaillond*, *Bevais*, *Gorgier* & *Vaux Marcus*, ad radices Iuræ montis, & lacus Neocomensis ripam sitas. Cæterum Comitatus hic in ipso monte Iura, vel in vallibus hinc inde interjacentibus situm occupat.

Vallangin Comitatus. Vallanginus Comitatus præcedenti annexus, in Iura monte situs est, separatur autem à Burgundia Comitatu Dulci fluvio, & quinque vallibus constat; earum vero nomina hæc sunt: *Rus*, *Losche*, *Saine*, *Breneſt*, & *Chaus de fond*. Oppidum & arx Vallanginensis præcipuus hujus Comitatus locus est, præter quem in ejus districtu nominantur quadraginta vici.

Lacus. Lacus Neocomensis septem horarum itineris longitudinem habet; latitudo trium horarum est; Orba, fluvius ex hoc lacu in Biennensem influens, & aquas suas prope Buren Arolæ miscens, Neocomensibus vina sua aliaque mercimonia, aquæ beneficio in Rhenum usque devehendi commoditatem præbet.

Aëris & soli ratio. Circa Lacum aër temperatior est & suavis, in montanis frigidior. Solum quoque lacui adjacens admodum fertile, hordei, avenæ, leguminum magnam vim benigne profert. Vina quoque hic crescunt utriusque coloris, optimæ notæ, & generosissima, quæque Basileensibus, Bernatibus, Friburgensibus, & Salodoriis divendere solent indigenæ. Ferri, chalybisque aliquot hic sunt minæ. Burgundiam & Basileensem Episcopatum versus pascua conspiciuntur lætissima; cæterum tam montes, quam valles innumera animalium armenta, pecorumque greges, nec non feras nutriunt. *Pisces.* Lacus incredibilem fere elargitur piscium varii generis sapidissimorum copiam, inter quos troctæ excellunt, saporis optimi, quæ nonnunquam quadraginta librarum pondus æquant; hæ è lacus alveo, Areusam fluvium Baudrii & Colombier oppida interfluentem ascendentes, facillimo negotio capiuntur; ex qua captura Principi reditus non contemnendi proveniunt. Præterea in lacu hoc capiuntur nonnulli pisciculi, quorum sale conditorum magnam vim Argentinenses, aliique Rheni accolæ hinc quotannis petere solent.

Incolæ. Incolæ Principatus hujus fortissimi sunt bellatores, & laborum patientissimi; excellunt præterea præ finitimis nationibus ingenio, ad artes quasvis addiscendas accommodissimo. Fœminæ à gravitate & modestia passim commendantur. *Sermo.* Plurimi lingua utuntur Sabaudica & corrupta; verum honestioris gradus cives linguâ Gallicâ animi sensa eleganter exprimunt; Omnes fere Helveticam, vel Germanicam quoque loquuntur.

Opes. Principatus hic Principi suo confert quotannis 40000 florenorum summam. Neocomensis populus opulentus est, cujus commoditates præcipue in vini proventu, armentis & gregibus, piscatu, ferri chalybisque copia, pannificio, & lanæ cum Basileensibus, Lotharingiis & Germanis commercio consistunt.

Vires. Belli ingruentis tempore Princeps octo armatorum millia in statu suo conscribere potest, & relictis ad terram defendendam aliaque negotia, idoneis præsidiis, tria millia contra hostes extra dominii sui terminos educere. Ii vero qui sub ejus sunt imperio, cum quindecim virorum millibus ei militare tenentur, dummodo ipsis stipendium Princeps persolvat. Omnes vero Neocomenses proceritate sunt conspicui, robusti, bellatores egregii, & fere temerarii, unde *les adventuriers de Neufchastel* audiunt; cæteris Helvetiis permixti per totam fere Europam militant. Verum cum peculiariter ad bellum procedunt, signa Helvetiorum non sequuntur; ordine multum ab iis diverso in præliis utentes, & majori audacia, vel potius temeritate pugnam arripientes. Cæterum Principatus hic clavis Helvetiæ merito dici potest, idque ob passus sex tam angusti aditus, ut facillime à minima militum manu contra maximas hostium copias defendi possint. ad limites Burgundiæ Comitatûs vicus est in planitie positus, *Verriers* dictus, qui unico fere momento sexcentos milites armis instructos proferre potest; ad finem vero hujus planitiei angustus admodum, & vix quinque pedes latus est passus, ab utraque parte rupibus inaccessis interclusus, hunc catenâ ferreâ ut moris est clausum, bini homines, contra exercitum numerosissimum facile defenderent. Viginti ab hinc passibus, turris quondam visebatur, totius districtus propugnaculum, postmodum ab Helvetiis dum terras hasce occuparent, destructa. Paulo ulterius, in valle traversa *Moutier* locus munitissimus montis apicem occupat, omni apparatu bellico probe instructus. ad montis vero radicem vicus est quingentos milites armare potis. Ad *Rupem fortim* arx olim erat inexpugnabilis, quæ latronum domicilio infamis, capta & destructa, in ruinis jacet; verum locus natura est munitissimus, adeo ut decem homines eum occupantes, exercitui quamvis maximo facillime resistere, ac ulteriorem progressum vetare possint. Versus Bernatum limites Arx est Tiellensis, quatuor propugnaculis defensa, quæ Tiellensis fluvii è Bernensi pago ad Neocomenses transitum prohibet.

Regimen. Neocomensis Principatus absolutus, nullique hodie obstrictus est; olim quidem feudum Imperii, sed ab eo, quemadmodum cætera Helvetia, postmodum disjunctus. Romanis primum, post Burgundiæ Regibus hæc regio paruit; Memphum vero, Othoberti è Regibus Burgundis oriundi filium, circa annum 815 pro parte hæreditatis suæ, terras omnes à *Pontarlier* in Burgundiæ Comitatu, usque ad agrum Salodorensem, & in iis Neocomensem, Valanguinensem, Arguelensem, Arbergensem, & Nidoviensem Comitatus possedisse, nonnulli Neocomensium Annales testantur. Alii Memphum Neocomensis comitatus & terrarum circumjacentium possessionem & titulum jam anno 414, à Gondiocho primo Burgundiæ Rege consequutum, affirmant: Verum ob bella inter Sabaudiæ Duces & Helvetiorum confœderatos pagos subsecuta, sola Neocomensis & Valanguinensis Comitatuum possessio apud Memphi successores remansit. Vltimus hujus stirpis Princeps Ludovicus vitam cum morte commutavit 1373, Isabellam, Frenemque filias relinquens, statuum suorum heredes; harum Isabella sine prole moriens Conradum III, Comitem Friburgensem, Sororis suæ filium, in omnibus, quæ in Superiori & Inferiori Burgundia, possidebat, dominiis heredem instituit. Conradus autem, deinceps Friburgi & Neocomi Comes, Badenvillerii & Campopliti dominus, Mariam de Vergy uxorem duxit, ex qua filium Iohannem procreavit. Iohannes Mariam Cabillonensem, Aurantiæ Principem matrimonio sibi conjunxit, ex qua nullam suscepit prolem, mortuus anno 1458. Rudolphus Hoochbergius, Guilielmi Hoochbergii Marchionis, Susenbergii, & Rotelini domini filius, jure testamenti Iohanni consanguineo suo defuncto successit. Duxerat hic uxorem Margaretam Guilielmi Viennensis, & Alisiæ Cabillonensis filiam, quo conjugio, omne jus, quod Cabillonensibus in Neocomensem Comitatum competebat, sibi heredibusque suis acquisivit. Obiit autem anno 1487. Illud hîc minime prætereundum, inter Guilielmum Viennensem, & Alisiam Cabillonensem, matrimonium contrahentes, utrimque stipulatum, filios ex eo matrimonio nascituros, eorumque descendentes, Cabillonensi familiæ, si forte masculi heredes deficerent, in omnibus dominiis successuros: hac stipulatione fretus Longavillæ Comes (Philiberto Cabillonensi, Arausionensium Principe, ultimo ejus stirpis, in obsidione Florentiæ, absque prole, anno 1530 extincto) hereditatem Principatus Arausionensis contra Renatum Nassavium disputavit: Rudolphus Hoochbergensis è Margareta Viennensi filium unicum sustulit Philippum, Neocomi Comitem, Rotelini, Susembergii, & Badenvillerii dominum. Hic anno 1476 Mariæ Sabaudicæ, Amedei Ducis, & Violantæ Francicæ, Ludovici XI R. Sororis, filiæ matrimonio conjunctus est. ex ea autem unicam tantum filiam Iohannam procreavit; & quam-

quamvis inter matrimonium contrahentes conventum esset, filios ex eo conjugio nasci-turos in successione dominiorum Rotelini, Susembergi, Badenvillerii, Schoffii & Sugniaci quibuscunque, etiamsi forte è secundo Philippi matrimonio nascerentur, præferendos: nihilominus Philippus anno 1490, cùm consanguineo suo Christophoro Badensi contractum secretum celebravit, cujus virtute Philippo sine prole mascula defuncto Christophorus in Rotelini, Susembergii, Badenvillerii, & Schoffii dominiis succederet; & vice versa, Christophoro sine filio extincto, Hoochbergensis Marchionatus, Floschingense, & Sultzbergense dominia Philippo obvenirent. Sed pejor omnino Philippi, unicam & solam filiam habentis, erat conditio, cum Christophorus jam filium Philippum nomine procreasset. Philippo, anno 1503, Iohanna unica filia relicta, defuncto, Christophorus vi contractus cum Philippo initi, Rotelini, Susembergii, Badenvillerii & Schoffii dominia occupavit, deposito Iohanne Neocomensi, Vallis Marci, & Gorgierii domino, Iohannæ Hoochbergiæ in iis dominiis Gubernatore; atque ut secura eorum ipsi esset possessio, ad Maximilianum I Imperatorem recurrens, & Rotelini & Schoffii dominia, ut feuda Imperii, Susembergii & Badenvillerii à Domo Austriaca tenere confessus, investituram adeptus est. Ludovicus Aurelianensis, Longavillanus Dux, interea matrimonio cum Iohanna Hoochbergia inito, Neocomensem Principatum adeptus, Rotelini quoque se inscripsit Marchionem, & jus in prædicta dominia in posteros suos transmisit. Verum bello postea inter Galliæ Regem Ludovicum XII, & Helvetios exorto, cum Longovillanus à Regiis staret partibus, Bernates communi Helvetiorum nomine urbem Neocomum, totumque Comitatum occupaverunt anno 1509, & præfectum ei imposuerunt. idem fecere cæteri ordine, exceptis Tigurinis, qui, cum primum præteriti fuissent, debebant, ubi vices ad ipsos rediissent, duplici annorum spatio imperare. Sed ubi tempus id venisset, Ioanna Hoochbergia, Longovillani Ducis vidua, per internuntios tantum effecit, ut Comitatus Neocomensis sibi certis pactionibus restitueretur anno 1529, & cum ante hoc tempus Comitatus certis conditionibus & pactis, Bernatibus, Lucernatibus, Friburgensibus & Salodoriis conjunctus fuisset, ea in hac restitutione confirmata sunt; & Longovillani Duces, Comitatus hujus, Bernatibus peculiari fœdere obstricti, libera & pacifica gaudent possessione.

Privilegia. Cæterum Neocomensibus eximiæ à Comitibus suis concessæ fuerunt immunitates. Magistratum & signiferum creandi potestas iis competit, subsidiorum immunes sunt, decimasque nullas solvere tenentur. & hodiernus Princeps anno 1617 singulari liberalitate, omnes glebæ addictos subditos servitute exemit, liberosque eos & sui juris esse voluit. Porro regitur Comitatus hic à Præfecto nobili Helvetio, qui à Principe eligitur.

Iustitiæ administratio. Iustitia administratur, ut in plurimis Helvetiæ locis, à Majori, & duodecim Senatoribus, qui Neocomi in Curia conveniunt; lites autem voce deciduntur, nisi forte de crimine agatur; & singulis oppidulis sua sunt tribunalia: neque datur de sententia earum provocatio, nisi ad Consilium Principis. Incolæ omnes Religionem quam Reformatam vocant amplectuntur; Ecclesiastici proventus Principi competunt.

Genealogia Principum Longovillanorum. Longovillani Duces, & Principes Neocomenses à Ludovico Franciæ, Duce Aurelianensi, Caroli V, Franciæ Regis, filio, & VI fratre descendunt hoc modo: Ludovicus filium extra matrimonium procreavit Ioannem, qui Nothus Aurelianensis postea dictus est. Hic Caroli VII, Regis, exercituum Ductor, Franciæ Camerarius major, Longavillæ Comes, Castelaillonii Princeps, Dunensium Comes, Partenæi, Vouvantii & Mervantii fuit dominus. insignis animi vir, & bellator egregius, Aurelianum ab Anglorum copiis, tempore Ioannæ Puellæ Aurelianensis, fortiter defendit, eosque Normannia & Aquitania penitus expulit, verus Monarchiæ Francicæ restaurator. Vxorem duxit Mariam Harcourtiam, filiam Iacobi de Harcourt, Tancarvillæ & Montisgomerii Comitis; è qua liberos suscepit, Franciscum, Ioannam Passavantii dominam, & Catharinam, Roucyaci Comitem; obiit verò, rerum gestarum gloria clarus, anno 1470.

Franciscus Aurelianensis, filius Iohannis unicus, Franciam longo tempore gubernavit; ex uxore Agnete Sabaudica, Ludovici Sabaudiæ ducis filia, liberos sustulit, Franciscum, Ludovicum & Iohannem Cardinalitia purpura decorum; Tancarvillæ Comitatum jure hereditatis, Ioanna sorore defuncta, adeptus est: ex vita hac migravit anno 1491.

Franciscus Aurelianensis, II ejus nominis, Dunensium, Tancarvillæ, & Montis Gommerii Comes, Castellaillonii Princeps, Meloduni Vicecomes; Partenæi, Vouvantii, Mervantii, Monstrolii, Noyelles ad mare, & Gournæi dominus; hæreditarius Normandiæ Comes Stabuli, Franciæ Camerarius major, Aquitaniæ Gubernator, & primus Longavillæ Dux; nam Longavilla ad Ducatus dignitatem à Ludovico XII anno 1505 evecta est. E Francisca Alençonia, Renati Alençonii Ducis filia, unicam suscepit filiam, Renatam nomine, ante septimum ætatis annum denatam; obiit anno 1513.

Ludovicus Aurelianensis, Francisci II, Lon-

Longovillani Ducis frater, uxorem duxit Iohannam Hochbergiam, Neocomensis & Valanguinensis Comitatuum heredem; cum autem Francisco I Franciæ Regi contra Helvetios militasset, & memorabili ad Marinianum prælio interfuisset, Comitatu Neocomensi ab Helvetiis spoliatus est, quem deinceps viduæ ejus restituerunt. filios è Iohanna habuit, Claudium, Ludovicum, & Franciscum, filiam quoque Carlottam Nemoursiæ Ducissam; vitam finiit anno 1519.

Claudius Aurelianensis, Ludovici filius primogenitus, Longovillæ Dux, Dunesii & Neocomi Comes, improlis in Papiæ obsidione vitam cum morte commutavit, anno 1525.

Ludovicus II, Claudii frater, Mariam Lotharingicam, Claudii Guisiæ Ducis filiam, in uxorem duxit, ex qua filium habuit unicum, Franciscum nomine, qui octennis obiit anno 1551, heredem relinquens cognatum suum,

Leonorum Aurelianensem, patrui sui Francisci Aurelianensis, Castelaillonii Principis natum, qui hoc modo effectus est Longavillæ Dux, Dunesii, Tancarvillæ & Neocomi Comes, Abbavillæ Vicecomes, Gournæi, Passiaci, Monstrolii, Belay, Castri Heraldi, Parthenæi, Vouvantii, Mervantii, Longniaci Baronatuum Dominus: E Maria Borbonia S. Pauli Comitissa, & Estoutevillæ Ducissa, Francisci Borbonii S. Pauli Comitis, & Adrianæ Estoutevillæ Ducis filia, liberos suscepit Henricum Aurelianensem, Longavillæ Ducem; Franciscum Aurelianensem S. Pauli Comitem & Fronsaci Ducem; & Leonorum Aurelianensem, Castelaillonii Principem in ipso juventutis flore defunctum: filias vero Catharinam Aurelianensem, Virginum Carmelitarum monasterii in suburbio S. Iacobi Lutetiæ conditricem; Margaretam, mature defunctam; Antonetam, Carolo Gondyaco Insulæ Bellæ Marchioni nuptam, & Leonoram, Caroli de Matinjon Turingii Comitis uxorem. Obiit Princeps generosissimus anno 1573. Henricus Aurelianensis, dicti Principis filius natu major, Longavillæ, Estoutevillæ Dux, Neocomi Princeps supremus, Dunesii & Tancarvillæ Comes, Castelaillonii Comes, Franciæ Camerarius major, & perpetuus Normandiæ Comes Stabuli: Sub Henrico III, & IV, Franciæ Regibus, sæpius eorum exercituum Dux felix, inclytus; anno 1588 Catharinam Gonzagam Clivensem, Ludovici Nivernii Ducis filiam domum duxit; supremum diem clausit Ambiani anno 1595.

Henricus II, Primi filius unicus, paternorum Statuum & virtutum dignissimus heres, summa cum prudentiæ laude Neocomensis Principatus hodie est possessor: uxorem duxit anno 1617 Ludovicam Borboniam, Caroli Borbonii Suessionensium Comitis, & Annæ Montafieriæ filiam; qua defuncta, Mariæ Borboniæ Henrici Principis Condæi filiæ, matrimonio junctus est; Princeps omnium virtutum genere laudatissimus, filium habet Carolum Paridem, Dunesii Comitem natum anno 1646.

A R-

ARGOW.

LVCERNA.

Termini. 

LVcernensium pagus, Bernatum, Tugiensium & Vnderwaldiorum pagis includitur. *Lucerna Civitas.* Lucerna urbs totius territorii caput est, quæ situm occupat planum, sed montibus à tergo & sinistra circumseptum; ab his mœnia sustinentur, & turres altissimæ. Frontem amplectitur lacus, dextram fossæ aquosæ cum planitie elevatissima; prospectant vero hæ duæ partes montes adeo altos, ut nubes videantur verticibus attingere. Sita est urbs ad Rusam fluvium, qua is effluit ex lacu Lucernensi, hic pontibus tribus longitudine, & quod tectæ sint, pulcherrimis transitur, quorum longissimus ducentos pene passus extenditur; ad urbis fere mœnia exsurgit mons altissimus, quem Fractum & Pilati montem vulgo nominant, in cujus summitate lacus ille memorabilis, in quem siquid injiciatur, incredibiles excitantur tempestates. Cæteræ hujus pagi urbes sunt, *Sempach*, *Sursee*, & *Willisow*.

Mores. Lucernates, hospitales admodum, exteros quoscunque mira recipiunt humanitate, eosque concivium loco, honore & obsequio prosequuntur; hinc est quod Helvetiorum humanissimi audiant. in bellis loco tubarum æreis cornubus incurvis utuntur, quæ horrendum intonant, ipsi vocant *harschhorner*, dicentes se his virtutis ergo à Carolo Magno donatos esse. *Opes.* Cæterum Lucernatum Respublica multarum nobilium gentium extinctarum bona possident, quæ non contemnendos ei conferunt reditus; & cum hac iter sit in Italiam per S. Gothardi montem, & hinc merces ad Alpes subvehantur, indeque in Italiam clitellariis jumentis, & vicissim Italicæ merces per lacum & Russ fluvium in Rhenum, & porro in Oceanum descendunt; opportuno ad commercia quæ hic gnaviter exercentur, loco urbs ipsa sita est, & impositiones, nec non telonia, mercibus quæ transeunt, imposita Reipub. ærario valde prosunt. Nobiles & Civium præcipui, à diversis Principis stipendiati, splendide admodum & commode vivunt, palatia sumtuosa inhabitantes; Cæteri artibus mechanicis & navigatione occupantur, & victum quærunt; nulli vero, quamvis peritissimo artifici, artem suam exercere licet, nisi prius civium albo inscriptus, & in eorum numerum assumtus sit.

Historia. Maxima olim potestas Lucernæ, ut in multis aliis Germaniæ urbibus, fuit penes Canonicorum collegium; fundatum vero illud fuit à Wichardo presbytero, Ruperti, qui militum Ludovici Regis dux erat, fratre; cum autem collegium illud in potestatem Abbatis Murbacensis ex donatione Pipini regis pervenisset, oppidi quoque imperium ad tempora Alberti Austrii Imperatoris dicto Abbati competiit. Hic cum in Helvetia novum principatum condere instituisset, Lucernam quoque & circumvicina loca à Murbacensi Abbate emit. Habuerat vero Lucerna sub Abbatum imperio multarum rerum immunitates & præclara privilegia; neque merum imperium penes Abbatem erat: cives ipsi oppidum ampliarant, mœnia condiderant, urbem suo arbitratu etiam tum temporis munierant. Ea omnia inviolata se observaturum Austrius promiserat, clementique imperio se usurum. Sed cum sub Austriorum imperium per continuos viginti sex annos gravibus oneribus pressi, cum Vriis, Switiis & Vnderwaldiis continua bella gessissent; primi pagorum excursionibus expositi, commercia interim perirent, agri vastarentur, cives etiam sæpe ab hoste interciperentur; tandem pacem cum tribus pagis fecerunt, integris tamen juribus Austriæ Domus: qua Austrii irritati, urbem ex insidiis occupare tentarunt, sed conspiratione detecta, fœdus Helveticum acceleravit. Fœdus enim inter pagos confœderatos & Lucernates ictum est anno 1332.

Regimen. Lucerna in Tribus non dividitur, regimen vero fere idem est ac Bernense; sed artificum hic sunt collegia, quæ de rebus agunt ad artificium spectantibus, & vulgari voce *Gesellschafften* vocantur, nullam in creatione Magistratuum potestatem habentia. Consilia publica hic quoque duo sunt; Majus centum hominibus constans, & Minus, triginta sex, quorum octodecim per semestre tempus Rempub. administrant; & totidem per aliud semestre. ideoque bis quotannis hic Senatorum in majus & minus Consilium fit electio: si quæ loca vacant, circa solstitium & brumam; eliguntur autem novi Senatores à minori Consilio, quod præterito semestri rempublicam administravit. Consilii publici hic, ut Bernæ, præses est Consul vulgo *Schuldheys*, sed illius imperium annuum est. Iudicia apud Lucernates duo sunt, horum unum nominatur *das Wochen-gericht*, quia singulis septimanis Iudices conveniunt, & de contracti- *Iudicia.*


ARGOW
cum parte merid.
ZVRICHGOW
Auctore Ger: Mercatore.
Milliare Helveticum
Milliare Germanicum
Al pes
Liviner tal
Palenser tal
Occidens
Oriens
Thuner see
Brientzer see
Lucerner see
Zuger see
Der vier Waldstetten see
Der Walen see
Die Marck
Ober walden
Vnder walden
Schechental
Lint tal
Clon tal
Lugnitz tal
Ober Wallis
Val Lanizeria

71.

bus ac debitis judicant. Alterum numero Iudicum nomen habet *das Neuner-gericht*, novem-virorum Iudicium: hi injurias & convicia puniunt. Capitis Iudicia, ut Bernæ, non peculiares judices exercent, sed Senatus cognoscit, & sententiam fert.

Præfecturæ. Duæ Lucernatibus tantum sunt Præfecturæ, ad quas Præfecti mittuntur Wickensis & Sempachiana; at Sempachii Præfectus nullum in oppidum jus habet, tantum lacui & piscationi præfectus est. Reliquæ eorum præfecturæ à Senatoribus urbanis administrantur: sunt autem eæ, *Willisow, Eutlibuch, Rotemburg*; *Habspurg*; *Berone* cum agro vicino, quem *Michel-ampt*, id est Michaëlis præfecturam vocant; *Merisvende* (qui vicus id privilegii habet, ut ipse sibi præfectum deligat ex Senatu Lucernensium, Consule excepto, quemcunque voluerit) *Wegisz*; *Epicon*; *Horbe*; *Krientz*. *Sursee*, & *Sempach* oppida in Lucernatum clientela sunt; habent tamen proprium Consilium, quod causas tam civiles, quam criminales judicat: sed præses Consilii Surseii jusjurandum dat Lucernatibus; Sempachii non à civibus, sed à Senatu Lucernate deligitur ex civium Sempachianorum numero.

Religio. Pagi hujus incolæ omnes Catholici Romani sunt.

V R I I.

Nomen. VRii, qui à Romanis Taurisci appellabantur, nomen consequuti sunt ab Vranis, quos, ut dixi, Tauriscos nominarunt Veteres; nam & hodie in isto tractu Tauros Vros vocant, veterum Germanorum more, & insigne gentis in hodiernum diem Taurinum caput est, in campo croceo depictum; & belli tempore cornibus ejus animalis, tubarum loco, utuntur, & classicum canunt.

Termini. Vallem tenent Vrii non ita magnam, hinc ab Oriente monte Crispalto altissimo, per quem ad Rhenum anteriorem & Rhætos iter est, inde Gothardo & summis Alpibus, qua Italiam respicit in semicirculum, scenamque quasi conclusam; ad Septentrionem lacus Walstettensis est.

Loca. Est autem Vria communitas pagorum, quorum præcipuus *Altdorff* dictus, quod veterem pagum significat, non longe à Ruff fluvio situs est, ædificiis pulcherrimis, & plateis lapide stratis ornatus, ut ab oppido nihil differat, nisi quod mœnibus careat; Montes eum cingunt prærupti & altissimi, ut non possit nisi admodum difficulter adiri, aut navigio, aut per montem Gothardi periculosissimum.

Opes. Opes hujus Reipublicæ consistunt in teloniis, & impositionibus mercium, quæ ex Italia in Germaniam hac deferuntur, nec non stipendiis annuis, quæ à Pontifice Maximo, Galliæ & Hispaniæ Regibus recipit. Ii vero qui inter populum commodiores sunt, ex agris & pascuis propriis, in quibus armenta pascuntur, victum & opes quærunt; cæteri in devehendis per pagum mercibus Italicis, vel Germanicis occupantur, adeo ut numerus eorum plus 20000 virorum sit; nonnulli hospitia exteris præbent, neque Senatores ipsi hoc facere indecorum existimant; Pauperiores ditioribus pastorum loco inserviunt, ligna cædunt, aliaque ejusmodi servitia præstant. Artifices quoque hic reperiuntur, sed ii solum quos necessitas exigit. Commercio nonnulli quoque occupantur; merces vero, quæ iis ab exteris advehuntur, sunt triticum, vinum, panni linei, & è lana confecti, quoniam iis omnibus carent: abundat vero regio piscibus, bobus, vaccis, caseo, butyro, quibus per totum annum vitam sustentant indigenæ; exteris ligna in varios usus dissecta, caseos, quos aliqui Hollandicis bonitate pares existimant, & butyrum magna divendunt copia. Complurimi exteris Principibus militant; nam mechanicas cum pauci addiscant, & quandoque accidat ut unde familiam sustentent, non habeant, delectis ad militiam non raro, parvo omnino pretio recepto, sese substituunt, & militatum abeunt; hinc est quod in Helvetiorum apud exteros militantium cohortibus plurimi sint Vrii, armis annisque graves. Cæterum incolæ viri sunt prudentes, acres, & vere contemtores vitæ, ubi pro justitia, aut libertate dimicandum est.

Regimen. Vrii primum Romanis, post Alemanniæ Ducibus, & deinceps, ut cæteri Helvetii, Imperatoribus Germanis paruerunt, donec Ludovicus Germanicus, Pii filius, Magni nepos, eos monasterio sacrarum virginum à se Turegi extructo donaverit; à cujus Abbate postmodum omne jus ejus, quod virtute donationis Imperatoriæ in Vrios tenebat, coëmerunt.

Vriorum tota regio in decem partes dividitur, quas ipsi vocant *Gnossamen*, quasi participationes dicas, forte propterea, quod hi publicorum pascuorum & bonorum, item honorum & munerum omnium participes sint, & quod ex his tantum ad annuos conventus vocentur. Summa potestas Pagi est penes Consilium totius plebis: Conveniunt autem omnes totius regionis Cives, sexdecim annis majores, singulis annis Betzelingæ, qui locus mediæ horæ itinere ab Altorfio primario vico distat; & primo Ammannum ex omni populo deligunt, qui biennium suo munere fungitur, nulla habita ratione, in qua parte, aut vico regionis habitet, dummodo virtute & prudentia aliis præstans, hoc munere dignus videatur. Ammanno delecto, eodem conventu deligitur ejus vicarius, quem

Statt-

Statthalter vocant; Quæstores seu Tribuni ærarii, qui *Seckelmeyster* iis dicuntur, dein Scribæ, nec non Præfecti, qui vel ejus pagi proprias, vel cum aliis Helvetiis communes Præfecturas regunt; aliique Magistratus, & quicunque publica aliqua munia administrant. Hisce factis, publica edicta totius plebis suffragiis confirmantur, aut abrogantur, veluti de alea, de choreis, de compotationibus, de foro rerum venalium, & alia hujus generis. Si verò alio anni tempore negotia incidant, quæ ad statum Reipublicæ pertinent, extraordinarii & indicti conventus habentur. Minus quoque Senatorum hic est Consilium, qui toti Regioni consulant, numero sunt sexaginta, præter eos qui publicis honoribus functi, Senatores deinceps perpetuò manent; quod si graviores causæ sint agendæ, neque totius plebis consilium convocandum videtur, tum vel consilium duplicatur, aut triplicatur, & singuli Senatores singulos alios, aut binos secum assumunt. Nemo autem in Senatum deligitur, neque Consilio etiam totius plebis interesse potest, nisi qui fuerit ejus regionis civis, *eyn Landman*; atque facilius est in urbibus jus Civitatis assequi, quam apud Vrios, quia certo consilio & more majorum, veteribus colonis regionis novos admisceri nolunt, ut facilius in eodem statu respublica maneat,& mutationes caveantur. Præter hæc duo Consilia Senatorum & totius plebis arcanum quoddam & sanctius est paucorum, & præterea Iudicia rerum controversarum. Senatores ejus septem sunt, inter quos primum locum Ammanni obtinet vicarius; Iudicant hi de debitis quæ 60 florenorum summam non excedunt. Aliud deinde est Iudicium virorum quindecim, in quo Ammannus præsidet, & civiles controversias majoris momenti cognoscit. Iudicia rerum Capitalium à Senatu seu publico Consilio, & quidem plerumque duplicato exercentur, præsidente Ammanno, aut ejus vicario. habentur autem loco publico, sub dio, ubi omnibus spectare, causam audire, & judicum sententias cognoscere licet.

Præfecturæ. Lepontinæ Valli trans Alpes Vrii præfectum imponunt, huic additur Vicarius ex ipsa valle, & assessores sive Iudices, cum quibus una tam civiles, quam criminales caussas judicat, & triennio præfecturam obtinet. Præterea montis Gothardi incolæ Vriorum imperium agnoscunt, proprium tamen Consilium,& Ammannum habent, ab Vriensibus confirmatum; & quoties causæ capitales aguntur, duo è Senatu Vriorum consilio ipsorum intersunt.

Religio. Vrii omnes Catholicam Religionem constanter amplectuntur.

Helvetia.

S C H W I T Z.

Nomen. SVitii, Tautisci olim, quemadmodum Vrii,dicti fuerunt; unde vero hodiernum nomen consecuti fuerint, an à Swediis, qui loca hæc occupaverint,an aliis,incertum; illud certum, eos hodie nomen omnibus Helvetiis communicasse, eosque communi nomine *Switios* vocari. *Termini.* Pagus Switiorum Tigurino, Glaronensi, Vnderwaldiorum & Lucernatum, cingitur territoriis; est quoque, ut Vria, pagorum congeries, undique fere interclusa montibus,longe tamen quam Vria situs amœnioris, faciliorisque aditus. *Mores Incolarum.* Incolæ hujus pagi fortissimi sunt, venatores egregii, & agriculturæ dediti, quamvis agros paucissimos habeat pagus, & præcipua ejus pars è pascuis constet, quare innumera armenta, pecorumque habent greges. Opifices apud eos fere nulli, si sartores, sutores, fabros, & lignarios excipis, sed magna eorum vis, qui mendicando victum quæritant. Mares hic æque, ac feminæ alibi, caseos conficiunt, adeo ut eos in foro Argentinensi vendere cupientes, eos ne quidem à muliere tactos affirment. Commercium cum exteris hic fere nullum, ideoque oppidò pauci mercatores hæc loca adeunt; nisi forte vicum Brumen ad lacum situm transeant, & illinc *Art* Tugiensis pagi vicum petant; quod usitatum itinerantibus est iter; indigenæ vero eorum vicorum peregrinantibus hospitia præbendo, mercesque per utrumque lacum devehendo,rem faciunt.

Regimen. Pagus hic olim Alemannico Ducatu inclusus, pro majore sui parte Lentzburgensibus Comitibus paruit, qui partem ejus Schemnitzensi Cœnobio donarunt; Cætera pagi loca Stein, Steineberg, Sattel, Art, Cusnach, à Lentzburgensibus ad Habspurgios devoluta sunt. concessione vero Ludovici Imperatoris Magni fil. sub protectione imperii recepti, nullum superiorem agnoscentes, libertatem tuebantur. Postmodum cum emtionis titulo ab Everhardo Habspurgensi jura omnia, quæ ei competebant consequuti essent, ab Imperatore Henrico VII, easdem immunitates, quibus cæteri gaudebant pagi, obtinuerunt. Suitiorum autem regio divisa est in partes 6; quas quartas vocant, quia olim tota regio in partes quatuor divisa fuit; aucto vero populi numero, nova partitio facta est in sex partes; quæ tamen vetus nomen retinuerunt. Ex his partibus æquali numero senatores, qui toti regioni consulant, deliguntur, numero 60. Summa potestas est penes Consilium totius plebis, quod Ammanum, aliosque minores Magistratus eligit. Cætera regiminis forma eadem utuntur, qua Vrii, quo lectorem remitto.

Præfecturæ. Habuerunt olim Suitii quatuor præfecturas,

M

ras, Marchiam, Regionem ad Eremitanæ Virginis fanum, Cussenacum, & viculos ad lacum Tigurinum, qui villarum nomen habent, *die hof, oder ding-hof.* Sed ex his quatuor duæ priores jure quasi municipali donatæ sunt, ac è suo numero Magistratus eligunt, qui ipsis jus dicant. Verumtamen quotannis, cum conventus totius populi Suitiensis habetur, pro more, Legatos illuc mittunt, ac petunt sibi electionem propriorum Magistratuum concedi; idque illis ingentis beneficii loco conceditur, hac exceptione addita, ut modeste & obedienter se gerant, alioquin populo Suitensi liberum esse præfectum illis imponere, quotiescumque voluerit. Cussenacensium par fuit conditio; sed cum exteri, qui hoc itinere sal & alias res vehere consueverant, conquererentur injuste secum agi, & se nimium ab ipsis premi, Suitenses re comperta, denuo illis præfectum, & novas ordinationes & statuta dederunt. Præterea cum Glaronensibus duas præfecturas communes habent, Vsenach oppidum, & Castra Rætica, vulgo *Gastal*, ac per vices præfectos dant, & semper uni tantum præfecturæ Pagus unus, alter vero alteri imperat; Toggenburgii Suitiensium & Glaronensium non quidem subditi, sed cives sunt, & cum his alternatim militant.

Religio. Pagi hujus incolæ Catholicam religionem amplectuntur.

VNDERWALDEN.

Nomen. VNderwalden, Latinis Sylvania, à Sylva interjacente, in Argovia situm occupat, cum Lucernatibus, nec non Vriis, & Suitiis in lacu *die Vier Waldstetten Zee* terminos habens communes. Dividit eam in superiorem & inferiorem interjacens sylva *Divisio.* *Kern* dicta: Superiores Sarnæ, vulgo *Sarnen* Consilium constituerunt, eoque gentis universæ sigillum contulerunt; inferiores Stantii, vulgo *Stantz.*

Qualitas. Territorium pascuis amœnis, sylvisque pulcherrimis constat. incolæ fortissimi sunt bellatores; in armentis gregibusque præcipuæ eorum constant divitiæ; qui lacus ripas accolunt, piscatu victum quærunt, fructusque suos lucri gratia navigiis Lucernam vehunt.

Regimen. Antiquitus Stantz sub sylva ad lacum totius regionis caput fuit, & dicti sunt homines vallis in Stans; nunc, cum Vnderwaldiorum nomen pro tota regione accipitur, in lingua Helvetica semper additur supra & infra sylvam, *Vnderwalden, ob und under dem Wald.* Quamvis vero Vnderwaldia in duas partes hasce sit divisa, nihilominus communi nomine appellatur, nec in pagorum Conventibus generalibus duorum, sed unius tantum suffragii jure gaudet. privatim vero singula conventus peculiares celebrat, sigilloque peculiari utitur. Franciæ Reges tractus hujus, unica Zurigoviæ Comitatus appellatione comprehensi, reditus Lucernensi Cœnobio tradiderant, supremo nihilominus jure sibi reservato; Ab eo tempore Monachi Majores suos in vicis *Stants*, Cnochs, Sarnen, Saxlen aliisque constituerunt. Verum postmodum Vnderwaldii, jura hæc à Monachis ementes, libertatem denique integram, Imperii Præfectorum jugum excutientes, consequuti sunt.

Triginta homines ex unaquaque duarum partium eliguntur, qui Consilium simul constituunt; sed singula habet Ammannum, Vicarium, Quæstores aliosque minores officiales, qui eodem, ut apud Vrios, Suitiosque modo, eliguntur, eademque forma ut apud eos hic pagus regitur. Indigenæ omnes sunt Catholici. *Religio.*

TVGIVM, vulgo ZVG.

Termini. TVgiensis pagus, vulgo *Zug*, Tigurensi, Lucernatum, & Zuitensium pagis includitur: Oppidum habet præcipuum, *Tugium urbs.* cujus frontem cingit lacus Tugiensibus & Zuitiis communis; tergum & sinistram monticuli, dextram campi non mediocriter fertiles. præterea Tugienses possident ad eundem lacum Chamum oppidum, ubi olim peculiares domini, nec non vicos pagosque nonnullos sat pulchros. Territorium fertile *Qualitas.* est, triticique satis ferax, indigenæ fortes, laborum patientes, humanique erga exteros audiunt.

Regimen. Paruit civitas hæc primò Chami dominis, post Welembergiis, dein Haluiliis, postremo in Habspurgiorum potestatem pervenit; quibus contra Helvetios cives longo tempore militarunt; donec ab iis obsidione cingeretur; deditionem itaque facere coācta, cum Helvetiis convenit, & in numerum pagorum recepta est anno 1352. Sed quamvis Tugium oppidum sit magni momenti, tamen imperium totius pagi non est penes oppidanos, sed etiam ii qui agrum Tuginum inhabitant, pari jure cum oppidanis imperant. Pagus in tres conventus dividitur, Montanum, Vallem Egeriæ sive aquæ Regiæ, & Baram parochiam in campo urbi proximo; urbs ipsa duorum conventuum loco censetur. Ex hisce quinque eliguntur quadraginta quinque Senatores, novem ex singulis conventibus; Ammanni ordine ex singulis conventibus deliguntur; qui vero ex conventibus exterioribus delecti fuerint, eo biennio quo Magistratum gerunt, in urbe habitant. Deinde Ammanni Vicarius, Quæstores, Præfecti, alii-

aliique minoris notæ officiales eliguntur; Tugii quoque urbs, præter publicum totius regionis Consilium, proprium Senatum habet, Iudicia ac Magistratus urbanos, Ammanni Vicarium, Quæstorem, Ædilem, aliosque Magistratus, qui civium causas cognoscunt, & publica urbis negotia administrant. Iudicia rerum capitalium, eodem, quo apud Suitios, Vrios, & Vnderwaldios, modo exercentur. Cæterum Tugini Chamo oppidulo, S. Andreæ vico, quondam etiam oppido, Hunebergo, Walchevilæ, Steynhusæ pago, & alteri, qui S. Wolfgangi nomen habet, Præfectos imponunt. Omnes vero Religionem Catholicam Romanam profitentur.

Præfectura.

Religio.

G L A R O N A,
vulgo
G L A R I S.

Limites. Glarona vallis est juxta Limagum fluvium, non admodum ampla, longitudine trium milliarium Germanicorum; nomen habens à præcipuo totius regionis vico; cincta, tribus partibus, altissimis Alpibus; à meridie & oriente Rhætos; ab occasu Vrios & Suitios attingit, à Septentrione Castra Rætica regionem, qua Limagus vallem egreditur. Complectitur ambitu suo Werdenbergensem Comitatum, & loca alicujus momenti, *Sevelen, Walenstat, Buchs, Graps*, & *Ganps*, nec non *Schwanden*, ubi comitia hujus pagi convocantur; pagus ipse, quamvis exiguus, mire amœnus est, & undique fluviolis amnibusque, qui piscibus scatent, irriguus. Indigenæ procerâ staturâ, robusti, humani, ingenio sunt subtili, & à fraudibus abhorrentes.

Loca. *Qualitas.* *Incolæ.*

Regimen. Regio hæc multis annis monasterio Seconiensi fuit obnoxia, donata S. Fridolino ab Vrso & Landulpho fratribus; huic solvebantur reditus, decimæ & census certorum fundorum; ab exactionibus & vectigalibus erant liberi, suis legibus viventes, & Senatum ex civibus habentes, cujus tamen electio penes Abbatissam erat. Advocatia vero Cœnobii & Glaronensium erat penes Rom. Imperatorem. Fridericus autem Barbarossa eam Othoni Burgundiæ Palatino dedit; à Burgundis ad Habspurgios pervenit. Albertus Austrius Rudolphi Imper. filius, reluctantibus Glaronensibus imperium Advocatiæ hujus titulo sibi vendicavit. Austrii quoque jam vires nacti, post domo ejectum Swandium Baronem, jura majoratus Glaronensis ad se transtulere; & quod hactenus nunquam factum fuerat, Præfectos in illam regionem misêre, qui populum regerent, & illi jus dicerent. Horum imperia cum aspera & insolentiæ plena essent, plebs odio Austriorum, Helvetiis bellum inferentibus sese ultro dedidit; & perpetuo fœdere junxit anno 1351.

Summa Reipublicæ, ut in prædictis pagis, penes populum universum est, in Comitiis publicis Swandiæ haberi solitis congregatum. Pagus autem dividitur in partes 15, quas vocant *Tagwan*; quod nomen operam diurnam significat, sive etiam tantum terræ spatium, quantum unius hominis diurnâ operâ coli potest. Singulæ autem earum suâ operâ vias in suo agro munire tenentur, & publicæ operæ juxta has partes distributæ sunt. Consilium sexaginta virorum habent, quorum quatuor è partium singulâ eliguntur. Præterea duo hic sunt Iudicia, unum novem, alterum quinque virorum, qui à publico conventu totius populi quotannis deliguntur. Novemviri controversias hereditatum cognoscunt, & injuriarum. Quinque viri autem de debitis & reddita pecunia judicant. Glaronenses autem Werdenbergensibus præfectum dant in singula triennia; Comitatum vero eum emêre anno 1517. Cum Suitiis quoque alternatim præfectos Vrenacum, & in castra Rætica mittunt. Indigenarum pars Catholicam religionem, pars alia Reformatam, ut nominant, sectatur; ideoque Magistratus ex utriusque Religionis viris constat.

Præfectura. *Religio.*

TERRITORIVM BASILEENSE.

Termini.



Erritorium Basileense ad Orientem urbe *Lauffenburg, Seibhengen*, & parte vallis *Brick*; ad meridiem vero Iurasso monte, qui hic valde præceps est, terminatur; ad occidentem aliquas Salodoriorum & Basileensis Episcopatus præfecturas; à Septentrione Rhenum & superiorem Marchionatum respicit. octo horarum vero ejus est longitudo, latitudo septem horarum itinere finitur; complectitur vero vicos quadraginta duos, & viginti tres parœcias. *Basilea Civitas.* Basilea Cantonis caput est. Eam vero ex opulentæ & eximiæ Romanorum Coloniæ Augustæ Rauracorum cineribus, quasi novum Phœnicem resuscitatam, ex illius ruinis ædificatam, & pedetentim ad hoc potentiæ & gloriæ fastigium singulari Divinæ Providentiæ favore evectam fuisse, plurima authorum & monumentorum testimonia comprobant. *Nominis origo.* Num vero à frequenti Gallorum, aliarumque nationum per Rhenum transitu, prope turrem à sale nomen sortitam, & eodem adhuc loco exstantem, nomen acceperit; an vero Basilena, Imperatoris Iuliani mater, suum urbi commodaverit; aut an à Basilisco ibidem invento denominata fuerit, incertum est. *Situs.* Sita est urbs Basilea ab elevatione poli 47. gr. 42. min. quoad longitudinem autem, à primo meridiano, quem ab Insulis Azoribus novissima Geographorum opinio deducit, 31 gr. 15 min. distare creditur. *Qualitas.* Aere fruitur salubri & temperato, & quanquam aquiloni non parum objecta sit, frumenti tamen, vini & graminis feracissimo agro circumdata est, quippe quæ sibi sæpissime superflua aliis adjacentibus, & horum indigentibus regionibus communicat. Dividit illam celeberrimus Germaniæ fluvius Rhenus in duas partes, quarum major Gallica in ora Alsatiam versus, minor Germanica in ripa sita est: conjungit tamen has eximius è lapide fluvio instratus pons, cujus longitudo in 350 passus extenditur. Quæ vero urbi Rhenus in mercibus, aliisque ad urbis sustentamentum necessariis rebus subvehendis & devehendis, emolumenta adferat, vix equidem, cum unicuique melius conjicere liceat, ea enarranda putem. Licet autem sæpissime olim fortuitis incendiis, sive aquarum inundationibus, & intumescente frequenter Birsecko fluvio, (qui, urbem intrans ibidem Rheno aquas suas tradit) nec non variis & gravibus terræ motibus, maxime 1356, concussa & labefactata sit: ita nihilominus iterum convaluit, ut Æneas Sylvius, cum anno 1431 & seqq. Concilio Basileensi Prælati titulo interesset, perspecta palatiorum magnificentia, arearum amplitudine, ædificiorum splendore, platearumque nitore, eam Ferrariæ & Florentiæ maxime eximiis Italiæ urbibus comparare, imò præferre non dubitaverit: quam deinde ad Pontificatum maximum sub immutato Pii Secundi nomine evectus, favore suo prosequi voluit, & ibidem Vniversitatem erexit, *Academia.* tot tantisque privilegiis dotatam, ut Parisiensi, Bononiensi, Viennensi, Erfordiensi aliisque ne unguem quidem concedat.

Oppida. Cætera Pagi oppida sunt, *Walemburg* ad fluvium Ergetz situm, & castro egregio *Alt Walemburg* dicto, conspicuum; Episcopus hoc, per ultimorum Comitum Froburgensium obitum, ad se devolutum Basileensibus vendidit: *Liechstal*, tribus Basilea leucis dissitum, Rhenum, Augustumque pagum inter, medio fere itinere; id quoque ab Episcopo Basileenses pretio persoluto adepti sunt. *Sissach* oppidum, à quo regio *Sisgow* dicta nomen consequuta, situmque est in valle inter *Ober* & *unter Hawenstein* montes posita; præterea *Warnspurgensis* Comitatus reditus huic Cantoni addictus est.

Mores. Basileenses ut plurimum procera sunt statura, forma decora, & membris bene compactis; feminæ venustæ, & gratiosæ. Mares ingenio excellere, & humanitate, nec non pectore aperto, & in exteros propenso esse prædicantur: sunt præterea hilares, minime morosi, at modestiam & gravitatem nihilominus servantes; lites, discordias, jurgia inter eos vix cognita; concordia & amore singuli erga cives pariter & exteros affecti sunt. Iuvenes, aliique maturioris ætatis vestibus utuntur ad Gallicum morem confectis; Mulieres pileos gestant præaltos, & sacchari fere panem referentes, pellibus preciosis cinctos; capillos vero in nodos colligatos in humeris vagari permittunt: plurimæ quoque jam Gallico vestiuntur more. Gladiis utuntur, ad antiquum Helvetiorum morem, largissimis, eosque lateri accingunt, ut verè diceres, Basileenses gladiis alligatos. Linguam loquuntur Ger-

Germanicam, quamvis Gallicus quoque maximo in usu sit.

Opes. Opes & reditus reipublicæ Basileensis consistunt in Abbatiarum quarundam opulentis reditibus, & è Comitatu Wasburgensi, aliisque Præfecturis provenientibus; præterea onera & vectigalia, mercibus, hic ex Italia, Gallia & Germania transeuntibus imposita, maximam urbi adferunt utilitatem. Cives commerciis, quæ hic strenue vigent, rem & opes quæritant.

Regimen. Cæterum cum urbs hæc Helvetiis vicina sit, eorum amicitiam, multis annis antequam se eorum fœderi jungeret, studiose coluit; sæpius communibus consiliis & viribus contra Austrios, Gallosque bella gessit; sæpius Helvetiorum ope ab ingruentium inimicorum armis defensa est. Postremo cum Bello quod inter Maximilianum Imperatorem, & Helvetios gereretur, Basileenses medios sese gessissent, nullamque partem auxiliis juvissent; Nobilitas, quæ ingenti Helvetiorum odio flagrabat, eos pene hostium loco habere cœpit; neque hi tantum, qui Austriis parebant, sed complures qui eousque cives fuerant, ex urbe in vicinos Sequanos, Alsatios & Brisigavios commigrarunt: unde urbis incolas contumeliis & injuriis afficere non cessabant, donec ii, indignitate rei commoti, anno 1501 perpetuo fœdere sese decem Helvetiæ pagis junxerint, eo modo pacem & quietem metu auxiliorum Helveticorum consequuti.

Dividitur Basilea in quindecim tribus, quas *Zunfft* vocant, è quibus quatuor aliis nobiliores habentur, quas dominorum tribus, *Herren-Zunfft*, vocant. Prima mercatorum est; altera eorum qui auro, argento, stanno fundendo & cudendo laborant: tertia vinariorum; quibus etiam scribæ & Cœnobiorum œconomi annumerantur: quarta est aromatariorum, item eorum qui sericum vendunt, atque omnis generis institorum; & hæc quidem omnium est populosissima; reliquæ undecim sunt plebeiæ, omnis generis opificum. Nonnunquam diversi generis opifices in unam tribum conveniunt, & sua peculiaria collegia habent: hujusmodi autem hic sunt piscatores & navicularii; sutores & coriarii; sartores & pelliones. Sed in his quæ ad rempublicam pertinent, & in electione Senatus, sive creandis Tribuum Magistris, qui Senatui intersint, communi consilio & suffragiis omnia peragunt.

Ex his tribubus omnes, qui publicis consiliis interesse digni æstimantur, pari numero è singulis eliguntur. Sunt autem hîc præcipuæ autoritatis, ut apud plerosque Helvetios, duo Consilia publica: Majus, quod virorum est 244. in minus Consilium singulæ tribus quaternos dant viros, his accedunt Consules & Tribuni.

Ambo hæc Consilia, Majus & Minus, in duo dividuntur, vetus & novum. Veterem Senatum eos nominant, qui per medium annum munere suo defuncti sunt; atque hi quamvis quoque convocantur, cum Senatus habetur, non tamen semper vocantur; nam sunt quædam quæ Novus tantum Senatus transigit.

Primæ apud Basileenses dignitatis Magistratus est Consulum; hos sequuntur Tribuni duo, vulgo *Zunftmeysters*, qui una cum duobus Consulibus urbis Capita nominantur. Hisce capitibus novem alii è Senatu adjunguntur; & hoc Consilium à numero tredecim virorum nomen habet. ad hos omnes graviores causæ referuntur, & primi de his deliberant, antequam rem universo Senatui proponant.

Iudicia. Basileæ duo sunt Iudicia in majore oppido, & tertium in minore: Publicum Iudicium majus, vulgo *das Stattgericht*, decem Iudicibus constat, qui partim è Senatu, partim è plebe in Iudicum ordinem adsciscuntur. Cognoscit autem Iudicium hoc omnes actiones civiles & criminales: sed in civilibus actionibus, de testamentis, contractibus, debita pecunia, & similibus, Prætor Vrbanus, vulgo *der Stattvogt*, Iudicio præest: in causis vero criminalibus, Præfectus seu Advocatus Imperii jus dicit, ac Triumviri capitales Senatorii ordinis, nomine totius Senatus, per Accensum, *den Obersten-knecht*, causam adversus reum peragunt. Fiunt autem Iudicia hæc loco publico, & aperto, ita ut omnibus interesse, spectare & audire, quæ aguntur liceat. Secundum majoris oppidi Iudicium tantum leviores controversias, & minoris momenti dijudicat, & quæ summam decem librarum non excedant. Minoris oppidi Iudicium, suum proprium habet Prætorem; & omnes caussas, præterquam criminales, cognoscit. Ærarii Sanctioris, in quo thesauri urbis asservantur, curam gerunt Quæstores triumviri, *Dreyerherren*; præter quos alii sunt triumviri, *Ladenherren* vocant, qui minora vectigalia, & reditus annuos Reipub. administrant. Post ii sequuntur qui curam omnium publicorum ædificiorum, viarum, fontium gerunt; atque hi, à mercede, quam publicis operis persolvunt, *Lohnherren* dicuntur. Sunt etiam Quinqueviri, quos *die Fünferherren* vocant, hi controversias de finibus, & quales inter ædificandum, inter vicinos oriuntur, dirimunt. alii annonæ curam gerunt. Pupillarum & viduarum patroni, *Weysenherren*, aliique minores Magistratus.

Præfecturæ. Præfecturæ Basileensium sunt *Farnsperg*, arx supra Reinfeldam in edito monte sita; *Walenberg*, oppidulum ad jugum Iuræ montis, quod ab excisa rupe nomen habet *der Houwensteyn*; *Homburg*, *Munchensteyn*, &



Meridies.
TERRITORIUM BASILEENSE, cum adjacentibus.
Septentrio.
Oriens.
Occidens.
Arburg
Olten
Schönen werdt
Falckenstein
DAS BUCHSGOW
HAUWENSTEIN
WASSER FALL
SCHAF MATTEN
Schonthal
Wallenburg
Rambstein
Homburg
Wildenstein
Liechstal
Farnsperg
FRICK
Rheinfelden
Olsperg
Seckingen
Bücken
SCHWARTZ WALD
Schopffen
Rotelen
Kander
Riehen
Munster
Bellelay
Telsperg
FREYEBERG
St. Ursitz
Hasenburg
Lutzel
Zwingen
Laufen
Morspurg
UF DEM BLAWEN
Blochmund
Burg
Liebenstein
Landskron
Pfirdt
Dornach
Birseck
Mönchenstein
Altkilch
Bolschweil
Lanser
DIE HART
Rhein flus

72.

Religio. *Ramsteyn*. Basileenses omnes Reformatæ religionis dogmata sequuntur.

EPISCOPI BASILEENSIS DITIO.

Termini. Episcopi Basileensis ditio ad Septentrionem Montis Beligardi Comitatum, Sungoviam & Alsatiæ partem respicit; ad Occidentem Burgundiæ Comitatum; ad Meridiem Neocomensem Principatum, & Bernensis pagi partem; ad Orientem Basileensi Cantoni jungitur. Longitudo ejus in novem horas extenditur.

Oppida. Oppidum ditionis præcipuum est Bruntrutum, Germanis *Porentrut*, arcem habens munitam satis, & pulchram, Episcopi secessu claram; licet in divinis pendeat à Bisuntino Archiepiscopo. Cætera ditionis oppida sunt, *Bienna*, cujus supra memini; Bonavilla, Germanis *Neustat*, *Telsberg*, communiter *Delmont*, in Saltzgovia ad Hom fluvium situm, arcem munitissimam habens, ubi Episcopus nonnunquam secedere solet; huic adjacet vallis Telsbergensis, oppida *Vnderschweiler* & *Altdorff*, vicosque complures comprehendens. *S. Vrsitii* oppidum, cum arce, inter prærupta rupium præcipitia situm; *Hasenburg* in medio montium, non longe à Lutzelensi abbatia excitatum; *Lauffen*, ad Birs fluvium, qui non longe ab oppido immani fragore è rupibus se præcipitat, & prope Basileam aquas suas Rheno commiscet. Vltimas duas hasce civitates Iohannes Vianensis Episcopus vendiderat; ast anno 1433, Iohannes Fleckensteinius una cum Godenfels, Spiegelsberg, Frejemberg, Birseck, Ysteyn, & Riehen præfecturis, rursus ditioni suæ adjunxit. In hisce regionibus est passus ille sub rupe excisa, quem vulgo *Pierreport*, vel *Pierre pertuise* vocant. *Homburgum*, *Walenburgum*, & *Liechstal*, Episcopi Basileensibus; *Olten* Salodoriis vendiderunt: *Rapolsteyn*, arx Baronatus celeberrimi, & amplissimi in Alsatia caput, Episcopi hujus feudum est.

Qualitas. Territorium tritici abunde est fertile, vina quoque profert magna copia; inter quæ ea excellunt potissimum, & magni æstimantur, quæ in Præfectura Ysteinensi, circa Biennam & Bonavillam proveniunt; ex quibus incolæ non contemnendum percipiunt lucrum. Sylvæ frequentes, & spissæ Lauffensibus & Telmontiis uberem ædificandi præbent materiem. Pascua & prata Vallis S. Immerii optimæ notæ sunt, & læte virentia. Vallis Teschburgensis, nec triticum, nec fructus fert; incolæ ex armentorum, gregumque vivunt proventu. Biennensis lacus pisciculos profert, quos *heurling* vocant; hos sale cond̂itos, & magni æstimatos vicinis, vendere solent.

Lingua. Gens ipsa Germanico utitur idiomate, sed multum corrupto. Bruntruti cives neque Helveticam, neque Burgundicam; sed linguam ex ambabus corruptam proferunt. Bonnavillenses linguâ Gallicâ corrupta, Biennenses Helvetica utuntur.

Episcopus. Episcopus Basileensis inter Ordines, Principesque S. R. Imperii numeratur, sub Circulo Rhenano superiore: Consilium habet more Principum Germaniæ, quod Cancellariam vocant, Buruntruti residens, quod terras Episcopo subjectas regit.

Religio. Biennenses, Monasterienses, & S. Immerii vallium, nec non Aswiler vici incolæ religionem, quæ Reformata dicitur, profitentur: cæteri Catholici sunt. Canonici Vallis Monasteriensis Delmontii resident; Cathedralis vero Ecclesiæ Basileensis Canonici, Friburgi in Brisgovia degunt. Buruntrutum Episcopi sedes ordinaria est, eique oppidi temporale dominium competit, quamvis in diocœsi Bisontina situm sit. Episcopus vero ipse Archiepiscopi Bisontini est suffraganeus. Buruntruti Theatinorum quoque collegium est, fabricæ pulcherrimæ.

RHÆTIA FOEDERATA,

vulgo

GRISONVM REGIO.

Rhæti undè orti.



RHÆTIA nomen suum à Rhæto, Tuscorum Duce, sortita est, qui à Gallis Italiam invadentibus agro suo inter Alpes & Padum jacente pulsi, Rhæto Duce in altissimos montes, populosque Alpinos Tauriscos se contulerunt. Quibus associati in valle Tumiliasca (quæ à pago Tumilio tumuloque eminenti prope castrum Ottensteyn sic dicta est) oppidum condidere, quod à patriæ jam derelictæ nomine Tusciam (Tussanam) vocaverunt, uti etiam tria castra, in honorem Ducis sui Rhæti, Rhætiam altam, Rhætiam imam, & Rhætium, nec non arces alias complures. At horum posteri, asperitate forte aëris & montium acriores facti, nullam dilatandorum finium occasionem neglexere, verum occupatis Athesis Abduæque fontibus, mox secundæ fortunæ aurâ elatiores, ulterius progressi sunt ad utrumque lacum, Acronium nempe, hodie Bodanicum, & Ripanum, seu Walenstadiensem; & ab altero làtere Comum, Veronam, Tridentum usque. Ac sic factum, ut caput Rhæticæ gentis Tridentum fuerit, uti post Vindelicorum, Augusta, vastissimisque spaciis habitaverint Rhæti. quorum longitudo inter Rheni & Plavis amnium fontes milliaria complectebatur circiter ducenta: latitudo vero inter Schuazium oppidum & Veronam, centum & viginti Italica.

Latius olim recxere.

Rhætiæ limites.

Rhætiæ autem Inalpinæ Confœderatæ, subditarumque ei terrarum termini hi sunt: Ab Oriente habitant Vennones (*Vallis Venosta,*) quo loco inter Monasterium (*Munster*) pagum & Tuberium (*Taufers*) crux terminalis est. Iurisdictio tamen civilis Rhætica ulterius abit, multis Fœderatis Rhætis extra dictum terminum habitantibus. Præterea ab eadem plaga Oenanos (*Inthaler*) vicinos habent; quo loco Rhætia, à sinistro latere, usque ad Pontem Martini extenditur: à dextero autem latere ea patet usque ad rivum, *Schergenbach* dictum, qui communis terminus est. A Solis denique ortu vicinas quoque agnoscit vallem Stilviam, & vallem Solis, ubi summi montium vertices pro limite sunt. Ab Occidente porro Rhætiæ Fœderatæ adjacet Comitatus Beltionensis: ubi rivulus de Lumino, & summitates Grainæ & Lucumonis, (qui nunc Sanctorum Mariæ & Barnabæ nominibus notus est) & denique Crispaltæ, Vepchæ, Mærchæ, terminum ponunt. A Meridie Rhætis Fœderatis contermini sunt, primo, Larii lacus accolæ. In planitie, à vallis Tellinæ parte, infra pagum Plantedium locus est, *Il Sanchietto* dictus, qui per rectam lineam crepidinem montis in cacumen secat: hinc Abdua: à parte Comitatus Clavennæ, in continenti quidem, locus ad lacum Mezolæ est, *La porta:* in lacu vero ipso Mezolæ, seu Clavennæ, saxum supra Datium, *Il Sasso d'Olciasco* dictum: Præterea cacumina montium vallis Saxeæ, Mediolanensis Ducatus, & jugum Montium, verticesque vallis Brembanæ, Serianæ, & Scalviæ, Bergomatum, & vallis Camonicæ, Brixiensium; Venetæ ditionis populorum. Septentrionale latus ab una parte claudunt cacumina Rhæticonis montis; à cujus tergo Montefuniani, Austriacæ ditionis, habitant: in planitie vero Fons S. Catharinæ infra clivum S. Lucii ab Estionibus Valledulcianis, Comiti ab alto Amisio parentibus, Rhætiam fœderatam intersecat. A parte vero altera cum exigua rupe aliquantum infra pontem Rheni regiæ viæ imminente, sursumque in summitatem montis S. Margaretæ tendente; tum inferius, ipso Rheno flumine à vicino Comitatu Sarunetum, terminatur. Atque horum limitum ubique certi termini positi exstant.

Helvetia.

Figura.

Figura Rhætiæ similis est formæ piscis soleæ, seu passeris marini extensi, Germani *Platteisen* vocant. Mons est situs inter Amisium, Scheidium, & Vmbilicum, in cujus cacumine Tria Fœdera collimant. Rhæti vero ab Italis *Grisones*, ab Helvetiis *Grauwpundter* vocantur.

Divisio.

Dividitur in tria Fœdera. Primum à situ nomen accepit, & superius fœdus, *der Oberpund*, vel Canum fœdus, *der Grawpundt* nominatur. Alterum nominatur Domus Dei, vel Cathedrale, incolis *Cá de De*, Helvetiis *der Gotthaus-pundt*, propter Curiensem Episcopatum, qui hoc fœdere continetur. Tertium est decem jurisdictionum fœdus, *der Zehen-Gericht-pundt*. Subditi sunt Volturena vallis, & Clavennæ Comitatus incolæ, Myenfeld & Malans oppida, vicique complures.

Montes.

Alpes Rhæticæ variis distinguuntur nominibus;


S. LUCIUS.
RHAETUS
Alpinæ seu Fœderatæ
RHAETIAE
SUBDITARUMQUE
ei Terrarum nova
descriptio.
Auctoribus
Fortunato Sprechero à Berneck. Eq. aur. & I.V.D. Ret.
AC PHIL. CLUVERIO.
Rhenus.
Ænus.
Nobilitate, eruditione & virtute Clarissimo viro,
D. HADRIANO PAUW EQUITI, DOMINO DE HEEMSTEDE, CONSILIARIO ET SYNDICO REIPUBLICÆ AMSTELODAMENSIS, CURATORI ACADEMIÆ LUGDUNO BATAVÆ, HANC SUAM DE NOVO AUCTAM TABULAM RHÆTIÆ D.D.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
HELVETIÆ PARS.
AUSTRIACÆ DITIONIS PARS.
TIROLENSIS COMI. PARS.
VENETÆ DITIONIS PARS.
MEDIOLANENSIS DUCATUS PARS.
HELVETICÆ DITIONIS CISALPINÆ PARS.
Expositio notarum.
Urbes; Stäte.
Fora; Haupt flecken.
Arces; Schloßer.
Cænobia; Chlöster.
Vici; Dörfer.
Amstelodami Guiljelmus Blaeuw excudit.
Evert Symons z. Hamers Veldt sculp.
Milliaria Rhætica; quorum singula duarum conficiuntur horarũ spatio ab expedito pedite; 12 verò const I gradui.
Milliaria Italica; quorum 60 conficiunt unum gradum.

73.

bus; inter eas maxime celebrantur juga Rhætica, hodie *das Wurmserjoch*; nam in summa valle Bormium opulentum castrum, Itali *Monte Braulio* vocant; sequitur mons quem *Colmen del Orso* vocant incolæ, Germani *den Vrschler und Splugerberg*. Huic proximus est Adulas mons, quem Rhæti *Colmen de Vccello*, Germani *den Vogelberg*, & S. Bernardini montem vocant. Dein Alpes Iuliæ Rhæticarum altissimæ, & præruptæ, ut hyeme fere sint impermeabiles. his adjacet Septimus mons, vulgo *Setmerberg*.

Fluvii. Fluvii, qui regioni huic originem debent, sunt *Rhenus*, cujus descriptionem in Germania dedimus. Abdua, vulgo *Adda*, fontes habet in ipsis jugis Rhæticis prope Bormium, hinc Volturenam, lacumque Larium pervagatus, in Padum sese recipit. *Oenus* ex Engandina superiore prorumpit, Tirolensem Comitatum rigat, & tandem Danubio Patavii in Bavaria miscetur. *Meira* ex Alpibus Iuliis labitur, & in lacum Clavensem, nomen perdens, se præcipitat. *Langarus* in Pretigovia natus, prope Malantiam à Rheno recipitur; præter eos amnes innumeri ex Alpibus erumpunt, quorum nomina recensere impossibile est.

Qualitas. Tota regio montibus asperrimis horret; vina nihilominus quibusdam in vallibus profert generosa, & optimæ notæ, ab exteris quoque expetita, quæque veteribus Romanis jam tum cognita, melioribus Italicis comparanda censuerunt; Augusti Cæsaris palato gratissima ea fuisse affirmant. aquæ potari hic suavissimæ sunt: balnea ad diversa morborum genera sananda conducentia. Crystalli quoque & metallorum ferax est regio, innumera armenta pecudesque nutriens.

Mores. Rhæti moribus rusticis præditi, superbiam præ se ferunt incredibilem, omnes totius orbis nationes præ se contemnentes, Principumque exterorum amicitiam flocci æstimantes, quamvis eam, si necessitas urgeat, sibi procurare non desinant. hinc est quod Legatus quidam Galliæ Regis, ad gentis superbos mores alludens, dictitabat, se hic montes superbiæ, valles miseriæ invenisse.

Grisones peculiari choreas agendi modo utuntur, quem à Tuscis majoribus traditum accepisse ferunt. Armis induti, hastisque cuspide ferrea armatis, catervatim saltando per pagos vicosque discurrunt, saltusque admirandos faciunt, quos conficere, armis si se nudaverint, impossibile affirmant. Hastis vero illis unus alterum tali petit violentia, ut ictum evitare posse eos diffideres. estque hæc saltatio residuum quoddam sacrificiorum, quibus pagani abundantiam segetis, uberemque proventum à diis deprecabantur. Cæterum in hisce regionibus non pauci sunt illustri stemmate procreati, qui ut paupertatis miseriam effugiant, agricolarum, laborantiumque operam præstare coguntur; neque hoc iis dedecori esse, vel natalium splendorem offuscare credunt; sese à Romanis progenitos jactantes: cum veritati consentaneum sit, eos à Thuscis descendisse; sed quamvis majorum imagines jactare soleant, agrestibus rusticisque moribus præditi, agricolarum potius conditionem referunt; iis tamen exceptis, qui vera nobilitate ornati, mores nobiles induerunt.

Opes. Ærarium Grisonum non admodum opulentum est, ex eo quod populus hic fere cum paupertate luctetur. reditus ii quos à subditis, & stipendia quæ à Principibus Respublica percipit, primum vicatim, dein viritim distribuuntur. Maximus autem Reipub. reditus est ex impositionibus, & è teloniis, quibus merces quæ per hasce valles transvehuntur, oneratæ sunt. Privati occupantur in transvehendis hisce mercibus, atque ex eo non contemnendas opes colligunt; cum enim brevissimum per hanc regionem ex Italia in Germaniam, à lacu Lario ad Constantiensem sit iter, continuo viatoribus & mercatoribus frequentatur, mercesque transeunt. Opulentiores verò, vicos inhabitantes, hospitia itinerantibus præbent; estque honestissima ea victum quærendi ratio, quam nec ipsi Senatores exercere dedignantur. Artifices hic fere nulli, nisi quos humana necessitas exigit. Si vero cum Austriis Grisones bella gerere necessitentur, adeo ut itineribus interclusis nullus hic viatorum merciumque sit transitus, plurimos paupertatis miserias, famemque ipsam tolerare, dicitur.

Vires. Paucissima Curiæ habent tormenta bellica majora, cætera regionis loca munitionibus destituuntur; armamentarium, horreaque iis nulla, secus ac Helvetiis, qui omnibus necessariis optime sunt provisi. Singuli plebis domi arma ordinaria, sclopeta, gladios largissimos, hastasque ut plurimum habent, iisque diebus festis sese exercitare solent.

Signa eorum cruce alba ornantur: cæterum Helvetiorum more tympanis, fistulisque utuntur, acies instruunt, cæteraque militaria exequuntur. Sed cum ob penuriam pecuniæ armis destituantur, frumentum quoque è Suevia, Mediolanensi Ducatu, Tirolensium Comitatu petere necessitentur, maximis difficultatibus obruuntur, si forte bellum illis gerendum sit. Volturena quoque vallis & circumvicina loca iis vina laudatissima conferunt, cum regio ipsa quibusdam solùm in locis, & quidem exigua copia mediocria tantum vina proferat. Nihilominus regio egregie munita est contra hostiles impetus, habetque quatuor duntaxat aditus perangustos providæ Naturæ munitissimos, adeo ut à viginti hominibus facillime contra quemvis hostium insultum servari possint. Primus est per Comensem lacum in Italiam; secundus per vallem

lem Comonicam in Venetam ditionem; tertius per vallem OEni in Tirolensem Comitatum; quartus in Helvetios & Sueviam per pontem Curiæ Rheno superstratum. Domus omnes fere tam in oppidis, quam in vicis è solo ligno constantes, facillime incendio absumuntur; vallesque montibus adeo asperis distinguuntur, ut non nisi difficillime, & magno temporis tractu, si necessitas urgeat, à vicinis auxilium obtinere possint.

Postquam Romani Rhætiam in provinciam redegissent, ejus regimen Procuratori commiserunt; dein Imperatores alios Magistratus Ducum, & limitum Præfectorum titulo Rhætiæ præposuerunt: donec Alemanni pulsis Romanis terras circa Rhenum fluvium & Constantiensem lacum occuparent, Rhætosque in montium suorum juga compellerent, locoque subditorum haberent: Gothi postmodum, Duce Theodorico, totius Italiæ fere regimen adepti, Rhætiæ Ducem sive Capitaneum præposuerunt. Ast dein Franci Gothos præliis diversis fusos expulerunt, Præsidibusque suis Rhætiam gubernandam commiserunt; usque dum Reges Francorum eam in Comitatus & Dominia dividerent. Solus Episcopus Curiensis dignitatem præfecturæ, quam cum Præsidibus conjunctim exercuerat, & territorium Curiense recuperavit, quamvis Dissentisii Abbas partem ejus sibi competere contenderet. Vltimò Carolus, cognomento Magnus, Imperator, totius Rhætiæ Præfectum & Gubernatorem constituit Constantium Curiensem Episcopum; quam dignitatem ejus Successores obtinuerunt, usque ad Thietolphum, post quem Episcopi sequuti solam eam Rhætiæ partem rexerunt, quam Domus Dei vocant, Comitibus, Baronibus, Nobilibusque cætera administrantibus; atque post ea tempora nullus universæ Rhætiæ Præfectus generalis præfuit. Post tractum temporis vero, ii Rhætiorum qui circa Rheni fontes habitant, una cum Abbate Disentisio, ejusque Vasallis, Castri Rhætici & Saxii dominis eorumque subditis, & nonnullis communitatibus liberis, fœdus perpetuum inierunt, quod *Superius*, ad situm habito respectu, & *Canum*, ob antiquitatem venerandam nominarunt. Articuli hujus contractus Troni, anno 1424, conscripti sunt.

Episcopus Curiensis, ejusdemque Civitatis cives cum vicinis communitatibus fœdus inierunt, non longo post Superiores tempore; & Fœdus hoc nominarunt, Domus Dei, sive Cathedrale, respectu ad Cathedralem Ecclesiam sedemque Episcopi habito.

Anno 1450 Davosii, vallis Rheticæ incolæ, Barponenses, Meyenfeldenses, & Malansiani, fœdus perpetuum sancierunt, idque decem jurisdictionum deinceps nominarunt. Postea duobus aliis fœderibus se in perpetuum conjunxerunt, atque ita tria Fœdera, in unum quasi corpus conjuncta sunt anno 1471 in loco Varzerol, in ditione Belfortensi.

Hæc Fœdera in Communitates distinguuntur, quarum singulæ suis immunitatibus & privilegiis gaudentes, proprios habent Magistratus, leges, & judicia; ex iis tamen una tantum Respublica constituitur, cujus major potestas penes Senatum trium Fœderum est.

Senatus trium fœderum.

Senatum autem trium Fœderum, Grisones vocant, *ein pundsdach*; suntque comitia legatorum ex singulis communitatibus totius gentis. tractantur in eo, quæ ad totius gentis Rempub. pertinent, de pace & bello, de fœderibus, de Legationibus, de legibus & edictis; audiuntur appellationes, quæ ex communibus præfecturis ad Senatum sive Comitia totius gentis fiunt. Loca autem, ubi habetur Senatus, tria sunt; Iliantum in superiori Fœdere; Curia in Cathedrali, Davosium in Decem jurisdictionum. Frequentius tamen Curiæ convenit; idque nundinarum tempore. Superius Fœdus Senatores sive Legatos ad hunc Senatum mittit viginti octo; Cathedrale viginti quatuor, Decem jurisdictiones quindecim; & quamvis plures mittantur, totidem tamen, quot dixi, singula fœdera suffragia habent.

Cæterum Legati dicti non sub arbitratu de rebus deliberant, sed ex mandato sui Conventus quod scriptum ad Senatum deferunt, agunt, & ad hunc acta referunt: Omnia autem suffragiorum numero aguntur. Porro nonnunquam etiam Consilium totius pene gentis convenit, sed id rarius contingit.

Præterea habent & alium Senatum, quem vocant *ein Beytag.* quando tantum præcipui Magistratus, & quasi capita trium fœderum conveniunt: sunt autem ii, Iudex Provinciales, iis *Landrichter*, in superiori fœdere; Consul Curiensis in Cathedrali; & *Land-amman* Davosiensis, in decem Iurisdictionum fœdere. Hi & præterea aliquot alii ex singulis fœderibus convocati, conveniunt quoties causæ publicæ agendæ sunt, quarum tamen causa, totius Rhætiæ Senatum indici non placet: non habent autem absolutam statuendi potestatem, verum acta ad Communitates fœderum separatim referuntur, & quod major horum pars statuerit, ratum est.

Iudicia causarum publicarum.

Iudicia publicarum controversiarum apud Rhætos non dissimilia sunt Helveticis. Si enim inter tria fœdera controversia oriatur, ex singulis Fœderibus tres vel quatuor Iudices deliguntur, qui soluti juramento quo suo Fœderi obstricti sunt, causam vel amice componunt, vel ex æquo & bono dijudicant. Si autem duo Fœdera tantum litem aliquam habeant, deferunt eam ad tertium fœdus; Si inter duos conventus, sive jurisdictiones ejusdem fœderis existat controversia, utuntur judicio proximi conventus: Vbi vero fœderum

rum diversorum conventus inter se contendunt, Senatus trium Fœderum Iudices constituit, qui causam cognoscant. Quando Conventus, vel etiam privatus aliquis controversiam habet aliquam cum ipsis Fœderibus, duo vel tres judices è singulis Fœderibus eliguntur. Quando duo Fœdera adversus unum litem habent, sex Iudices è duobus Fœderibus deliguntur, & totidem ex tertio; & si hi causam componere non possint, trium Fœderum suffragiis arbiter deligitur. Conventus autem juridici primò Ilianti habentur, deinde Curiæ, postea rursus Ilianti, quarto denuo Curiæ, & quinto Davosii.

Consuetudines. Communi apud Grisones decreto sancitum est, ne Episcopus Curiensis, aut quisquam alius ecclesiastici ordinis, civilem Magistratum constituat, & Præfectum aut Ammannum conventui & Iudicio alicui præponat; sed Rhætorum populus suos Magistratus propriis suffragiis creat. Qui autem ab Episcopo aliqua officia impetravere, quamdiu illi serviunt, comitiis & Senatui interesse non possunt. Ministros ecclesiarum singulæ parœciæ sibi deligunt, & eos amovere possunt; iisque stipendium, quod plerisque in locis perexiguum est, solvunt. Decimas minores nullas solvunt tota Rætiâ; majores non in agro, sed collectis fructibus & vino domi solvunt. Omnes qui in aliqua Communitate habitant, libere in omnibus fluviis & rivis, lacubusque piscari possunt; similiter passim venari & aucupari. Porro per universam Rhætiam eodem pondere & mensura, tam aridarum quam liquidarum rerum, utuntur, Curiensis scilicet oppidi; neque in his quicquam Curiensibus immutare licet, absque aliorum Fœderum consensu.

Præfecturæ. Rhætorum tria Fœdera ex æquo imperant præfecturis quibusdam. Cis Alpes prope Curiam Meyenfeldio, & Malantio Præfectum imponunt; superatis Alpibus Pluriensis est præfectura, cujus præfectum Potestatem vocant. Sequitur Clavenna Comitatus; hujus præfectus à Rhætis Commissarius dicitur, præterea in singulis Volturenæ vallis præfecturis Potestates constituunt. In omnibus autem causis provocare licet ad Senatum Dominorum Rhætorum (*de'i Signori Grisoni*) vel ad Commissarios, quos illi Iudices ordinarint & miserint, aut denique ad Communitates; quæ summa penes Rhætos potestas est. In electione autem præfectorum ordo hic & fœderum & communitatum servatur, exempli gratia, si fœdus superius Præfectum Sondriensem dederit ad hoc biennium; dabit alium ad proximum Cathedrale fœdus, & ad tertium biennium Decem jurisdictionum Fœdus. In singulis quoque fœderibus communitatum ordo similiter servatur; ac aliquando Communitates ipsæ, quæ ex ordine præfectum dare debebant, eum solæ eligebant; nunc à Senatu Rhætico eligitur.

Episcopus Curiensis, Fœdus Cathedrale, & Canum, à multis annis amicitiam cum vicinis Helvetiorum pagis temporariis fœderibus confirmarunt. Primum anno 1497 Fœdus superius, sive Canum, Helvetiis septem veterum pagorum fœdere æterno se conjunxit: anno verò sequenti iisdem pagis conjunxit se Fœdus Cathedrale, sive Domus Dei: Decem jurisdictionum fœdus, etsi non eodem fœdere continetur, & solis Tigurinis & Glaronensibus conjunctum sit, tamen cum cæteris Helvetiis amicitiam & societatem non minori fide & constantia coluit, quam si ad id jurejurando obstrictum esset. Tandem tria fœdera cum Valesiis & Bernensibus æternum fœdus inierunt.

Pacta cum Gallis; Cum exteris quoque Principibus hæc tria Fœdera, quandoque amicitiam pacto & fœdere firmatam coluerunt. Anno 1508 Cremonæ cum Ludovico XII, Franciæ Rege, fœdere se junxerunt; quod Fœdus superius, sive Canum, una cum plurimis Helvetiorum, solis Tigurinis exceptis, cum Francisco I, renovavit anno 1523. Eidem se obstrinxerunt Fœdus Cathedrale & Decem jurisdictionum, cum anno 1549, Henricus II, id confirmaret. Carolus IX postea anno 1564; anno verò 1602 Henricus IV id ratum habuit, sub eo comprehendens quoque Franciæ Delphinum Ludovicum XIII; cujus contractus ratione, eos contra Volturenæ vallis, aliarumque ad Grisones pertinentium terrarum usurpatores adjuvit, eosque in dominia earum restituit, exercitus Duce Marchione de Cœuvres.

cum Austriis; Sæpius etiam Rhæti cum Domo Austria fœdus inierunt; cum Maximiliano enim Imperatore Paulus Curiensis Episcopus, & tria Grisonum Fœdera convenerunt in viginti annos; qui contractus in perpetuum confirmatus est anno 1518; & in hodiernum diem in Tirolensi Comitatu Feldkirkiensi, Pludentino, & Brigantino Dominiis observatur.

cum Mediolanensibus; Nonnullis quoque Fœderis Cathedralis & Superioris conventibus seu communitatibus, cum Mediolanensis Status Principibus nonnunquam intercesserunt tractatus, sive, ut vocant, capitulationes. Fœdera ipsa ante secula aliquot cum Vicecomitibus sese junxerant; quem contractum cum Galeatio Maria, Iohanne Galeatio, aliisque Domus Sfortiæ Ducibus deinceps confirmarunt.

& Venetis. Præterea cum Venetorum Republica, cujus ditio iis adjacet, concordis amicitia Grisonibus omni tempore fuit, iisque sæpius militarunt; tandem anno 1603 in comitiis, Davosii habitis, æterno fœdere cum Venetis se junxerunt; quod anno deinceps 1616 confirmatum & ampliatum est.

Religio. Grisonum alii sunt Catholici, alii Calvini doctri-

doctrinam sectantur: Verum disceptationes de religione in publico haberi vetatur, nisi in Comitiis totius gentis, si necessitas id forte exigat: Calvinistæ quoque nullum in res Ecclesiasticorum jus acquirere possunt, nisi prævio totius gentis decreto: vasallis præterea & subditis, Calvini dogmata sectantibus, Ecclesiam de novo exstruere haud permissum est, nisi tria Fœdera conjunctim in id consentiant: porro in causis ad religionem spectantibus, suffragiorum numeri non habetur ratio, sed omnia amico consensu peragere curant. Grisones ipsi liberi, religionem pro libitu mutare, Ecclesias ædificare, minorem numerum ut majori cedat, constringere possunt, neque ad id Comitiorum consensus requiritur.

FOEDVS SVPERIVS, sive CANVM, vulgo LA LIGA GRISA, & GRISONA.

Situs. Foedus Superius, quod Germanis *das Oberpundt* dicitur, eam Rhætiæ partem occupat, quæ à Meridie Septentrionem versus Bellizonâ, & à vallibus Galança & Misauca ad Rhenum usque extenditur, ubi is ponte, qui vulgariter *Ponzol* dicitur, stratus est. *Extensio.* Extensio ejus à Meridie ad Septentriones est fere duodecim & mediæ leucarum Rhæticarum, quæ triginta tres, & quartam Italicas conficiunt. Ab occasu orientem versus à Rheni ripa ad limites Vriensis pagi, leucæ Rhæticæ numerantur sex & quarta. *Divisio.* Comprehendit Fœdus hoc Concilia octo majora, Conventus, sive communitates viginti duas. harum prima & antiquissima est, Discentisium, quod in antiquis tabulis Desertinum dicitur; Abbatia celebris, ad Rhenum sita, cujus Abbas loci dominus est; præterea conventus hic complectitur parœcias *Tronum*, ubi Comitia hujus Fœderis celebrantur, *Brigel, Tavetsch*, vallem antiquorum Ætuaciorum sedem, nec non *Medels*, præterea pagos *Kemps*, *Sumvitz* aliosque.

Sequitur Leguntia vallis, vulgo *Lugnitz*, ad dextram Rheni ripam se extendens; in hac fontes Glener amnis visuntur, qui prope Iliantum se Rheno commiscet. Locus hujus conventus præcipuus & maxime celeber, *Villa* dicitur; præter quem nonnulla alia, sed minoris momenti, sunt: *Frein*, *Lumbrein*, *Fient*, *Surcastel*, *Igels*, *Maurisen*, *Cumbels* & *Tersnaus*.

Tertia est Fossa, Germanis *Grub*, sive, ut alii volunt, Iliantum, à civitate sic dicta Fœderis hujus præcipua, ad confluentias Fluvii Glenner in Rhenum sita, & ubi Rhenus collectis fontibus, vere Rhenus esse incipit. Vicos pagosque hæc communitas plurimos comprehendit.

Quarta est Flemia vallis, vulgo *Flims*, ad sinistram Rheni ripam sita.

Quinto succedit loco *Burtza*, Germanis *Waltenpurg*, à loco sic dicto ad sinistram Rheni ripam excitato, denominata: in hac sunt vici *Andest*, *Rubis*, *Septo*, & *Schlans*.

Sexta est ordine *Rhætzuntz*, Latinis Rhætium, sedes quondam antiquissimæ & nobilissimæ familiæ Baronum Rhætiensium; sic dicta à castro quod sinistram Rheni ripam in extremitate Tumbesch vallis occupat, & à familia Equestri de Planta possidetur: comprehendit loca, *Bonadus*, *Ober-Ems*, & *Veldsberg*.

Septima est Supra-saxum, vulgo *Obersax*.

Hanc sequuntur Liberi supra sylvam; quorum vicus præcipuus *Laax*; hi Liberos se dicunt, quia pecunia numerata jus Comitum suorum primi ante reliquas Communitates redemerunt. huic annexa est Stussavia: quam *Savien* Rhæti vocant. Nona est Rhinwaldensis, cujus locus princeps *Splugen* dicitur, non longe à monte, quem *Colmo del Orso* vocant, situs.

Decima est *Schamps*, quæ in antiquis archivii Curiensis scripturis Sexamnia & Sexamnis dicitur.

Vndecima, Tusciana est, quæ à pago in principio Domalascianæ vallis sito, nomen consequuta est, comprehendit *Kaats* vicum, aliosque locos nonnullos.

Duodecima, *Heintzemberg*, sive montium jurisdictio, ab ea dependent vici *Durmein*, *Flerden*, *Purtein*, *Salen*, aliique.

Decima Tertia, *Schlöwitz*, cum Lewenbergo arce, Domini hujus communitatis domicilio.

Decima Quarta, *Hohen Trumbs*, cujus incolæ, cum duas è tribus communitatis partes possiderent tantum, reliquam septem millium scutatorum summâ persolutâ emerunt; arx *Hohen Trumbs* hodie in ruinis jacet.

Decima quinta, Thänna, vulgo *Thamins*, ad passum è Grisonum terris ad Sarunetes per Gongelum montem sita.

Decima sexta, *Vals*, sive S. Petri vallis, loca comprehendit *Fale*, *Leizer*, &c.

Decima septima, *Safien*, quondam Stussavia dicta, domus hujus communitatis hinc inde sparsæ sunt; vici vero sunt *Commane*, *Salerno*, *Guum* & *Salpenna*.

Decima Octava, *Scopina* est supra Tuscianam, in loco admodum solitario sita, domibus hinc inde sparsis, & longo intervallo inter se distantibus.

Decimanona, *Thennen* est, situs admodum angusti, & inter montes altissimos coarctati.

Vigesima, *Vallis Misaucia* est, prope Bilitionum & Italiæ fines sita, hanc Muesa fluvius, qui Tesino prope dictam urbem se miscet, secat intermediam; nomen ei à Misaucia

cia arce inditum, quam Rhæti anno 1626 destruxerunt.

Vigesima prima, *Galanca Vallis*, quam cognominis amnis rigat. Vigesima secunda, & ultima, Communitatum, Rogoretum est, vulgo *Rufftee*, in dicta valle, ubi palatium visitur à Iohanne Iacobo Trivultio excultum, ad Trivultios pertinens.

Territorii qualitas.

Territorium Fœderis hujus, asperum & præruptum, vix hominum culturam admittit; paucisque admodum fructibus cultores beat; armentis gregibusque pascendis aptius, ideoque butyri, lactis & casei magna hic abundantia: circa Rheni ripas verò nonnullis in locis hordeum profert, & alicubi vina, sed agrestia, quæque vix post trium annorum spatium potari apta sunt; Domiliasca, vallis satis amœna, hordei feracissima est, vinaque fert magnâ copiâ. in Waltenpurgensi Conventu fons est aquæ frigidissimæ, qui surdis & oculorum vitiis laborantibus prodesse fertur; sed paucissimi aquis ejus utuntur, cum adeo frigeant, ut unico momento earum frigus perferre, sit pene impossibile. In Leguntia valle circa Badam, nec non in eâ quæ S. Petri dicitur, balnea sunt mirificè iis producentia, qui febribus laborant. Misaucia vallis omnium Communitatum est longe fertilissima; quamvis non ubique, sed quibusdam solummodo in locis vineta ferat, fructusque satis bonos; reliqua sterilia sunt. Galancia vallis tota sylvis est horrida, nullosque fructus elargitur, præter tritici laudatissimi nonnihil. in valle *Thaveisch*, cristalli reperitur magna vis: in Seisensi sylva, ejusdem vallis lapides inveniuntur, in quibus salis venæ conspiciuntur, quem cocti facile emittunt. In Trimontio & Seisensi conventibus, nec non Ferrarensi valle, fodinæ sunt argenti & cupri ditissimæ, plumbi quoque minæ ad Erenfelsium Baronem spectantes. prope Speluncam vicum ferri fodinæ sunt celebres.

Vulgo Splugen.

Lingua.

Grisones qui Suprasaxum, Rhinwaldensem, Stussaviam, Thaüinam, Scopinam, & Vallem Communitates inhabitant, lingua Germanica animi sensa exprimunt; cæteri omnes idiomate peculiari, seu, si mavis, Grisonico utuntur, præter vallem Misauciæ & Galancæ incolas, qui Italice, sed minus polite, loquuntur.

Incolarum numerus.

Numerus vero eorum, qui hujus fœderis terras inhabitant, 50000 virorum est, quorum decem millia, armis tractandis idonea, numeris inscripta sunt.

Fœderis origo.

Grisones, Helvetiorum populos, vicinos suos, imitantes, anno 1424, in Trunio pago solemniter congregati, perpetuum fœdus inter se pacti sunt, hisce articulis legibusque præcipuis; ut sibi mutuo adsint in omnibus rebus justis & æquis, & se mutuo contra hostes consilio & auxilio juvent; nequis injuria afficiatur; ut vias publicas securas conservent; neminemque in fœdus nisi communi omnium consensu admittant; locusque Comitiis celebrandis Trunium pagus esset. ii qui fœderi huic subscripserunt, fuere Abbas Discentissius, una cum Communitatibus, Discentisia & Waltensburg; Barones Rhætienses, & loci iis subjecti, Rætium, Suprasaxum, Stussavia, & Thünna; Comes Misaucorum, & loca ad eum pertinentia; Iliantum civitas, Leguntia, S. Petri, & Flemia valles; Comes Werdembergensis, ejusque loca Hohen Trums, Tannins, Lewenberg & Schloris. Domini de Laax, sive Liberorum supra sylvam, Rhinwald, Schans, Tosanna, Henzemberg, & Scopina valles. Pepigerunt quoque Abbas pro Vriis, Suitiis, & Vnderwaldiis; Rhæti Domini & Misauci Comes pro Mediolanensium Principibus.

Georgius verò, Verdembergensis Comes, Curiensi Episcopo dominium suum, juraque in Tuscianam, Scopinam, Sessam, & Vals valles vendidit, Iohanni Iacobo Trivultio quoque jurisdictiones Rhinwaldensem & Stussaviam cessit, Ortensteinio solo sibi retento.

Regimen.

Fœdere hoc communi consensu confirmato, certum regiminis modum constituere visum est; quem certis articulis comprehenderunt. Secundum hos quotannis die S. Georgii in Trunio pago, Iudicem Provincialem, vulgo *Landrichter*, Fœderis totius caput constituunt; ad quem actum mittunt triginta duos delegatos, quorum numero Abbatem Discentisium; Rhætii dominum & personam electam nomine communitatum, quæ ad Misaucium Comitem, eo quo Fœdus pactum est tempore, pertinebant; nec non Iudicem anni præteriti comprehendi necesse est. Primo anno Abbas è Discentisio conventu tres viros numerat; anno subsequenti Rhætii Dominus totidem è Rhætio, Waltenspurgensi & Flemia communitatibus. Tertio Vallis Leguntia, Fossa, & Flemia unum eligunt, qui aliquem è supradictis communitatibus nominat, qui Comitis Misauci locum sustineat; nam cum Curiensis Episcopus ei successisset, prædictæ communitates, pretio persoluto, se ejus imperio liberarunt. Cæterum nullus, nisi indigena, & ad unum ex prædictis dominiis pertinens, Iudicis Provincialis dignitatem assequi potest. Prædictis Legatis jam congregatis, Iudex ejus anni vota colligit, & secundum eorum numerum successor ejus pronuntiatur. Si æquis hinc inde votis certetur, Iudex Provincialis suo superaddito, electionem terminat. ab iisdem quoque deputatis Cancellarius & Ianitor Fœderis eliguntur; provocationes totius regionis audiuntur; litesque & controversiæ finiuntur. Abbas Disentisius, præterquam quod prædicto jure in Electione Iudicis gaudeat, veteribus privilegiis & jure mo-

monetæ cudendæ fruitur. Senatus vero Discentisius quadraginta Senatoribus, unoque Ammanno constat, qui una cum quibusdam aliis Abbatem eligendi jus habent, & causas criminales dijudicant. Quindecim ex dictis Senatoribus de controversiis civilibus, rebusque matrimonialibus cognoscunt; sed in his, nisi consultis primò Ecclesiasticis, haud temere pronuntiant. Media condemnationum pars ad Abbatem pertinet; reliquam Communitas sibi vindicat, jure privilegii ab Hugone Werdenbergensium Comite acquisiti, & à Roberto Imperatore confirmati anno 1408. Waltenspurgenses Ammannum creaturi, ex quatuor ab Abbate propositis, unum, qui muneri præsit, eligunt; mulctæ verò integræ ad populum spectant: habent autem viginti quinque viros, qui de causis rerum criminalium cognoscunt; tredecim verò qui civiles & matrimoniales dijudicant: Rhætii Dominus in Altosaxensi conventu, è tribus à Populo propositis, unum Ammanni munere functurum eligit, integrasque mulctas percipit. Cæterum Fœderis superioris, sive Cani, Comitia, quemadmodum & peculiaria Waltenspurgensium, sæpissime Ilianti convenire solent. Est vero Iliantiis tribunal peculiare, quod *Burgergericht* iis dicitur, quod de causis quibusdam minoris momenti cognoscit; in cæteris, communi cum cæteris hujus conventus vicis regiminis modo utuntur: Schlowisii verò dominus è tribus à populo propositis Ammannum creat, mulctasque rerum judicatarum solus percipit. Thannenses majoribus privilegiis gaudentes, libere Ammannum suum eligunt, qui deinceps in Rhætica arce Domino juramentum præstat, cui mulctæ pecuniariæ obveniunt.

Regimen. Dominus de Thannins, & conventus ipse alternis annis tres viros nominant, & eligunt ex iis Ammannum; mulctæ autem domino debentur. Rætienses pariter tres eligunt viros, è quibus Baroni loci Ammanni competit electio. Thusciana, Heintsemberg, Scopina, & Stussavia olim Baronum de Vats, nunc ad Episcopum Curiensem spectant, jure cessionis à Georgio Werdenbergensi anno 1475 factæ: quod autem ad Tuscianæ jurisdictionem spectat, Præfectus ab Episcopo constitutus, è tredecim viris qui de rebus civilibus & matrimonialibus cognoscunt, unum Ammanni munus administraturum eligit; Iudiciis rerum criminalium præsidet; mulctasque pecuniarias, viginti librarum summam haud excedentes, colligit: estque hæc mulcta, etiamsi reus ad mortem condemnatus fuerit, maxima. Scopinæ ab Episcopo præfectus Ammanum è tribus à populo propositis eligit, eodemque, ut apud Tuscianos, modo omnia administrat. In Stussavia, mulctæ, quæ è sententia non capitali oriuntur, Communitatis sunt; reliquæ ad Trivultios pertinent. Cæteri porro conventus, Burtza, vallis Leguntia, Vals, la Voppa, Laäx, Flems, Hohentrums, Stussavia vel Safien, Schans, Rhinwald, Masox, Galanca, & Rufstee, libera Ammanni gaudent electione; hic autem, cum determinato Assessorum numero, causas quascunque cognoscit & dijudicat.

Religio. Plurimi hujus fœderis regionum incolæ religionis Catholicæ ritus sequuntur; nam 50000 hominum, quæ hic numerantur, vix 3000 Calvini amplectuntur dogmata; & inter decem millia militiæ adscripta, quingenti soli horum numerantur. Sunt autem in hoc fœdere Catholicorum parœciæ octuaginta; Calvinistarum septem tantum; quarum præcipuæ sunt: Speluca, Tusciana, Iliantum & Thamins. Misauca & Galança valles, quamvis huic fœderi inclusæ, in spiritualibus tamen Mediolanensium Archiepiscopo sunt subditæ. Rarissime autem Reformatorum quis ad Magistratus munia promovetur, cum plura Catholicorum sint vota; iique opulentiores fere sint, & religionis suæ acerrimi propugnatores.

FOEDVS CATHEDRALE seu DOMVS DEI.

Limites. Foedus Cathedrale seu Domus Dei, Rhætis *Liga di Ca de Dé*, Germanice *der Gottshous-pundt*, ad Occidentem Fœderis Superioris seu Cani terminatur terris; ad Septentriones Decem jurisdictionum Fœderi jungitur; ad Orientem Tirolensem Comitatum habet vicinum; ad Meridiem Clavensem Comitatum, & Volturenam vallem respicit. *Extensio.* Longitudo ejus à Septentrione meridiem versus leucarum Rhæticarum duodecim & mediæ est; latitudo, à Tirolensis Comitatus terminis Rhenum usque sumta, in novem leucas Rhæticas extenditur.

Conventus. Conventus sive Communitates viginti & unam habet, quæ nonnunquam in undecim majores contrahuntur. *Loca.* Vrbs Curia, Germanis *Chur*, Fœderis hujus caput, primo loco numeratur; sita est ad fluvium Plessur, qui non longe ab ea Rheno sese commiscet: Nonnulli eam antiquorum Ebodurum à Ptolomæo memoratum esse, existimant, quorum sententiæ incolarum Curiensium traditiones suffragantur; affirmant enim olim Imburg vocatam eorum civitatem. Ædificia hic, pro ratione oppidi, non contemnenda. Palatio Episcopali, Ecclesia Cathedrali, & Canonicorum ædibus, in loco totius urbis editiori sitis, conspicua, & S. Lucii martyrio clara: loci ad Civitatem hanc pertinentes sunt, *Massans, Lurtibald*, & *Erasca*.

Secundus hujus Fœderis conventus nomen habet quatuor vicorum, Germanis *Vierdörffer*; sunt vero ii, *Zitzers*, *Igis*, *Trimmis*, & *Vndervatz*.

Tertius Ortensteynum, in Domiliasca valle situm, juxta Rheni posterioris ripas, comprehendens parœcias *Dumilts*, *Scheid*, *Basbels*, aliasque; ex hac valle in Vatium superius transitur per aditum angustum, & periculosum.

Quartus est Furstenoviensis Conventus, nomen ab arce Furstenow consequutus, vicos complectitur *Scharans*, *Sils*, *Almens* & Rietbergiam arcem.

Quintus est Vatium superius, sive *Obervatz*, cum vicis *Almen*, *Lain*, *Muldain*, *Dal*, *Sturris* & *la Motta*.

Sextus, Griphensteyn juxta Albel fluvium, qui in Rhenum in Trumleskia valle influit.

Septimus, Bergoniensis, sive *Bergun*, in quo Albel fluvii fontes sunt versus Engadinam superiorem: in hoc conventu *Filisur* vicus est, sed Ammannum peculiarem habet, & territorium ejus ad Decem jurisdictionum Fœdus pertinet.

Octavus, *Soprasasso*, sive *Reamps*, Latinis Ministerium in Impedinis, comprehendit *Tintzen*, vel *Tenezone*, vicum, Latinis Tinitionum, in Antonini Itinerario memoratum: præterea *Savognin*, *Saluc*, aliosque plures.

Nonus, Imum Castrum, *Tiffen-Casten*, non longe ab Albel fluvio.

Decimus, Stalla seu Bivium, in quo montes in duo se dividunt itinera, unum versus Clavennam Comitatum, alterum juxta Molojam montem, unum ex Rhæticis Alpibus versus Engadinam superiorem.

Vndecimus, Averensis, qui quemadmodum Biviensis, in aspero admodum solo situs est, comprehendens *Madris*, aliosque vicos complures.

Duodecimus, Bregalia sive Præjulia: hic conventus, juxta Meiram fluvium situs, dividitur in duas jurisdictiones, superiorem, & inferiorem; Germanis *Oberport* & *Vnderport*: Brægaliam supra portam, & infra portam, locus hujus conventus præcipuus est *Vesprano*.

Decimus Tertius, Ingadina superior, cujus vicus præcipuus, & Ammanni sedes ordinaria, *Zutz* est; comprehendit autem & Sumadæ districtum, seu jurisdictionem, quæ decimum quartum Conventum constituit.

Decimus quintus, Pesclavium est, incolis *Postlaff*, ad ulteriorem Montis Bormini partem, & Volturenæ fines situs, locus opulentus; de quo dixisse sufficiat, quod, præter alia insignia, Typographiam habeat non contemnendam.

Decimus sextus, in inferiori *Ingadina* est *Steinsberg*.

In eadem decimus septimus est, *Schultz*; cujus arcem *Trasp*, Archiduces Austriæ, Comites Tirolis, possident.

Decimus octavus, Heremusium, vulgo *Remuss* est, ditionis quoque Austriacæ; comprehendit autem vicos *Crejusch*, *Mnau*, aliosque aliquot.

Decimus nonus, vallis Monasteriensis, juxta Ramum fluvium. Vigesimus, ad Malos, vulgo *Mals* ad Athesim fluvium, non longe inde exortum.

Vigesimus primus, & ultimus, vallis Samminia est.

Schantz vicus in Winstgovia situs, olim regebatur à Iudice ab aliquibus Fœderis Cathedralis constituto, sed nunc nihil in eum, paulatim à Fœderatis separatum, juris obtinent; *Churburg* & *Furstenberg* arces in eodem districtu, prope *Glurentz* & Athesis ripas sitæ, feuda Episcopi Curiensis sunt.

Qualitas. Hujus Fœderis territorium asperrimum est, & sterilius; nisi circa Athesim in valle Monasteriensi, nec non Domiliasca valle, & in territorio circa Curiam versus ripas Rheni fluvii; ubi fere omnium fructuum genera, solis aurantiis malis, & olivis exceptis, benigne proveniunt; in inferioris Ingadinæ Heremusiensi conventu fons conspicitur, cujus aquæ è Tassæ vallis loco naturaliter concavo prorumpunt; nonnullis diei horis, aridus plane, brevissimo post tempore aquarum copia mirum in modum abundans. In eadem inferiori Ingadina, in Scharla valle, fodinæ argenti & ferri sunt, quibus Austriæ Archiduces Comites Tirolis Iudicem præponere solent.

Incolæ. Cæterum hujus Fœderis incolæ, superioris Fœderis populum ingenio vivaci multum antecedunt; domi audaces & superbi, sed foris vilioribus ministeriis etiam, quam superbiæ illi convenit, sese applicantes; linguam loquuntur Curiæ cives, quatuor Vicorum, Vatii superioris, Averensæ & Motæ conventuum incolæ Germanicam: *Lingua.* cæteri omnes lingua peculiari, sive Grisonica, quam Ingadinenses, Romanam vocant, utuntur, exceptis Pesclaviensibus; quorum idioma haud male cum Italico convenit. *Vires.* Numerus autem eorum, qui Fœderis hujus terras inhabitant, triginta quinque millium est; quorum septem millia armis tractandis idonea sunt.

Regimen. Circa annum millesimum quadringentesimum, aliquot horum Conventuum societatem inierunt; postmodum autem anno millesimo quadringentesimo decimo nono, cognoscentes inquietum Nasonis Episcopi animum, fœdus certis conditionibus constituerunt: ut se communiter ab omni injuria defenderent, onera & oppressiones arcerent: Dein à Superiori Fœdere incitati, strictiori simul Fœdere se invicem obstrinxerunt. Fœderis caput est & Gubernator, Consul Curiensis; vulgo *Burgermeister* dictus; singuli vero con-

conventus proprios Ammannos, Iudices, sive Potestates, suas quoque leges & consuetudines habent, quibus libere utuntur. Episcopus Curiensis ministros & Magistratus eligit, qui in territorio Curiensi causas tam civiles, quam criminales dijudicant: Arci Furstenbergiæ in Winstgovia sitæ præterea Castellanum præponit, qui jura ejus & authoritatem in Monasteriensi valle tueatur. Mulctarum vero & condemnationum in valle inferioris Ingadinæ non minima pars Episcopo obvenit. Heremusium arx præterea Prælati hujus feudum est, & in Castello Furstenouw, in Dumiliasca valle sito, Gubernator ejus nomine residet; cui impositum est curare ut privilegia, jura & jurisdictiones Episcopi in Tusciana, Heinzemberg & Scopina Fœderis Superioris conventibus, nec non Vatio superiore hujus Fœderis communitate conserventur. Præterea complura extra Grisonum limites, & in Alsatia ipsa sita, feuda Episcopum hunc dominum agnoscunt; qui ex Volturena valle & Clavennensi Comitatu quoque aliquos percipit reditus. Denique Sacri Romani Imperii Princeps jure monetæ cudendæ fruitur.

Curiæ Civitatis Regimen.

Curiæ Civitas, cujus Consul, ut supra monui, Fœderis totius caput est, singulari gaudet privilegio, quod generalia totius Rhætiæ fœderatæ, & peculiaria hujus fœderis Comitia, atque ea quæ *Bytag* vocant, eo convocari debeant; plena præterea fruitur libertate: Forma autem regiminis non dissimilis est ei qua Tigurina; aliæque ejusdem generis respublicæ utuntur. Nam ab initio cives omnes in quinque tribus divisi sunt, videlicet sartorum, sutorum, mercatorum, pistorum & vinariorum. Singula harum tribuum duos habet tribunos, vulgo *Ober Zunfftmeysters*; quorum annuus per vices est Magistratus; iis adsistunt vicarii, quos vocant *Vnder Zunfftmeysters*, qui per vices quoque munus administrant. Ex hisce singulis quatuordecim viri majori Consilio intersunt, quod hominibus septuaginta constat, comprehensis inter eorum numerum Tribunis; atque hi minores Magistratus creant. Ex his è singulis tribubus quinque in minus Consilium deliguntur, quibus adduntur magistri tribuum superioris anni; atque ita consessus triginta virorum conficitur. Horum pars media, viri quindecim, Senatorum titulo cohonestati, reipublicæ negotia etiam maxime arcana administrant, & de causis matrimonialibus cognoscunt. Senatui præsunt Consules, quorum imperium per vices est annuum. Porro triginta viri, quorum mentionem fecimus, causas criminales dijudicant; & huic judicio præest Præfectus urbis, vulgo *Stattvogt*; eo autem munere duo alternis annis funguntur, sicut de Consulibus dixi: Iudices causarum civilium quindecim sunt, decem ex consilio triginta virorum, quinque tribuum magistri, sive *Zunfftmeysters*, quibus præest Prætor urbanus, vulgo *der Stattrichter*. Iudicant ii controversias civiles, & actiones pecuniarias de debitis, & ab iis provocatio est ad minorem Senatum. Præterea est Iudex, quem *den Prefect-richter* nominant, qui unà cum sex Assessoribus de mercedibus mercenariorum, & agricolarum cognoscit. Ammannus Civitatis, vulgo *der Satt-Amman*, quoque non exiguæ dignitatis Magistratum gerit; cura enim ædificiorum publicorum ei incumbit. Cæteri Magistratus sunt Signifer major, Quæstor, Tabellarius major, Cancellarius, & Scriba rerum civilium. Magistratus porro Civitatis quotannis Novembri mense, die D. Martino sacra deliguntur.

Archiduces Austriæ, Comites Tirolis, in Ingadina inferiori arcem Tharasp possidere, eique Gubernatorem præponere supra monui; & quamvis fœdere comprehendatur, nihilominus determinatio causarum tam civilium quam criminalium, & matrimonialium ad *Schultz* jurisdictionem pertinet: sunt vero in ea quatuor civilium causarum Iudices, unus Fœderis, alter Domus Austriacæ, in cujus electione Tharasp arcis Præfectus duo tenet vota, tertius Abbatiæ montis S. Mariæ, quartus cœnobii monialium vallis Monasteriensis. Præterea Augustissima Austriorum Domus ad angustum Rhætiæ aditum, quem *Finstermuntz* vulgo vocant, castellum possidet, ubi telonium est, unde ei non exigui reditus. hic duo rerum civilium sunt Iudices, unus Fœderis Cathedralis, qui unà cum tribus Assessoribus judicat, alter Domus Austriacæ.

In Tirolensi Comitatu porro nonnullæ arces & feuda Episcopi Curiensis sunt, veluti *Rotund*, *Schrofenstein*, *Richenstein*, & *Helffmir-Godt*, sive Deus me adjuvet.

Religio.

Omnes Curiensis Civitatis Cives unanimiter religionem, quæ Reformata dicitur, amplectuntur, adeo ut Catholicis exercitium religionis publicum in ea denegatum sit; solis exteris & iter facientibus in Cathedrali Ecclesia, vel Episcopi Curia permittitur sacra facere, precesque Catholicorum more effundere. Vici omnes circa civitatem, nec non regio illa quæ juxta Rheni ripas Spelucam usque extenditur, à Catholicis inhabitatur. in Tharasp ditionis Austriacæ arce Gubernator tam in ipsa arce, quam pago ei vicino sacra Romano ritu peragi procurat. Cæterum duæ in hoc fœdere sunt Abbatiæ, una monachorum, altera monialium: & tantus fere Monachorum Canonicorum, Parochorum & Clericorum numerus, quantus Ministrorum Ecclesiæ Reformatorum; quamvis hi opulentiores sint; cum ditiores & potentiores indigenæ, Calvini dogmata sequantur; & inter Catholicos vix unus alterve sit, qui aliqua authoritate polleat; inter septem millia virorum quoque, qui militiæ

tiæ adſcripti ſunt, vix mille quingenti numerantur, qui Romanæ Eccleſiæ ſunt addicti; adeo ut penes Reformatos regiminis, armorum, opumque in hoc Fœdere ſit poſſeſſio.

FOEDVS
DECEM IVRISDICTIONVM.

Termini, & extenſio. Foedus Decem Iuriſdictionum ad Meridiem & Occidentem Cathedrale Fœdus reſpicit; ad Septentrionem vero & Orientem Helvetiorum & Auſtriacæ ditionis terris jungitur. Longitudo ejus non ultra quinque leucas Rhæticas extenditur; latitudo ab Oriente ad Occidentem ſumpta, ab inaceſſis montibus diviſa, ejuſdem fere extenſionis eſt.

Conventus. Hoc tractu decem Conventus ſive juriſdictiones comprehenduntur, quarum dignitate, nam caput eſt Fœderis, prima eſt Davoſienſis, à vico qui Davoſium, à Rhætis *Davos*, Germanis *Tafaâs* dicitur, ubi totius Fœderis eſt Curia, & omnium juriſdictionum comitia habentur.

Secunda eſt Belforienſis, vel Alvanovana, Rhætis *Alvenaw*, antiquitus ob arcem *Belfort*, ad ripam Albelli fluvii excitatam, non exigui nominis.

Tertia eſt S. Petri, in valle *Schalfick*, in qua Pleſſur fluvii fontes conſpiciuntur.

Quarta eſt Prælongana, vulgo *Langwiſe*, in eadem valle ſita.

Quinta, Barpontana,ſeu Corvantiana, vulgo *Churwald*, ſupra Curienſem Civitatem ad Fluvium Raboſſ in valle, in cujus delitioſiſſima ſolitudine Abbatia celebris eſt.

Sexta,Cœnobienſis in valle Rhætica prope fontes Langari fluvii, vulgo *zum Kloſterleyn in Præſtigouw*, multis vicis conſtans.

Septima, Caſtellana, vel Ienatienſis, in eadem valle. *Caſtels*, vel *Iunatz*.

Octava, Accerienſis, vulgo *Schiers*, in dicta valle prope Langarum.

Nona,Malanſiana vocatur à vico *Malans*, qui inter Rhæticonem montem & Langarum fluvium jacet.

Decima, nomen habet ab oppido quod Germani *Meyenfeld*, quidam Majævillam, alii Lupinum vocant; ſitum id eſt ad Orientalem Rheni ripam in planitie amœna.

Qualitas. Fœdus hoc conſtat fere totum montibus horridis & incultis, nulloſque fructus reddentibus; præter Rhæticam vallem, & tractum Rheno proximum; paſcuis verò abundat, unde tanta caſei, butyri, lactis, carniumque copia, ut indigenis non ſolum ſufficiat, ſed & exteris lucri gratia ab iis apportentur, & cum aliis rebus ſæpius permutentur. In Davoſienſi juriſdictione, quoniam altiſſimis & perpetua nive tectis undique montibus cingitur, aër frigidiſſimus eſt; incolis quoque maximum nonnunquam à decidentibus conglomeratis nivibus, integriſque glaciei rupibus diſcrimen imminet, nec abſque grandi periculo, plurima loca habitantur: in ſolatium tamen incommoditatis hujus benigna natura lacus iis conceſſit, piſcibus, præſertim tructis, mirum in modum repletos; paſcua quoque præſtantiſſima, ubi innumera boum armenta, & pecudum greges aluntur; equorum proventu non ſolum opes acquirunt, ſed & ex argenti, plumbi cuprique fodinis, quorum metallorum plurimæ hic reperiuntur venæ. Præterea balnea hic ſunt variis morbis medendis commendata, in Valle Rhætica, Kanio, Alvanova aliiſque locis: nec vinum iis deeſt; nam generoſum ſatis, & præſtans vineæ circa Malanſiam & Majævillam proferunt; unde & tritici non contemnendas habent meſſes.

Lingua. Omnes hujus Fœderis incolæ Germanice loquuntur, ſola Alvanovanâ juriſdictione exceptâ, ubi Rhæticus ſermo uſurpatur. *Incolarum numerus.* Porro quindecim millia indigenarum numerari fertur, quorum quatuor millia armis tractandis idonea æſtimantur.

Regimen. Octo Priores Iuriſdictiones Archiducem Auſtriæ agnoſcunt: Etenim loca hæc olim paruerunt Vatienſibus Dominis; extincta vero eorum familia, Toggenburgii Comites ipſis ſucceſſerunt; & his Amatienſes. Poſtea Gaudentius Amatienſis Comes moriens anno 1489, hæc Archiduci Auſtriæ reliquit. Verum ſubſecutis temporibus Archiduces iis multas immunitates & privilegia, exemtionem à teloniis, & tributis conceſſerunt: ſingulæ quoque juriſdictiones ſua habent privilegia, & peculiares conſuetudines, quorum omnium tabulæ in archivo Davoſiano conſervantur. imponunt Auſtriæ Archiduces octo hiſce juriſdictionibus Præfectum, quem hactenus è Rhætis elegerunt; is in Rhæticæ vallis Caſtello habitat; *Caſtelz in Praſtigow*, & octo juriſdictionibus nomine Auſtriæ Archiducis jus dicit, & ſi qua alia Principis jura ſunt, adminiſtrat; ſed jurejurando Populo ſe obſtringit, ſe nulla negotia, quæ ad Rempublicam pertinent, curaturum.

Rei in juriſdictione, ubi capiuntur, forum ſortiuntur; verum in valle Rhætica ad Caſtellum deducuntur; plurima tamen loca ſuos habent carceres. Capitalium rerum Iudiciis præeſt dictus Auſtrii Principis Præfectus; & hæc ab eo & decem Aſſeſſoribus, ſingulis è ſingula juriſdictione deſumtis judicantur: ſi vero mulcta pecuniaria litigii expenſas æquare nequit, Præfectus Principis nomine (nam omnia rei bona fiſco addicere, ei illicitum) eas ſupplere tenetur ex decimis, quæ Archiduci ex metallorum fodinis proveniunt. Princeps autem Iudicem ſuum fodinis, qui decimas

mas cogat, præponere solet. Si vero Principem inter & aliquam ex jurisdictionibus sit controversia, ab ejusdem fœderis conventu alio deciditur. in Cœnobiensi vallis Rhæticæ jurisdictione Castelli in eadem valle Præfectus Ammannum, *den Land-amman*, creat: Accerienses & Castellani è tribus à Gubernatore sive Præfecto propositis unum deligunt Ammanni munere functurum. Et vice versa in Barponensi, S. Petri, & Alvanovana jurisdictionibus, populus tres proponit, è quibus Gubernator unum deligit. Davosienses, Prælongani, & in valle Schanfick nonnulli libere proprios Magistratus constituunt, mulctas pœnasque, citra sanguinis effusionem tamen, irrogant, Gubernatore nequaquam interveniente; infamiæ notam reis inurunt, eosque rursus honori restituunt, secundum lubitum.

Si inter jurisdictiones de limitibus oriatur controversia, vel etiam inter privatum, & jurisdictionum aliquam lis incidat, decem è toto fœdere Deputati, in ipso controversiæ loco conveniunt, & postquam Præsidem sibi elegerint, causam cum eo determinant. Si vero in jurisdictione aliqua major Iudicum numerus, vel aliqui tantum ex iis, alicui ex litigantibus vel sanguinis, vel fœderis jure sint conjuncti; quinque viri ex vicinis jurisdictionibus electi judicibus adjunguntur; hos autem *die funff frembden*, quinque extraneos, vocant.

Magistratuum electio.

Comitia totius fœderis in vico Davosio conveniunt; hæcque Præsidem sive Caput totius fœderis eligunt, quem *Landt-Amman* vocant; uti & signiferum *Panerherr*, Cancellarium, Heraldum, aliosque majores Magistratus; Consilium majus constat octoginta duobus viris, quibus alii triginta octo junguntur; hi omnes, secundum suffragiorum numerum, tres viros delectos populo proponunt, ejusque de *Landt-Ammanno*, rerum Matrimonialium Iudice, Signifero, aliisque Magistratibus sententias rogant, qui à majori votorum numero tum constituuntur. Porro illud notandum est, hisce centum viginti viris Consilium grande & minus, Cancellarium, ejusque vices gerentem, nec non apparitores majores constituendi jus competere.

Ex majoris Consilii Senatoribus, quindecim viri eliguntur, qui minus Consilium constituentes, de rerum civilium causis cognoscunt; iisque præest Landt-Ammannus. Consilium rerum matrimonialium uno Præside, & sex Assessoribus constat, ex sexaginta duorum virorum numero desumtis. Cæterum provocationibus nullus hic datur locus; sed in majoris momenti rebus ut plurimum Consilium majus consulitur.

Malansianæ & Meyenfeldensis Iurisd. regimen.

Posteriores duæ jurisdictiones, Malansiana scilicet, & Majævillana, olim quoque Vatiensium dominorum fuerunt, & postea Toggenburgensium Comitum: ab his pervenere ad Wolfhardum Brandissium, propter uxorem è familia Werdenbergia: ac tum salvo Brandissiorum jure cum aliis octo jurisdictionibus, duobus Rhætorum fœderi se adjunxerunt. Dein anno 1506 tria fœdera Majævillanum dominium à Sultzensi Comite, Malansianum à Rhætici Castri dominis coëmerunt. in arce Majævillana Præfectus, *Landtvocht* dicunt Rhæti, à Rhætis constitutus, hisce duabus Iurisdictionibus jus dicit; Magistratus vero ejus biennium durat: nihilominus oppidum proprium Senatum habet, qui constat Præside, vulgo *Stattvocht*, qui quotannis ex Senatorum numero à Præfecto eligitur, & duodecim Senatoribus, quibus negotia publica majoris momenti, & rerum civilium Iudicia injuncta sunt; à quibus tamen ad præfectum datur provocatio.

Criminum aliquorum rei in arce Meyenfeldensi carceri mancipantur; eorumque causæ ab urbis Præfecto, vulgo *Stadtvogt*, duodecim Senatoribus, nec non assessoribus Malansianis quinque, Ienatiensibus tribus, Flegensibus binis dijudicantur. Gubernatoris tamen in arbitrio est sententiam eorum mitigare; mulctæque pecuniariæ ad tria Fœdera conjunctim pertinent. Malansiani proprium habent Iudicem, à Gubernatore è tribus à Populo propositis, delectum, qui una cum duodecim Assessoribus causis civilibus finem imponit: Ienatiensibus quoqne suus est Iudex, decemque assessores; cæteræ jurisdictiones ab Ammannis suis, qui supremæ dignitatis Magistratum gerunt, gubernantur.

Dominium Haldensteyn.

Dominium Haldesteyn sub Trium fœderum tutela & patrocinio est: Dominum vero habuit suum, qui decimas majores, minoresque colligit; reis, quamvis sententia lata condemnatis, veniam si libet, concedit: Gubernatorem & decem Assessores constituit, qui civiles, & matrimoniales causas dijudicant; à sententia vero eorum ad ipsum dominum datur provocatio: Si autem de crimine sit controversia, Assessores à Domino electi, nonnullos è Curiensibus sive Trimontinis sibi adjutores assumere solent.

Religio.

Paucissimi hujus fœderis incolæ, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ritus amplectuntur, nullusque Legatorum duodecim, qui ad generalia Fœderum comitia mitti solent, iis est addictus; quamvis enim tres quatuorve hic Catholicorum numerentur parœciæ, locorum tamen miseria, & incolarum infrequentia in causa est, cur communitatem constituere nequeant. Vnicum hic est monasterium religiosorum Ordinis Cisterciensis, quod *Closter Churwald* dicitur.

VOLTVRENA, passim VALLIS TELLINA.

Nomen. PRiscis temporibus Thyrreni Tusciæ populi, patria profugi asylum in hac valle nacti, Civitatem condiderunt opulentam, quam Volturrenam nominarunt; hinc Valli incolisque nomen: quamvis ii à quibusdam inter veteres Vennonetes quoque dicantur. Hodie passim ab indigenis exteris Valtellina, à Tellio urbe, olim totius tractus celeberrima, dicitur. *Termini.* Ab oriente sunt Rhæti vallis Monasterii, vallis Stylviæ; Tyrolensis Comitatus & vallis Solis incolæ: à Meridie Bergomates, & qui vallem Camunicam inhabitant, Venetæ ditionis: Occidentem versus Larii lacus accolæ: ad Septentrionem Pesclavienses, Engadini, & Prægalli Rhæti.

Extensio. Longitudo ejus à fontibus Adduæ, usque ad Larium lacum est sexaginta milliarium Italicorum, quæ decem Germanica, Gallica viginti efficiunt. Latitudo varia, nam juxta S. Britium in Bormiensi, ad S. Iacobi pontem in Telliensi, ad S. Mariam ad Saxellam, in Sondriensi, ad S. Gregorium in Morbeniensi, & Trahonensi jurisdictione in ostia satis arcta restringitur.

Divisio. Tota Vallis à quibusdam in tres partes (*tertzier*, tertianas vocant) dividitur; quarum prima Tiranensem & Telliensem præfecturas complectitur; secunda Sondriensem; tertiam constituunt duæ reliquæ præfecturæ, Morbeniensis & Trahonensis. Hisce tribus nonnulli Bormiensem Præfecturam adnumerant. Alii in sex Præfecturas distribuunt, quas jam retulimus.

Tiranensis Præfectura. Tiranensis Præfectura dividi solet in undecim communitates, quarum prima, est situs ratione Sondalensis, nomen à *Sondalo* pago ad dextram Adduæ ripam sito consequuta, hosce pagos jurisdictione sua comprehendens; *Leprese, Frontal, Bolador, Teron*, Vallem Tammeriam, *Samma* & *Vont*.

Secunda à *Grosio* pago luculento ad Adduæ ripam posito denominatur, pagos habet *Ruwelé* cum valle proxima, quam *Davoste* vocant; *Surrey* & *Tiolo*, unde ad vallem Camunicam Venetæ ditionis, sat commodum, quamvis inter montes asperrimos, est iter.

Tertia à pago *Grossotto* nomen habet; ad eam pertinent *Piazza* & *Prada*, pagi montesque vicini ad utramque Adduæ ripam positi; in hac vero degit celeberrima Robustelliorum gens.

Quarta est Verviensis, à *Vervio* pago, quem Germani *Werf* vocant; in ea sunt pagi; *S. Sebastiano, Ala, Escala*, & *Alval*.

Quintam constituit *Matz* pagus, Archipresbyteri, omnibus totius regionis parœciis præpositi habitatio; pertinet quoque ad eam *Spars* vicus.

Sexta comprehendit *Tovo* vicum & *Prestin*.

Septima, *Luera* una cum S. Mariæ Magdalenæ vico.

Octava Præfectura à *Serno* vico denominatur, præter quem ei subsunt loca, *Boyol*, *S. Gothardo*, & *Valchiosa*.

Nonam & dignitate præcipuam constituit Tiranum oppidum, mediæ leucæ spatio à *Serno* vico disjunctum; ad eam verò spectant, *Coloña, Suldosso, Borasino, Sunasna, Vesoy, Piatti*, & *la Madona* vici: porrò Tiranum semper illustres sanguinis nobilitate familiæ, Quadrorum, Venustorum, Lazzaronorum, Homodeorum, Pergolenorum, Rossorum, aliæque inhabitarunt.

Decima, quæ semihoræ spatio Tirano abest, *Stazzona* dicitur, vicus habitatione Lambertengiorum clarus: Præterea hic sunt vici *Muschano, S. Christina, S. Rochi*, & *la Motta*; *Villa* quoque ad Adduæ ripam sita est, nec non *Raino* & *Val Pelasco*. Cæterum in hac communitate Torelii degunt.

Vndecima & ultima communitas hujus Præfecturæ est pagi *Bianzono*, unicum præterea vicum comprehendens *Bavata* dictum.

Præfectura Tellensis. Tiranensi Telliensis succedit Præfectura ei proxima & adjacens, in meditullio fere Volturenæ situm occupans, & territorium peculiare constituens. Caput ejus est Tellium oppidum in edito, ac natura munitissimo loco situm; unde totius provinciæ arx & propugnaculum censeri solet; ab hoc vero vallem Tellinam quidam dictam putant: vici sub hac præfectura comprehensi sunt circa Abduam: *Boaltio, Ala Tresenda, S. Iacobi*, & *Nicolai*. in eaque stirpis nobilitate claræ familiæ, Betta, Piatti, Guicciardi, Gatti cognominatæ, aliæque habitationes tenent. E regione Tellii, ultra Abduam ejusdem præfecturæ vici sunt. *Auriga*, & ulterius Meridiem versus, *S. Petri*, unde difficile arduumque in Italiam & vallem Camunicam est iter, quod vulgo *le Zapelle d'Auriga* vocant; ultimus vero hujus jurisdictionis vicus *Carona* orientem versus, in montis apice spectatur.

Præfectura Sondriensis. Præfectura Sondriensis reliquas omnes dignitate & potestate antecedit, dividitur autem communiter in octodecim communitates; quarum Tellio vicinior est Clurium, vulgo *Chiuro*, vicus admodum antiquus, quem Brandameniorum, Quadrorum, & Vice-Comitum familiæ inhabitant; pagos habet subjectos *Castiono alto, Gera*, & arcem Aquensem.

Secunda, sive vicinior Clurio communitas, Pontensis est, à vico *il Ponte* dicto nomen sortita; hic aliquot nobilium ædibus est illustris.

Se-

Sequitur Trixivium, vulgo *Tresivo*; olim Vallis locus præcipuus, & Gubernatoris sede conspicuus.

Quarta Montana est, vulgo *Montagna*, vicus luculentus; huic subsunt burgus, quem *il dosso della Rogna* vocant; *S. Maria*, *Prada*, *S. Giouanni*, & *Marecchia*, vici.

Quinta *Sondrium* est, celeberrimum totius Volturenæ oppidum, lepidum satis, & Prætoris totius Provinciæ domicilio conspicuum; situm vero est ad *Malor* fluviolum è Malencia valle defluentem: vici autem qui huic Communitati subsunt, vocantur *Columbrera*, *Cadolo*, *Triangia* & *Triasso*.

Vallis Malencia sexta est, & comprehendit juxta Malor fluvium, *Arquino*, *la Torre*, *Chiapanigo*, *Chiesa*, aliosque aliquot vicos.

Septimam constituit Mons Sondriensis, vulgo *Monte di Sondrio*.

Octava *Castionum* est, quæ complectitur *Mangraldo*, & *Ligea*.

Nona à Postalesio pago luculento & populo frequenti constituitur.

Ad decimam, Berbennum, vulgo *Berben*, Germanis *auff dem Steyn*, spectat *Polagia* vicus, *Marogia* & *S. Petri* viciniæ, è domibus hinc inde sparsis constantes; nec non *Piamonte*, ultimus hujus partis secundæ vicus, ad Abduæ ripas positus.

Præfectura Tellensis. Ad sinistram Abduæ ripam, meridiem versus, & prope Clurium, undecima est communitas *Buffettum*; eam sequitur duodecima *Piatteda*, quæ Ambriam vallem complectitur. Decima tertia est Faedum vulgo *Faed*; decima quarta *Albosagia* est; Paribeliæ gentis arce & domicilio clara. Decima quinta est Cajolum, vulgo *Cajuolo*, ubi familiæ nobiles Sale & Liveri dictæ degunt. *Cidrasco* vicus ad radicem Aspriæ montis situs, una cum valle *de Madre* vulgo dicta, per quam ad Bergomatum Venetæ ditionis terras itur, decimam sextam constituit. Decima septima *Fusina* est, eamque excipit ultima *Colorina* dicta.

Præfectura Morbeniensis. Tertia & inferior Volturenæ pars juxta sinistram Abduæ ripam extensa, Præfectura Morbeniensis dicitur, & duodecim communitatibus constat: earum autem Colorinæ proxima, & situs ordine prima *Talamona* dicitur, juxta Tartanam vallem, per quam tempore æstivo sat commodum ad Bergomensem ditionem patet iter; hujus Vallis locus præcipuus *Campo* est, ad Tartanum amnem situs; quamvis *Talamona* ad Roncasolam fluviolum posita, communitatis hujus caput sit, & frequentia populi, nec non Mazzon & Camonico gentium nobilissimarum domiciliis superbiat: in montibus huic communitati subsunt vici, *Dondon*, *Premiana* & *Fay*.

Præfectura Sondriensis.

Sequitur Morbeniensis, in qua *Morbenium* hujus præfecturæ totius caput, ad fluvium *Bitto*, aut *Bitter*; hic cavæ conspiciuntur adeo profundæ, ut quadraginta aut quinquaginta gradibus in eas descendatur; cæterum in hac Communitate pagi sunt *Campoderbolo*, *Valle*, & *Arsio*.

Inter altissimos montes heic Vallis subsidet, quæ à fluviolo, qui eam secat, *de Bitto* dicitur; in ea sex hujus præfecturæ conspiciuntur communitates. Media Morbenio leuca ad dexteram Bitto fluvii ripam est *Albaredo*, & in opposito margine *Sacco*, nobilissimæ gentis Belot dictæ sede inclyta; paulo ulterius juxta viam, quâ ad Sasinam vallem tenditur, *Rasura* & *Pedesina* sitæ sunt; ultima est *Giruolo* duodecim viciniis & aliquot nobilium habitationibus constans.

Morbenio versus Larium lacum tendentibus, prima sese offert octava: hujus Præfecturæ communitas, *Cosio* vicus luculentus, olim Gubernatorum sede celebris; non longe ab eo in loco elevato conspicitur arx generis prosapia illustrium Vice-dominorum.

Prædicta Communitate egressis *Dalebio* sese offert, vicus magni nominis, annexum pagum *Rogolo* habens; sequitur ea quæ à vico *Planteda* nomen habet, & sese usque ad Scalettam pagum extendens, qui ita dicitur, quod ibi gradibus è rupe excisis in Larium lacum descendatur. Non longe ab ipso lacu, ubi olim Olonia arx erat, Petrus Henriques de Azevedo, Comes de Fuentes, & Mediolanensis Gubernator, anno 1605, fortalitium prope Abduæ in lacum exitum in monticulo Montocchio dicto extrui jussit, natura & operibus munitissimum, & quam maxime opportuno loco situm; quod Hispani militum præsidio valido, omnibusque rebus necessariis probissime instructo, magna conservant cura; quamvis Rhæti, contra articulos pristinorum inter Mediolani Duces & Confœderatos fœderum, id fieri asseverent: Paulo infra fortalitium jam dictum Morbeniensis Præfectura terminatur, conterminum ad Meridiem habens Colicum, Comitatus titulo insignitum, feudum Regis Hispaniæ à Comitibus de Albertis Bormiensibus possessum.

Trahonensis Præfectura. Ad Septentriones ultra Abduam Trahonensis est Præfectura, quæ undecim distinctas quoque habet communitates; sunt autem *Trahona*, *Bulium*, *Arden*, *Datium*, *Civium*, *Mellum*, *Cercunum*, *Civum*, *Campus vicus*, *Mantellum*, *Dubinum*.

Primus vicus qui in hac Præfectura è secunda & media Volturenæ parte venientibus, se offert, est *Vilipenta*; hinc non procul Bulium est, quod vulgo *Buglio* dicunt, Paravicinæ gentis nobilissimæ domicilium; & Arden vicus ad montem situs, qui non rarò totus nivibus tegitur, quæ ex apice montium incredibili vi & copia nonnunquam decidunt: prope hunc pagum Masena fluvius

Abduæ se commiſcet. Ab hoc autem amne *Maſena Vallis* nomen conſecuta eſt; hæc Septentrionem verſus in duas partes diſpeſcitur, quarum una Prægaliam Rhætorum, altera Malenciam vallem reſpicit: hic prope *S. Martini* pagum Coloſſus ingens lapideus humi ſtratus conſpicitur, triginta quinque ulnas longus, largus decem, altus quindecim: præterea vallis hæc continet pagos hoſce, *Felonera, S. Petri, Tajegio, Cornolo, S. Antonii, S. Catharina* & *Civo.*

Cæterum Trahonenſis præfectura à dextra hujus vallis parte, verſus Larium lacum ſe extendit, pagos vicoſve tam in planitie, quam inter montes ſitos hos numerans, *Bedoglio, Caſpan, Ca del Pico, Ca del Saſſo, Datio, Pelaſca, Deſco, Torchi, Categno, Campo vico, Ganda, Cermeledo,* alioſque ad numerum novendecim, opulentiſſimos omnes.

Trahonium, vulgo *Trahona*, paulo ultra Abduæ ripam ſitum eſt, totius Præfecturæ caput, ubi Præfectus, quem Poteſtatem vocant, domicilium habet, ædificia habet ſat eleganter conſtructa, populum frequentem, plurimoſque generis nobilitate inſignes.

Bormienſis Præfectura. Bormienſis Præfectura à quibuſdam territorium peculiare cenſetur, neque Volturenæ adnumerari ſolet, ut ante monuimus; undique & ex omni parte cingitur altiſſimis montium jugis, adeo ut Abdua fluvius vix exitum in Volturenam inveniat, ad cujus ſiniſtram ripam, iter & tranſitus in eandem datur inter præcipitia horrenda, rupeſque præruptas; ad eos montes & paſſum quos S. Britii appellant, quondam fortalitium, murique extructi erant, ita ut unicâ porta iter, alioquin difficillimum & peranguſtum, intercludi potuerit: hyemis vero tempore ob nivium copiam anguſtias occupantem, inacceſſa ſunt itinera, omniſque denegatur aditus: in hiſce anguſtiis fortalitia quædam extruxerunt incolæ, adeo ut vix crediderim ulli terrarum locum naturæ vel artis beneficio munitiorem oſtendi poſſe.

Termini. Ad orientem Bormina regio Vinſtgoviam & Atheſinam vallem Auſtriacæ ditionis, nec non Sarcam vallem reſpicit; ad Meridiem Camunica vallis, & cætera Volturenæ pars eſt: ad Occidentem, Peſclavienſem, Berninam & Engadinam Fœderis Cathedralis Rhætorum valles habet vicinas; à Septentrione, Monaſterii vallis, nec non Valdera & Bufalora montes imminent.

Diviſio in Communitates; Complectitur quinque Communitates, quarum prima eſt Bormium, Germanis *Worms* cum ſuo territorio; II. Vallis Furba Orientem verſus tendens; III. Vallis interior, ubi Primadium, & vallis Pedenucis, vulgo *Pedenoz*; VI. Vallis inferior Volturenam verſus, ubi Cepina; V. Vallis Luvinium Ingadinam verſus.

in Parœcias. In parœcias quoque ſex diſtribui ſolet; præcipua eſt *Bormium*, cum vicis *Piatten, Platzen, Ogen* & *Fumarogen.*

Bormium Provinciæ hujus oppidum præcipuum, ad confluentias Abduæ & Fredolfi fluviorum ſitum, amplitudine, ædificiorum forma atque habitantium frequentia Civitatem referre videtur, eſtque inhabitatum à familiis aliquot multorum imaginum ſplendore illuſtribus, inter quas excellunt eæ quæ vocantur *de Albertis, Foliana, Mariolen, Sermonde, Florende, Caſulare,* & *Zenoni*; aliæque plures.

Secunda eſt *Sancti Nicolai* in valle Forba, ad quam ſpectant vici *S. Anthonii, Tregua, S. Gothardi*, & *S. Rochi*, in hac Alfurnus mons verticem extollit, cui Fredolphus Minciuſque fluvii ortum debent. Cæterum in hac valle ad circumjacentes terras quatuor ſe pandunt itinera; primum juxta Wimlat amnem ad vallem Mertherthal dictam; ſecundum verſus vallem Solis conducit, tertium ad Sarcenſem, quartum per Pontem Ligneum ad vallem Camunicam; aſperrima tamen ſunt, & hybernis temporibus, ob glaciei & nivis copiam, inacceſſa.

Tertia Parœcia S. Galli dicitur, ſub ſe comprehendens vicos, *Primai, Terriplan*, & *Molina.*

Quarta Pedenucis dicitur, vulgo *Pedenoz*, cum vicis *Semaug, Iſolaccia* aliiſque in valle Freel ſitis.

Quinta eſt *Scopina* vicus, in quo Eccleſia S. Mariæ eſt, & huc Communitas *Murinon* pertinet.

Sexta eſt in *Luvinia* valle, quæ à Volturrena, Ingadina, & Monaſterienſi vallibus undique altiſſimis ſeparatur montibus, neque ullis vicis pagiſque, ſed domibus tuguriiſque hinc inde ſparſis habitatur.

Aëris ratio. Aëre fruitur Volturena ſaluberrimo, niſi cum æſtivo tempore ventus quidam, quem *Breva* indigenæ vocant, à Lario lacu ſpirans, regionem neſcio quâ corruptione inficit; & hinc eſt quod opulentiores, ſanitatis conſervandæ cauſa, tum temporis, ad Bormienſem diſtrictum, ſitu ſuperiorem, ſecedere ſolent; nam aëre is gaudet ſubtiliori, puro, & optimo; quare è circumvicinis regionibus plures, evitandi nimii caloris gratia, æſtivos menſes illic tranſigere ſolent; aſt hyeme frigus ibi immodicum eſt.

Aquæ. Porro non raro gravia ab aquarum inundationibus Volturena regio patitur damna; nam Abdua fluvius quandoque imbrium niviumque liquefactarum copia auctus, alveum deſerere, libereque per humiliora & plana Vallis loca vagari ſolet. In Malencia valle Balnea ſunt S. Martini dicta, cujus aquæ auri, ſulphuris, aluminis, & ſalis nitri venas tranſeuntes, mulieres ſteriles conceptui idoneas reddunt; iſchiadico dolori ſupremum & optimum adferunt remedium; colica paſſione labo-

laborantibus opitulantur; omnibusque infirmitatibus è causa frigida provenientibus auxiliantur. in Burmiensi quoque præfectura, circiter mille passibus ab Abduæ fontibus, aliisque in locis quam plurimis aquæ scaturiunt diversis malis morbisque medendis aptæ.

Fluvii. *Abdua* fluvius supra Bormium oppidum è Monte Braulio exoritur, illinc Volturenam Vallem pervagatus, in Larium lacum se præcipitat, rursusque eum post trium quatuorve leucarum spatium deserens, Mediolanensem Ducatum rigat, Laudem Pompejam transit, aquasque suas quinque supra Cremonam milliaribus Pado commiscet. *Fredolfus* ex Monte Alfurno ortus Furbam Vallem pervagatus, Bormii in Abduam illabitur; civibus ejus non contemnendi est usus, ob ligna quæ devehit, molasque quas circumagitat; cæteri fluvii à dextera & sinistra è montibus vicinis orti, singuli Vallem singulam constituunt, & post breve itineris spatium aquas suas Abduæ committunt; sunt autem, *Isolaccia*, *Puschiavino* è Bernino monte egrediens, *Travaglione*, *Malor*, ex Monte Aureo ortus Malencam Vallem secans, & prope Sondrium Abduam ingrediens, *Finala*, *Masena*, *Iova*, *Bombolasca*, *Bito*, *Tartano*, *Madrasco*, aliique plures.

Montes. In superiori Volturenæ parte, Bormiensi scilicet districtu, se erigit mons excelsus, quem Montem Braulium vocant, Germani culmen ejus *das Burmser joch*, Burmiana juga dicunt; quod in summa valle ad montem Bormium urbs conspiciatur. Itali *Monbrajo*, vel, ut alii malunt, *Montgrayo* nominant; ad Septentrionem est mons, quem veteres Pedem Falarium dixerunt, nunc *Bufalor* nuncupatur. Alfurnus mons hic quoque conspicitur, Fredolfi & Mincii fontibus clarus.

Fertilitas. Solum hic est miræ fertilitatis, adeo ut quibusdam in locis annuatim bis terve fructus ferat; inter vineas enim triticum serere consueverunt, quo collecto, eidem aggeri milii, panicive committunt semen; dein rapas & olera: nonnullis quoque in locis adeo blandum est, ut aratro unicus bos sufficiat: quod mirum inter cautes rupesque durissimas videri posset. quamvis vero mira fertilitate omnigenas commissas reponat fruges, tamen populi & incolarum frequentia efficit, ut frumento aliunde evecto plerumque egeat. Fructus omnis generis hic non desunt, nam præter poma, pyros aliosque fructus Germaniæ communiores, ficus quoque, amygdala & melogranata, nec non olivæ feliciter proveniunt: castaneæ quoque magna hic nascuntur copia, quibus viliores è plebe panis vice utuntur. Vinum hic quoque nascitur præstantissimum; præsertim ad dextram Abduæ ripam, quæ Soli magis opposita, majorem & præstantiorem ejus fert copiam; quod longe in Helvetiam, Noricum, & Germaniam magno gentis lucro avehitur. Excolendis ideo vitibus gnaviter indigenæ incumbunt, inter ipsas rupes asperrimas, omnique terra destitutas, terram aliunde apportatam disponentes, iisque vitium plantas non sine optato successu committentes. Vvæ quoddam genus peculiare habent delicatissimum Iulio mense maturum, Voltureni uvam *Lugadicam* vocant. Præter eam vina varii sunt precii, illud vero quod generosissimum æstimatur, ne Cretico quidem, quod ab Italis *Malvasia* dicitur, cedere necesse habet; eoque potius medicinæ quam potus vice, præsertim qui catharris defluentibus vexantur, uti solent: ex uvis jam maturis & collectis, per tempus aliquod stramini impositis id premunt, quod Italico nulla in qualitate cedere ferunt: Porro vinum hoc ætatem optime fert, & usque ad centum annos conservatur; rubei coloris vina quotannis colorem mutant; & quanto annosiora, tanto magis albo colori accedunt, donec vix ab albis discerni queant; tum vero caput tentant, & adusti vini vires æquant: generositas autem vinorum Volturenæ ex eo procedit, quod vallis ab Oriente in Occidentem extensa, integro diei spatio Solis radiis sit exposita, qui maturitatem uvis probe conferunt. Arbores ad fabricandas naves materiem abunde suppeditant, quam Veneti sæpissime hinc petere consueverunt; armenta boum, ovium & caprarum greges hic aluntur magno numero; nam in vallibus, ipsisque montibus præstantissima habent pascua; è quibus fœnum colligunt quoque, alendis hyeme animalibus. *Animalia.*

Capræ, mures alpini, ursi, lupi, lynces, vulpes, martes, apri, thoës, lutri, lepores, sciuri multi in hac regione; falcones, accipitres, phasiani, perdices, gallinæ sylvestres plures capiuntur. Abdua quoque magnam piscium vim alit, inter quos Truttæ, quæ nonnunquam 20 & 30 librarum pondus æquant, ob copiam fere viliores. *Feræ. Aves. Pisces.*

Auri ramenta, quæ Abdua fluvius interdum arenis suis intermixta deportat, ostendunt montes vicinos hujus metalli venis non carere; præsertim Bormienses, ubi & argenti, ferri, cupri, plumbi, aluminis & sulphuris non infructuosæ sunt fodinæ; verum eæ, è quibus ferrum eruitur, maxime exercentur. *Metalla.*

Homines Volturenæ forma decora sunt, corpore firmo, & robusto, ingenio subtili, & ad quasvis scientias apto; militiæ addicti, egregii evadunt bellatores; ii qui studiis operam dant, egregios quotidie progressus faciunt; fideles præterea sunt & constantissimi: Mulieres gratiosæ sunt, & in amorem propensæ, sed cautæ dissimulatrices; viragines porro, & bellicis spiritibus præditæ. Linguam *Mores.*

guam loquuntur Italicam minus politam, sive Lombardicam; quamplures hic sunt natalium splendore, & veterum imaginibus illustres, moribus exculti,& comitate ne quidem politioribus Italicorum cedentibus.

Opes. E vinis quæ in Tirolensium vicinas terras, Italiam, Helvetiam,ipsamque Germaniam deferunt, quæstus iis uberrimus. butyrum, caseos, animalium tergora & sebum, Venetis alisque Italiæ populis divendentes, non contemnendum lucrum percipiunt. Boves quoque hujus regionis ab Italis magni æstimantur, eorumque nundinis Tiranensibus, quæ die S. Michaëli festo celebrantur, integra armenta ab iis abducuntur.

Incolarum numerus. Cæterum incolarum Volturenæ numerus fere viginti quinque millium esse perhibentur, quorum quatuor millia armis tractandis idonea, tria millia numeris inscripta. Post ultima bella Morbenium, Sondrium & Bormium firmissimis, contra hostium impetum, munimentis cinxerant, verum ea, juxta ultimæ conventionis articulos, nunc solo æquata conspiciuntur. Loco eorum diversi loci sunt naturæ beneficio adeo muniti, ut minimo negotio, quamvis exigua militum manus, exercitui integro resistere, eique ulteriorem transitum prohibere possit; & si incolæ concordi inter se sint animo, hostium incursiones, solis naturæ providæ munimentis nixi, & sine ullo artis adminiculo, facillime arcere possint, præsertim in Bormiensium ditionibus.

Regimen. Romanis Volturena longo temporis tractu paruit, post eos Gothos experta est Dominos; denique Longobardos, quibus à Gallis pulsis, dominium Gallis victoribus cessit, sub quibus pace & otio frui longo tempore concessum, donec Guelphorum & Gibellinorum partes & discordiæ, eam non minus quam totam Italiam vexaverint: hisce bella inter Turrianos & Vicecomites exorta successerunt, quibus non minora damna & incommoda experti sunt incolæ; tandem Vicecomites expulsis Turrianis dominium recuperarunt, & postmodum ad Sfortias Mediolanensium Duces transmiserunt; quorum temporibus à sententiis à Magistratibus Volturenæ ad Mediolanensium Senatum dabatur provocatio. Anno 1404, Mastinus Barnabæ Vicecomitis, Mediolanensium Principis filius natu minor, cum pater ejus à Iohanne Galeatio, Galeatii Secundi filio, carceri esset mancipatus, Curiæ, Iohannis vindictam effugiens, commoratus, Vallem hanc, Bormiensem & Pesclaviensem districtus, nec non Clavennensem Comitatum, ditiones ei à patre in patrimonium anno 1379 tributas, Episcopo Curiensi donavit. Sed ob potentiam Iohannis Galeatii, & successorum, donatio effectum sortiri nequiit: nihilominus anno 1486 armata manu Rhæti Bormium, Clavennam atque Plurium occuparunt, Volturenam quoque anno 1512. Anno postmodum 1516, Maximilianus Sfortia Ludovici Mauri filius, jura omnia Mediolanensibus Ducibus in hasce ditiones competentia, Rhætis, in remunerationem auxilii contra Franciscum Primum Gallorum regem præstiti, cessit. Franciscus ipse pacem cum iis anno 1516 iniens, rationibus, quas Mediolani Ducatus nomine tenebat, cessis, iis liberam possessionem asseruit.

Hodie Vallis in tres Partes sive Tertianas distribuitur; Superiorem, Mediam, & Inferiorem. Tellium peculiarem districtum constituit, & à suo Præfecto seu Potestate peculiari regitur. Superioris Tertianæ caput est Tiranum, Potestatis sedes & Domicilium. in Media, totius Vallis Præfectus sive Gubernator, nec non ejus Vicarius Sondrii commoratur. Inferior Tertiana in duas Præfecturas dispescitur, quarum altera Morbiniensis, altera Trahonensis, singulæ peculiarem habent Potestatem. Vnusquisque autem Præfectorum, seu Potestatum suum habet Vicarium, Cancellarium, ministrosque alios plures; omniumque Magistratus biennio finiuntur; sua quisque in jurisdictione tam civiles, quam criminales causas dijudicat. Totius vero Vallis Gubernatori, peculiari privilegio ubicunque in Valle de delictis, si alios Iudices præveniat, cognoscere concessum; præterea particularis & ordinaria in dimidia Tertianæ parte ei competit jurisdictio.

Quod ad negotia publica attinet, notandum est, totius Volturenæ Deputatos, qui plerumque Sondrii conveniunt, eligere Cancellarium totius Vallis; ei archiva, privilegiorumque instrumenta committuntur; ad eum spectat quoque (si negotium aliquod publicum id exigat) deputatos convocare; qui præsente Vallis Gubernatore, vel ejus vicario super re proposita deliberant; & dein conventibus, locisve suis consulta communicant.

Tertiana superior quoque suum habet Cancellarium; Conventus autem ejus constat è Decanis sive Primoribus Communitatum, qui Tirani convenire solent. Is autem qui totius Vallis Cancellarius, eodem peculiari in Tertiana media munere fungitur; conventus vero Sondrii celebrantur. in Tertiana inferiori, Morbeniensis & Trahonensis Præfecturæ suum singulæ habent & Cancellarium, & Senatum, quem Communitatum Consules constituunt. Tellium eadem gaudet prærogativa. in quaque Tertiana porro quatuor Iustitiæ sunt consules; in Telliensi districtu bini; Doctores ut plurimum Iuris utriusque, vel etiam Medicinæ, qui lites minoris negotii finiunt; à Tutoribus & Curatori-

toribus tutelæ rationes exigunt; in rebus pupillorum alienandis, & minorum contractibus, decreta & autoritatem suam interponunt. Syndici præterea in Tertianis singulis eliguntur, qui jura & privilegia exacte observari curant.

Vnaquæque Communitas quotannis Superiorem eligit, quem in Tertianis, Media & Superiori nec non Telliensi districtu Decanum; in inferiori & Clavennensi Comitatu Consulem vocant; hic jura & privilegia Communitatis suæ sarta tecta servari curat; & Magistratus de delictis, quorum notitia ad eum pervenit, certiores reddere tenetur.

Bormienses, qui ad limites degunt, non contemnendis fruuntur privilegiis & immunitatibus; quoniam iis proprios Consules aliosque Magistratus creandi facultas competit; idque sorte ducta in hunc modum: vasi argillaceo oris angusti fabas aliquot albas nigrasque immittunt, harum unam ii qui electorum officio funguntur, manu immissa extrahunt; cui sors fabam atro colore notatam dedit, ei electio competit. Hoc modo singulis quadrimestribus Consules bini eliguntur, qui supremo funguntur Magistratu, nec non sexdecim Senatores, quorum decem ex ipsa Bormiensium urbe, reliqui è vallibus proximis sumi solent, atque his criminalium decisio injuncta; Præterea tredecim quoque Consiliarii, omnes cives, à quibus civilium rerum causæ judicantur. Præsidet omnibus Præfectus sive Potestas à Rhætis constitutus cum suo Cancellario; & provocationes tam hujus territorii, quam totius Volturenæ Vallis in trium Fœderum comitiis generalibus ventilantur.

Religio. In præcipuis & majoris momenti locis, Bormio solo excepto, veluti Sondrii, Tirani, Tellii, Morbenii, & Trahonæ, Calvinistæ suos habent Ministros, quamvis à Clericis Ecclesiæ Romanæ numero superentur. Vallis ipsa, ut & Clavennensis Comitatus, in spiritualibus Comensi paret Episcopo; cui tamen, nisi Rhætis permittentibus, jurisdictionem exercere denegatum est. Cæterum ii qui placita Calvini amplectuntur, nullum locum soli inhabitant, cum plurima sint à solis Catholicis inhabitata. Numerus autem Reformatorum 2500 non excedit; & inter 4000, armis tractandis idoneos, ultra 800 non reperiuntur: Verum dignitate, aut opibus prævalentes, fere omnes religionem quam Reformatam vocant, amplectuntur.

COMITATVS CLAVENNENSIS.

Situs. Comitatus Clavennensis, Italis *Chiavenna*, Germanis *Claven* sive *Cleven* dicitur, situs est ad radices Alpium, quæ Germaniam ab Italia separant; ad Orientem Prægaliæ Vallem, montesque respicit; ad Occidentem Misaucino Comitatu terminatur; ad Meridiem Larium lacum habet; ad Septentriones Averensem & Rhinwaldensem; hanc Cathedralis, illam Superioris sive Cani fœderis communitates. *Termini.*

Loca. Comitatum hunc à Trahonensi Volturenæ Vallis præfectura separat mons altissimus Coderia dictus, ad Volturenæ extremitatem situs; hic ad introitum Comitatus primi se offerunt, *Varsejo, Campo* & *Novato* pagi, quorum incolæ in re navali, sive lignis cædendis, occupantur; hinc juxta lacus Clavennensis ripas tendentibus occurrit *Riva*, sive *Mezuola*, ubi merces, in Galliam & Germaniam terrâ deinceps devehendæ, è navibus exportantur; hic Hispani arcem olim extruxerunt; sequitur *Malaguarda* vicus, & *Prada* pagus; ad montis radicem prope Clavennam cavernæ artificiales visitantur, æstatis tempore adeo frigidæ, ut vinum recens exportatum præ nimio frigore non sit potabile. Iuxta Meiræ fluvii ripas siti sunt pagi *Sammolico, Vigazolo, Casenda*, & *Lera*, *Selva Piana* & *Gordona*, totius Comitatus amplissimus, arcem habens vicinam sic satis munitam. Præter dicta autem loca, plures adhuc pagi vicique non contemnendi Comitatus hujus terminis continentur.

Clavenna. Ad dextram dicti fluminis ripam, supra caput Larii lacus 10. m. pass. Clavenna civitas conspicitur, ædificiis eleganter extructis conspicua; ecclesias habens sex, quarum præcipua S. Laurentio dicata est; cæterum Comitatus Clavennensis est metropolis; ob commoditatem situs, merciumque ex Italia in Germaniam, & vice versa devehendarum commodissimum transitum à frequentibus mercatoribus inhabitata: Multi quoque nobilitatis splendore illustres in ea habitant. arcem præterea habet munitissimam, & hostium conatibus sat longo tempore resistere validam; quam Marchio de Cœuvre Exercitus Gallici, Rhætorum auxiliaris Dux, Hispanis anno 1629 eripuit. Suburbium habet *Orelo* dictum, ponte sibi conjunctum, pagosque sub jurisdictione sua sitos *Campedelo*, & *Dragonera*.

Plurium. Hinc non longe distat Plurium, olim vicus ingens in campis, qui Alpibus subjacent, positus, ad utramque Mairæ ripam, & ad oppidi morem excultus; quondam Præfecturæ, cum Prægalia confinantis caput. Ei imminebat mons præaltus, è quo saxa cavabantur, è quibus lebetes torno confici solebant ad coquinæ usum; ac dicitur eam saxorum naturam esse, ut venenum injectum ad ignem ebulliant, & rejiciant; ideoque lebetes hujusmodi per Italiam magna copia distrahuntur. Anno vero 1618 mons totus corruit, vicumque totum oppressit, & in abyssum præ-

præcipitavit, ut ex loco pulcherrimo & opulentissimo, jam nihil superfit, præter rudera paucissima, lacumque, eodem loco situm, milliaris fere spatio extensum. Vicum quamvis non adeo magnum, pulcherrimis ædibus, palatiisque Vertemanni, Franchi, Boschetti, aliique nonnulli exornarant: Multi vero inhabitantium mercatores erant, qui foro cedentes, creditoribus suis bona nummosque improbe abstulerant, Principumque more magnifice extructis palatiis, hortisque delitiosissimis, utensilibus ex argento confectis, aliisque rebus pretiosissimis gaudentes, vitam tranquillam hic transigebant; sed eos, ut jam monui, unico fere momento, justo Dei Iudicio cum vico, & cæteris inhabitatoribus omnibus, admirandus montis corruentis casus oppressit. Cætera Pluriensis Præfecturæ loca sunt *Villa*, ubi primæ ab ea parte conspiciuntur vineæ; *S. Goëbia*, ubi Vallis arctissime à montibus vicinis stringitur; *Savong*; prope quem via, seu potius semita in Germaniam se pandit brevissima, sed non nisi à peditibus usurpari solita; *Crana* & *Rongalia*, ultimi Præfecturæ Pluriensis limites. Pluriensis Præfectura & Clavennensis à fluviolo, quem vulgo Pluvia vocant, separantur. In eodem Comitatu ad radices Speluccæ montis Vallis S. Iacobi se aperit, vicum præcipuum cognominem habens, eam Lirus amnis secat; ad ripas vero ejus siti sunt pagi *Campo dulcino*, *Madesa* olim Tarveseda, & *Beth* totius Comitatus fertilissimus, & Vallem hanc terminans.

Qualitas. Comitatus hic, S. Iacobi Vallem si excipias, totus solo gaudet admodum fertili, & ubique cultissimo, vini tamen, quam frumenti feraciore; cujus defectum supplent castaneæ, è quibus panem conficiunt, quo plebs utitur, graviorem & ficciorem, nihilominus non contemnendi nutrimenti. Aëre fruitur saluberrimo, adeo ut miraculi instar habeatur, si pestis contagione regionem affici contingat; Nonnunquam tamen ventus è Lario lacu exsurgens, aërem quodammodo inficere solet. Fluvios habet duos, Mairam & Lyrum, è quibus incolæ maximas, tam ob piscium, quos nutriunt exquisitissimos copiam, quam ob molas quas circumagitant, percipiunt commoditates. Armenta in montibus, pratisque innumera fere pascuntur, unde maxima lactis, butyri, caseique vis; quam in Statu Mediolanensi nec non Venetæ ditionis terris cum emolumento distrahunt. Circa Plurium montis ruina suppressum hodieque saxa, cujus mentionem supra feci, excavantur, lebetum conficiendorum gratia.

Mores. Cives Clavennenses ingenio sunt facili, & ad quævis apto, politici, comes, artibus liberalibus & mercaturæ inprimis dediti; moribus adeo sunt exculti, ut plurimi Rhætorum, quamvis Clavennensibus dominentur, Clavennæ domicilium elegerint; Itali quoque religionem Catholicam abdicantes, civitatem hanc ut asylum aliis locis præferunt; Multi civium stemmatis nobilitate sunt illustres; sed nihilominus omnes fere, aut certe plurimi, mercaturæ studiis se applicant.

Opes. Rhæti tributa sive impositiones quasdam Comitatui huic imponere solent, omnique condemnationum & pœnarum pecuniariarum proventu gaudent. Clavennam & vicina loca inhabitantes è butyro, caseis, & carnibus, quibus continuò Italiam provident, lucrum opesque congregant; non minoris momenti iis est, mercium è lacu Lario expositarum, & jumentis per Alpes devehendarum transitus, cum in iis innumera eorum jumenta occupentur.


Vires. Suos præterea habent Tribunos, aliosque officiales, quibus jubentibus arma arripere, & expeditionem suscipere tenentur; incolarum numerus quinque millium esse creditur, quorum mille armis tractandis idonei censentur.

Regimen. Tria Rhætorum fœdera huic Comitatui duos præponunt Præfectos, Commissarium Clavennensem, & Potestatem Pluriensem; horum Magistratus biennio finitur; quisque in suo districtu justitiam administrat, lites civiles & criminales dijudicat; in criminalibus à sententia eorum nulla admittitur provocatio: in civilibus ad comitia generalia trium Fœderum recurritur. Clavennenses præterea quotannis, sorte ducta, Consulem, Vice-Consulem, ærario publico præpositum, duos Iustitiæ Consules, quorum Magistratus biennio circumscribitur; Syndicos duos privilegiorum assertores; Ædiles duos; Consiliarium unum, & Cancellarium eligere solent; iis adjungunt, quatuor ex ætate provectioribus; & penes hos quatuordecim Civitatis est regimen.

Religio. In Comitatu hoc quindecim Catholicorum sunt parochiæ; Clavennæ, Plurii, Pontileæ, & in aliis quibusdam locis, Reformati suos quoque habent Ministros. Inter quinque millia hominum, qui in Comitatu degunt, octingenti fere Calvini dogmata amplectuntur; quorum centum armis tractandis habiles censentur.

VAL-

VALLESIA.



Situs. Va Rhodanus fluviorum Galliæ fertilissimus apud Lepontios Viberos oritur, vallis non ita lata undique præruptis, altissimisque montibus cincta, secundum fluvii cursum sese porrigit, & paulo supra eum locum, ubi is Lemanum lacum influit, angustis faucibus ad exitum fluvii relictis, coëuntibus in unum pene montibus clauditur. Inhabitarunt olim hunc locum Viberi ad ortum fluminis, deinde Seduni, & infra hos Veragri: verum jam ab aliquot seculis universi vallis hujus incolæ uno nomine Vallenses aut Vallesii seu Vallesiani à valle nominantur. *Nomen.* In inscriptione vetusta, quæ non longe à Geneva ad lacum Lemanum cernitur, *Valinsa* nominatur.

In conciliorum subscriptionibus Epaunensis & Aurelianensis quinti, Episcoporum Octodurensium Valinsanorum mentio fit, ita enim quædam exemplaria vocant, alia vero Vallensium nomen habent: & liber Provinciarum Octodorum civitatem Vallensium nominat.

Termini Vallesiæ. Terminos habet Vallesia, ab Ortu Lepontios, Antuates ab Occasu, à Meridie Lepontios iterum & Salassos, & à Septentrione Helvetios: ab his omnibus altissimis montibus & qui perpetuis nivibus rigent, dirimitur. Itaque omnibus ferè locis æstate difficilem aditum habet: hyeme vero nonnulli montes, & præsertim Gemmius, qua æstate frequentissimum iter est, prorsus impervii sunt, reliqui magno labore & periculo superantur. Vno tantum itinere per Antuates qua Rhodanus montes aperit, commode adiri potest: sed idipsum & loci natura & arte ita munitum est, ut regio hac quoque parte ab hostium incursionibus tutissima videatur. Vallis ipsa in longitudinem ferè 100. millia passuum patet, tota tamen angusta est, nisi qua inter montes in alias valles diffunditur, quarum aliquæ 15, nonnullæ etiam 30 millium passuum longitudinem habent.

Fertilitas. Incolæ ipsi magno labore & singulari industria omnia loca, quæ modo culturam admittunt, exercere solent, multum autem operæ in aquis derivandis ponunt: etenim non tantum prata & hortos, sed, quod in vicinis hisce regionibus inusitatum est, vineas quoque irrigare consueverunt. Itaque è summis montibus aquam ligneis canalibus per duo milliaria aut etiam amplius deducunt, magnis sumptibus, & aliquando etiam magno vitæ periculo, quando homines funibus suspensi, nudarum rupium latera cædunt, ut ex his suppositis tibicinibus & canteriis canales suspendant. Quare etsi vallis arcta & exigua sit, hac tamen industria efficiunt, ut idipsum quicquid est soli fertilitate nulli finitimarum regionum cedat. Vini primum ea est copia & bonitas, ut illud jumentis sarcinariis per altissimos montes ab Helvetiis & Lepontiis exportetur. Frumenti tantum habet, ut aliunde invecto non egeat, ac durat illic messis à Majo ad Octobrem usque mensem, dum in vallibus depressioribus, & montibus frigidioribusque locis tardius, alibi citius frumenta maturescunt. Ac sæpe eodem die iter per montes facientes, in hyemem, & ver, & in ipsam messem incidunt: in summis enim montibus nives & glaciem reperiunt, in eorum depressioribus partibus pascua pulcherrime florent, & ad radices fœnum colligitur, in valle ima frumenta jam matura secantur. Fructus omnis fere generis illis non desunt, nam non tantum pira, poma, cerasaque diversi generis, pruna item & corna, & mora, & nuces juglandes, avellanæ, pineæ, copiose apud eos nascuntur, sed ficus quoque & amygdala & malogranata apud Sedunos feliciter proveniunt, neque tantum arboribus, sed omnis generis herbis & floribus cultissimos hortos habent, in quibus præter alia crocus præstans colitur, tanta copia, ut in vicinas regiones magno gentis lucro exportetur. In tanta florum copia, apum plurima alvearia incolæ habent, ex quibus toto anno mel recens illis abundanter suppetit. In montibus metalla sunt, plumbi, ferri, æris, argenti: crystallus etiam ibidem in summis Alpibus, partim è terra effoditur, partim ex præruptis rupibus, quibus innasci solet, colligitur, ejusmodi etiam inde accipitur, cui adhuc saxi è quo enata fuerat particula adhæret. Duorum autem generum crystalli in his alpibus reperiuntur. Vnum quod præstantissimum est, clarum & pellucidum, alterum subobscurum, nonnunquam crocei aut alterius coloris: quædam vero exterius quodam quasi velamine obductæ, interius claræ puræque sunt. Magnitudo eorum diversa est, nam ferunt nonnunquam integras, & non vitiatas ponderis quadraginta librarum, aut etiam quinquaginta reperiri. Præterea lapidum seu carbonum bituminosorum, quos vulgus *steinkolen* vocat, magna est copia apud Sedunos & Siderianos: hi lapides toti nigri sunt, & metallorum modo è montibus effodiuntur, deinde aliorum lapidum modo in calcariam for-

fornacem componuntur, & fasciculis aliquot lignorum adhibitis accenduntur, & in calcem optimam convertuntur: Modus hic calcis coquendæ è bituminosis lapidibus, non ita pridem inventus est, cum antea tantum ad ignis usum instar carbonum reliquorum adhibiti fuerint. Sylvæ abundant larice, ex qua cum Agaricum inter purgantia pharmaca celebre, tum præstantissima resina colligitur, qua therebinthinæ loco Helvetii chirurgi utuntur, hanc Vallesiani *lertschinen* vocant, Helvetii *glorien:* præterea pinu, picea, abiete, aliisque arboribus quæ alpibus frequentes sunt. Cervis, capreis & apris carent: ursi, lupi, thoes, lynces, vulpes multi sunt in hac regione: Ferinæ etiam reliquæ tanta est abundantia, ut bubulæ instar, & nonnunquam viliore precio in macello vendatur: similiter phasiani, perdices utriusque generis, otides, lagopodesque, & diversorum generum gallinæ sylvestres, non pauciores quàm in Lepontiis & Rhetis capiuntur. In vallibus & montibus mediis præstantissima pascua habent ac magna boum armenta alunt: ita ut quotannis hinc non exigua copia boum in Italiam abducatur. Ad Rhodanum equorum sunt pascua, porcos alunt paucos, eosque aliunde emptos: muli etiam & asini illis non desunt: in mediis montium pascuis, sed arduis, & quo boves ob loci acclivitatem pervenire non possunt, oves pascuntur: in sylvis vero quæ boum & ovium pascuis adjacent, capræ nutriuntur. Itaque butyri & lactis & casei magna apud eos est abundantia, ut & apud Helvetios. Atque apud ipsos præstantes casei ex lacte modò emulso & calenti, absque ullo igne parantur. Rhodanus cum aliorum piscium varia genera, tum qui inter fluviatiles non postremam laudem obtinent, Truttas multas & ingentes 29, & 30 pondo alit. Calidæ quoque aquæ duobus locis scaturiunt, quas ad varios morbos Medici, & magis etiam vulgus hominum commendant.

Animalia. Feræ.

Homines hujus regionis sunt corpore firmo & ad labores apto, colore plerumque subfusco, ut qui se agro colendo in Sole quotidie exerceant: multis strumæ nascuntur, quod quidem plerique aquarum vitio fieri existimant: Munstero tamen hæc ratio non probatur, eo quod opulenti, qui rarissime aquam bibant, non minus cæteris strumosi sint: sed hoc infirmum plane argumentum est, quasi nullus sit aquarum nisi in potu usus, & non etiam panis & plerique cibi quibus quotidie utimur, aqua misceantur, aut coquantur. Idem tamen scribit, Stiriæ populos strumosos esse, atque incolas causam ejus rei aquæ atque aëri quibus vescantur, tribuere. Atque idem sentit Georgius Agricola: Aquæ, inquit, quæ infectæ sunt venis auri, argenti, plumbi, stibii, nervos duros efficere, contrahere, tendere, similiter artus pituita replere & inflare solent. Ex ipsis vero aliquæ gutturosos efficiunt: ut in Norico supra Iuvavium nobile oppidum, quod hodie Salzeburgum nominamus; atque in Alpibus duobus in locis in Cillera valle, quæ distat ab Oeno ad octavum lapidem, meridiem versus, ejus vallis incolas & habitatores nationem Medullorum Vitruvius videtur vocasse: & in Sundera valle, quæ abest à Curia oppido Rhetiæ, circiter duodecim millia passuum. Vbi præterea fons est cujus aquæ potæ adeo lædunt cerebrum, ut stolidos faciant; atque etiam in Italia Equiculis guttur intumescit aquarum, quas bibunt, vitio. Hæc ille. In agro Tigurino ad Turum fluvium, proxime qua Rhenum ingreditur in villa Flaach nomine, fons est qui bibentes gutturosos efficit, ideoque strumarum fons nuncupatur. Ac quod Vallesianos spectat, in quibusdam pagis complures gutturosi inveniuntur, in aliis prorsus nulli, in quibusdam pauci admodum. Alium quoque pagum illic esse authores fide digni referunt, in quo plures claudicent, quum in proximo pago nemo tali vitio laboret. Item pagum esse in quo plures fatui homines inveniantur, quos ipsi *gouchen* vocant, qui vix homines nominari merentur, bestiis similes, ut qui nullo cibo humano utantur: se enim vidisse qui stercore equino uteretur, alium qui fœno, alios qui nudi tota hyeme incederent, & varia hujusmodi monstra: quorum causa in occulto latet. Constat tamen illic primam esse gratulationem quæ enixis affertur, quod naturarum expertæ illis dicere & gratulari solent, quod infans non sit fatuus: *Gott sy gelobt, das kind wirdt kein gouch werden.*

Hominum habitus & mores.

Vallesiæ divisio

Vestibus vulgo ex crassa & rudi lana utuntur, & in hac re rustica plebs Helvetiorum populo minus sumptuosa est. Ædificia pleraque ex ligno, latice potissimum extructa sunt, quæ & tempestates fert, & vetustate duritiam & nigredinem acquirit, ut hebenum Æthiopicam imitari videatur: ædificia ipsa pro captu hominum satis affabre extructa sunt: tecta ex fissili lapide fiunt, idque ad incendia arcenda. In oppidis, & celebrioribus vicis qui oppidorum more extructi sunt, plurimæ domus muratæ extant, additis turribus & murorum pinnis eleganter in modum arcium extructæ. Victus talis est, qui & vestitui & habitationi, & hominibus rustico labori deditis conveniat. Nobiliores tamen splendide vestiuntur, & argento, auroque ornantur, nec minus in victu omnibus delitiis abundant. Agriculturæ potissimum student, sed qui supremam vallem incolunt, Viberi, pastioni maxime operam dant, quod regio eorum frigidior, neque vites ferat, neque tam felix frumento sit ut altera: cæteri & vineas & fru-

Respublica.

& frumentarios agros colunt. Mercaturas non magnas faciunt, ſed res quibus abundant, exportant, & neceſſarias domum reportant. At vero omnes bellicoſi ſunt & amantes libertatis, itaque & frequentia bella pro libertate tuenda geſſerunt, & monumenta horum tota regione dirutæ arces, & murorum ruinæ viſuntur. Literarum ſtudia ab illis magni fiunt, itaque & nobiles homines ſuos liberos frequenter ad exteras gentes ſtudiorum cauſa mittunt, & ſæpe etiam tenuiores magna animi conſtantia, ne in ſumma quidem paupertate & victu oſtiatim emendicato literarum ſtudia abjiciunt, ſperantes ſeſe ſi aliquam eruditionem conſequantur, domi & in eccleſia & in republica honores & dignitates poſſe adipiſci. Lingua utuntur partim Germanica in ſuperiori, partim Sabaudica, quam Romanam illi vocant, in inferiori.

Valleſiæ diviſio.

Vallis univerſa in duas partes dividitur, Valleſiam ſuperiorem ab ortu Rhodani uſque ad Morſiam fluvium, qui infra Sedunum Rhodano miſcetur, hanc olim Viberi & Seduni incoluere: & Valleſiam inferiorem à Morſia ad Agaunum, quæ loca Veragri tenuerunt. Superior regio in ſeptem partes diſtincta eſt, quas ipſi Deſenas, & Germanicè *Zenden* nominant: quod nomen unde deductum ſit ignoro: nam à decumis aut denario non poteſt derivari, cum tantum ſeptem Deſenæ ſint: viri docti quidam exiſtimant idem eſſe quod διοίκησις; ſingulæ enim Deſenæ ſuam διοίκησιν ſive juriſdictionem habent, ſingularem rempublicam & peculiaria privilegia: nos deinceps Deſenas Latine non male ut arbitror Conventus nominabimus. Septem igitur ſunt Valleſiæ ſuperioris Conventus, Gomeſianus, Brigianus, Veſpianus, Raronius, Leucianus, Siderianus & Sedunenſis. Porrò Conventus univerſi eccleſias ſeu parochias habent XXX. Inferioris Valleſiæ ſex ſunt Conventus, quos ipſi nominant Signa militaria, *Baner*, eo quod ſinguli propriis vexillis utuntur: eccleſiæ XXIV.

Reſpublica.

Veragri ſive Valleſiani inferiores diu olim cum Sedunis & Viberis bella geſſerunt, & tandem nonaginta duobus ab hinc annis victi eorum imperium ſubierunt: arces munitæ numero ſedecim ab his diſtructæ ſunt, quarum rudera hodie cernuntur, neque enim eaſdem reſtituere licet, ne libertati eorum inde periculum creetur: itaque nunc Viberi & Seduni Veragris imperant, & illis præfectos mittunt, qui jus dicant, & rempublicam adminiſtrent. Princeps vero totius regionis eſt Epiſcopus Sedunenſis, qui Comes & præfectus Valleſiæ nuncupatur: hunc ſuffragiis communibus deligunt Canonici Collegii Sedunenſis, & legati ſeptem Decumarum ſuperioris Valleſiæ. Proximum ab Epiſcopo locum tenet quem illi regionis ducem ſeu capitaneum, & Gallica voce Balivum, vulgo *deß landts hauptman*, nuncupant; hunc juris præfectum nos nominare poſſemus, quando ad illum cauſæ civiles deferuntur: præeſt hic biennio, & ab Epiſcopo & legatis Decumarum liberis ſuffragiis deligitur, atque deinde publica approbatione ſingulorum conventuum confirmatur. Singuli quoque Conventus ſummum Magiſtratum habent, quem Gomeſanii, Raronii, & Leucenſes Majorem, cæteri Caſtellanum nominant: hic cum ſui Conventus Senatu quaſvis cauſas etiam capitales judicat. præterea Ammanos (quo nomine Helvetici quidam pagi ſummum Magiſtratum appellant) ſed hi apud Valleſios ſunt ſub imperio Majorum. Ab omnibus Conventibus ad ſenatum Valleſiæ provocare licet. Nomino hic ſenatum, quem vulgo vocant *des landts raadt:* hic more majorum quotannis bis convocatur, Majo & Decembri menſibus, quo tempore ex ſingulis pagis bini, & nonnunquam terni legati conveniunt, idque Seduni in caſtro Majoriæ. Senatui intereſt Epiſcopus, ſententias rogat Balivus: ac ab his de republica conſilia tractantur, eliguntur gubernatores & qui publica officia adminiſtrant, & ſummum jus dicitur, à quo provocare ad aliud tribunal non licet.

Fœdera.

Fœdere conjuncti ſunt Valleſii Helvetiis. ac primum Friderico II. Imperatore anno 1250, cum Bernatibus fœdus in decennium fecerunt, neque ullum hoc antiquius fœdus habent. Multis deinde poſt annis bello inter Valleſios & Guilhelmum Epiſcopum è Raronia familia exorto, quinque Conventus fœdus cum Lucernatibus, Vraniis & Subſilvanis fecerunt, ut utrinque cives & quaſi ejuſdem regionis cenſerentur: factum eſt hoc fœdus anno ſalutis 1417. Anno autem poſtquam hæc geſta fuere 31, cum Bernatibus novum fœdus ab omnibus Decumis initum eſt. Mox anno 1473, fœdus & ſocietas perpetua ſancita eſt inter ſeptem Conventus Valleſiæ, & tres ante nominatos pagos Helvetiorum: & poſt biennium cum Bernatibus etiam perpetuum fœdus ſanciverunt, ut adverſus quoſvis hoſtes ſibi mutuo auxilio ſint. Poſtremo 1533 anno Epiſcopus & Conventus Valleſianorum fœdus cum tribus pagis renovarunt, & eidem quatuor alios pagos adſcripſerunt, Suitiam, Tugium, Friburgum, & Solodorum.

Matza.

Non poſſum hoc loco præterire Matzam Valleſianorum, ſingularem quidem hujus populi conſuetudinem, quæ forte Scythica alicui videri poſſit, vulgo nominant *einem die matzen bringen*, hoc eſt Matzam alicui adferre: id non diſſimile eſt Scythicæ conſuetudini ſedendi in tergore bovis, quam Lucianus in Toxari deſcribit. Apud Scythas enim ſi quis à potentiore læſus, & ulciſci ſe volens, pugnæ par non eſſet, bove immolato carnes fru-

frustillatim concisas assabat: dehinc ipse porrecto humi corio, in eo sedebat, in tergum reductis manibus vinctorum more. Appositis autem bovis carnibus adeuntium quicunque voluisset partem sibi sumebat, ac dextro pede tergum bovis calcans, pro facultate auxilium pollicebatur: colligebatur autem hoc modo in tergo bovis ingens nonnunquam exercitus, & qui certissima fide cohæreret, hostibusque expugnatu difficilimus esset: non aliter quam si jurejurando esset adactus. Nam in tergum ascendisse instar jurisjurandi illis erat. Similis est Matzæ ratio apud Vallesios, etenim si quis in rempublicam Vallesiorum videatur peccasse, potentior tamen sit quam ut privatis adversus eum jure agere liceat, tum qui patriæ injurias persequi volunt, & nonnunquam etiam turbulenti homines qui tumultibus gaudent, Matzam instituunt, & ad hunc deferunt. Est autem Matza signum conspirationis, idque non unius formæ, nam olim dicitur ingens tantum clava lignea fuisse; huic clavum infigebant quicunque voluissent conspirationis socii esse, & publicas injurias ulcisci. Postea Matzam fecere larvam quæ aliquo modo humanam faciem referret, eam radicibus arborum & vitium inter se implexis cinxerunt. Nonnunquam absque larva tantum ex radicibus arboris contexitur, quas tamen ita artificiose connectunt & complicant, ut quandam imaginem faciei humanæ eminus intuentibus repræsentet, hanc militari more pennis caponum & gallorum gallinaceorum ornant. Solent autem plerunque ex betula arbore Matzam conficere, hanc adhuc teneram inflectunt, & in circulum complicant, seu flexile ejus cacumen in nodum constringunt, inserta illi pertica, eam deinde tamdiu in gyrum torquent, donec arbusculam ipsam radicibus evellant: indicantes hoc facto se malum è patria radicitus extirpaturos esse. Hujusmodi igitur arborem tenellam Matzæ annectunt, & qui authores hujus rei sunt, clam & plerunque noctu Matzam betula alligant arbori alicui, aut etiam sepi, qua maxima hominum frequentia iter facere solet. Mane facto prætereuntes inspecta Matza, inscii forte hujus rei obstupescunt, & illic consistunt visuri rerum eventum: his se adjungunt tragœdiæ authores, & se mirari simulant quid sibi Matza velit, tandem aliquis audacior cæteris prosilit & Matzam solvit: tacitus interim neque quidquam deinceps loquitur, verum Matzam in campum aut pratum aliquod defert, hunc cæteri sequuntur, atque illum in orbem circumsistunt, ac tum ex horum numero aliquis Matzam alloquitur, & quid sibi velit, vel quid illi doleat interrogat, quoniam vero Matziger silet ac mutus videtur, suadet alius ut Matzæ detur advocatus seu procurator qui ejus causam agat, itaque ex omni numero plerunque cæteris facundior, sed factiosus, & cui voluptati sint hujusmodi motus, ad hoc officium deligitur. Is simulans se omnium consiliorum ignarum, hæret, & dubitat ob quam causam Matza in publicum prodierit, ac varias causas comminiscitur, quas Matza, hoc est is qui Matzam fert, attente audit, ac tandem ubi veram protulerit murmurando annuit, & præ gaudio exultat. Tum advocatus populum astantem hortatur, quoniam Matzæ querelam cognoverint, deinceps consultent quid faciendum sit. Hoc idem Matzifer supplici gestu rogat. Tum advocatus singulorum, aut saltem eorum qui seditiosæ plebis duces sunt, sententias rogat. Hi vero nulla pacis mentione facta, in eo consentiunt omnes, Matzæ auxilium ferendum esse, ac veteres consuetudines & libertatem populi defendendam, idque reliquis conventibus indicandum. Neque hic ullo legato opus est, nam mox fama hujus rei per totam regionem volat. Dies jus prosequendi decernitur. Interim qui sibi timent, aut vi, aut consilio, aut largitionibus tumultum populi sedant: quod si id neglexerint, tunc Matza à furiosa plebe ad ejus ædes defertur quem injuriarum agunt, has illi quibus aliorum bona diripere volupe est, invadunt & occupant, quicquid invenerint absumunt & deprædantur. Ac sæpe ingens hominum multitudo, non tam ad publicas injurias ulciscendas, & defendendam patriæ libertatem, quam ad spem prædæ confluere solet. Ferunt Matzam hanc primum inventam & usurpatam, cum plebs duro imperio Guilhelmi Episcopi, & parentis illius Guiscardi Raronii premeretur: circa tempora Concilii Constantiensis. Nostra ætate communi incolarum consensu, Helvetiis præcipue auctoribus, Matzæ usus non quidem forte prorsus abolitus, sed tamen aliquo modo sepultus est. Periculum enim erat, ne quod aliquando factum fuerat, opulentis sed innoxiis viris, Matza à turbulentis & seditiosis hominibus adferretur, tantum diripiendarum opum gratia. Itaque rectius statuerunt jure potius agendum esse, & in eos qui rempublicam læserint, legibus agendum, potius quam tumultu hoc barbaro & Scythico puniendos.

VIBERI,

Gomesianorum Conventus.

Populos qui ad ortum Rhodani incolunt Viberos supra nominavimus, Plinium secuti, qui libro 3, cap. 20, ita scribit: Lepontiorum qui Viberi vocantur fontem Rhodani accolunt. Nonnulli tamen existimant Viberos esse quos hodie Vrsarios seu Vrsellanos nominamus, qui ad fontem Vrsæ fluvii,

fluvii, quem Rusam vulgus nominat, habitant, hos autem volunt dici fontem Rhodani accolere, quoniam ab adversa parte Furculæ montis, è quo Rhodanus oritur, supremas valles Vraniorum habitant: Cæsarem etiam ajunt Sedunos collocare ad ortum Rhodani, cum scribit, Nantuates, Veragros & Sedunos ad summas Alpes usque incolere: volunt enim summas Alpes penes Lepontios esse montem Gothardi, cujus ramus aut promontorium est mons Furcula. Verum ego horum sententiæ non possum assentiri, video enim eos alibi plerunque dici ad fontes fluminum habitare, qui proximas valles fontibus fluminum incolunt, non autem qui ab adversa fontium parte habitant. Porrò alibi ostendimus Cæsarem nomine summarum Alpium non intelligere Lepontias Alpes, sed τὰ ἄκρα τῶν ἀλπίων: aut si hoc nomen sit alicui Alpium parti tribuendum, id convenire Pennino, & proximis inde montibus ad fontem usque Rhodani. Præterea cum plures Rhodani fontes demonstrentur, ut mox ostendemus, Gomesiani ad hos omnes incolunt, Vrsarii nequaquam, quare omnino hos Viberos nominandos censeo, aut Iuberos. Nam Viberorum (quod ego norim) nemo veterum præter Plinium meminit, apud hunc vero uno loco Viberi, & alio loco ubi Augusti trophæum ponit, Iuberi nominantur: quo loco Sigismundus Gelenius, quem honoris causa nomino; Viberorum nomen reposuit. Sed sunt qui alterum retinere malint, & Gelenium virum alioqui doctum & diligentem, nonnunquam in emendando Plinio nimium suis conjecturis tribuisse censent, ob quas ipsi nolint à veteri lectione recedere. Nam exempli gratia ab eodem lib. 4. cap. 5. pro eo quod vetus editio habebat, Dorion Thamyræ vatis clara temporibus, ab eo repositam aliam lectionem, Dorion, Zancle variis clara temporibus: cum tamen vetus lectio Strabonis & Lucani auctoritate confirmetur: similiter lib. 5. cap. 32. Azari portum commutatum in Amyci portum, quamvis prior lectio cum Strabone consentiat. Cum igitur rationem non afferat cur Iuberorum nomen expungendum sit, se non posse illi assentiri ajunt, sed alterum potius immutandum censere, cum hujus vestigia adhuc iisdem locis extent. Nam si Munstero fides habenda est, Furca mons è quo Rhodanus oritur, idem Coatius & Vrsellus atque Iuberus nominatus est: hodie quoque mons huic vicinus è quo fluvius Elmius oritur, quem quidam Rhodani fontem faciunt, Iubet nominatur, & hic ni fallor is est quem Paulus Iovius alicubi Iovet tum appellat. Solent autem proximæ valles & populi, nonnunquam à montibus vicinis nomina accipere, aut sua illis imponere, ita namque in proximis Alpibus à Pœnino monte vallis Pœnina nomen accepit: & Alpes quibus à Briga ex Vallesiis in Italiam proxime descenditur, Itali vulgo montem Brigæ vocant, quo nomine etiam Reimundus Marlianus utitur. Iuberi igitur seu Viberi supremam Vallesiæ partem tenent, quorum nomine si quis Vrsarios quoque comprehendi censeat, quando sæpe idem populus ab utraque parte alicujus montis habitat, non valde repugnarim: sed hi qui in Vallesia habitant Viberi, duos habent Conventus Vallesianorum, quorum superior & fontibus Rhodani proximus ipsorum dialecto *Consenches*, Germanis *Gomser-zenden* nominatur: nos hosce Gomesianos vocavimus, secuti viros doctos qui eodem nomine ante nos usi sunt: alter à Briga vico Brigianus nominatur, servans vestigium quoddam prisci nominis, *Briger* vulgo quasi Viberigus dictus. Gomesianos igitur à Lepontiis Vrsariis altissimæ Alpes dividunt, eas Furcam nominant, quoniam duobus quasi bifurcatis jugis in altum assurgunt.

Fontes Rhodani.

Ex monte Furca Rhodanus oritur. Strabo Rhodanum oriri scribit supra Antuates & Veragros, à cujus fontibus non longe absint Rheni fontes, & mons Adulas. Polybius, Rhodanus, inquit, tribus fontibus surgit, supra maris Adriatici intimum sinum. Plinius, Rhodanum ex Alpibus oriri tradit: item Silius,

Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali
Prosilit.

Solinus quoque idem scribit, & addit eum primo per Helvetios ruere. Pomponius Mela, Rhodanus, inquit, non longe ab Istri Rhenique fontibus surgit. Idem scribit Plutarchus in Annibalis vita. Ammianus Rhodanum ait à Penninis Alpibus effusiore copia fontium fluere. Appianus primo de bellis civilibus scribit, Eridani & Rhodani fontes modicis jugis distare. Sebastianus Munsterus & Ioannes Stumpfius nostræ ætatis scriptores, tradunt Rhodanum in Furca monte ad occasum oriri, non vena aliqua aut fonte è terra scaturiente, sed ex nivibus & glacie inveterata, quæ nunquam prorsus solvitur, attamen liquescit & aquam effundit, & quamvis inferiore ejusdem montis parte magnus fons scaturiat, tamen hunc uti altiorem merito Rhodani fontem censeri. Horum sententiam confirmat Silius, scribens rupe nivali Rhodanum prosilire. Contra multi ex Vallesiis limpidissimum fontem in loco meridionali è terra scaturientem, pro Rhodani fonte demonstrant, prope quem pascuæ Alpes sunt, in quibus æstate ingens utriusque pecoris numerus alitur: illum autem fluviolum ex perpetua glacie ortum, qui non longe à fontibus priori miscetur, ipsi Rhodani nomine non dignantur. Cæterum intra primum milliare à fontibus, Elmius fluvius ex Agerana valle Septentrionem versus profluens, Rhodanum

Helvetia.   V   auget.

auget. Ad omnes hos fontes respexit Polybius, qui Rhodanum tribus fontibus oriri scribit. Porro qui Rhodani fontes Rheni fontibus vicinos esse ajunt, non errant, nam inter Furcam ex quo Rhodanus fluit, & Crispaltum, qui Rhenum anteriorem fundit, duntaxat altissimum jugum Gothardi montis intermedium est, cujus duo alii montes quasi brachia quædam & promontoria esse videntur. Sed Danubii fontes aliquot dierum itinere à Rhodani fontibus distant, sicut & Eridani fontes qui è Vesulo fluit, inter quem & Furcam Penninæ & Grajæ Alpes & Cottiæ intermediæ sunt. Quare non bene videntur horum fontes vicinos dixisse, Appianus, Mela & Plutarchus, & qui ex recentioribus hos secuti sunt, ut Marlianus, Dominicus Niger, & nonnulli alii. Ammianus, qui Rhodanum ex Penninis Alpibus fluere scribit, ita forte defendi potest, quod hoc nomine censeantur omnia illa Alpium juga in Vallesia, quæ à Summo Pennino ad Lepontios usque porriguntur. Vadianus autem vir alioqui doctissimus, hunc secutus à vero aberravit, scribens Rhodanum apud Salassos in agro Sedunensi ad eas Alpes, quas hodie sancti Bernardi cognominant, caput tollere. Nam Salassi primum alii sunt à Vallesianis apud quos Rhodanus oritur, apud illos vero Durias: deinde non oritur è monte S. Bernardi quod est summum Pennini jugum, sed è Furca monte qui ad LXXX. M. P. à monte S. Bernardi distat: fluvius quidem Dransa Octodorum præterlabens è Pœnino oritur, & in Rhodanum fluit, sed nemo propterea illic fontes Rhodani statuit, quando etiam alii fluvii ex Alpibus Vallesianorum in eundem defluunt. Paulus Iovius ab Iovis jugo Sesithem amnem fluere scribit, & contraria parte Rhodani fontes existere. Verum amnis cujus fontes ex adversa parte Sesithis existunt, non Rhodanus est sed Vispa fluvius qui infra Vespianum vicum Rhodanum influit. Ex adversa autem parte fontium Rhodani in lacum Verbanum ex iisdem fere alpibus defluunt Ticinus, Media & Athiso. Sunt ergo veri fontes Rhodani, quos Gomesiani in suis Alpibus Furcæ montis demonstrant, sive unum aut duos vel etiam tres fontes, Rhodani fontium nomine nobilitare libeat. Fluvium vero Rhodanum Galliarum multo fertilissimum nominat Plinius: & eundem inter tres maximos Europæ fluvios computari tradit Solinus, Varronem ut arbitror secutus, qui idem affirmat apud A. Gellium. Nomen fluvio impositum censet Plinius à Rhoda oppido Rhodiorum in provincia Narbonensi: Valesiani & Germani *Rodden* vulgo fluvium nuncupant, ut dubitem de Græca nominis origine: Galli *Rhosne* vocant. Fluit Rhodanus per totam fere Vallesiam recta versus occasum, nisi quod infra Octodorum aliquantum cursum suum versus septentrionem inflectit: atque brevi propter plurimos alpinos fluvios, quorum præcipuos suo loco nominabimus, adeo excrescit, ut magnis quoque navibus ferendis par sit, nisi saxa ingentia & rupes per quas præcipitatur, navigationi obstarent: Nonnunquam auctus alpinis torrentibus plurimum damni dat incolis, ni magis aggeribus coërceatur, ne extra suas ripas erumpat, quos tamen nonnunquam rumpere, & agros proximos inundare, imo secum auferre solet: unde quidam potius à rodendo, quam à Rhoda urbe nominatum dixere. Itaque recte Solinus Rhodanum ex alpibus præcipitatum ruere scribit, occursantium aquarum agmina secum trahentem. Et Silius:

Aggeribus caput Alpinis & rupe nivali
Prosilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos.

Egressus autem Vallesiam Rhodanus, per Antuatum Helvetiorum agrum fluit: itaque recte scribitur à Solino, eum per Helvetios ruere, quanquam non primo, ut ipse scribit, hac fluat, cum antea per Viberos, Sedunos & Veragros ruat, atque circiter XX. M. P. infra Agaunum extremum Veragrorum oppidum lacu Lemano excipitur, qui ejus impetum mitigat: accidit autem hoc plerisque Alpinis amnibus, ut magno impetu à fontibus ruentes in lacus deinde incidant, qui eorum vehementiam mitigant: sic Abduam Larius, Ticinum & Athisonem Verbanus, Mintium Benacus, Rhenum Acromus, Vrsam Lucernanus lacus, Arolam Brientius & Thunius, ac Limagum Tigurinus lacus excipit. Ac referunt Polybius, Mela & Ammianus, Rhodanum etiam in ipso Lemano suum impetum retinere, seque per medium lacum integrum agere, tantumque egredi quantus venerit. Inde contra occidentem ablatus Gallias aliquandiu dirimit, ac Ararim leniter fluentem prope Lugdunum suscipiens, deinde non minores seipso torrentes Isaram & Druentiam, & complures ignobiliores fluvios, cursu versus meridiem converso tandem in Sardoum pelagus influit. Atque hic est Rhodani totius cursus, quo nunc omisso ad Viberos & Rhodani fontem revertemur.

Furca mons. Initium igitur & caput Vallesiæ est mons Furca, è quo Rhodanus oritur, qui etiam limes est inter ipsos & Vranios. Mons ipse non inhabitatur, sed ut Silius scripsit,

Nullum ver usquam, nullique æstatis honores,
Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur
Perpetuas, deformis hyems.

Cæterum ad radices montis, intra primum milliare à fontibus Rhodani, vallis proxima incoli-

colitur ab his, qui mitiora Furcæ juga pecoribus suis depascuntur: ac duo illic viculi occurrunt *Vnderwasen* unus, alter *Oberwald* (hoc est superior silva) vernacula lingua dicti. Inde ad meridiem mediocris vallis inter montes se aperit, quam Ageranam vocant, hæc Elmium fluvium Rhodano augendo effundit. Paruit olim vallis ista nobilibus de Arna, seu (ut incolæ nominant) Aragno inferiore, hi merum mixtumque hujus loci imperium habuere, sed opibus eorum nescio quomodo imminutis, incolis sua jura & privilegia vendiderunt, quibus illi nunc quoque fruuntur, & sibi proprios judices eligunt & confirmant, quos Ammanos vocant. Itinere deinde circiter horæ unius ab influxu Elmii in Rhodanum, circiter VIII. M. P. à fontibus Rhodani, ad dextram fluvii & radices Grimsulæ montis, pagus occurrit, ecclesiam parrochialem habens; hunc incolæ Castellionem superiorem vocant, Germani Gestilam. Grimsula mons, cui Castellio adjacet, continuus est Furcæ, & uterque Lepontinarum Alpium pars censetur. Dividit autem Grimsula Helveticam vallem Haselam à Vallesiis, & ab ea parte sunt Arolæ fluminis fontes: iter per hunc montem ad Helvetios asperum est & admodum arduum, vix enim quatuor aut quinque horis mons superari potest. Crystalli in hoc monte & aliis quam pluribus effodiuntur. Duobus vero millibus passuum infra Castellionem, ad eandem Rhodani ripam alter pagus jacet Vlrica nomine. Iuxta hunc olim Berchtoldus Zeringiorum dux à Vallesianis prælio victus fuit: & post priorem pugnam ducentis ferè annis denuo ab eis eodem loco cum Bernensibus pugnatum est: in utriusque pugnæ memoriam cruces ligneæ ab incolis erectæ sunt anno 1419. quæ nupera quoque ætate in illo campo extiterunt. Infra Vlricam itinere horæ unius, in longe amœnissimis pratis, qualia vix alibi in tam vastis & pene desertis locis invenias, ad dexteram Rhodani non inelegans vicus extructus est, quem Monasterium nominant. Ad lævam Rhodani è regione ferè Vlricæ, quondam cœnobium monacharum erat, quod nunc ob loci asperitatem, & annonæ inopiam desertum est. Versus meridiem inter montes, vallis Eginia per 8000 ferè passuum seu milliare Germanicum extenditur: ex hac valle duo itinera ad Insubres patent, unum per montem Nifium in vallem Lepontinam Bellinzonam, alterum per Griessum montem in Antigoriam vallem Bonmatum ducit. Nomen hujus montis Gries, quosdam videtur movisse ut Alpes Graias apud Sedunos ponerent: in qua sententia videtur fuisse Antonius Salamanca, qui non tantum Bernardi minoris montem Alpes Graias vocat, sed alterum quoque Vallesianorum montem Sempronio proximum, non tamen Griessum, idque in Helvetiæ tabula Romæ edita. Ex Eginia valle fluvius ejusdem nominis ortus, ubi in Rhodanum influxit, eum ad justam fluvii magnitudinem auget: nam & à Septentrione per supra nominatos viculos non pauci ignobiles rivuli in eundem fluvium se exonerant. Ad Rhodani septentrionalem ripam, vici complures in campis amœnis & fertilissimis extructi sunt, Recingium, Glurina, Ritzicium, Biella, Walda, qui omnes fluviolis quibusdam rigantur. His aliquando imperavit Domina de Graniola, sed incolæ progressu temporis ab ejus dominio exempti sunt: regio nomen Comitatus retinet, ipsi legibus & statutis Vallesianorum tenentur, habent tamen proprios judices in causis civilibus; cæterum criminales causas Gomesaniæ decumæ (cui attributæ sunt) judex Arnæ cognoscit. Proxime hos vicos ponte lapideo Rhodanus transitur, ac ab eo latere est vicus quem Mulibachum, quasi molarum rivum dicas, nominant, patria Matthæi Cardinalis Sedunensis, viri per totum orbem celeberrimi. Habuit Mulibachum nobiles ejusdem nominis, quorum familia interiit, insignia duntaxat supersunt, Nicolaus Mullibachus vixit anno 1309. Arna incolis Aragnum, vicus ingens & Gomesianorum caput, hoc loco situs est, 8000 passuum infra Monasterium, ædificia habet non inelegantia, & quasdam domus muratas & lapide fissili tectas, superior enim regio non nisi è ligno ædificia habet, tecta è larignis scandulis. Hoc in loco Curiam Gomesanii habent, & causas capitales cognoscunt. Arnâ oriundus fuit Waltherus Supersaxo Episcopus, qui Veragros hactenus à Sabaudo Episcopatui ademptos recuperavit, anno 1475. Fluvius deinde Binna infra Arnam Rhodano miscetur, Gomesaniorum hac parte limes: oritur hic in monte Albrunio, per quem iter est in vallem Antigoriam, in valle quam quidam Longam, alii Bindulum interius vocant, ac per vallem à se denominatam cursu continuato, quindecim millia passuum à fonte suo in Rhodanum mergitur. E regione Arnæ ad dextram fluvii ripam, qua is ponte jungitur, vicus est Viescha cum valle ejusdem nominis, 6000 passuum longitudine, per quam etiam fluviolus è glacie inveterata emergens Rhodanum influit. Iuxta hunc cœnobium quondam fuit sacrarum virginum, nunc desertum: reditus ejus à Matthæo Cardinali Arnensi ecclesiæ attributi sunt. Inferius ad alterum Rhodani pontem viculus est Laxa nomine, Gomesaniorum terminus ab altera fluminis parte.

Infra Laxam vicum montibus in unum pene coëuntibus vallis admodum coarctatur, ac tantum angustæ fauces Rhodano defluenti relictæ sunt: promontorium quod à Septentrione ad Rhodanum usque percurrit, in antiquis

tiquis diplomatibus à monte Dei ſuperius nominatur, Germanice *uff Deiſch*. Hic mons Gomeſianos à Morgianis dividit: regio namque non ita magna ab hoc monte ad fluvium Maſſam Morgiana nominatur: hæc propriam juriſdictionem & merum imperium habet, attamen attributa eſt Conventui Raronio, ejuſque pars tertia cenſetur. Duo ſunt hujus regionis celebriores vici: Graniola primum, quæ ad ſiniſtram fluminis jacet in rupe celſa, prope fauces Bynniæ vallis, ac ponte hinc Laxam itur, unico fornice ab una rupe ad alteram ducto, tanta eſt vallis anguſtia. Habuit autem olim Graniola peculiares dominos, qui an iidem cum Morgianis fuerint, ignoro: his, ut ſupra diximus, paruerunt vici aliquot ſuperiores ad Rhodanum, qui adhuc nomen Comitatus Graniolani ſervant. Morgia alter vicus, à quo regio hæc nomen habet, à Germanis *Moril* nominatur, & ab altera & dextera parte Rhodani ſitus eſt in medio regionis, itinere duarum horarum infra Arnam: hic quoque Rhodanus ponte jungitur. Supra Morgiam ad Rhodanum prata ſunt & paſcua amœna, atque non paucæ domus, ſimiliter in vicino monte Bitta & alii viculi occurrunt, & ſupra hos altiſſimus mons ab Antonio nomen habens. Apud Morgianos primum vites proveniunt. Nam Gomeſania regio propter frigus nullas fert: Morgiana tamen vina acerbiora ſunt, neque regio hac parte inferioribus locis Raroniis & Sedunis & Veragris conferri poteſt.

Iuxta Morgiam verſus ſeptentrionem, in altiſſima petra quondam arx fuit Mangepana, Baronum Morgianorum ſedes: hos in incolas tyrannidem exercentes Petrus Sabaudiæ comes, incolis juvantibus, bello aggreſſus vicit, arcemque eorum deſtruxit, cujus nunc exiguæ ruinæ ſuperſunt. Baronum inſignia nunc quoque Morgiani ſervant, nigrum bubuli caput, è cujus naribus ariſtæ duæ exeunt. Crediderim Barones Morgianos familiæ Raroniæ affinitate aut propinquitate aliqua conjunctos, atque hos eorum hæredes fuiſſe: ideoque nunc Raroniæ decumæ Morgianos adnumerari. Præterea Dirreberga arx in eadem regione fuit, quæ forte eodem tempore diruta eſt: mons adhuc arcis nomen ſervat. Maſſa fluvius, qui Morgianos à Brigianis dividit, ex Aletſchianis montibus oritur, & per ejuſdem nominis vallem fluit, æſtate liqueſcentibus nivibus excreſcit, & turbidus ac impetuoſus fertur, ſicuti omnes ferè hujus regionis fluvii, ſic ut vado tranſiri commode non poſſit, verum ponte lapideo prope exitum jungitur.

BRIGIANVS CONVENTVS.

Secundus Conventus ab inſignioribus pagis Briga & Nateris nomen habet: frequentius tamen à priore denominatur. Cæterum quàm populoſus & frequens ſit, ex eo colligimus, quod anno 1465, peſte per Valleſiam graſſante, ex Brigianis & Naterianis ſupra mille, & quadriennio poſt 1400 homines perierunt. Nateræ autem vicus milliari non magno à Morgia diſtat, ad dexteram Rhodani ripam, loco ſaxoſo, non tamen ſterili, ædificia pleraque lapide extructa ſunt. Prope hunc vicum in edita rupe quadam arx munitiſſima extructa eſt, quæ à ſaxo ſeu rupe nomen habet, domus quondam dominorum à Saxo, Epiſcopo nunc paret. Extat etiam ſupra Nateras non longe à ponte Maſſæ fluminis turris quædam in colle, & ruinæ veteris arcis Wingartæ, quam nobiles olim, quorum familia nunc periit, inhabitarunt. Sunt quoque à ſeptentrione Nateris conjuncti viculi quidam in montibus, eccleſia quæ à loco Montana nominatur, Blattana, & Birgiſcum vici. Infra Nateras pons lapideus duobus fornicibus egregii operis utramque Rhodani ripam jungit, qui eo loco tanto impetu per ſaxa magno cum ſonitu ruit, ut mirum videatur fundamenta aliqua pontis in tanta fluminis rapiditate jaci potuiſſe. Cæſa eſt ad hunc pontem Princeps, ſeu Comitiſſa (ut vocant) Veſpianorum cum filio anno 1365. Ad ſiniſtram fluminis ripam ex adverſo Nateranrum Briga poſita eſt, & paulo infra hanc Gliſa, ita ut tres hi vici triangulum ferè æquilaterum conſtituant. Briga à Viberis nomen habet, quaſi dicas Viberiga, ſeu Vibericus vicus, eſt autem hic vicus ad Saltinam fluvium in oppidi morem extructus, cæteris Valleſianorum vicis elegantior & amœnior: ab Ortu & Meridie montes paſcui imminent, multis viculis inhabitati: & proxime Brigam vetuſtæ arcis rudera apparent, vulgus locum *Hellam*, quaſi Tartarum, aut inferos dicas, nominat. Saltina fluvius oritur in monte Sempronio, & per vallem ejuſdem cum monte nominis, duo milliaria magna ſeu 16. millia paſſuum fluit, ac paulo infra Brigam Rhodanum intrat. Brigiani huic fluvio pontem lapideum, tribus fornicibus extructum (nam nivibus ſolutis late inundat) impoſuere. Per montem Sempronium, quem quidam Scipionis montem vocant, ad Lepontios Tranſalpinos iter eſt, & vetus oppidum Oſcelam. Tradunt quidam Cæſarem per has Alpes duxiſſe exercitum contra Helvetios, atque ejus rei memoriam cotibus inſcripſiſſe, in quibus adhuc cernantur literarum quædam veſtigia.

Sim-

Simlerus existimat quidem Cæsarem hac exercitum in Galliam duxisse, sed hoc non esse illud iter, cujus 1. lib. belli Gallici meminit, alibi ostendit. In monte hoc vicus est Sempronius, cui valles duæ conjunctæ sunt, quarum una Germanicum nomen à situ inter montes habet; alteram Alpiam vocant. In ipsa Sempronia valle Brigiani magnam copiam utriusque pecoris alunt, in Alpibus quas S. Iacobi, & alteram Ganteram nominant. Glisa quæ à Græco nomine ecclesiæ, nomen suum accepit, circiter mille passuum itinere Briga abest, ad sinistram Saltinæ fluvii, vicus exiguus, verum amœnissimo loco situs, & ædificiis optime excultus. Templum hic est D. Virginis, ad quod tota valle multi mortales religionis ergo confluere, & dona afferre solent, quibus ejus templi sacerdotes laute victitant. Vicus hic patria fuit Georgii Suprasaxi, cujus Guicciardinus & Iovius in historiis meminerunt. Georgius Suprasaxus hic vir ingenti animo, corporeque, Italicis bellis magnas opes & bellicæ virtutis eximiam gloriam consecutus, summam domi sibi auctoritatem & potentiam comparavit, ac Gallicas partes secutus adversus Matthæum Sedunensem Episcopum, eundemque Cardinalem graves inimicitias exercuit: atque cum opera Cardinalis Romæ captus, & in Adriani mole carcere inclusus, beneficio Francisci Regis liberatus fuisset, in patriam reversus Cardinalem Vallesia expulit: sed tandem ipse in exilium pulsus, anno 1529, Viviaci ad lacum Lemanum obiit. Ecclesiam D. Virginis Glisæ ampliavit, & eodem loco sacellum & aram dicavit, ac ibidem sibi monumentum paravit, in quo tandem post obitum quiesceret. Extat in hoc sacello tabula, in qua Suprasaxus cum uxore ac filiis duodecim, ac undecim filiabus ad vivum depictus est; res spectatu digna, duorum conjugum tam numerosa & formosa (si pictura non fallit, uti affirmant) proles.

Ex tanto liberorum numero complures adhuc nepotes in Vallesia extant, inter quos non ita pridem Georgius avi nomen referens, vir egregia animi & corporis indole, adhuc vivebat. Non longe infra Glisam murus à Rhodano ad excurrentia juga proximorum montium ductus est; hunc ad hostium vim arcendam quondam extructum fuisse, turres & propugnacula ostendunt, verum à quibus & quando hoc factum sit, ignoratur. Quidam Romanum opus censent, hos cum per Sempronium montem adversus Gallos exercitum ducerent, hunc locum muniisse. Alii existimant Viberos hujus munitionis auctores fuisse, qui contra Sedunorum irruptiones eandem extruxerint. Nam hic terminus Viberorum fuisse censetur, unde & pagus in monte supra Vespiam à Sedunis Termina appellatur: in Sedunis vero multi nobiles olim habitarunt, Vispii, Raronii, Turriani, Leucii, Siderii, Gradecii, aliique plures, quorum dirutæ arces passim visuntur, hos cum vicinis assidua bella gessisse, dum fines proferre student, verisimile est. Verum posteaquam eodem imperio utrique populi reguntur, & arcibus disjectis libertate fruuntur, hic murus neglectui habetur, multisque in locis vetustate fatiscit. Non longe ab hoc muro fluviolus Gamsa ex Alpibus Vespianorum ortus, in Rhodanum evolvitur.

Ex adverso Rhodani latere medio milliari infra Brigam, calidarum aquarum fons mediis in campis scaturit. Aquas Brigianas vel Vibericas vocant: locus ipse amœnus, & planus est, cui à Septentrione montes altissimi & quorum præruptæ rupes recta in altum consurgunt, imminent. Calidarum fons ex imis rupibus scaturit, non magna copia, itaque duo tantum lacus gypso incrustati ad usum lavantium parati sunt, hi quod aqua profundo loco scaturiat, in terram depressi sunt, magno incommodo lavantium, aqua non defluente nisi plenis lacubus. Calida ipsa quo loco primum emicat, vehementer calet, sic tamen ut tacta non lædat: juxta illam, quod mirabile & jucundum visu, ex eadem petra frigidissimæ aquæ rivulus manat. Balneæ sulfureæ sunt, ac plagas, corrosiones, ulcera & scabiem sanant: medentur etiam spasmo, tremori, catarrho: tollunt tinnitum aurium, & sterilitatem fœminarum abolere creduntur. Nocent his qui infirmo capite, aut corpore debili sunt, febrientibus item, & his qui sunt jecore & renibus calidis.

SEDVNI,

Vespianus Conventus.

Sub Glisa Vespianorum Conventus incipit, ad hos pertinent proximæ Alpes versus Meridiem & amplæ in his valles Sassia & Mattia, per has duo fluvii ex Alpibus descendunt, qui in unum confluunt prope Staldam pagum, atque ambo Vispæ nomen habent, veteribus ut arbitror Germanice dicti *Fispach*, quod pisculentum rivum significat: ab hoc fluvio præcipuus pagus & totus hic Conventus nomen accepit. Prior fluvius in valle Sassia duobus fontibus oritur, quorum orientalior est in monte Antrunio, supra Almengallum, alter in monte Martis, quem Fœ Seduni, & Magganam montem Itali vocant: juxta hos fontes duo itinera patent ad Verbanum lacum, per vallem Magginiacam, item Sessitem Novariensis diœceseos. Inter eosdem Sassa pagus positus est, unde valli nomen. In monte autem qui ad Brigianos vergit, Termina pagus est situs: alter deinde mons

pascuus inter Saffiam & Mattiam vallem positus, Grenchiam pagum habet, huic vicinus est Rietbergus mons optimis pascuis abundans. Grenchiæ natus est Thomas Platterus, qui à lata rupe imminente paternis ædibus, quæ illic in perpetuam C L. V. memoriam ostenditur, nomen accepit: hic primum Basileæ typographiam exercuit, & complures bonos auctores eleganter & emendate in publicum edidit: postea ibidem ludum literarium magna cum laude doctrinæ & industriæ aperuit, è quo viri docti quam plurimi prodiere: & quamvis ferè septuagenarius, idem munus pari diligentia obiit. Filius præterea illius Medicinæ Doctor Felix nomine, & revera in morbis curandis & peritus & felix, ea diligentia, & tanto ingenio ac doctrina rem medicam docuit & exercuit, ut non vulgarem sui admirationem apud omnes doctos commoverit. Grenchianus etiam fuit Simon Lithonius patruelis Platteri, qui in Argentinensi Schola dicendi artes una cum utraque lingua Græca & Latina magna cum laude docuit, & juvenis adhuc magno omnium ejus Scholæ Professorum mœrore obiit, anno 1543.

Mattia vallis incipit à monte Sylvio, per hunc iter est ad Salassos & Ajazam vallem, & quam Helvetii vocant *das Kremerthal*, quod hujus incolæ per varias regiones oberrent, merces diversi generis circumferentes: hac via per glaciem inveteratam aliquot millib. passuum iter faciendum est. Ex monte Sylvio, ubi colles sunt Finilæ, Areleitæ, & Moutæ, descendit alter fluvius Vispius millibus passuum triginta quinque supra Vespiam pagum. Iuxta hunc in suprema valle est pagus Matta, quatuor milliaribus supra Vespiam: infra hunc milliari uno vallis alia ad latus dextrum montibus se insinuat, quæ à proximo pago Dæsa aut Tæsta nomen accipit: pari ab hoc spacio distat pagus Gasa, prope quem crystalli pulcherrimæ ex Alpibus effodiuntur: ab hac inferior pars vallis nomen accipit. Milliari uno infra Gasam, duo fluvii prope vicum Staldam confluunt, atque deinde uno flumine sex millia passuum infra eundem sub Vespiano vico in Rhodanum influunt.

Super confluentes Vispæ & Rhodani Vespia vicus habitatur, caput tertii Conventus Vallesianorum: duo hic templa, S. Martino unum, & alterum D. Virgini extructa sunt: supra pagum quondam arx fuit, quæ una cum pago propter amœnitatem arx pulchra Germanico idiomate appellata fuit: postea veteri appellatione abolita, à Vispa fluvio nomen accepit. Hoc loco quondam sedem habuerunt Vespiani Comites, magnæ apud Sedunos auctoritatis & potentiæ: horum familia extincta Blandræ Comites illorum hæreditatem adiere: ex hac familia Blandrana Comitissa Vespianorum, anno 1365, cum filio Antonio ad pontem Rhodani prope Nateras cæsa est: causa & author cædis literarum monumentis non traditur. Arx deinde Vespiana à Petro Sabaudiæ Comite capta & diruta est, forte eodem bello quo Mangepaniam arcem ab eodem dirutam scribunt. Vespiæ Amedeus Sabaudiæ comes, à Gomesaniis Brigianis & Vespianis prælio victus, ad quatuor millia hominum amisit. Habitarunt quondam Vespiæ nobiles familiæ Vlricorum, item Sillinorum, Hengartiorum, seu à Platea, & Vuerriorum, quæ adhuc florent. Neque hi tantum, sed quam plurimi alii nobiles Vespiæ olim habitarunt; ita ut asserant omnes ferè nobilissimas totius Vallesiæ familias, Vespia ortas esse: ac tanta olim nobilium eo loco frequentia fuit, & is fastus, ut haberent proprium templum quo à plebeis discernerentur, cum quibus eisdem sacris ædibus uti, dedecori sibi putabant.

RARONIVS CONVENTVS.

Raronia vicus ad dextram Rhodani ripam 8 millia passuum sub Vespia, caput Raronii Conventus, duo templa habet, S. Romani in edita petra supra vicum, alterum S. Germani, & ipsum extra pagum in plano extructum. Iuxta S. Romani ædem, in eadem rupe turris & ruinæ arcis Raroniæ visuntur. Etenim in his locis olim imperium habuere Barones Raronii, vetus & nobilissima familia. Munsterus tradit Othonum tempore Raronios numeratos inter quatuor Barones imperii, ac alio nomine dominos de Thusis appellatos, id unde habeat, ignoro: posterius nomen Rheticum est, qui Tuscianam vicum, quondam oppidum, ita appellant: sed nulla illic Baronum hujus nominis mentio. Ex hac familia ante annos trecentos Petrus Raronius Sedunorum episcopus fuit: & eundem episcopatum ex hac familia Guilhelmus II, & pòst Guilhelmus III. Guiscardi Raronii hic filius, ille vero frater, administrarunt. Verum bello inter Raronios & Vallesios orto, sedes eorum & arces dirutæ sunt, pace autem facta, Raronii nihilominus extra Vallesiam mansere, quod nollent plebis inconstanti voluntati denuo suam salutem cum vitæ periculo committere. Petrus, aut potius Petromannus, Raronius matre è Toggenburgensium comitum familia natus, post Friderici Comitis postremi obitum, comitatum Toggiorum, adeptus est, quem deinde Vlderico abbati S. Galli vendidit, ipse in monasterio *Rüti* pagi Tigurini mortuus & sepultus est. Hunc nonnulli Guiscardi filium & Guilhelmi tertii fratrem fuisse arbitrantur, est autem

tem hic ultimus è Raroniis, cujus in domesticis historiis mentio fit. Reliquit Petrus Raronius hæredem unicam filiam, quæ nupsit nobili viro Allobrogi è Tarentasia, Humberto à Villetta Baroni Chiuronis, qui sedes suas in Vallesiam transtulit: huic natus est unicus filius Ioannes Baro Chiuronis & Raronius Vicedominus Sedunensis, hic uxorem duxit Pernettam, unicam filiam Perrodi de Bastia domini Sirri; itaque juncta sunt tria dominia Raroniæ, Chiuronis, & Sirri. hujus filius Petromannus uxorem duxit ex familia Beauvois, quod Bilunnum Antonius in Itinerario suo nominat: ac duos reliquit filios, Petrum, qui uxorem habuit ex Tavellia familia de Granges seu Gradecio: huic complures liberi fuere, inter quos primus Franciscus de Chiurone Vicedominus Sedunensis, Seneschalcusque Vallesii, Baro armiger & miles, obiit Seduni anno 1528, vir magnificus & egregiæ proceræque staturæ, qui bellis plurimis in Gallia ordines duxit: hic ex Philippa uxore, è familia Blonaya de S. Paulo, plures liberos utriusque sexus habuit, quorum aliqui in adolescentia absque liberis sunt mortui, quidam vero sacris initiati sunt. Barbara autem filia nupsit Francisco de Monteolo: horum filius Bartolomæus Vicedominus Martini & Leitron, ante annos complures mortem obiit, relictis Ioanne, Francisco & Petro filiis. Porro Petri de Chiurone frater Andreas duos filios suscepit, Franciscum abbatem de Cavorus in Pedemontio, & Vrbanum Chiuronis & Villettæ dominum: hic genuit Michaelem, qui deinceps in Tarentasia Chiuroni dominatus est. Hanc generis successionem propter Raroniæ familiæ nobilitatem attexere volui. Porrò in iisdem locis Raroniæ decumæ Æsperlingiorum magna potentia extitit, extinctis præsertim Raroniis. Fuit hæc vetus & nobilis familia. Verum bello exorto inter Waltherum Episcopum Sedunensem & Rodolphum Æsperlingium, propter Enfischiæ vallis possessionem, Rodolphus, quod Sabaudos evocasset, illis victis, patria cum omni familia pulsus fuit. A Raronia versus Meridiem ultra Rhodanum, inter Vespiam & Thurtmannum (pago id nomen est) montes pascui sequuntur, in quibus villæ complures sunt, & ignobiles viculi, qui Raroniis parent. Eodem loco est vallis Eischolia, in qua sunt argenti fodinæ. Verùm infra Raroniam ab eadem fluminis parte Gestila vicus est, quem Castellionem inferiorem appellant: & prope hunc ruinæ arcis Turrianæ. Turriana familia olim in Vallesiis potens, & hanc arcem Turrianam, & proximam vallem Letschianam, item Ajentum prope Sedunum, & Contegium oppidum in Veragris possedit: præterea in Helvetiis Laupa & Frutingia vallis paruerunt. Sed posteaquam Antonius Turrianus Guiscardum Sedunensem Episcopum per insidias crudelissime trucidavit, bello victi & bonis exuti sunt: eorumque arx Turriana & cæteræ munitiones dirutæ sunt. Luniza fluvius ex altissimis montibus supra Raroniam ortus, infra Gestilam Rhodano miscetur, hic finis est Raroniæ decumæ. Eodem loco vallis Letschia versus Septentriones inter altissimos montes viculos complures habet, & præterea plumbi metalla. Per hanc vallem & montem Letschium iter periculosum, & in quo multi præcipitio pereunt, ducit ad Helvetios in vallem Frutingiam.

LEVCIANVS CONVENTVS.

Leucianus Conventus, qui Raronium sequitur, calidarum aquarum saluberrimis balneis celebris est. Vallis est ad Rhodani lævam, Gemmio monte altissimo, & cœlum penè tangentibus jugis undique septa, unico tantum ad Meridiem exitu relicto, qui à balneis nomen habet. In hac valle inter amœnissima prata, calidarum tres fontes non longe distanti spatio scaturiunt, quorum unus qui largissimus est, hospitiis, quæ in usum balneantium extructa sunt, cingitur. Eo loco sunt piscinæ sive lacus octo, lapide strati & parietibus gypso incrustatis clausi. Sed hujus fontis tanta copia est, ut facile tot alios implere possit, quando vel media aquarum pars in publicam viam derivata nulli usui est. Fons alter, à pago remotior, à leprosis frequentatur: tertio illi utuntur qui cute usu balnei exulcerata, curatione levioris aquæ opus habent. Ad ducentos passus ab hoc fonte, scaturiunt alii fontes frigidissimæ aquæ, è quibus maximus à Majo tantum mense ad Septembrem usque fluere solet, cætero anni tempore aquis caret; vulgo D. Virginis fons nominatur, quod à festo Mariæ quod in Vere celebratur, usque ad festum Assumptionis perennis fit. Verum naturæ rerum periti hujus rei hanc causam tradunt: Vere, quando nives in Alpibus, è quibus oritur, liquescere incipiunt, fons quoque incipit fluere: ac rursus sub Augustum mensem, quum primum Alpes illæ nivibus tectæ fuerint, fluere desinit: quod occulti meatus per quos scaturit, & primo calore aperiantur, & frigore rursus claudantur: ideoque modo tardius, modo citius pro tempestatum ratione fluere incipit & desinit. Idem in aliis Alpinis fontibus fieri usu & observatione, cognitum est. Calidi fontes perpetuo scaturiunt, & omnes æque calent, atque Vibericis plus fervent, nam gallinam immissam deplumant, & ova excoquunt. Aqua ipsa plerunque pura, limpidáque est, sed interdiu crebro colorem mutat:

tat: odore caret, neque, ut plerunque calidæ solent, sulfur redolet: cupri & æris mixtura potissimum constare creditur. Medetur morbis frigidis & humidis, calefacit, exsiccat, abstergit, resolvit & constringit. Podagras mitigat: stomachum languentem roborat, & appetitum excitat: hepar, pulmonem, splenem juvare creditur: oculis lippientibus & obscuris, spasmo, catarrho, medetur: hydropicis & calculosis prodesse dicitur: uterum in mulieribus debilitatum confirmat, & solvit alvum bibentium: denique inveteratas & ulcerosas crurium plagas, & cicatrices ubivis male sanatas aperit & perfecte curat. Diversoria hujus loci pro regionis more minimi sunt ornatus & elegantiæ, sed tamen ob regionis opulentiam non modo victus copia est uberrima, sed ne delitiæ quidem desunt; adhæc aëris illius tanta est salubritas & amœnitas, infestissimo & morbido Syrii æstu, ut etiam vilissimæ habitationes salutares, gratæ, jucundæque omnibus videantur. Avorum memoria Iustus Sillinius Episcopus, balnea peculiaria sibi hoc loco extruxit, & diversoria complura renovavit, atque templum D. Barbaræ sacratum primus hoc loco posuit. Vtuntur vero aquis Leucianis non solum indigenæ Vallesii, sed vicini quoque Allobroges, & Helvetii, quorum major frequentia esset, nisi per Gemmium montem via præceps, angusta, & lubrica multos domi teneret. Ea namque est altitudo & asperitas hujus itineris, ut non male quidam ab gemitu Gemmium nominatum putent: quod transituri montem sæpe ob laboris & periculi magnitudinem suspirent & ingemiscant. Vicini tamen montibus assueti frequentissime per hunc montem Bernam eunt: sed æstate tantum, hyeme enim est impervius. Ex Gemmio monte per Balnearum vallem Dala fluvius in Rhodanum influit, supra hunc VI millibus passuum à balneis, Leucia vicus, caput Conventus Leuciani positus est, loco natura admodum munito: à meridie enim Rhodano, ab occasu Dala fluvio cingitur, uterque transitu difficillimus ponte jungitur, cui castellum superimpositum viam munit: à Septentrione prærupto monte clauditur, ad ortum verò exiguæ fauces inter montes & Rhodanum iter angustum Raroniam versus relinquunt. Raronii Barones castellum quoddam in hoc vico olim incoluere, id bello Raronio dirutum est, sicuti etiam arx Episcopi, quæ tamen postea restituta, nunc quoque durat. Leuciæ plerunque comitia eligendis Magistratibus, & cognoscendis controversiis, ab Episcopo & legatis septem Decumarum celebrantur: quod locus in medio regionis situs, commodissimus videatur. Infra Leucias via publica per pontem Rhodani ad dextram fluvii ripam ducit, quo loco merces quæ per Alpes in Italiam vehuntur, deponi solent. Ibidem vasta quædam est vorago, quam torrentes qui in Rhodanum evolvuntur, effecere, & hoc loco Leuciam quondam sitam fuisse tradunt. Prope Leuciam campus est, qui à gemitu nomen habet, Gemens pratum vulgo nominatur, propter prælium quod anno 1318, in his campis factum fuit. Quatuor millia ferè passuum infra Leucias Salges vicus sequitur cum Ecclesia D. Ioannis, & equitum Rhodiorum æde, cujus authorem nos ignoramus. Infra Leuciam Gallica lingua utuntur, superiores Germanica: in ipsis tamen vicis celebrioribus Leucia, Sideris, & Seduno, utraque lingua paulo lautioribus in usu est; sed extra hos vicos agreste vulgus (ut dixi) Gallica tantum lingua, eaque ita barbare utitur, vix ut à Gallo intelligi queant.

SIDERIANVS CONVENTVS.

Leuca ubi descenderis, montibus utrinque longius à Rhodano recedentibus vallis latius aperitur, & Soli magis exposita cum vitibus abundat, tum etiam fructuum copia longe superiores partes vincit. Sideræ vicus hic primus occurrit paulo remotior à Rhodano versus Septentrionem, elegantia ædificiorum & viarum mundicie, quos ante numeravimus pagis plerisque inferior, sed his soli fœcunditate longe præstans. Ecclesia S. Catharinæ est in hoc pago, & arx non inelegans Hengartiorum, qui fortunarum suarum sedem Vespia huc transtulerunt. Versus Septentrionem pagi Siderianorum sunt, Musatum cum S. Sebastiani templo: Villa, pago id nomen est: & Lagesum cum templo D. Mauricii. Inter Rhodanum & Sideras Aymo Turrianus Episcopus Sedunensis cœnobium familiæ Carthusianæ extruxit, anno 1330, sed regione assiduis bellis vexata, exhaustis cœnobii opibus, Patres hujus familiæ alias sedes quærere coacti sunt: successere in eorum locum ex Episcoporum voluntate Carmelitæ, qui mendicato vivunt, eoque commodius hic habitare potuerunt. Prope hoc cœnobium in tumulo quodam arx Sideriana, Episcoporum sedes, quondam erat, sed bello Raronio ab incolis incensa conflagravit: murorum reliquiæ magnam & elegantem arcem fuisse declarant. Secundum Rhodanum, ubi sesquihoræ itinere Sideris descenderis, Gradecium occurrit, oppidulum quondam, nunc dejectis mœnibus in vici formam redactum: servat tamen quædam adhuc oppidi jura, & nobilibus Tavelliis Gradecianis paret.

Supra vicum in rupe tres arces extructæ, & mœnibus oppidi comprehensæ bello Turriano

riano ab incolis vastatæ & deletæ fuerunt, nunc murorum duntaxat reliquiæ supersunt. Supra Gradecium ad Septentrionem est Lensa vicus, & ecclesia S. Petri: mons vicinus à pago nomen accipit: sed infra Gradecium ecclesia & vicus S. Leonhardi sequitur, via Sedunensi: & juxta hunc fluvius è monte Ravinio, quà in Simmiam vallem transitur, ortus, qui Siderianos à Sedunis hoc loco dirimit. Bello Turriano juxta S. Leonhardi vicum ingenti prœlio Turriani victi sunt anno 1375. Ad alteram vero Rhodani partem ex adverso Siderarum vallis est Ensischia, duorum milliarium longitudine, præstantibus pascuis abundat, & argenti quoque metalla habet: hæc quondam Raroniæ familiæ paruit, nunc quoque peculiari imperio regitur, & propria insignia habet. In hac valle sunt plures vici, sed præcipuus D. Euphemiæ: arx præterea Perrigarda in altissima petra extructa, quæ bello Raronio deleta est. Vssentia fluvius è summis montibus ortus per Ensischios in Rhodanum influit. Iuxta Vssentiam ex adverso Perrigardæ tres pagi Sideriis annumerantur, Fertorinum ad S. Bonifacium, vulgo vocant Fercoreii, & Schaleium, ac Gruna. Inter Fertorinum & Grunam sunt argenti metalla.

SEDVNENSIS CONVENTVS.

Septimus Conventus Vallesiorum (si ab ortu fluminis eos numeres) à fine Siderianorum usque ad Morsam fluvium, qui Veragros à Sedunis dividit, VIII millia passuum longitudinem habet, latitudinis aliquanto plus, valle illic latius se expandente, & quibusdam aliis vallibus inter altissima Alpium promontoria se insinuantibus. In hujus medio Sedunum ad Sittam fluvium jacet, non solum illius Conventus, sed totius Vallesiæ caput. Incolæ lingua Sabaudica Seon, Germani Sittam nominant: Latini civitatem Sedunorum, & Sedunum totius gentis nomine: quod aliis quoque urbibus accidit, ut populorum, quorum caput erat,nomina sibi adsciscerent: sic Rhemorum & Parisiorum nomine urbes celeberrimæ in Gallia nuncupantur, quæ horum populorum oppida maxima quondam fuerunt. Vrbs Sedunorum sita est in amœna planicie, sed ab oriente mons mediocris altitudinis illi imminet, qui in media planitie solus inter altissimos montes, quibus vallis universa cingitur, assurgit duobus verticibus. Horum sinister sublimior & undique præceps, unicum duntaxat à civitate ascensum habet, eumque difficilem ubi equo uti non licet: in hujus summitate est arx Tyrbele, quam Episcopi, si metus aliquis pestis existat, inhabitare solent, quod illic sit aura salubrior & frigidior. In radice hujus verticis propius urbem alia est domus Episcopi, quam Majoriam nominant, olim arx nobilium quos Majores Sedunenses nominarunt, sed à Bartholomeo Grisaco Majore, vendita est Episcopo Sedunensi, Carolo IV imperante. Alterum montis verticem Valeriam nominant, in hoc est templum D. Catharinæ & ædes Canonicorum, qui intra annos 300, (ut ferunt) propter assidua bella hunc locum exædificarunt & inhabitarunt. Veruntamen nomen ipsum Valeriæ me movet, ut multo ante tempore hunc locum à Romanis munitum credam, sed bellis aut alio modo vastatum,postea à Canonicis opportunitatem loci secutis denuo restitutum. Inter has arces passim per montem sacella, aliaque vetera ædificia spectantur, partim diruta, partim integra & renovata. Inter cætera prope ludum literarium vetusta domus ostenditur, palatium Theodori primi Sedunorum Episcopi. Civitas ipsa,quæ monti adjacet, pro captu regionis satis eleganter extructa est, & illi quotidie plus decoris accedit: cives enim pace diuturna opibus aucti, urbem novis ædificiis subinde ornant, quæ antea bellis sæpe vastata, aliquoties incensa & pene deleta fuit, ut in historia Sedunorum legitur. Templa celebriora habet D. Virginis unum, propè Gundesianam portam, quod olim Episcopale templum fuit; & collegium canonicorum habuit, qui non, ut olim, urbem ipsam, sed Valeriam incolunt: alterum D. Petri, item S. Trinitatis, & ad mœnia D. Theodori templum à Matthæo Cardinale extructum. Sitta fluvius urbem perluens, salubriorem & mundiorem secum avectis sordibus eandem efficit. Vrbem esse vetustissimam absque dubio est, cum enim Iulii & Augusti Imperatorum ætate jam tum celebre fuerit nomen Sedunorum, necesse est fuisse tum quoque aliquod totius gentis maximum oppidum, quod non aliud fuisse præter hoc, & nomen, & situs ipse loci confirmat. Frequentibus autem vastationibus & incendiis vetera monumenta perierunt, extat tamen adhuc in summo templo D. Virginis, ad majorem templi portam, antiqui marmoris fragmentum, unicæ vetustatis Romanæ reliquiæ.

Episcopi sedes.

Sedunum hodie sedes est Episcopi, qui regionis princeps est: Episcopatus vero Sedunensis unus est è vetustissimis totius Galliæ. Sigebertus in Chronicis refert anno Domini 511, Florentinum Episcopum Sedunensem pro Christo mortem pertulisse. Rursus in Agaunensis cœnobii, quod à D. Mauritio martyre nomen habet, consecratione mentio fit Theodori Episcopi Sedunensis: extructum autem fuit hoc cœnobium à Sigismundo Burgundionum rege circa annum Domini 505.

Sed in Concilio Epaunensi, quod circa annum Domini 510 celebratum fuit sub eodem Sigismundo rege, mentio fit Constantii Octodorensis, id est, Valensiæ Episcopi, & in Concilio Aurelianensi quinto circa annum Domini 546, sub Childeberto Francorum rege, Rufus Vallensium Octodorensium Episcopus adfuit. Et longe ante hæc tempora Theodorus Octodorensis Episcopus Concilio Aquilejensi interfuit, circa annum Christi 385. Nam id celebratum fuit tempore Gratiani Imp. & Damasi PP. Siagrio & Eucherio Coss. Quare nonnulli censent Vallesiam olim duos Episcopatus habuisse, Sedunensem & Octodorensem; uti enim distincta jura fuere Sedunorum & Veragrorum, ita quoque Episcopatus diversos fuisse arbitrantur: Sed alii contra censent id regionis angustiam vix pati: etsi enim urbes pene conjunctæ in Italia proprios Episcopos habent, aliam tamen rationem servatam ajunt in provinciis, præsertim Transalpinis, in quibus longe majores sunt diœceses Episcoporum, quam in Italia. Præterea id indicium unici Episcopatus esse volunt, quod unius tantum Theodori Sedunensis Episcopi mentio fiat in dedicatione cœnobii D. Mauritii apud Agaunum, à qua non est credendum abfuturum fuisse Octodorensem Episcopum, in cujus diœcesi hæc agebantur, si alius à Sedunensi fuisset. Existimant autem Octodorum, quod caput aliquando Vallensium fuit, ut ex libello Provinciarum apparet, primam fuisse Episcoporum sedem, donec bellis Burgundionum vastatum & dirutum fuit, deinde Episcopatum Sedunum translatum esse: ac rursus propter Seduni excidia in veterem sedem rediisse, donec id restitueretur. Vel Florentinum & Theodorum Sedunenses Episcopos non ab urbe, sed à populo denominatos, quod Sedunorum vetustissimum nomen omnibus Vallensibus, ut hodie etiam solet, tribueretur. Nos rem in dubio relinquimus: nomina autem Sedunensium Episcoporum & res gestas alii persequuntur, nunc regionis descriptionem, ut cœpimus, contexere pergemus. Supra Sedunum inter Ortum & Septentrionem est vicus Ajentum, & mons Ravinius, per quem itur ad Simmiam vallem Helvetiorum Bernatum. Ajenti & arcem & imperii aliquid Turriani habuerunt, verum bello cuncta illis periêre. Inde post fluvium Sittam sequitur S. Pancratii Ecclesia, & vicus Grimsula, post hunc Saviessa, S. Germani vicus, & mons Sanetschius: per hunc Sana vallis Grueriorum Comitum aditur. Ex monte hoc oritur Morsa fluvius: sed inter montem & Sedunum supra fluvium in editissimis & pene inaccessis rupibus, duarum arcium rudera cernuntur, una Seon nominatur, è qua Antonius Turrianus Guiscardum Tavellium Episcopum præcipitem dejecit: altera vulgari lingua Montarsum, & in Latinis diplomatibus Mons Ordei nuncupatur. Ab altera autem Rhodani ripa, è regione Seduni Bornus fluvius Rhodano miscetur: ortus hic è monte Sylvio qui Salassos à Sedunis dividit, & ad XVI millia passuum per Vrensiam vallem labitur: juxta fluvium est ecclesia S. Martini cum pago adjuncto; Massius præterea pagus, & Naxa cum templo D. Mauritii. Habet & alium fontem Bornus, nam ex Alpibus fere eisdem, ad 18 millia passuum à Rhodano fluviolus oritur, qui octo millibus passuum à fonte suo priori miscetur: vallis per quam defluit, Armensia nominatur: æris secturæ eximiæ bonitatis hoc loco sunt, & pagus ejusdem cum valle nominis, ac alter Voschius nomine supra confluentes utriusque fluvii. His locis Salsularum fons ante annos aliquot inventus est, è quo salem coquere cœperant, sed hodie negligitur, partim quod sal ex hac aqua non admodum probetur: partim propter sumptus qui maximi faciendi sunt, ut aqua dulcis unà profluens à salsa separetur: partim etiam, si vulgo credendum est, eorum opera qui sal marinum in Vallesiam vendunt. Supra Rhodani autem & Borni confluentes in montis radice est Bremisa pagus, & prope hunc ex rupe excisa sine ullis tignis & trabibus ligneis formatum est integrum cœnobium, hoc est, templum, cubicula, conclave, culina, cella vinaria: monachi qui incoluere brevi omnes, ob loci, ut creditur, humiditatem, ad unum usque periêre: itaque ab habitatoribus nunc desertum est & vacuum.

Salsularum fons.

VERAGRI.

POst Sedunos Veragri imam vallem inhabitant, à Morsia flumine ad fauces usque qua Rhodanus egreditur, inferiorem Vallesiam eorum regionem hodie nuncupant. Meminere horum Cæsar, Plinius, Strabo, Livius, qui ipsos semigermanos facit, itinera enim quæ ad Pennium ferant, cujus juga Veragros incolere scribit, gentibus semigermanis tempore Annibalis obsessa fuisse tradit. Sed nostra ætate Veragri Gallica lingua sive Sabaudica utuntur, quam ipsi Romanam vocant; nam cum Romani rerum potirentur, veterem suam, Celticam linguam (quæ non alia forte fuit à Germanica nisi dialecto differens, unde etiam morum & linguæ ratione semigermani à Livio dicti sunt) dedidicere, aut potius Latinam, qualis in provinciis quibusdam in usu erat, cum hac commiscentes, utramque corrupere. Verum in summis vallibus & quæ cacuminibus Alpium proximæ sunt, incolæ Germanicæ linguæ usum retinuerunt, non tantum apud Vallesios, sed in adversis quoque Salassorum & Le-

Lepontiorum vallibus, ut in Aiaza & Cremera, & Seſſite, Oſcela, Antigoria, Madia, in quibus omnibus cum Italica lingua utantur, tamen vici aliqui ſunt, & præſertim cacuminibus Alpium proximi, in quibus Germanice loquuntur. Exiſtimandum eſt hos veterum incolarum reliquias eſſe, in variis enim migrationibus gentium, ipſis ſuæ ſedes permanſere; nemo enim alius in his locis habitare voluiſſet aut potuiſſet, præſertim cui liceret alibi cultiori loco ſedes quærere: itaque veteres incolæ propter Alpium tranſitum illic relicti ſunt, qui iter per aſpera loca munirent, & viæ duces peregrinis eſſent. Sic igitur ſuprema pars Valleſiæ veteres incolas, linguam quoque Germanicam retinuit: alibi linguæ Gallicæ ſeu Romanæ uſus introductus eſt: cæterum an id debeamus Seduno & Octodoro, quibus in oppidis aliquis Latinæ linguæ uſus fuit, ut veteres inſcriptiones teſtantur, ac forte etiam Itali homines mercaturæ cauſa illic habitarunt: an in Valleſiam novi coloni, vel ex Allobrogibus vel aliunde immigrarint, affirmare non poſſum. Mihi non diſſimile vero videtur, quum diu Burgundiæ regno, & poſtea Sabaudis principibus (utrique autem in Allobrogibus imperarunt) Valleſiani inferiores ſubjecti fuerint, complures ex vicina Allobrogum regione huc commigraſſe, & ita alienæ linguæ uſum introductum.

Parent Veragri noſtra ætate ſuperioribus Valleſianis, & in Conventus ſex, ut diximus, diſtributi ſunt, quorum primus ad dextram Rhodani jacens Contegianus, à Contegio, quod vulgo *Gundes* vocant, denominatur: Pagi hujus nominis ſunt duo; alter à Rhodano remotior, quondam oppidulum, Contegium Caſtellum nomine, alter flumini propior, quem Contegium planum nominant. Ab his non longe diſtat Vertrunius vicus, qui eidem Conventui attribuitur, & à ſiniſtro latere Rhodani, mons vinetis & paſcuis amœnus Neinda, cum ejuſdem nominis pago. Paruit aliquando hic Conventus Turrianis, qui in Contegio Caſtello arcem habuerunt, ſed bonis hujus familiæ propter Epiſcopi cædem publicatis, ipſorum ditio Epiſcopatui & Reipublicæ Sedunorum ceſſit, arx diruta eſt. Eandem ab Amedæo Sabaudiæ comite, qui Veragrorum imperium ſibi vendicaverat, reſtitutam, Valleſiani illo victo denuo diruerunt. Paruerunt deinde Contegiani Bernatibus, bello enim Veragrico, quod anno 1475 geſtum eſt, Bernates ſuppetias tulere Valleſiis, qui illis in ſtipendium Contegium dedere: ſed bello Allobrogico anno 1536, Valleſii data Bernatibus præfectura ad lacum Lemanum, quæ Aelen vocatur, Contegium, quamvis impari permutatione, ejus loco receperunt, ne deinceps quiſquam exterorum ulli parti Valleſiorum imperaret. Contegii celebris eſt Serventum vetus & nobilis familia.

Infra Contegium ex Alpibus illis quæ Veragros à Bernatibus Helvetiis ſeparant, Liſſerna fluvius Rhodano miſcetur, poſt hunc Ardonius alter Conventus Veragrorum, & vicus eodem nomine ſequitur. Ad hunc Conventum pertinet & alter pagus Schamoſius ad D. Andream, & cœnobium D. Petri unà cum conjuncto pago.

Tertium Veragrorum Conventum Sallionium nominant, à Sallionio oppidulo; id in edito colle ſitum, loco amœno, arcem quoque ſui nominis habuit, ſedem Sallioniæ nobilis familiæ: Werinus Sallionius anno 1210, Sedunorum Epiſcopus fuit. Familia hæc poſt extincta eſt: arcem Seduni bello Veragrico dejecerunt. Inter Sallionium & Ardonium vicum eſt templum S. Martini, & vicus Leitrona: ſed ſub Sallionio eſt Fulliena pagus, & eccleſia S. Sulpitii. Duo hi Conventus ſiti ſunt ad dexteram Rhodani, niſi quod unicus præterea vicus Ridena cum Eccleſia S. Laurentii, ab adverſa fluminis ripa, Conventui Sallionio accenſetur. Proximus conventus à ſitu nomen habet, & Intramontius nominatur, nam undique altiſſimis montibus cingitur. Vallis prima, quæ magis ad Orientem vergit, Baneas, credo à Balneis quæ forte olim hic fuere, nomen habet, & nomini inſignia reſpondent: hanc fluvius à meridie defluens ſecat, qui prope Branſcheriam pagum alteri miſcetur, & ambo Dranſæ nomen accipiunt: vicus hujus loci à D. Mauritii templo & valle nomen habet. Iuſtus Sillinius Epiſcopus argenti metalla primus hic invenit, quæ nunc quoque cum fructu exercentur. Altera vallis Intremontiorum à Pennino monte Branſcheriam uſque porrigitur quatuor leucis Gallicis, quo loco alter fluvius Dranſæ priori miſcetur. Pagum qui duabus leucis à ſummo Pennini jugo diſtat, S. Petri Burgum appellant, ab eo vallis nomen accipit, IV mill. paſſ. poſt hunc Lida ſequitur, & pari poſt Lidam ſpacio Orſiera vicus & D. Nicolai templum. Orſiera vero, & S. Petri arx atque Baneæ, ſinguli pagi propria diſtinctaque jura & peculiaria inſignia habent, ſed Intremontiorum Conventu comprehenduntur.

Branſcheria præcipuus pagus hujus Conventus, XX millia paſſuum ſummo Pennino diſtat, celebre hic eſt D. Stephani templum. Saxo etiam vicus Octodoro propinquus Intremontiorum eſt, una cum arce, quæ in prærupta rupe quondam hoc loco habitabatur, ſed bello Veragrorum diruta eſt: & ex altera Septentrionali Rhodani ripa Vulieſſus pagus, & templum ſancti Martini.

A Branſcheria vico per S. Petri vallem & Pennini jugum, quod nunc montem S. Bernardi majorem vocant, iter eſt ad Salaſſos. In ſum-

summo Pennini cœnobium extat, in quo hospitio excipiuntur qui per has Alpes iter faciunt. Etenim mons ipse assiduis nivibus tectus, & omnia late ab utraque parte squalida & sterilia sunt: itaque jumentis sarcinariis ex proximis celebrioribus vicis omnem annonam in jugum montis convehere necesse est. Fratres hujus cœnobii peregrinos magna humanitate excipiunt, & quotidie ab utroque montis latere illis obviam progrediuntur, cibum & potum delassatis adferentes, viam ostendunt, & in monte superando illis auxilio sunt. Pauperibus gratis victum dant, opulentiores suo quisque arbitratu symboli loco munera dant. Si qui hic moriantur, cum nihil terræ hoc loco sit, in profundissimam foveam ruptæ glaciei abjiciuntur; ea illorum sepultura est. Qui cœnobio præest, Eleemosynarius vocatur, ac in Lausanensium Episcoporum annalibus traditur, Hartmannum Eleemosynarium hujus cœnobii supra septingentos & viginti abhinc annos Lausanensem Episcopum factum esse, anno 851. Quo tamen anno cœnobium hoc primum conditum sit, ignoratur: non est dubium longe ante ejus originem hoc loco hospitium aliquod in usum peregrinorum extructum fuisse: quod postea in cœnobium commutatum fuerit. Domesticis monumentis proditum est in hoc monte idolum quoddam fuisse, quod petentibus responsa dederit. Livius etiam scribit libro vigesimo primo fuisse in summo sacratum vertice Pœninum, & ab eo montem nominatum: quidam Iovem hic sacratum fuisse arbitrantur, & ideo jugum hoc Alpium Montem Iovis nominarunt. Posteaquam verò Salassi & Veragri ad agnitionem Christi venêre, Bernardus sacerdos ex Augusta Prætoria, piæ & sanctæ vitæ homo, idolum dejecit, & cœnobium eo loco in usum peregrinorum instituit, ab eo deinde mons nomen accepit. Vulgus nugatur dæmonem qui responsa dederit, ab eo in horrendam specum hujus montis quibusdam adjurationibus compulsum, illic quasi carcere quodam detineri.

Scio à nobis de Pœnino, quem S. Bernardi majorem montem arbitramur, complures viros doctissimos dissentire, sed nos nostram sententiam, quæ tamen non nostra est, sed clarissimorum virorum, Henrici Glareani, Ægidii Scudi, Alberti Leandri, alibi confirmabimus, ne absque ratione hos secuti esse videamur.

Martiniacensis conventus proxime sequitur, & primum vallis, mediocri spacio inter montes occasum versus sese diffundens, quam Tridentinam nominant, in qua ferrum è montibus effoditur: per hanc itur ad Bodiontios: mox vicus Martiniacus ad dexteram Dansæ fluvii, à cujus altera parte arx in præcipiti petra sita est, quam aliquoties vastatam Episcopi Sillinius & Matthæus Cardinalis restituerunt. Hoc loco via per Alpes se in duas partes dividit, una per Sedunos & Veragros ad Sempronias Alpes & Furcam aliaque juga ducit: altera per Intremontios & Penninas Alpes ad Salassos. Martiniacus vicus est Octodorum veterum, caput quondam Vallensium: nam qui Octodorum inferiori loco ostendunt, & vestigia ejus eluvione Dransæ & Rhodani deleta volunt, nulla firma ratione nituntur. Nam primum, ut Cæsar describit, Octodorus vicus positus in valle, non magna adjecta planicie, altissimis montibus undique continetur, & in duas partes flumine dividitur: quæ descriptio Martiniaco optime convenit. Flumen autem non Rhodanum intelligi à Cæsare, sed Dransam, Eutropius ostendit, qui torrentem nominat: & Rhodani celeberrimi fluvii nomen Cæsar haud reticuisset. Deinde Antonius in suo Itinerario scribit Octodorum à summo Pœnino distare 25. millibus passuum, & à Tarnada XII. M. P. quæ distantia hodie quoque eadem fere traditur: nisi quod quidam ad summum Pœnini plus III. millibus P. numerant: quo minus illi audiendi sunt, qui longius à Pœnino Octodorum removent: minime omnium qui Octodorum esse volunt S. Mauritii oppidum.

Octodorum. Octodorum Iulii Cæsaris ætate vicus fuit, atque illic cum Veragris & Sedunis Galba Cæsaris Legatus pugnavit, & victor omnia ejus vici ædificia incendit. Postea (forte tum postquam gentes illæ Alpinæ omnes à Cæsare Augusto devictæ fuerunt) oppidum factum est, & incolæ Latio donati. Sequentibus deinde seculis Maximianus Herculeus, cum exercitum adversus Bagaudas duceret, Octodorum venit, & illic sacrificiis peractis, milites sacramentum dicere jussit: ac Thebeam legionem id renuentem Agauni trucidavit, ut in Agaunensium martyrum vita scribitur. Ab illo tempore crediderim in his regionibus fidelium numerum crevisse: nam sanguine piorum rigatur Ecclesia Christi: numero autem credentium aucto, uni Episcopo Ecclesiarum cura commissa fuit, qui Octodori sedem suam aliquando habuit: ut in Sedunis ostendimus. Postea cum Burgundiæ reges, sub quorum imperio Veragri & Seduni tum erant, assiduis bellis peterentur à Francis, cum universa vallis, tum Octodorum multa perpessum vastatumque fuit, & ab eo tempore nunquam pristinam dignitatem recuperare potuit: Episcopatus tamen apud Sedunos permansit: Octodori vero in locum oppidi vicus successit, frequentior & notior propter mercatores, quibus hac frequens per Alpes iter est.

Sub Octodoro ad sinistram Rhodani hi viculi sequuntur, Iuviana, Servantia, Verosa, mox

mox Tarnadæ oppidulum, juxta quod montes in unum penè coëuntes, exiguo spacio qua Rhodanus effluit relicto, vallem præruptis & altissimis rupibus quasi muro quodam claudunt. Rhodanum incolæ eo loco ponte fornicato stravere, cui Castellum additum est, & porta ponti imposita, qua tota Vallis clauditur: montes enim hyeme plerique impervii sunt, ipsa etiam æstate difficulter transiri possunt, neque ulla via militaris & convehendis curribus tormentorum apta, per hos montes patet: præterea singuli aditus & summa quoque montium juga in Vallesiorum potestate sunt, quæ illi exigua manu tueri facile possunt. Recte itaque incolæ totam vallem unum quoddam oppidum censent, montibus quasi mœniis munitum, cujus porta Tarnadæ sit. Tarnadæ autem Antonium secuti oppidum hoc nominamus, veterum plerique Agaunum nominarunt, nomine Germanico *Am Gans* paululum deflexo, nomen id locum rupibus plenum sonat: & certe talis est Agauni situs. Locum hunc à Iulio Cæsare bello Gallico munitum fuisse plerique credunt, ut sic Alpium transitum in potestate haberet: quo consilio etiam Octodorenses Latio donati sunt.

Multæ inscriptiones in templi pavimento, parietibus & muro cœmiterii visuntur, sed vetustate exesæ & attritæ sunt, ita ut vix paucissimæ literæ agnosci queant. In sacello ejusdem templi supersunt tres columnæ marmoreæ, antiqui operis, & penè summam aram pavimentum tessellatum variegati coloris.

Legio Thebæa cæsa.

Hoc loco à Maximino Imperatore Legio Thebea, cujus dux erat Mauritius, propter confessionem nominis Christi cæsa est. Ab eorum martyrio annis circiter 220, cum locus hic apud Burgundos, qui in his regionibus dominabantur, magnæ venerationi esset, Sigismundus Rex Burgundiorum Maximi Genevensis, Theodori Sedunensis & aliorum Episcoporum oratione impulsus, eodem loco in honorem martyrum cœnobium celebre construxit, S. Severinum abbatem ibidem constituens, oppidulum Tarnade juxta positum mœnibus ampliatis cœnobio conjunxit, & eidem (ut vulgo loquuntur) incorporavit: ab eo tempore Tarnadæ nomen obsolevit, & nunc vulgo ad S. Mauricium nuncupatur.

S. Mauritii Abbatia.

Tabulæ dotationis testantur Sigismundum regem amplos reditus huic cœnobio donasse, & credendum est Clodoveum Magnum, Francorum regem, non pauca eidem dedisse, si modo verum est, quod ab Aimoino traditur, ipsum à Severino primo abbate febri liberatum esse. Fuere abbates post Severinum usque ad Carolum Magnum Imp. 31, in quorum tamen numero Severinus in vetustis hujus cœnobii monumentis non ponitur. Aletheo abbate simul & Episcopo Sedunensi Carolus Magnus reliquias martyrum hujus loci invisit, & abbati ac monachis multa largitus est. Ejusdem Imperatoris filius Carolus Leonem Papam Roma ad Carolum Imp. proficiscentem Agauni excepit, & ad patrem deduxit. His temporibus fratres hujus cœnobii D. Benedicti regulam profitebantur: sed aliquanto post mortuo Adelongo Sedunensi Episcopo & D. Mauritii abbate, qui Aletheo successerat, Ludovico Pio Caroli filio imperante, monachi hinc propter vitæ petulantiam & improbitatem ejecti, & in eorum loco presbyteri & canonici à Ludovico substituti sunt, & datus his præpositus qui ipsos regat. Vltimus in ordine Præpositorum Reinoldus fuit, Amedæi Comitis frater: illo tempore opibus cœnobii dissipatis, quas Canonici partim turpiter prodegerant, partim liberis suis largiti fuerant, ad tantam egestatem Collegium illud pervenit, ut nemo amplius cœnobium inhabitaret, aut sacra perageret: donec tandem Amedæus Comes permotus precibus Hugonis Gratianopolitani Episcopi, Agaunum venit, & abalienata bona Ecclesiæ restituit, & in locum Canonicorum, alterius familiæ Canonicos, quos regulares nominant, delegit, imposito his Priore Hermencrado, anno 1136. Ab his cœnobii opes rursus auctæ sunt, nam & Petrus Tarentasiensis Episcopus fratribus non pauca donavit: & Amedæus Comes Præposituram Balnearum illis attribuit: aliorum quoque liberalitate, & fratrum diligentia & parsimonia brevi tempore opes illorum plurimum crevere: his autem auctis, Prioris nomen fastidientes, ab Eugenio Papa impetravere Abbatis nomen & dignitatem. Ac Hugo secundus cœnobii Prior, anno 1146, Abbas ab Eugenio Papa Lugduni appellatus est: quo anno ab eodem Pontifice templum D. Mauritii consecratum tradunt. Eadem dignitas & vitæ institutum hodie manet.


Piscina mirabilis.

Non possum hoc loco præterire quod à viris gravibus ac ab omni superstitione alienis, qui sese oculatos testes asserebant, audivi, in piscina cœnobii Mauritiani pisces servari pro fratrum numero, notis insignitos certis, quorum si quis moritur, brevi fratrum aliquem consequi, & omnino certissimam mortem fratrum alicui portendi, si piscis mortuus in aquis appareat. Quidam tamen fidem huic narrationi derogant: atque nullos alios pisces in vivariis cœnobii servari ajunt, quàm truttas è Rhodano huc delatas.

Viæ extra Vallesiam.

Infra Agaunum incipit Antuatum regio, quos quidam cum Strabone Nantuates appellare malunt, hi juxta Rhodanum & lacum Lemanum ab utraque parte ad summas Alpes incolunt. Per hos iter à Pennino ad dextram Lemani ducit in Germaniam, Argentoratum & Moguntiacum; cujus Antoninus Itinerarii provinciarum auctor meminit:

ac ponit Tarnadæ, quod Agaunum & S. Mauricium nominari supra diximus, & Penne locum hinc distantem M. P. 1021, id quidam putant esse oppidulum ad caput fere Lemani Germanis *Newenstat*, Villa nova Gallis nominatum: inde Bibiscum quod vulgo Vivis nuncupant, M. P. 1009, hinc sequuntur Bramagum vicus, Bramasans hodie, Minnidunum *Milden*, Aventicum, Petinesca, Saloturum, Augusta Rauracorum, &c. Porrò aliud iter ad sinistram lacus ducit ad viam Grajarum Alpium, Bautas oppidum, quod hodie Bonam vocant, inde vel per Equestres in Helvetiam & Germaniam itur, quod iter ab Antonino describitur: vel per Centrones Lugdunum: Tarantasia enim caput Centronum M. P. 1040, à Bauta distat. Vtroque autem latere Lemani ab Agauno Genevam, & in Allobrogas iter est. Populos qui ad sinistram Lemani habitant, quidam omnes uno Equestrium nomine contineri censent, hodie quoque vulgo Gavoti, item ab equo Caballicenses nominantur, *Pays de Gavot*, & *Pays de Chabaul* seu Tschaballes dicti. Supremam regionem Agauno proximam Vallesii occuparunt, quando societate cum Francisco Gallorum rege & Bernatibus atque Friburgensibus facta, bellum adversus Carolum Sabaudiæ Ducem gesserunt, anno Domini 1536. Nostra ætate maxima pars Antuatum Principi Sabaudiæ paret.




ABBATIS-CELLA,

vulgò

APPENZEL.

Situs & nomen.



ABbatis-Cella est regionis & vici nomen. Regio hæc supra S. Galli oppidum sita est inter altissimos montes, juxta Rhætorum fines. Vicatim habitatur, & octo insignes habet vicos; quorum singuli suas ecclesias seu templa, ut vocant, parochialia habent. Omnium caput est, quam Abbatis-Cellam vocant, à qua regio nomen habet; hæc omnibus modis oppidum repræsentans, sita est ad Sintriam; & quia frequentius in vico hoc Abbates S. Galli, tum regionis Domini, versabantur, & in eo quoque arcem munitissimam, Clanxiam nomine extruxerant, inde nomen accepit ut Abbatis-Cella diceretur.

Abbatis-Cella vicus.

Qualitas.

Regio tota montibus amœnissimis, nec non pascuis lætissimis constat, unde armentorum ingens numerus, lactis, butyri caseique incredibilis affluentia. Incolæ ex armentorum proventu & lino quod cogunt, texuntque, vitam sustentant, merces suas in oppido S. Galli vænales offerentes.

Regimen.

Sigebertus Austrasiæ sive Alemanniæ Rex, hujus regionis incolas, ut servos regios & fisco addictos, Monachis Cœnobii S. Galli dono dedisse fertur anno 1151. Paulatim dein à variis nobilibus, Comitibus, dominis tota regio in Abbatum potestatem venit; tumque in varias jurisdictiones, communitatesque divisa & separata fuit, quæ non solum suam rempublicam, sua insignia, vexilla, sigilla; sed etiam jura diversa haberent; ita separati omni ex parte Abbatis-Cella, Altstetten, Troga, Hundivilla, Herisovia aliique vici; nihil commune habentes, quam quod uni eidemque Abbati S. Galli nempe, parerent domino. Postea cum Abbatis-Cellani à nobilibus, per Abbatem mitti solitis, acerbius tractarentur, in contemtum privilegiorum acquisitorum, sese in libertatem asseruere, primum armata manu; post etiam pace facta, magna pecuniæ summa Abbati persoluta, libertatem sibi posterisque redemerunt; & reipublicæ formam instituerunt, qua hodie utuntur; & cum ante, ut jam monui, singuli vici sua insignia, propriosque conventus haberent, unum tantum signum totius regionis, unicum conventum & Iudicium, in quod ex omnibus vicis præstantissimi deliguntur, esse voluerunt. Anno 1403 denique nobiles omnes expulerunt, cum ab iis intolerabiliter continuo vexarentur, & societatem junxerunt cum Pagis Helveticis, Tiguro, Lucerna, Suitia, Vnderwaldia, Tugio & Glarona. Anno 1452 sese cum septem antiquioribus Helvetiis pagis perpetuo fœdere junxerunt, & ab eo tempore Austriis, Burgundicis, Suevicis bellis, cum Helvetiis militarunt, illisque fidelem ac utilem operam his bellis navarunt. Anno autem 1513, in numerum pagorum ascripti sunt.

Abbatis-Cellanorum Ager dividitur in partes sive ordines duodecim, ipsi vocant *Roden*; harum sex conjunctæ pago Abbatis-Cellæ dicuntur interiores; atque olim imperio Abbatis S. Galli paruerunt; reliquæ sex, exteriores nominantur, positæ extra ditionem Abbatis, quondam partim liberæ, partim nobilium jurisdictioni subjectæ. Concilium Abbatis-Cellanorum constat 144 hominibus, duodecim scilicet ex unaquaque parte desumtis; quorum singuli, si de rebus majoris momenti deliberandum sit, unum duosque viros sibi adsumunt, adeo ut pro negotiorum mole Consilium duplicari, vel etiam triplicari soleat. Potestas summa hujus pagi penes Concilium totius plebis est, uti & Ammanni, & reliquorum Magistratuum electio, qui iidem fere, & similes hic ut in aliis Pagis sunt. Iudicia duo sunt: Prius in publico compito residet, & inde nomen habet, *das gassengericht*; Iudices in eo sunt 24, è singulis partibus regionis bini; præest his publicus apparitor, *der Lantweybel* dictus; ac singulis septimanis quarta feria conveniunt, hi mulctas imponunt, & puniunt eos qui injuriam alteri fecerint. Posterius, quod juratum Iudicium nominatur, *das geschworen gericht*, constat duodecim judicibus, qui dubias controversias, & quæ delato jurejurando finiuntur, cognoscunt. Apud eosdem ex singulis duodecim partibus totius regionis singuli Senatores eliguntur, & è majoribus partibus plures. hi observant eos, qui publica edicta violarint; deinde ea, quæ majori Senatui proponenda sunt, prius ab iis deliberantur: ideoque Nomophylaces simul & Probuli sive Præconsultores existunt, eorumque munus est pe-

petuum; vulgo autem apud ipsos vocantur *Landhalich.* Abbatis-Cellanorum porro major pars Reformatis se addixit, abolitis Romanæ Ecclesiæ ritibus: universi tamen controversias matrimoniales ad Consistorium Constantiensis Episcopi deferunt; Magistratus autem ex utriusque religionis civibus constat.

Religio.

FRAWENFELDVM.

Frawenfeld, caput Turgeæ regionis, non longe à Murg fluvii ripis dissitum est; biennio post Rapperswilam, anno scilicet 1460, septem pagi Helvetiorum id cepere, bello quod contra Sigismundum Austriacum ab iis gestum est. Subest VII pagis antiquioribus, sed salvis suis privilegiis. Senatum habet peculiarem, & præterea consessum Iudicum duodecim, *das Wochengericht*, qui controversias civium, & eorum qui extra urbem in pagis proximis ad urbis jurisdictionem pertinent: criminales vero causas, & hereditatum, ac similes Senatus dijudicat: à Iudicio ad VII Pagos Helvetiorum provocatio datur, sed à Senatu nulla. Ammannus regionis Iudicio præsidet. Oppidum vero carcerem & jus sumendi capitalis supplicii, antiquitus quoque sub Austriis Principibus habuit; atque hodie Helvetii jura ejus conservant & tuentur; & quamvis summa jurisdictio rerum capitalium ad Pagos decem pertineat, Frawenfeldum tamen excipitur; quod, ut dixi, septem Pagis paret, salvis suis privilegiis. Habet etiam Cœnobium Augiæ divitis, in lacu Constantiensi situm, quædam jura in hoc oppido, & cives se sacramento ei obstringunt, postquam litteras ab Augiensi domino acceperint, quibus promittit se jura cœnobii sui, quæ in oppido habet, nunquam oppigneraturum, venditurum, alienaturumve esse; ac præterea conservaturum ipsis singula ipsorum jura, privilegia, immunitates & bonas consuetudines. Præterea belli tempore ducem, Legatum & signiferum habent suos; olim quoque eosdem universa Turgea sequi, & illis sacramentum dicere tenebatur, sed nunc peculiares duces, propriaque signa consecuta est.

TVRGEA,
vulgò
TVRGOW.

Termini.

Turgeam Rhenus & lacus Constantiensis ad Septentriones terminant, reliquas partes Rheintalia, Werdembergensis Comitatus, Altosaxi dominium, & Tigurinus pagus, cujus haud contemnendæ in ipsa Turgea sunt ditiones, terminant; cæterum, inter omnes præfecturas Helvetiorum nulla est amplior & populosior quam Turgea: quippe quæ parochias supra 50 habet. Huic præfectos dant Pagi VII vetustiores, & ad hos dominum regionis & civilis jurisdictio pertinent, atque, si bello petatur Helvetia ab externo hoste, cum his militant: suprema autem jurisdictio causarum criminalium & capitalium 10 Pagorum est. Cæterum Ecclesiastici ordines multi, & quam plurimi nobiles, passim in vicis Turgeæ inferiorem jurisdictionem obtinent, sic tamen ut ipsi nihilominus præfecto totius regionis subjecti sint: atque hi edicunt & mulctant libræ unius pœna: possunt deinde edicere & mulctas imponere ad decem usque libras, sed media pars mulctarum cedit præfecto, sicut hæc omnia certo jure & ordine constituta sunt, ipsis noto. Omnes autem qui jurisdictionem habent, nominantur *Gerichtsherren.* Ex his Ecclesiastici ordinis sunt isti: Episc. Constantiensis, qui suos præfectos in Turgea habet, Arbor Felice, Tanneggi, Guttingæ, Gottliebæ. Capitulum Ecclesiæ Constantiensis Alienavii jurisdictionem obtinet, Cœnobium Augiæ divitis, quod nunc Episcopatui unitum, &, ut dicitur, incorporatum est, maximos reditus in Turgea & plurimas jurisdictiones habet, Stekburæ, Bernangi, Manebachi, Ermatingæ, Tribeltingæ, &c. Multi quoque nobiles hujus cœnobii vasalli sunt. Eremitani cœnobii abbas, Eschentzi dominus est. S. Galli cœnobium etiam quorumdam vicorum jurisdictionem habet. Cœnobia item quæ in ipsa Turgea jacent, Tobela Ioannitarum domus, Fischinga Abbatia ordinis Benedictini, Ittinga Carthusianorum domus, Munstarlinga Abbatia virginum Benedictinæ familiæ, & Tennikona Cistertiensium familiæ Abbatia; item Veldbachum, Calchera, S. Catharinæ vallis prope Diessenhovium; & præterea quædam Præposituræ jurisdictionem in unum aut alterum pagum, & quandoque in plures obtinent. Nobilium autem familiarum arces, quæ adhuc incoluntur, & veterem jurisdictionem retinent, multæ sunt; quarum eas, quæ nunc succurrunt, recensebo, cum familiis ad quas pertinent: Wellenbergum & Griessenbergum Vlmii hodie incolunt; Herdera & Burgela Landenbergiorum arces; Wengia, Gieliorum; Spiegelbergum, Muntpratiorum; Winfelda Schellenbergii, &, ni fallor, Gemmingiorum. Ad fines oppidum Comitis Eberſteyni; Nuwenburgum cum Mammera Tummiorum; Salensteynum & Blideca Halvilii; Clingenbergum Heydenheymeri; Ottlishusa Schenckiorum; Eppishusa Hagenviliorum; Libenfelsa Lanziorum; Clinga vetus Brumsiorum; Nufera Stockerorum; Sonnenberga Hutensiniorum. Multæ etiam arces dirutæ sunt, quarum jurisdictionem maxima ex parte Ecle-

Regimen.

Arces.

clesiasticæ familiæ obtinent, partim etiam nobiles aliarum arcium incolæ, aut cives Turgeæ.

Porro non tantum civilium, sed etiam criminalium & capitalium causarum jurisdictionem habet abbas Rinovianus in oppido Rinovio. quod sanè pervetus oppidum esse videtur, quamvis hodie ædificiis parum excultum, & eo loci quondam castra habuisse Romani adversus Alemannos creduntur. illic in Rheni insula cœnobium est Benedictini ordinis, unum ex vetustissimis totius Helvetiæ. Abbas merum imperium in oppido habet; verum tamen in criminalibus si quis damnatus fuerit capitalis criminis, traditur Præfecto sive Ammano provinciæ, ac bona damnati à VII Pagis Helvetiorum confiscantur. Habent Rinoviani peculiare signum sive vexillum sub quo Helvetiis militant.

Oppida. Præterea oppida quædam Turgeæ Helvetios quidem patronos agnoscunt, sed tamen suas immunitates & ampla privilegia habent, ac propriam jurisdictionem.

Episcopi Cella. Episcopi Cella, oppidum ad confluentes Sitteræ & Turi, jacet quidem in Turgea, & sub suis signis cum Helvetiis militat, sed præfectus nullum in illos imperium habet, neque quicquam illis imperare & edicere potest: paret autem partim Episcopo Constantiensi, partim αὐτονομίᾳ fruitur. Episcopus præfectum habet in arce oppidi, & omnium mulctarum media pars illi cedit; sed cives oppidi proprium senatum eligunt, & duos, qui huic præsint, quos veteres Senatores vocant. hi rempub. cum Senatu administrant, & alter horum judiciis rerum capitalium præest. neque licet cuiquam à sententia Senatus provocare, neque etiam civem oppidi ad judicandum citare. Vectigal vini & alii reditus reipublicæ cedunt. Quando Episcopus jusjurandum à civibus exigit, prius jusjurandum dat, se ipsorum privilegia & immunitates nulla ex parte imminuere velle.

Arbor Felix. Arbor Felix vetus oppidum ad lacum Acronium, cujus Antoninus quoque Itinerarii auctor meminit. Episcopo quidem Constantiensi paret; qui præfectum ibi habet; sed cives præterea Ammanum & Senatum deligunt; qui res civiles administrant. habent etiam Helvetii aliquid juris & dominii in hoc oppido; nam arx eorum usibus servit belli tempore, & cives iisdem militant.

Diessenhovium. Diessenhovium, oppidum ad Rhenum inter Scaphusium & Steynam, ad Turgeam pertinet, ac præter VII Pagos veteres, penes quos est Turgeæ dominium, Berna & Scaphusium juris & dominii aliquid Diessenhovii habent: sed tamen Diessenhoviani tantum octo Pagis juramento obstringuntur. Oppidi hujus cives privilegiis non paucis fruuntur, & peculiarem Senatum habent, & Sultetum, ut vocant; quinetiam jurisdictio aliquot pagorum in vincula ad ipsos pertinet; verum omnes in præfectura Turgeæ censentur, & una cum reliquis, attamen sub oppidi sui signo, Helvetiis militant.

Cæterum præter jurisdictiones Ecclesiasticarum familiarum & nobilium, complures sunt pagi quorum integra jurisdictio ad Helvetios pertinet. nominantur autem jurisdictiones Comitatus Turgeæ, ac apparitores Præfecti per hos pagos judiciis præsident. Fuerunt autem aliquando diversæ actionum & judiciorum formulæ, & variæ admodum consuetudines; verum septem Pagi Helvetiorum, consentientibus & in consilium adhibitis jurisdictionum dominis, communem quandam juris formam per universam Turgeam constituerunt. Porro si quis cum alicujus jurisdictionis domino controversiam habeat, eam ad præfectum Provinciæ defert, & ab illo jus petit.

Duplex autem est superioris juris forma in Turgea; aut enim causæ aguntur coram provinciali judicio, aut coram præfecto & ejus assessoribus. hoc vocant *dagsatzung*; alterum *das landtgericht*. Iudicium hoc provinciale non tantum ad septem Pagos pertinet, qui Turgeæ præfectos imponunt, sed præterea Bernates, & Friburgii ac Salodorii, ejus domini sunt. Convenit id aliquando Vitoduri, cùm Kyburgius Comitatus cum Turgea conjunctus esset: postea prope mœnia Constantiæ, postquam civibus ejus urbis à Sigismundo Imperatore oppignoratum fuit: alias etiam alibi habebatur: sed nunc Frawenfeldæ tantum habetur, & ab Helvetiis decreto cautum est, ne alio transferatur. Iudices sunt XII, quos præfectus deligit: & quatuor horum ex oppido Frawenfeldo, reliquos ex agro Turgeo. Iudicio præsidet præfectus nomine 10 Pagorum; vel Ammanus regionis; quem iidem Pagi constituunt; vel etiam alius vicarius, quem sibi præfectus substituerit. Appellationes ex tota Turgea in hoc provinciali judicio deciduntur. deinde ibidem judicantur pecuniariæ controversiæ, quæ ad hoc judicium deferuntur, & jure deferri possunt: item convicia, quibus alterius fama & honos læditur, causæ criminales & capitales. Porro de iisdem rebus omnibus præfectus cum suis assessoribus, qui plerunque sunt Ammanus provinciæ, & Scriba, atque Apparitorum primus, judicat: atque in actoris arbitrio situm est, utro judicio uti malit. Præfectus sua edicta & sententias executioni mandat, mulcta pecuniaria decem librarum imposita, ni intra dies 10 illis satisfaciat. Provinciale Iudicium non imponit mulctam pecuniariam suis edictis, sed bannum sive proscriptionem. hoc tantum sub mulcta edicit, nequis in judicio ipse causam agat, non adhibito actore aliquo è nu-

è numero judicum : item, ne quis intra ipsum consessum Iudicum ingrediatur. Qui præfecti edicta contempserit, accusatus custodiæ mandatur. Ab utroque Iudicio ad Helvetios provocare licet, &c, prout causa fuerit, à Pagis VII vel X cognoscitur. Similiter mulctæ omnes partim cedunt VII Pagis, partim X; nempe bona capite damnatorum, aut quæ ob noxam capitalem confiscantur, & mulctæ criminum, quæ cum capitali noxa cohærent. Sunt autem hæc omnia certo jure definita; & præfecto notum est, quid quibus Pagis cedat. Veluti sunt, exempli gratia, atroces injuriæ, etiamsi non puniantur capite : item si quis pacem sibi indictam manu violarit : injuriæ quæ alicui in publica & regia via inferuntur, sive vulnerando aliquem, sive spoliando, aut vim inferendo : item si quis sibi usurpet & vendicet privatim publicas vias : terminos aut bona fiduciario jure data transmutet : fidem publicam violet : dominos superiores, præfectum, aut judicium, contumelia afficiat, &c.

Porro quicunque superiori Iudicio capitalis noxæ rei pronuntiati fuerint, ad alios deinde judices accusantur; qui capitis sententiam ferunt. Numero hi sunt XXIV. Atque aliquando hic mos fuit, ut XII judicibus provincialis judicii totidem alii à præfecto adjungerentur, ex tota provincia ipsius arbitri delecti : hodie vero plerunque judices Frawenfeldensis oppidi de capite pronuntiant : idque fit vitandorum sumptuum gratia; qui longe majores essent, si Iudices ex tota provincia convocandi essent. Ab hoc Iudicio non licet provocare; attamen in arbitrio Præfecti positum est, sententiam à judicibus latam mitigare, aut genus supplicii capitalis mutare, vel damnato vitam concedere : aggravare autem Iudicum sententiam non potest.

S A R V N E T E S, vulgò S A R N G A N S.

Sarunetum sive Sarngensium regio quondam Comites habuit hujus nominis; à quibus Helvetii eam emêre. Fuerunt autem orti ex Werdenbergensium Comitum familia, quæ eadem fuit cum Montfortia; nam hæc in plurimas familias aliquando divisa fuit. Dividitur autem tota regio flumine non magno, quod Saram vocant, in duas partes. Superior habet vicos aliquot; quorum præcipuus est Regatium, ubi judicia ejus partis exercentur : item cœnobium Fabarianum; cujus Abbas quandam in his locis jurisdictionem habet. Videtur autem hæc pars olim ab altera separata fuisse, sic ut Sarunetum nomen ad illos pertineat, qui infra Saram habitant, & à flumine forte nomen habent; (alii enim sunt Sarunetes, quorum Plinius meminit, ad ortum Oeni fluminis, hodie Ingadini dicti.) qui vero supra flumen habitant, Regušcis aut Rhucantiis attributos fuisse verisimile est : hi & proprio judicio, & aliis mensuris atque ponderibus, quam inferiores, utuntur. Sanegaunum vero oppidum non magnum cum arce, in qua præfectus habitat, caput est totius præfecturæ. Oppidum ipsum, sicut & alterum, ejusdem præfecturæ ad lacum Rivanum, quod *Wallenstatt* vulgo nuncupatur, in antiquis autem diplomatibus Riva, proprium Consilium habet, & ejus præsidem Scultetum; quem tamen Helvetii, qui imperium præfecturæ obtinent, constituunt. Verum inferior tantum jurisdictio ad hos spectat. Quo modo etiam præcipui vici sua judicia habent. Supremum Iudicium rerum criminalium & capitalium Sanegauni habetur. Iudices deliguntur ex oppido & tota præfectura. Præsidet autem Iudicio plerunque loco Præfecti is, quem Ammanum regionis vocant. Præfectus ipse causam adversus reum agit : habet autem ex officiis Scribam & apparitorem. Si capitalium criminum rei teneantur Rivæ, illic Iudicium habetur, & capitis supplicium de condemnatis sumitur : sed Præfectus Iudicio præest, non Rivensium Scultetus.

R H E G V S C I, vulgò R H I N T A L.

Ii populi qui vallem hanc inhabitant, antiquitus à Ptolemæo Rhegusci, Plinio Rhugusci dicti, hodie vulgo *Rhingower*, sive *Rhintaler* audiunt; vallis ipsa, à Rheno nomen habens, dicitur *Rhintal*. Iacet supra ingressum Rheni in lacum Acronium ad sinistram ejus ripam; ad Orientem ultra Rhenum vicinos habet Brigantinum & Feldkirchensem Comitatus; ad Occidentem Abbatis-Cellensis pagus & Turgeæ pars est. Oppidum ejus præcipuum Rhyneggum est, in inferiori vallis parte situm, ubi totius vallis Præfectus commoratur. Secundas obtinet Altestettum; & præter duo hæc oppida, plurimi in hac valle sunt pagi, arcesque, quarum majoris nomenti sunt, Grunensteyn, Husen & Rosemberg.

Incolæ hujus vallis culturæ vinearum & nendo lino, quod in oppido S. Galli commode vendunt, potissimum student, & inde sibi victum comparant. Cives quoque S. Galli multa prædia & vineta hic habent, & non paucos colonos. itaque una cum incolis novum vinum æstimant, & certum precium constituunt; non

quod

quod teneatur quis vinum vendere, sed quod domini colonis, & alii itidem his, à quibus vinum hac conditione emerunt, juxta publicam æstimationem solvant. Instante enim vindemia, legati singularum villarum S. Gallum conveniunt: his unus aut alter è Consilio S. Galli adjungitur, & communi consilio de precio vini statuunt: si sententiis discrepent, & paria fuerint suffragia, is pagus, cujus vices tum fuerint, arbiter est: singuli enim pagi certis vicibus ex ordine arbitrii jus habent. Pretio vini constituto vindemia inchoatur; neque enim antea licet uvas colligere. Dividitur autem tota præfectura in partes certas, quas *hoof*, villas, nominant. quarum hæc sunt nomina; Altestettum oppidum, Marpachium, Bernangum, Taal, (ad hanc villa Rhyneccum pertinet,) Oberrieda. Singulæ villæ propriam jurisdictionem habent, & duos Ammanos; quorum unum præfectus Helvetiorum, alterum Abbas S. Galli constituit. Multarum, quæ in his imponuntur, pars media Abbati cedit, altera Helvetiis. Altestetti tamen mulctæ trifariam dividuntur, & tertia pars oppidanorum est. Mentio hic fit Lustenovii. ajunt autem quidam, inferiorem & superiorem jurisdictionem hujus loci spectare ad Austrium Principem. Iudicia rerum capitalium Helvetiorum sunt, ac Præfectus eorum hæc exercet in his villis, in quibus crimen capitale commissum est. Iudices sunt Ammani villarum.

PRÆFECTVRÆ ITALICÆ.

Præfecturæ Helvetiorum Transalpinæ, sive ultra Alpes, in Italia sitæ, antiquorum Lepontiorum terras occupant; sunt autem quatuor, Luganensis, Locarnensis, Mendrisiana & Madia vallis; quæ in Helvetiorum potestatem pervenerunt anno 1513, ex dono Maximiliani Sfortiæ Mediolani Ducis, post pulsos operâ & auxilio Helvetiorum, consilio & auctoritate Iulii Papæ, ex Italia Gallos. Verum triennio post Franciscus I, Gallorum rex, cum Helvetios ad Marignanum vicisset, & pulso Maximiliano Mediolanense dominium rursus Gallis vendicasset, pace Friburgi facta, donationem hanc Helvetiis sua auctoritate confirmavit. Idem fecere alii qui Gallis in imperio Mediolanensi successerunt. Obtemperant hæ præfecturæ omnibus Helvetiorum pagis, unis exceptis Abbatis-Cellensibus; hi enim, cùm Helvetiis primum hæ regiones datæ sunt, nondum in numero Pagorum fuere, sed proximo demum anno in eum asciti sunt.

LVGANVM.

Primum inter Præfecturas Italicas locum obtinet Luganum, incolis *Lugano*, Germanis *Lowetz*, oppidum ad lacum, qui à nonnullis ab oppido Luganensis, ab aliis Gauni lacus dicitur; is ad lævam habet Larium lacum, Verbanum sive Majorem à dextris, in quem per fluvium Treça vulgo dictum se exonerat. Oppidum ipsum à frequenti nobilitate inhabitatur; præfectura juxta lacus Luganensis ripam dextram extensa est, confines habens Præfecturas Locarnensem, & Bilitionensem, nec non Mediolanensium ducatum. Cæterum Præfectus hujus regionis Capitanei nomine honoratur, & omnium præfecturarum habet regimen, si bellum subito in hisce regionibus oriri contingat; eadem quoque quo Locarnenses regiminis utuntur forma, quam describere aggredior.

LOCARNVM.

Proxima priori inter Præfecturas est Locarnensis, nomen ab oppido præcipuo consecuta. Olim temporibus Ducum Mediolanensium Comitatus unus erat ager is totus, cui nunc Locarnensis Præfectus imperat, (si tamen Brisagum oppidum excipias,) una cum eo, cui Madianus præfectus præest. Comites vocabantur Ruscæ; qui nobiles Comenses erant, magnæ authoritatis: ita ut urbe Como, vel Novocomo, potiti sint; quam tamen Duci Mediolanensi restituerunt anno 1416. sed Comitatus iste postea divisus fuit, & vallis Madia à Locarnensi ditione sejuncta est. Quo tempore vallis quoque Verzascha, & Gambaronium, Potestates quosdam sibi eligendi, jus facultatemque obtinuerunt. Amplitudo ejus qui Præfecto subjicitur agri, ex conventuum sive parochiarum numero colligi potest: Parochias enim computant plures viginti.

Oppidum hoc Italice *Locarno*, Latine Locarnum, Germanice vero *Luggaris* appellatur. Sic autem appellatum plerique existimant, quod sit quasi locus carnium, quia ager bonis suavibusque carnibus abundet. In plano situm est, inter radices montis altissimi, & Verbani lacus ripam. Habet ab oriente lacus, initium & caput; à meridie lacus ipsius, quasi collum gracile, & ultra lacum excelsos montes. Ab occasu diffunditur in pectus suum; à tergo, quod septemtrionem spectat, montes sunt magni. Orientem versus, ad fines agri Bellitionensis, campus est amplissimus, fœni in primis ferax, per quem Ticinus amnis delabitur. Non procul vero ab oppido inter jam dictum campum & ipsum oppidum, & inter montis radices & Verbani ripam, præ-

dia sunt lætissima, frumenta vinumque simul ferentia. Ad occasum, juxta oppidum, agri sunt satis late patentes, & valde fertiles. hi olim latius patebant, sed à vicino fluvio vastati sunt, & abrepti. Montes vero longo tractu porrecti, vitibus optimis ordine pulcherrimo dispositis consiti sunt. Porro oppidi amplitudo è familiarum numero cognosci potest. numerantur enim familiæ plus minus quadringentæ. Habuit ante annos non ita multos amplissimam & munitissimam arcem, turribus multis insignem & claram, magna fossa circundatam. Sedes quondam fuit Ruscarum Comitum præcipua. Galli arcem annis aliquot tenuerunt, ab anno Domini 1499 usque ad annum 1513, Comitibus arce quidem privatis, sed non pulsis. In ea palatium erectum est, quod etiamnum integrum & intactum visitur: estque prætorium, hoc est, domus præfecti; in quo tamen habitat ipse quoque interpres, & satelles, ambo Helvetii. Portus intra arcis muros est egregius, in quo naves armatæ olim servabantur. Anguli ejus quatuor (est enim quadrangulus) turribus totidem muniti erant. In ambitu murum habebat bene firmum. Alluebatur tum temporis Verbano; ideo naves è portu in lacum commode exponi poterant. Nunc tanta illic congesta à vicino fluvio, Madia dicto, glareæ vis conspicitur, ut intervallo satis magno à lacu distet. Diruta postea fuit arx tota, præter palatium, ab Helvetiis, anno salutis 1531. Fundamenta adhuc extant omnia, & parietes ædium multarum. Oppidum nullum est ad Verbanum situm quod Locarnum amplitudine vincat. Nobiles quoque habet plures, quam ullum aliud, ideoque primarium & princeps oppidum est. Quanta autem sit loci hujus amœnitas, ex jam posita descriptione satis liquet. Aëris vero temperies, clementia & salubritas tanta, quantam optare licet. Austri non nisi refracti & retusi eo perveniunt, propter objectos illis montes. Boreas & ipse sæpe clementior est, propter altitudinem montium, oppidum hoc quasi tegentium. Ab oriente in occidentem perflatus est liberrimus. Nullæ ibi stagnantes aquæ, nullæ paludes.

Arx Locarnensis.

Agri fertilitas.

Montium Locarnensium radices, & reliqui territorii bona pars, vini, ejusque generosi & optimi, feracissima est. In collibus & montibus vites palis alligantur, sub quibus fœnum nihilominus provenit: in planitie arboribus, quos *rumpos* vocant, maritantur; è quibus palmites bini & bini prælongi mutuo implexi, ad extremos oculos colligati, hinc & inde, ab una ad aliam arborem traducuntur: & ubi arbores longius à se invicem absunt, aut palmites breviores, quam ut arborem contingant, (quod fere in vineæ latitudine accidit,) tum palmitum extrema ex duabus contra se positis arboribus committuntur (virga interdum media) satis alte, ne frumentis, & frugibus aliis, quæ illic satæ succrescunt, impedimento sint. Palmites hi uberem & incredibilem uvarum proventum exhibent. Vvæ grandes sunt, & ut plurimum bene maturescunt: unde fit ut pressis calcatisque illis ingens musti copia exprimatur. Agri in universum non adeo late patent, ob lacum & montes proximos: sunt tamen fœcundissimi, tum soli bonitate, tum agricolarum industria, crebraque stercoratione. Cum enim agri non multi sint, oppidum vero satis populosum, summa cura & quasi otio excoluntur. Vicecuplum non raro reddunt. Bis in anno messis celebratur. mense Iunio demetunt triticum optimum, &, quam vocant, siliginem. secunda messis est Octobri. milium, panicum, & aliæ fruges è secunda aratione & satione colliguntur. Montes & valles carnium optimarum, hœdorum inprimis copiam mittunt & suppeditant: dein perdices, phasianos, aviculas, lepores, capreas, butyrum, & caseum abunde suggerunt. castanearum quoque uberrimum proventum alendis rusticis idoneum. Comedunt illas crudas, recentes, siccasque; similiter & coctas, modo elixatas, modo assatas: ex iis farinam quoque faciunt, & panes pinsunt, farinamque ad alios usus multos adhibent: imo castaneæ nobilium deliciæ sunt. Quamobrem si castanearum proventus felix fuerit, fame & inedia vix laboratur; cum scilicet sint illis

—— *mitia poma,*
Castaneæ molles, & pressi copia lactis.

adde, & vini. Proveniunt illic ficus optimæ; mala, sive poma, multorum generum, valde mitia; sic & persica, pira, cerasa, & multi alii fructus non ignobiles, ut pruna multiplicia, malogranata, cydoniaque, olivæ & arancia, & alii fructus, non infeliciter illic veniunt. Lacus piscosissimus est, & multa gignit piscium optimorum genera. Mediolanum sæpenumero pisces, inprimis truttæ, venum mittuntur. In summa, rerum propemodum omnium ad victum humanum necessariarum abunde satis illic habetur. Solius frumenti caritate laborant non raro, agrorum, sicut commemoratum est, paucitate. Sal aliunde importatur.

Sylvæ.

Regio propter vicinos montes, & valles, sylvis cæduis referta est, in quibus proceræ, speciosæque & pretiosæ arbores, larix in primis (quæ etiam agaricum gignit selectissimum) & abies, ad ædificia cum primis expetitæ, crescunt, ex quibus Locarnenses magnum lucrum faciunt. Excelsæ enim arbores cæsæ primum in partes aliquot, quas *borras* vocant, secantur, ut commodius per angustias vallium, perque flexuosos & saxosos torrentes in Verbanum deduci queant; ubi

postea

poſtea in rates diſpoſitæ per totum Verbani tractum, deinde per Ticinum fluvium (qui, ut influit in Verbanum, ita ex eodem effluit) Mediolanum & Papiam magna copia deducuntur: nec tantum trunci illi arborum, ſed etiam tigna, ſive trabes larignæ, longæ & pulchræ. aſſeres quoque ex iiſdem arboribus abſque numero. lignorum item variorum copia pro calcariis. ſic & carbonum. Papia rurſum per Padum, in quem Ticinus ſeſe exonerat, Cremonam Placentiamque deſcendunt. Imo ſi velint, Ferrariam, & Mantuam, & Venetias uſque, & in Adriaticum mare. Arborum trunci juſtam ſuam quandam tum longitudinem, tum craſſitiem habent. mercatorum quoque ſigno notantur. ſimiliter & tignorum vallis Verzaſcha, & vallis Media, aliæque proximæ, incredibilem numerum dant; ubi torrentes impenſe augentur.

Mercatus. Celebratur Locarni altero quoque Iovis die mercatus frequentiſſimus & celeberrimus, & naves ex omnibus Verbani lacus oppidis illuc advolant; in quibus hominum multitudo non vulgaris. Conferunt ſe eo emendi magis, quam vendendi gratia. Confluunt multi è variis ducatus Mediolani oppidis, è vicinis præfecturis, Luganenſi, & Bellizonenſi, item è Meſauciis, & Lepontiis; ut nihil dicam de vallibus & pagis omnibus Locarnenſis & Madianæ præfecturæ. Longe lateque ſi illinc proficiſcaris, tam celebrem mercatum vix reperias. Platea ibi eſt ad lacum capaciſſima, in qua mercatores tentoria multa & cadurca figunt contra tempeſtatum injuriam.

Populi ordines. Vniverſus populus in tres claſſes diſtributus eſt: nimirum in nobiles; cives antiquos, quos illi burgenſes nuncupant; & eos, qui aliunde illuc habitatum conceſſerunt; quorum tamen plerique annis centum & amplius ſedes ſuas eo in loco fixas habuerunt. Nobilium familiæ, hoc eſt, cognationes, ſunt quatuor, Aureliana, Muralta, Magoriana, & præterea Dunorum familia cæteris antiquior. Plebis deinde nomine cenſentur dominii totius habitatores, alii omnes in pagis & vallibus. Et communio ſocietaſque omnium ſimul Communitas appellatur.

Magiſtratus. Principio præfectus, qui Commiſſarius vocatur, à duodecim Helveticorum Pagorum rebuſpub. altero quoque anno finito, modo ex hoc, modo ex illo Pago, juxta Pagorum leges & fœdera electus, Locarnum mittitur.

Hic merum imperium habet,ſummamque poteſtatem animadvertendi in ſontes; quos ſolus morti (ſi crimiuis atrocitas ita poſtularit) addicit; niſi de more aliquos ſibi aſciſcat viros judicio præſtantes, & patriarum legum morumque peritos. Ad jus autem dicendum non admittitur, niſi prius ſolenni jurejurando populi leges, & inſtituta, quæ ſtatuta, id eſt, municipalia jura vocant, ſe ſervaturum promiſerit. Quod ubi præſtitit, populus, qui tunc præſens eſt, ſolenni publicaque acclamatione illum pro legitimo ſuo præfecto agnoſcit, & obedientiam, fidem, obſervantiamque interpoſito juramento promittit. Cæterum, quia præfectus Helvetica, populus autem Italica lingua loquitur, præfecto interpres Helvetius ab ipſis dominis electus (à quibus etiam ſuum accipit ſtipendium, non à Locarnenſibus, ut præfectus) adjungitur. Per hunc interpretem præfectus ad populum & cauſidicos, populus viciſſim & cauſidici ad illum,referunt omnia; hacque ratione cauſas ille cognoſcit & judicat,Notariis omnia Latine excipientibus. Reipub. rebus, de quibus mox dicam, præfectus ſe non immiſcet; nam penes populum plena poteſtas eſt Magiſtratus ſuos, ſive officiales, creandi, & de rebus omnibus ad rempublicam pertinentibus conſtituendi & ordinandi.

Eligitur præterea Procurator fiſci, qui criminales cauſas urget,& pecuniam fiſco,quam Cameram vocant, adjudicatam ſervat. Creatur & hic à Dominis, ſed civium Locarnenſium unus ut plurimum. Magiſtratum is gerit quandiu viſum fuerit Dominis.

Quarto, ab iiſdem dominis præfecti vectigalium conſtituuntur. Nam quotannis æſtate, quando Legati duodecim illuc veniunt, cum uno aut pluribus civibus, quibus jus exigendorum vectigalium aſſignant, certa pecuniæ ſumma paciſcuntur,quam Præfecti elapſo anno Dominis perſolvunt. Hos Magiſtratus quatuor, domini ipſi creant.

Porro præfectus ſatellitem ſibi deligit, plerunque conterraneum ſuum, qui ab ipſius latere non diſcedit, ſed præſto ſemper adeſt, ſecuri halabardica, gladioque armatus. Primus apparitorum eſt, & ſontibus capiendis cuſtodiendiſque in vinculis præeſt. Quoties autem Domini illuc proficiſcuntur, hunc pro oſtiario habent; numerantque ei ſtipendium Domini ipſi, quemadmodum & interpreti.

Ab eodem Præfecto, ſeu Commiſſario, vicarius, qui Locum-tenens dicitur, eligitur; civis ſcilicet aliquis, cauſis tractandis jurique dicendo idoneus. is abſente, aut laborante, aut aliter præpedito Præfecto, illius nomine & vice pro tribunali ſedens, cauſas quaſlibet civiles, quantumvis graves, judicat, ut qui eadem, qua Præfectus, authoritate & poteſtate polleat iis in cauſis.

Apparitores præterea aliquot è populo à Conſilio, de quo mox verba fient, eliguntur, qui ad omnia imperata dicto audientes ſint. Serviunt autem & obediunt cum præfecto, tum etiam reipublicæ, ſive communitati. Atque hi ſunt dominorum & præfecti Magiſtratus ſive officiales.

Populus & plebs, quæ nunc reliqua eſt, Comitatus illius, ex veteri more quotannis calend.

calend. Januarii viros XXI deligit, quos Consiliarios vocant, quia reipub. à consiliis sunt. Horum XII ex præcipuo oppido, Locarno scilicet, assumuntur: tres è proximo alio oppido, Scona, vel, ut aliis placet, Ascona: reliqui sex è pagis & aliis vallibus, hoc est, è plebe reliqua. Eorum, qui Locarni eliguntur, sex sunt è nobilitate, quatuor ex antiquorum civium cœtu, & duo ex residuo populi: nonnunquam vero tres; è nobilibus autem tantum quinque. E tribus porro, qui è populo Sconensi fiunt, unus de nobilibus Dunis, duo alii de populo universo eliguntur. Quum autem ex plebe sex alios Consiliarios creari dixerim, per plebem dominii loca ea omnia intelligo, quæ Potestates sive Præfectos alios non habent, præter summum illum præfectum Commissarium. Quod ideo admonendum hic est, propter oppidum Brisagum, vallem Verzascham, & Gambaronium, quæ Potestates suos, id est, subpræfectos quosdam, & privata etiam jura, obtinent, ut paulo post monstrabitur, & Consiliarios non creant.

Consiliarii.

Consiliariorum autem munus & officium est, videre curareque diligenter ne quid detrimenti respubl. capiat: præterea sumptus publicos & stipendia omnia decernere, quæque ad totius reipub. incolumitatem facere videntur, disponere & ordinare.

Procuratores.

Consiliariis Procuratores adjunguntur septem, qui, quæ à Consilio sive Consiliariis decreta, sedulo diligenterque curant: dantque operam, ut quique suum faciant officium, nihil negligant, omnia exequantur. Sunt etiam Ædilium loco, quoniam ædificia publica procurant. Hi non carent fideli Scriba, quem Cancellarium appellant, à quo omnia Consilii acta in tabulas referuntur.

Porro autem, quia Communitas nullam publicam pecuniam reponit, Quæstor ærarius quotannis novus creatur, qui à Consiliariis decretam pecuniæ summam colligit & exigit à Consulibus sive Conventibus. Quilibet enim conventus, sive parochia, suum habet Consulem, (vocari autem Consules videntur, quod quique publicis suorum pagorum rebus consulant, sintque patres pagorum quidam;) qui veluti minores quæstores sunt. Hi à singulis patribus familias, vel à familiis, exigunt debitam pecuniam, quam scilicet Consiliarii præscripserint, & imposuerint illis dinumerandam & solvendam: quam quidem Quæstori numerant. Modus autem exigendi est, pro cujuslibet familiæ & parochiæ ratione census honorum, sive juxta æstimationem bonorum, & taxationum numerum. scit enim quælibet non modo parochia, verum etiam familia, quantumvis minima, quid quantumve debeat pro quaque taxatione. Vna vero taxatio illis est librarum centum Imperialium summa, aureorum videlicet Rhenensium viginti septem, tertia unius parte minus. Consules itaque à familiis, Quæstor à Consulibus exigit: qui ostea suum, in primis dominis Helvetiis, annuum censum persolvit: qui & Præfecto, & Medicis & Ludimagistris, & apparitoribus, & quibuscunque aliis publico stipendio conductis, sua stipendia exponit: adhæc sumptus alios publicos omnes facit: & in summa, quicquid reipub. nomine dandum est, dat. Elapso suo anno, administrationis rationem coram Consilio aut Procuratoribus reddit: subductaque ratione accepti & expensi, si plus expendit quam acceperit, successor reddit: sin contra, quod superest, successori dinumeratur.

Præter jam dictos magistratus hos quoque creant; nimirum duos annonæ præfectos, (ut alios quosdam minores officiales prætercam;) totidem, qui viis purgandis, reparandis, sternendisve præsunt. Creantur hi omnes à Consilio.

Sconæ quoque oppidum in hac præfectura est Locarno vicinum, & amplitudine ejus æmulum, sed non ita populosum, in planitie & ad lacum situm; hic Dunorum familia sedem suam, & bona plurima habet.

Ad Locarnensem præfecturam pertinet etiam oppidum Brisagum, ad Verbani lacus ripam septentrionalem, in finibus totius Helvetici dominii: quatuor millibus passuum à cœnobio distans. Item vallis Verzascha, ad orientem, à flumine Verzascha per ipsam descendente nomen habens. Similiter & Gambaronium, ad Verbani littus meridionale. Habent vero loca hæc suos subpræfectos, quos Potestates nominant, ad quos civiles duntaxat causas referunt: nam criminales non nisi sub communi Præfecto Locarnensi tractant. Imo in causis illis civilibus ad Commissarium provocare licet.

Brisagum &c.

Porro quum subpræfectos illos sibi ipsis præficiant, quos volunt è suis, vallis Verzascha & Gambaronii habitatores; Brisagi tamen populus id juris non habet, sed præfectum de Aureliana nobili familia, quæ Locarni est, altero quoque anno sibi eligit quem vult. Horum locorum incolæ pecuniæ nihil contribuunt; suam tamen portionem census dominorum, & stipendii Commissario debiti, conferunt, suos quoque publicos sumptus ipsis suis in pagis faciunt.

VALLIS MADIA.

Vallis Madia, quam Germani *Maynthal* vocant, à fluvio Madia, vulgo Mayn, nomen habet, juxta cujus ripas extenditur, versus meridiem Locarnensem Præfecturam, versus Orientem Versacam Vallem habens, cæteras ejus partes Vallesii & Vrienses termi-

terminant. Longitudo ejus ad sex leucas Germanicas extenditur. Vibibus caret; vici ejus vero sunt ad sinistram Madiæ ripam siti; *Fusio*, *Sornico*, *Brolio*, *Manzono*, *Brontal*, *Lausera*, *Mogeno*, *Zumano*, *Cono*, *Cordanco* & *Venio*: ad dextram Madiæ ripam, & ubi Rowanæ amnis aquas recipit, sunt *Cerentino*, *Rusco*, *Campo* & *Bagnasco*; juxta dictum amnem conspiciuntur *Verizzino*, & Madia sive *Maggia*, aliique nonnulli. Madia fluvius, à Germanis *Mayn*, dictus, oritur è Furcula monte S. Gothardi monti proximo, medius inter Ticinum & Tossam fluvios, valles hanc secius labitur, tandem Rowanæ, Doliæ & Livini annium aquis auctus, in lacum Majorem sive Verbanum se exonerat.

Cæterum Præfectura hæc eodem quo præcedentes modo regitur.

MENDRISIUM.

Mendrisii præfectura ad sinistram lacus Gauni est, olim Luganensium appendix. Præfectum ei imponunt duodecim Helvetiorum pagi, quisque suo ordine; regimen verò plane idem cum superioribus habet.

BILITIONUM, vulgò BELLIZONA.

Italicis præfecturis connumerari forte potest Bilitionum oppidum, quod paret tribus Pagis, Vriis, Suitiis & Vnderwaldiis. Fuit hoc oppidum Comitum Misauciorum; qui eo spoliati à Duce Mediolani, cum denuo per insidias oppidum cepissent, vendiderunt illud Vriis & Vnderwaldiis: cæterum iisdem artibus quibus Misaucius oppidum Duci ademerat, illis Helvetiis quoque ademptum, & à Duce recuperatum fuit. Ab eo tempore (facta autem sunt hæc circa annum Domini 1422) multa bella Helvetii hujus oppidi recuperandi gratia gessere, & demum anno 1500 ejus possessionem adepti sunt. Cum enim inter Sfortias & Gallos assidua bella vigerent, cives, ut suæ quieti & paci consulerent, sese Vriis dedidere: cæterum Galli Insubribus potiti, sæpe id, sed frustra, ab Vriis & eorum sociis repetiere. Ac demum eo tempore quo Helvetiis traditæ sunt quatuor præfecturæ à Mediolanensibus Ducibus, Bilitioni imperium tribus Pagis confirmatum est. Dividitur autem Bilitionensis ditio in tres præfecturas, Bilitionum, vallem Palensam & Rivieram. quæ ita administrantur à tribus Pagis per vices, ut semper singuli Pagi unam è tribus præfecturis obtineant: itaque si Vrii præfectum Bilitiano imposuerint, Suitii Palensæ valli, & Vnderwaldii Rivieræ imperabunt; ac postea Vrii Rivieram, Vnderwaldii Palensam, & Suitii Bilitionum præfectum mittent: & quia Rivieræ præfectura exiguos proventus habet, plerumque is qui Bilitiono præfuit, postea Rivieræ quoque præponitur.

ABBAS S. GALLI.

Inter Socios & confœderatos Helvetiorum primum sine controversia locum obtinet Abbas S. Galli, & oppidum. Abbatum S. Galli multis seculis magna fuit potentia, & non contemnendæ opes; ac inter Principes imperii numerantur. Cæterum à quo Imperatore titulum & honorem hunc acceperint, mihi incertum est; Stumpfius annotat, à Conrado Favariensi, annalium scriptore, tradi, Vlricum abbatem, ex Altosaxa familia oriundum, Basileæ à Philippo Augusto in Principem promotum. Et quamvis nostra ætate non tanta sit Abbatum potentia atque olim fuit, magna tamen nihilominus est, & late imperant. Paret illis in Turgea oppidum Wila, ac eo loco palatium & vicarium habent: deinde in superiori Turgea, ager populosus & non contemnendus imperio abbatum subjectus est; incolas vocant *die Gottshousleut*, homines Domus Dei, sive cœnobii. qui in certas regiones (*gegninen*) distributi sunt, quarum hæc sunt nomina Helvetiorum linguâ, *Roschach*, *Thumbach*, *Gold*, *Vnderegg*, *Morswyl*, *Tablata*, *Gottsouw*, *Waldkilch*, *Romiszhorn*, *Summery*, *Mula*, *Hettischwy*, *Bernhartscell*, *Lumiswyl*, *Berg*, *Wittenbach*, *Rodtmont*, *Strubencell*, *Geiserwald*, *Helfenschwyl*, *Bergknecht*, *Zuzwil*, *Ziberwangen*, *und Wiger*. Sunt autem hæc loca in certas præfecturas distributa, quibus præfecti ab Abbate imponuntur: præterea in plerisque locis suos Ammanos & officiales habet, qui ipsius nomine minorem jurisdictionem exercent: summum judicium quoque ab ipso constitutum est, ad quod ab his minoribus provocationes fiunt, & ubi graviores causæ disceptantur. Præterea officia omnis generis pro more Principum constituta sunt. Porro præter jam dictam regionem Comitatus Toggenburgiorum Abbatem S. Galli dominum agnoscit; qui etiam præfectum regioni constituit, summum judicem rerum capitalium: interea Toggenburgii cives sunt Suitiorum & Glaronensium, & sua privilegia & immunitates habent, quarum beneficio inter alia libertate religionis fruuntur. Item in præfectura Rheguscorum, quæ ad Helvetios spectat, minor jurisdictio in plerisque vicis ad Abbatem pertinet, qui etiam Ammanos suos in his habet.

Gallus, à quo locus nomen habet, ex Scotia claris parentibus natus, Columbani Abbatis discipulus, cum eo in Galliam profectus est, & inde in Germaniam, ad Lindiniacum flumen,

flumen, in loco qui Tuconia dicitur, (is *Tuggen* nominatur, juxta Lintham seu Limagum fluvium, ad caput Tigurini lacus,) contra diversi generis idololatrias Christi fidem ferventer populo annunciavit. Brigantii item ad caput Acronii, & Arbore Felice, atque aliis in locis Helvetiæ, circiter annos sedecim Christum prædicavit. A Gomzone autem Duce Alemannorum ad Episcopatum Constantiensem vocatus, id munus suscipere renuit, sed Duci author fuit, ut munus hoc committeret Ioanni, uni è numero suorum discipulorum, quem ad hoc maxime judicabat idoneum: ipse vero, circa annum Domini IↃC XXX, in montana loca supra Acronium lacum sese contulit, solitudinem amans, & eo loco, ubi hodie Cœnobium & oppidum S. Galli visitur, cellam extruxit, atque cum aliquot discipulis in studio & meditatione rerum sacrarum ætatem suam illic transegit. Post obitum S. Galli, discipuli ejus eodem loco perseverantes, studia ejus imitati sunt; nullam tamen ab initio certam regulam profitebantur: verum cum Francorum reges & Duces Alemanniæ pietate eorum delectati, eos muneribus multis afficerent, crevit fratrum numerus, & cella S. Galli paullatim in cœnobium mutata est: itaque anno 80 post D. Galli mortem, à Waltramo Comite & regum Francicorum præfecto petierunt sibi Abbatem dari. Is Otthomarum presbyterum educatum in Collegio Curiensi apud Rætos, mittit ad Pipinum Caroli Martelli filium Francorum Principem; qui ex patris sententia hunc primum Abbatem fecit S. Galli: & tum primum D. Benedicti regulam fratres profiteri cœperunt. Ab eo tempore cœnobium opibus & potentia plurimum crevit, ita ut hujus loci Abbas inter Principes numeretur; ac antiquitus sub tutela Romanorum Imperatorum fuit, qui cœnobio Advocatos ex nobilibus harum regionum, quæ Alemanniæ nomine censebantur, dedere. Verum cum in variis dissidiis Pontificum & Imperatorum ab his negligeretur cura cœnobii, &, bello deinde exorto inter Abbatem & Abbatiscellanos, experti essent cœnobium opus habere fortibus aliquibus Advocatis, cum cives oppidi, qui in ipsis quasi visceribus cœnobii hærebant, Abbatiscellanis conjuncti essent, & ex clientibus Abbatis plerique his faverent: ideoque Caspar Landenbergius Abbas ordine LII, de consilio suorum fratrum, petiit à quatuor Pagis Helvetiæ, Tiguro, Lucerna, Suitia, & Glarona, se jure civitatis cum suis donari, eosque cœnobii Advocatos & defensores suæ libertatis & omnium suorum bonorum, possessionum, jurisdictionum, consuetudinum, privilegiorum constituit. Est autem jus hoc civitatis perpetuum, quod à singulis Abbatibus, cum primum electi fuerint, renovatur; ac spondet Abbas, omnia loca suæ ditionis quatuor Pagis semper aperta fore, ut ubique liberum receptum habeant: item si quæ controversia illi cum quoquam oriatur, se velle judicio horum Pagorum stare. Postea Abbas Vlricus, cognomento Rufus, qui Landenbergio successit, hoc addidit priori fœderi, ut singuli IV Pagi ordine mittant virum Senatorii ordinis, qui biennio cum Abbate maneat, & sit totius regionis Capitaneus. hic judiciis interest; & omnium mulctarum semissis cedit Helvetiis. Sancitur præterea eodem pacto ut omnibus bellis subditi Abbatis quatuor Pagis militent. Quod autem Abbas Vlricus renovavit fœdus, & se arctius conjunxit quatuor Pagis, causa fuit, quod proximis annis, cum cives S. Galli & Abbatiscellani conspirassent cum subditis Abbatis, & destruxissent Rosaci cœnobium, quod Abbas novum illic extruebat, quatuor Pagi, cæteris Helvetiis in auxilium evocatis, Abbatis jura fortiter asseruerunt, & ejus adversarios graviter multarunt. Durat hæc societas nostra quoque ætate; & quamvis non omnes Pagi quoad religionem cum Abbate consentiant, mittunt tamen illi ex fœdere Capitaneum, qui civilium rerum administrationi interest, & in his rebus privilegia & jura monasterii tuetur.

Religio. Ii qui Abbatem S. Galli Dominum agnoscunt, ejusque terras incolunt, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ ritibus sunt addicti, quippe *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

OPPIDVM S. GALLI.

Oppidum S. Galli originem suam & incrementa cœnobio debet, libertatem Romanis Imperatoribus, qui Imperio hoc oppidum univerunt, & privilegiis atque immunitatibus multis donarunt. Mœnibus primum cinctum est temporibus Arnolphi Imperatoris, metu irruptionum Hungaricarum, & una cum monasterio sub Imperii tutela fuit; multis quidem in rebus Abbatibus obnoxium, interim sua quoque jura cives habuere, quæ Imperatorum beneficio & sua industria subinde auxere: cæterum, aucto civium numero, & crescentibus etiam interea cœnobii opibus, frequentes inter eos lites extiterunt, quæ sæpe vicinarum urbium arbitrio, aliquando Romanorum Imperatorum sententia, compositæ sunt; multoties quoque pecunia Abbatibus numerata eorum postulatis satisfecere, & suam libertatem redemptis illius juribus auxerunt. Verum cum Abbatiscellani bellum Abbati Cunoni movissent, cives, qui pro Abbate initio pugnarant, non absque sua clade, postea Abbatiscellanis fœdere sese conjunxerunt: cæterum finito hoc bello, cum aliquot annis postea Abbas Landenbergius jus civitatis apud quatuor

tuor Helvetiorum Pagos impetrasset, cives oppidi, ut se quoque iisdem præsidiis munirent, cum sex Pagis Helvetiorum, Tiguro, Berna, Lucerna, Suitia, Tugio, & Glarona, perpetuum fœdus fecerunt. Confirmatum est fœdus hoc juramento pridie Ioannis Baptistæ anno 1454, & à civibus Helvetiorum Legati publico convivio excepti sunt, cui circiter 1500 homines interfuerunt. Ante hoc fœdus cives S. Galli cum quibusdam Pagis Helvetiæ ad certos annos fœdus fecerunt cum Tigurinis, Constantiensibus, Scaphusianis anno 1312, & 1347, & sæpe alias cum Tigurinis & Constantiensibus: cum Tigurinis item, Bernatibus, Vriis, Suitiis, Vnderwaldiis, anno 1329. Sed hæc paucorum annorum fœdera omittenda putavi, adnotato ultimo, quod nostra ætate durat.

In hoc oppido linea tela elegantissima texitur, idque maxima copia, quæ postea non tantum per Germaniam, sed per Galliam, Italiam, Hispaniam, Bohemiam, Poloniam divenditur: unde oppido nomen celebre, & magnæ opes civibus, qui Bysantii & in ipsa Africa & Asia institores suos habere consueverunt, comparantur.

Dividitur oppidum in nobilium societatem, quam Nottensteyniam vocant, & præterea in Tribus sex, inter quas primum & præcipuum locum obtinet textorum Tribus. Duo præterea habet Consilia, majus & minus. Majus Consilium constat hominibus LXVI; undeni namque è singulis tribubus in Consilium deliguntur. Minori intersunt homines XXIV; Duodecim tribuum magistri; novem præterea alii Senatores,& tres Consules, primus qui Consulatu fungitur; secundus, qui vetus Consul dicitur, & proxime Consulatu abiit; & tertius, qui præest judiciis rerum capitalium. Hoc Consilium administrat res urbanas,& controversias civiles dijudicat, & de hæreditatibus & testamentis sententiam fert. Populus universus ter quotannis Reipub. causa convocatur; primum quando Consules deliguntur; Secundo, proximo die post natalem Servatoris, quæ D. Stephano sacra est; tum cum jusjurandum dant novo Consuli, & se obedientiæ magistratuum obstringunt: tertio, XV. Augusti, posteaquam tributorum ordinatio constituta fuerit, quæ tum publice in conventu populi recitatur. Primum inter judicia urbis est Quinquevirorum; sunt autem ii Consul, Tribunus, è novis Magistris tribuum unus, & duo è novo Senatu; hi judicant de credita pecunia, de deposito, de debitis, quæ non habent præfinitum certum terminum, de mercede debita, de controversiis ad annonam pertinentibus, de injuriarum actionibus, & mulctis: ab eorum autem sententiis non datur provocatio, sed ipsi graviores sive obscuriores controversias ad minorem Senatum remittere possunt. Alterum est Vrbanum, *das Statt-gericht*, constans assessoribus duodecim; huic præest Prætor Vrbanus, vulgo der *Statt-Amman*; ad hos pertinet controversias de debitis, permutationibus, annuis censibus judicare, sed ab iis ad minorem Senatum licet provocare. Præterea Consistorium sententiam fert de controversiis Matrimonialibus, & de divortiis; neque ab ea provocare licet: Præterea habet oppidum hoc Tribunum ærarii, vectigalium & portoriorum Præfectum, Ædiles, Telarum inspectores, & juratos mensores, nec non mensurarum inspectores. Omnes porro qui urbem vel jurisdictionem ejus inhabitant, religionem, quæ Reformata dicitur, profitentur.

Religio.

R O T E V I L A.

Rotevila ultra Danubium in Germania ad sinistram Nicri fluvii sita est, non longe ab utriusque fluvii fontibus. Oppidum hoc inter Romani Imperii urbes non incelebre est. eo enim loco judicium Imperii exercetur; quod Curiæ judicium, *Hofgericht* vulgo, nuncupatur; ad quod vicinæ regiones in gravibus causis provocant, ac, qui huic contumaces fuerint, Judicum sententia Imperiali banno subjiciuntur, ac quasi proscribuntur. Ferunt autem à Conrado III Imperatore ante plures quam quadringentos & viginti quatuor annos institutum esse. Fœdus primo junxere Rotevilani cum Helvetiis in annos quindecim, Friderico III imperante, an. 1463. Idem fœdus aliquoties ab illis renovatum est, ac an. demum 1519 cum omnibus Helveticis Pagis perpetuum fœdus sanciverunt. Bello Suevico Rotevilani in medio hostium positi, Helvetiis fidem constanter servarunt, omnesque suas opes & copias amice & liberaliter illis obtulerunt. Helvetii vero his usi non sunt, sed id tantum ab eis petierunt, ut ipsi urbem suam adversus hostes defendant. Cæterum quia Rotevila longe extra limites Helvetiæ posita est, quò non nisi cum periculo exercitus per alienos fines duci potest, diligenter eorum fœdere cautum est, ne temere bellum sibi sociisque excitent. Nam primum sancitur, ne cuiquam bellum inferant insciis & non consentientibus Helvetiis: deinde ne sine horum voluntate cuiquam extra Helvetiam auxilium ferant: præterea si vis illis inferatur, quam vi repellere voluerint, si quid vi & armis faciendum fuerit, ex Helvetiorum consilio agant. Si hostes eorum se juri sistere voluerint, eo judicio quod Helvetii honestum & æquum statuerint, illo utantur. Nullum fœdus faciant absque voluntate Helvetiorum. Si inter Helvetios bellum oriatur, quod major pars censuerit, id sequantur. Helvetii Curiæ judicium Rotevilanis pro viribus con-

conſervanto, ſed eo contra neminem Helvetium utantur: ſi exterorum aliquis Helvetium citaverit, oſtendant, quomodo jure illo uti, ſeque tueri debeat, neque ulli Helvetiorum hoc judicio moleſti ſint.

MVLHVSIVM.

MVlhuſium, oppidum in Sequanis, aut, ùt alii volunt, in Rauracis, putatur antiquitus Ariabinium nominatum. nam in Antonini Auguſtalis itinerario id inter Auguſtam Rauricam & Vruncim, quod volunt Enſisheymium eſſe, ponitur; deinde mons Briſiacus, & Helvetum, & Argentoratum numerantur. Fuit jam olim è numero urbium Imperii Mulhuſium. Cæterum ejus Advocatiam habuit Epiſcopus Argentoratenſis; ſicuti & Argentariæ, quam Colmariam hodie nominamus. Cæterum bello exorto inter Rodolphum Habeſpurgium & Epiſcopum Argentinenſem, Mulhuſium Epiſcopo ademptum, & arx ejus, quæ in oppido erat, diruta eſt. atque ab eo tempore rurſus fuit in numero urbium Imperii Romani. Primam ſocietatem cum Helvetiis iniit circa annum 1464. cum enim nobilitas vicina urbi liberæ infeſta eſſet, & occaſiones belli adverſus illam ſtudioſe quæreret, cives cum Bernatibus, Friburgiis, & Salodoriis fœdus in annos quindecim fecerunt, ac Bernatum interceſſione reliqui ſeptem Pagi Helvetiorum urbem in ſuam tutelam recepere. quo facto animi Nobilitatis adeo incenſi ſunt, ut brevi odia hæc in apertum bellum eruperint: in quo Helvetii præſidium primò urbi miſere, & deinde omnes Pagi ſub ſignis magno exercitu auxilio venere: ac demum, obſeſſo Waldshuto Auſtriacorum oppido, nobilitatem ad æquas pacis conditiones recipiendas adegerunt. Anno deinde 1506 Mulhuſiani à Baſilienſibus in civium numerum recepti ſunt, atque ita arctius Helvetiis uniti: nono autem anno poſtea cum omnibus tredecim Helvetiorum Pagis fecerunt fœdus 19 Ianuarii menſis. Hoc fœdere de bello inferendo, ſocietatibus ineundis, conditiones plane ſimiles Rotevilano fœderi ſanciuntur.

FINIS.



INDEX & ORDO
TABVLARVM
VOLVMINIS SEPTIMI.

GALLIA, Lib. XIV.



HELVETIA, Lib. XV.

IN-

INDEX
ALPHABETICVS TABVLARVM VOLVMINIS SEPTIMI.

GALLIA, Lib. XIV.

HELVETIA, Lib. XV.

